9
R-B
35

TITI LIVII
PATAVINI
HISTORIARUM
TOMUS QUARTUS.

A LIBRO XXXV. AD L.

INTERPRETATIONE ET NOTIS ILLUSTRAVIT

JOANNES DUJATIUS

JUSSU CHRISTIANISSIMI

REGIS,

IN USUM SERENISSIMI

DELPHINI.

ACCESSERE IN HAC NOVA EDITIONE

JOANNIS CLERICI *Notæ.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS, M DCC XV.

Apud CAROLUM BONARRIGUM.

SUPERIORUM PERMISSU.

D.PROB ROM.S.J.

Illuſtriſſ.mo atque Excellentiſſ.mo D.D.

GEORGIO CONTARENO

Equiti, Joppes Comiti &c. Veronæ Prætori Deſignato.

Um primum equeſtri dignitate inſignitus, noviſque titulis auctus in Sereniſſimæ hujus Reipublicæ lucem, totiuſque civitatis conſpectum prodiiſti, mihi ſtatim viſus es dignus, cui quartum Livianarum hiſto-

riarum tomum dicarem, nimirum quem amplissimis viris, quibus priores tomos inscripseram, neque invitis comparaiem. Quamquam enim primam juventam vix ingressus nullum adhuc magnarum rerum in Republica administranda specimen dederis; attamen quæ egregiè facturus sis, ipso habitus, vultusque minime quæsito decore, nedum iis, quæ de excelso animo tuo, tuisque privatis virtutibus prædicabantur, pronum fuit omnibus conjectare. Hinc illa omnium exorta lætitia, quam, te ad novæ dignitatis insignia capienda Principis solium adeunte, nubibus, pluviisque tristissima dies, & festæ nequaquam similis, minimè perturbavit, cum nemo non esset in Venetarum rerum antiquitate vel leviter versatus, domesticæque gloriæ tuæ non omninò ignarus, qui revocata retro prisca sæcula non crederet, redditumque huic Reipublicæ magnum illum GEORGIUM, qui primus equestrem dignitatem una cum Joppes ditione in Contarenam familiam invexit. Non sine aliquo numine factum propterea diximus, ut tantum virum, quo facilius falli aliquando, posteritas posset rerum gestarum similitudine non nomine tantum referres, verum etiam ut tibi obtingeret à Sereniſſimo JOANNE CORNELIO iis titulis inaugurari, quibus ille à Sereniſſima CATHARINA CORNELIA primum fuerat inauguratus: quæque Cypri Regina Cornelia consobrino suo Georgio, ea abnepos abnepoti, Venetiarum dux Cornelius alteri Georgio largiretur. Hanc

autem

autem, quam de te omnibus expectationem excitasti, non multum interfuit temporis, cum publicum universæ Reipublicæ judicium firmavit, auxitque, cum scilicet Veronæ Prætor frequentissimis comitiis es renunciatus. Cui provinciæ te haud parem putet aliquis, postquam juveni magna & florentissima, satis patenti fertilique agro, multis, neque iis ignobilibus oppidis frequenti pollens, operibus munitissima, mercimoniis ex affini Germania prono Athesi devehendis ditissima, nobilissimis frequentata familiis, naturæ artisque ingenio ornatissima, singulari verò ejus fide huic Reipublicæ amantissima civitas regenda committitur? His probatus judiciis publicis, privatisque omnium primus mihi videris, quem non gloria rebus gestis, sed expectatio gerendarum desiderio maxime oneret. Verùm cum id ipse virium tuarum conscientia nequaquam formides, non dubito, quin gratum quoque futurum tibi sit hoc observantiæ meæ testimonium, quo nomen tuum huic Livianæ historiæ volumini inscribo. Neque leviter augeo ipse quoque, quæ de te omnibus est expectatio, hoc novo minimè licet sapientis, & è plebe hominis judicio. Præterquamquod enim magnis Proceribus, quibus alia volumina dicata, te compositum intelligis, quod etsi casu accidisset, impar tamen cum illis ad gloriæ certamen congressus videri nolles; ipsum se solo aliquid est patronum novæ alicui prælorum fœturæ adsciscì. Sciunt omnes, nos de laborum nostrorum,

ceù

ceù cariſſimorum pignorum ornamento ſollicitos per omnem civitatem oculos circumferre, omnium captare ſermones, quæ viſa, quæ audita doctorum virorum, quibuſcum frequens nobis conſuetudo, examini penſitanda ſubjicere, donec non noſtro, ſed ſapientum judicio parem in lucem emittendo operi patronum inveniamus. Livio autem typis nunc meis edendo paria aut ex ſola nobilitate, aut ex opibus, & dignitate auſpicia quæſierim? Omnia hæc quidem ſumma in te eſſe video, quæque alii auctori tuendo ſatis facile eſſent. Livium verò qui in tutelam ſuam accepturus eſt, is animum gerat oportet ejus ingenio parem, quod Romano imperio par unum fuit: is virtutis verus ſit æſtimator, cujus præclariſſima exempla undique ex Liviana hiſtoria ſuppetunt; is ea aut geſſerit, aut geſturus ſit, quibus ſcribendis Livium, ſi poſſet, à mortuis excitari vellet. In hujus ſinus tantummodo & Livius ipſe, & qui ejus præclariſſimæ hiſtoriæ multiplicandæ, præcipue poſtquam doctiſſimorum virorum curis illuſtrior facta, gnaviter inſudo, læti, & tuti confugimus. Quamquam igitur tuarum virtutum fama Venetam omnem ditionem, nedum Veronam, longe latèque pervaſerit, non dubito quin in majorem de te expectationem erigenda ſit Veronenſis civitas, cum primum accipiet fidei tuæ defendendam hanc meam Livii editionem traditam eſſe. Etenim quæ acturum novum Prætorem non augurabantur, quem Romanis exemplis abunde inſtructum ſciant, oportet, cum audient Li-

vii amatorem, & Livii amatorum patronum? Ipſe propterea, qui nullos magnarum rerum agendarum ſtimulos reſpuis, Livii apud me renaſcentis patrocinium libenter ſuſcipe, tibique Hiſtoricorum Principem obſtringe, ſiquidem rebus, quæ præclarè geſturus es, narrandis, quotquot erunt noſtris temporibus Livio non abſimiles, tibi ſpero gratiam relaturos. Literatorum quidem omnium patrocinium nomini, ac familiæ debes, unde magnus ſemper literis honor, Muſis perfugium, tantumque diſciplinis omnibus decus, & incrementum, quantus ingeniorum omnibus temporibus felix proventus. Ut enim Gaſparem Cardinalem Contarenum prę-teream virum literis omnibus humanis diviniſque inſtructiſſimum; ut Nicolaum in Patavino Lyceo conſultiſſimum Juris interpretem; ut Petrum Franciſcum hujus urbis Patriarcham; ut Andream, & Joannem Baptiſtam in Peripatetica Philoſophia, atque in Platonicis diſciplinis Laurentium egregiè verſatos; ut Franciſcum, qui ſi librorum multitudine Livium æquaſſet, nulla profecto alia in laude illi impar eſſet; ut alios denique innumeros in omni ſcientiarum genere excultiſſimos: Thomas ille è Joppes Comitibus ita aſſiduus in literarum ſtudiis fuit, ut cum Patavium graſſante lue adoleſcens adhuc ſeceſſiſſet, Cypriani orationem de Mortalitate Italico ſermone, eoque ſatis eleganti donavit, ac Julio S. Marci Procuratori Patruo ſuo dicatam publici Juris fecit. At Livii patrocinium ipſe cum debes Livio ob tantam Hiſtorici præ-

ſtan-

ſtantiam, tum tibi quoque debes, cui fovendi hiſtorici omnes, quando nullius non potes rebus tuis gerendis eloquentiam deſiderare. Quo vero excipis animo tantum ſcriptorem, eo me quoque fac ut velis reſpicere, qui illum tibi defendendum trado. Vale, Juvenis ornatiſſime, ac te oſtende non in familiæ tuæ præclariſſimæ ornamentum tantummodo, ſed in univerſæ Reipublicæ bonum his temporibus datum.

Scribebam Kalendis Martiis 1715.

Addictiſs. Deditiſs. Obſtrictiſſimuſq;

Carolus Bonarrigus Typographus.

TITI

S. C. DE BACCHANALIBUS,

cujus meminit Livius lib. 39. cap. 18.

MARCIVS. L. F. S. POSTVMIVS. L. F. CO S. SENATV M. CONSOLVERVNT N. OCTOB. APVD. AEDEM. DVELONAI. SC. ARF. M. CLAVDI. M. F. L. VALERI. P. F. Q. MINVCI. C. F. DE. BACCANALIBVS. QVEI. FOIDERATOI. ESENT. ITA. EXDEICENDVM. CENSVERE. NEI. QVIS. EORVM. BACANAL. HABVISE. VELET. SEI. QVES. ESENT. QVEI. SIBEI. DEICERENT. NECESVS. ESE. BACANAL. HABERE. EEIS. VTEI. AD PR. VRBANVM. ROMAM. VENIRENT. DEQVE. EEIS. REBVS. VBEI. EORVM. VTR. A. AVDITA. ESENT. VTEI. SENATVS. DECERNERET. DVM. NE. MINVS. SENATORIBVS. C. ADESE. P. R. A. RES. COSOLERETVR. BACAS. VIR. NE. QVIS. ADIESE. VELET. CEIVIS. ROMANVS. NEVE. NOMINVS. LATIN. NEVE. SOCIVM. QVISQVAM. NISEI. PR. VRBANVM. ADIESENT. ISQVE. DE. SENATVOS. SENTENTIA. DVM. NE. MINVS. SENATORIBVS C. ADESENT. QVOM. EA. RES. COSO. LERETVR. IOVSISENT. CENSVERE. SACERDOS. NE. QVIS. VIR. ESET. MAGISTER. NEQVE. VIR. NEQVE. MVLIER. QVISQVAM. ESET. NEVE. PECVNIAM. EORVM. COMOINEM. HABVISE. VELET. NEVE. MAGISTRATVM. NEVE. PROMAGISTRATVO. NEQVE. VIRVM. NEVE. MVLIEREM QVISQVAM. FECISE. VELET. NEVE POSTHAC. INTER. SED. CONIOVRAVISE. VELET. COMVOVISE. NEVE. CONSPONDISE. NEVE. CONPROMISISE. VELET. NEVE QVISQVAM. FIDEM. INTER. SED. DEDISE. VELET. SACRA. IN. DEVOTOD. NE. QVISQVAM. FECISE. VELET. NEVE. IN. PUBLICOD. NEVE. PREIVATOD. NEVE. EXTRAD. VRBEM. SACRA. QVISQVAM. FECISE. VELET. NISEI. PR. VRBANVM. ADIESET. ISQVE. DE. SENATVOS. SENTENTIAD. DVM. NE. MINVS. SENATORIBVS. C. ADESENT. QVOM. EA. RES. CONSOLERETVR. IOVSISENT. CENSVERE. HOMINES. PIDV. S. V. OINVORSEI. VIREI. ATQVE. MVLIERES. SACRA. NE. QVISQVAM. FECISE. VELENT. NEVE. INTER. IBEI. VIREI. FLOVS. DVOBVS. MVLIERIBVS. PLOVS. TRIBVS. ARFVISE. VELENT. NISEI. DE. PR. VRBANI. SENATVOSQVE. SENTENTIAD. VTEI. SVPRAD. SCRIPTVM. EST. HAICE. VTEI. IN. CONVENTIONID. EXDEICATIS. NE. MINVS TRINVM. NOVNDINVM. SENATVOSQVE. SENTENTIAM. VTEI. SCIENTES. ESETIS. EORVM. SENTENTIA. ITA. FVIT(SEI. QVES. ESENT. QVEI. ARVORSVM. EAD. FECISENT. QVAM. SVPRAD. SCRIPTVM. EST. EEIS. REM. CAPVTALEM. FACIENDAM. CENSVERE. ATQVE. VTEI. HOCE. IN. TABOLAM. AHENAM. INCIDERETIS. ITA. SENATVS. AIQVOM. CENSVIT. VTEIQVE. EAM. FIGIER. IOVBEATIS. VBEI. FACILIVMED. GNOSCIER. POTISIT. ATQVE. VTEI. EA. BACANALIA. SEI. QVA. SVNT. EXTRAD. QVAM. SEI. QVID, IBEI. SACRI. EST. ITA. VTEI. SVPRAD. SCRIPTVM. EST. IN. DIEBVS. X. QVIBVS. VOBEIS. TABELAI. DATAI. ERVNT. FACIATIS. VT. EIDIS. MOTA. SIENT. IN. ARGO. TEVRANO.

TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM LIBER XXXV.

EPITOME EJUSDEM LIBRI.

PUBLIUS Scipio Africanus legatus ad Antiochum Epheſi cum Annibale, qui ſe Antiocho junxerat, collocutus eſt: ut, ſi fieri poſſet, metum ei, quem ex populo Romano conceperat, eximeret. Inter alia quum quæreret, quem fuiſſe maximum imperatorem Annibal crederet, reſpondit: Alexandrum Macedonum regem, quòd parvâ manu innumerabiles exercitus fudiſſet; quodque [1] ultimas oras, quas viſere ſupra ſpem humanam eſſet, peragraſſet. Quærenti deinde quem ſecundum ponoret; Pyrrhum, inquit, caſtra metari primum docuiſſe: ad hoc neminem elegantiùs loca cepiſſe, præſidia diſpoſuiſſe. Exequenti: quem tertium diceret: ſemetipſum dixit. Ridens Scipio. Quidnam tu diceres, ſi me, inquit, viciſſes? Tunc verò, inquit, me & ante Alexandrum, & ante Pyrrhum, & ante alios poſuiſſem. Inter cætera prodigia, quæ plurima fuiſſe traduntur, bovem Cn. Domitii conſulis, locutum, Roma cave tibi, refertur. Apparant in Antiochum bellum Romani. Nabis Lacedæmoniorum tyrannus incitatus ab Ætolis, qui & Philippum, & Antiochum ad inferendum bellum populo Romano ſolicitabant, à populo Romano deſcivit: & bello adverſus Philopœmenem Achæorum prætorem geſto, ab Ætolis interfectus eſt. Ætoli quoque ab amicitia populi Romani defecerunt. cum quibus ſocietate junctâ Antiochus Syriæ rex quum bellum Græciæ intuliſſet, complures urbes occupavit. inter quas Chalcidem, & totam Euboeam. Res præterea in Liguribus geſtas, & apparatum belli ab Antiocho continet.

Urb. cond. an. 560. Coſſ. L. Corn. Meculâ, & Q. Minucio Thermo.

I. PRINCIPIO anni, quo hæc geſta ſunt, Sex. Digitius prætor in Hiſpania citeriore cum civitatibus iis, quæ poſt profectionem M. Catonis permultæ rebellaverant, crebra magis quàm digna dictu prœlia fecit, & adeò pleraque adverſa, ut vix dimidium mi-

NOTÆ.

1. *Ultimas oras.*] Verſus orientem, nimirùm Indicas regiones.

Urb. cond. an. 560. Coſſ. L. Corn. Meſulâ, & Q. Minucio Thermo.

litum, [1] quàm quòd acceperat, ſucceſſori tradiderit. Nec dubium eſt, quin omnis Hiſpania ſublatura animos fuerit, ni alter prætor [2] P. Cornelius Cn. F. Scipio, trans Iberum multa ſecunda prœlia feciſſet : quo terrore non minùs quinquaginta oppida ad eum defecerunt. Prætor hæc geſſerat Scipio. Idem pro prætore [3] Luſitanos pervaſtata ulteriori provincia cum ingenti præda domum redeuntes, in ipſo itinere aggreſſus, ab hora tertia diei ad octavam incerto eventu pugnavit ; numero militum impar, ſuperior aliis : nam [4] & acie frequenti armatis adverſus longum & impeditum turba pecorum agmen, & recenti milite adverſus feſſos longo itinere concurrerat. Tertia namque vigilia exierant hoſtes : huic nocturno itineri tres diurnæ horæ acceſſerant : nec ulla quiete data, laborem viæ prœlium exceperat. itaque principio pugnæ vigoris aliquid in corporibus animiſque fuit, & turbaverant primò Romanos : deinde æquata pauliſper pugna eſt. in hoc diſcrimine ludos Jovi, ſi vi fudiſſet cecidiſſetque hoſtes, proprætor vovit. Tandem gradum acriùs intulere Romani, ceſſitque Luſitanus : deinde prorſus terga dedit, & quum inſtitiſſent fugientibus victores, ad duodecim millia hoſtium ſunt cæſa. capti quingenti quadraginta, omnes fermè equites : & ſigna militaria capta centum triginta quatuor. De exercitu Romano ſeptuaginta & tres amiſſi. pugnatum haud procul [5] Ilipâ urbe eſt. Eò victorem [6] opulentum præda exercitum P. Cornelius reduxit. ea omnis ante urbem expoſita eſt : poteſtaſque dominis ſuas res cognoſcendi facta. cætera vendenda quæſtori data : [a] quod inde refectum eſt, militi diviſum :

II. Nondum ab Roma profectus erat C. Flaminius prætor, quum hæc in Hiſpania gerebantur. itaque eàm adverſæ quàm ſecundæ res per ipſum, amiſcoſque ejus magnis ſermonibus celebrabantur : & tentave-

INTERPRETATIO.

a *Quantum pecuniæ provenit ex venditâ prædâ.*

NOTÆ.

1. *Quàm quod acceperat.*] Poteſt tolli *To quod*, ex Gron.

2. *Pub. Cornelius Cn. filius Scipio.*] Is ſcilicet qui *Naſica* cognomine, & vir optimus à ſenatu fuerat judicatus.

3. *Luſitanos.*] A Luſitania dicti *Luſitani*. Ea Hiſpaniæ regio verſus occaſum extrema pars ulterioris fuit. Et reſpondet hodie tum *Portugallia* (exceptâ regione ſeptentrionali, quæ ultra Durium, pars olim Gallæciæ fuit) tum occidua Caſtellæ & Eſtremaduræ pars. Inque longior eſt Portugallia quàm vetus Luſitania ; latior fuit Luſitania quàm hodierna Portugallia.

4. *Et acie frequenti*] Frequentem dicit, non ex multitudine (numero enim impar erat Romanus) ſed quod conferta eſſet acies, atque ad pugnandum inſtructa & compoſita.

5. *Ilipa urbe*] Cùm plura fuerint oppida Hiſpaniæ, quibus nomen *Ilipa* aut *Ilipula*, quorum nullum in Luſitania, omnia in Bœtica : ego hic indicari puto eam urbem quam Ptolemæus *Ilipulam* in Turdetanis ponit : Plinius *Lepiam* in conventu Gaditano, quæ hodie *Niebla* eſt Sanſoni, aliis *Lepe* ; non procul oſtio Anæ fluvii ad Luſitaniæ fines.

6. *Opulentum prædâ exercitum.*] Sic

rāt, quoniam bellum ingens in provincia exarſiſſet, & exiguas reliquias exercitus ab Sex. Digitio, atque eas ipſas plenas pavoris ac fugæ acceperus eſſet, ut unam ſibi ex urbanis legionibus decernerent: ad quam quum militem ab ſeipſo ſcriptum ex Senatusconſulto adjeciſſet, eligeret ex omni numero tria millia & quingentos pedites, & equites trecentos. Ea ſe legione (nam in Sex. Digitii exercitu haud multùm ſpei eſſe) rem geſturum. Seniores negare *ad rumores à privatis temerè in gratiam magiſtratuum conflctos, ſenatuſconſulta facienda eſſe. niſi quòd aut prætores ex provinciis ſcriberent, aut legati renunciarent, nihil ratum haberi debere. Si tumultus in Hiſpania eſſet, placere tumultuarios milites extra Italiam ſcribi à prætore.* Mens ea ſenatus fuit, ut in Hiſpania tumultuarii milites legerentur. Valerius Antias & in Siciliam navigaſſe delectus cauſa C. Flaminium ſcribit: & ex Sicilia Hiſpaniam petentem, tempeſtate in Africam delatum, vagos milites de exercitu P. Africani ſacramento rogaſſe: his duarum provinciarum delectibus, tertium in Hiſpania adjeciſſe. Urb. cond. an. 560. Coſſ. L. Corn. Merulâ, & Q. Minucio Thermo.

III. Nec in Italia ſegniùs Ligurum bellum creſcebat. Piſas jam quadraginta millibus hominum, affluente quotidie multitudine ad famam belli ſpemque prædæ, circumſedebant. Minucius Conſul, Arretium die, quem edixerat ad conveniendum militibus, venit. inde quadrato agmine ad Piſas duxit, & quum hoſtes non plus paſſuum tribus millibus ab oppido trans fluvium moviſſent caſtra; conſul urbem, haud dubiè ſervatam adventu ſuo, eſt ingreſſus. Poſtero die & ipſe trans fluvium fermè mille paſſus ab hoſte poſuit caſtra. inde levibus prœliis à populationibus agrum ſociorum tutabatur. in aciem exire non audebat; novo milite & ex mulcis generibus hominum collecto, nec dum noto ſatis inter ſe, ut fidere alii aliis poſſent. Ligures multitudine freti & in aciem exibant, parati de ſumma rerum decernere: & abundantes militum numero paſſim multas manus per extrema finium ad prædandum emittebant: & quum coacta vis magna pecorum prædæque eſſet, *1* paratum erat præſidium, per quod in caſtella eorum vicoſque ageretur.

IV. Quum bellum Liguſtinum ad Piſas conſtitiſſet, conſul alter L. Cornelius Merula per extremos Ligurum fines exercitum in agrum Bojorum induxit, ubi longè alia belli ratio, quàm cum Liguribus erat. Conſul in aciem exibat, hoſtes pugnam detrectabant; prædatumque ubi nemo obviam exiret, diſcurrebant Romani. Boji diripi ſua impunè quàm tuendo ea con-

NOTÆ.

Idem Livius lib. 9. cap. 36. *Victor Romanus opulentus rerum omnium in caſtra redit.*

1. Paratum erat præſidium. I. Gallicè: *il avoient une puiſſante eſcorte pour emmener dans leurs Bourgs & Villages le grand nombre de beſtiaux qu'ils avoient pris, & le butin qu'ils avoient fait.*

Urb. cond. an. 560. Coss. L. Corn. Merulâ, & Q. Minucio Thermo.

ferere certamen malebant. Posteaquàm omnia ferro ignique satis evastata erant, consul agro hostium excessit, & ad Mutinam agmine incauto, ut inter pacatos ducebat. Boji ubi egressum è finibus suis hostem sensere, sequebantur silenti agmine; locum insidiis quærentes. nocte prætergressi castra Romana, saltum, quâ transeundum erat Romanis, insederunt. Id quum parùm occultè fecissent, consul, qui multâ nocte solitus erat movere castra, ne nox terrorem in tumultuario prœlio augeret, lucem exspectavit, & quum luce moveret, tamen turmam equitum exploratum misit. Posteaquàm relatum est, quantæ copiæ & quo in loco essent, totius agminis sarcinas in medium conjici jussit, & triarios vallum circumjicere: cætero exercitu instructo ad hostem accessit. Idem & Galli fecerunt, posteaquàm apertas esse insidias, & rectà ac justo prœlio, ubi vera virtus vinceret, dimicandum viderunt.

V. Horâ secundâ fermè concursum est. sinistra sociorum equitum ala, & extraordinarii prima in acie pugnabant. præerant duo consulares legati, M. Marcellus, & Tib. Sempronius, prioris anni consul. Novus consul nunc ad prima signa erat, nunc legiones continebat in subsidiis; ne certaminis studio priùs concurrerent, quàm datum signum esset. equites eorum extra aciem in locum patentem Q. & P. Minucios tribunos militum educere jussit. inde quum signum dedisset, impetum ex aperto facerent. Hæc agenti nuncius venit à Tib. Sempronio Longo, non sustinere extraordinarios impetum Gallorum, & cæsos permultos esse, *& qui supersint, partim labore, partim metu remisisse ardorem pugnæ. legionem alteram ex duabus, si videretur, summitteret, priusquàm ignominia acciperetur.* Secunda legio missa est, & extraordinarii recepti. Tum redintegrata est pugna; quum & recens miles & frequens ordinibus legio succesisset. sinistra ala ex prœlio subducta est: dextra in primam aciem subiit. Sol ingenti ardore torrebat minimè patientia æstus corpora Gallorum: densis tamen ordinibus nunc alii in alios, nunc in scuta incumbentes, sustinebant impetus Romanorum. Quod ubi animadvertit consul ad perturbandos ordines eorum C. Livium Salinatorem; qui præerat alariis equitibus, quàm concitatissimos equos immittere jubet: & legionarios equites in subsidiis esse. Hæc procella equestris, primò confudit & turbavit, deinde dissipavit aciem Gallorum, non tamen ut terga darent. Ob-

NOTÆ.

1. *Triarios vallum circumjicere.*] Antea Prætorium sive Tabernaculum Imperatoris in castris tendebant, in certamine vallos, quibus onerati incedere Romani solebant, objicere: an potiùs vallo castra munire?

2. *Alariis equitibus.*] Generaliter quidem *ala* de equitibus dicitur: sed hi *Alarii* equites ac pedites dicebantur apud Romanos ex sociorum numero selecti, ve veterani, & voluntarii milites, qui antecirca eundem pugnare soliti.

1. *Et extraordinarii prima.*] *Extraordinarii* equites opponuntur equitibus legionariis sociorum numero, qui in utroque cornu

Urb. cond. an. 560. Coss. L. Corn. Merula, & Q. Minucio Thermo.

ſtabant duces, haſtilibus cædentes terga trepidantium, & redire in ordines cogentes: [a] ſed interequitantes alarii non patiebantur. Conſul obteſtabatur milites, *Ut paululum adniterentur: victoriam in manibus eſſe. dum turbatos & trepidantes viderent, inſtarent. ſi reſtitui ordines ſiviſſent, integro rurſus eos prœlio & dubio dimicaturos.* Inferre vexillarios juſſit ſigna. omnes connixi tandem averterunt hoſtem. Poſtquàm terga dabant, & in fugam paſſim effundebantur; tum ad perſequendos eos legionarii equites immiſſi. Quatuordecim millia Bojorum eo die cæſa ſunt; vivi capti mille nonaginta duo: equites ſeptingenti viginti unus, tres duces eorum, ſigna militaria ducenta duodecim, carpenta ſexaginta tria. Nec Romanis incruenta victoria fuit. ſupra quinque millia militum ipſorum aut ſociorum ſunt amiſſa: centuriones tres & viginti, præfecti ſociûm quatuor, & M. Genucius, & M. Marcius, tribuni militum ſecundæ legionis.

VI. Eodem ferè tempore duorum conſulum literæ allatæ ſunt; L. Cornelii de prœlio ad Mutinam cum Boiis facto, & Q. Minucii à Piſis. [a] *Comitia ſua ſortis eſſe: cæterum adeo ſuſpenſa omnia in Liguribus ſe habere, ut abſcedi inde ſine pernicie ſociorum & damno Reipublicæ non poſſit. Si ita videretur Patribus, mitterent ad collegam; ut is, qui proſligatum bellum haberet, ad comitia Romam rediret, ſi id facere gravaretur, quod non ſuæ ſortis id negotium eſſet; ſe quidem ſacturum quodcumque ſenatus cenſuiſſet: ſed etiam atque etiam viderent, ne magis è republica eſſet* [1] *interregnum iniri, quàm ab ſe in eo ſtatu relinqui provinciam.* Senatus C. Scribonio negotium dedit, ut duos legatos ex ordine ſenatorio mitteret ad L. Cornelium conſulem, qui literas collegæ ad ſenatum miſſas deferrent ad eum; & nunciarent, ſenatum, ni is ad magiſtratus ſubrogandos Romam veniret, potiùs quàm Q. Minucius à bello integro avocaretur, interregnum iniri paſſurum. Miſſi legati renunciarunt, L. Cornelium ad magiſtratus ſubrogandos Romam venturum. De literis L. Cornelii, quas ſcripſerat ſecundum prœlium cum Boiis factum, diſceptatio in ſenatu fuit: quia privatim pleriſque ſenatoribus legatus M. Claudius ſcripſerat, *Fortunæ populi Romani & militum virtuti gratiam habendam quòd res benè geſta eſſet. Conſulis operâ, & militum aliquantum amiſſum; & hoſtium exercitum, cujus delendi oblata fortuna fuerit, elapſum. Milites eò plures periſſe, quòd tardiùs ex ſubſidiis, qui laborantibus opem ferrent, ſucceſſiſſent. Hoſtes è manibus emiſſos, quòd equitibus legionariis & tardiùs datum ſignum eſſet, & perſequi fugientes non licuiſſet.*

INTERPRETATIO.

[a] *Impediebat impreſſio Alariorum, ne Boii perturbati in ordines redirent.*

[a] *Q. Minucius ſcribebat ſibi ſorte obtigiſſe, ut comitiis conſularibus præeſſet.*

NOTÆ.

fuere, ſoli plerumque in ſiniſtro: in dextro verò ad lævum latus equitatûs Romani, cujus minor numerus.

1. *Interregnum iniri.*] Comitia Magiſtratuum creandorum à ſummo Magiſtratu habenda erant, Conſule, Dicta-

Urb. cond. an. 560. Coſſ. L. Corn. Merula, & Q. Minucio Thermo.

VII. De eâ re nihil temerè decerni placuit .. ad frequentiores conſultatio 1 dilata eſt. Inſtabat enim cura alia, quòd civitas fœnore laborabat: & quum multis fœnebribus legibus conſtricta avaritia eſſet, via fraudis inita erat, ut in ſocios, qui non tenerentur iis legibus, a nomina tranſcriberent. ita libero fœnore obruebant debitores. b Cujus cernendi quum ratio quæreretur, c diem finiri placuit, 2. e Feralia quæ proximè fuiſſent: ut qui poſt eam diem ſocii civibus Romanis. credidiſſent pecunias, profiterentur: & d ex ea die pecuniæ creditæ, 3 quibus debitor vellet legibus, jus creditori diceretur. Inde poſtea quàm profeſſionibus detecta eſt magnitudo æris alieni per hanc fraudem. contracti; M. Sempronius tribunus plebis ex auctoritate Patrum plebem rogavit, plebeſque ſcivit, ut cum ſociis ac nomine Latino, pecuniæ creditæ jus idem, quod cum civibus Romanis eſſet. Hæc in Italia domi militiæque acta. In Hiſpania nequaquam tantum belli fuit, quantum auxerat fama. C. Flaminius in citeriori Hiſpania oppidum, 4 Iluciam in Oretanis. cepit: deinde in hiberna milites de-

INTERPRETATIO.

a *Sub nomine alicujus Latini ſive ſocii alterius, qui legibus Romanis obnoxius non eſſet, pecuniam civibus crederent.*

b *Cùm quæreretur modus inſpiciendi fœneris, & diſcernendi nomina* ac veros creditores.

c *Præfinitus eſt dies.*

d *Jus diceretur de pecunia quæ mutua data eſſet poſt diem Feralium ultimorum.*

NOTÆ.

tore, aut Interrege. Igitur ita occupatis bello Conſulibus ut non liceret in urbem excurrere, vel creandus eam in rem erat Dictator, vel dicendi Interreges, qui poſt quinque dies ſummæ poteſtatis ſibi ſuccederent, ut per eorum aliquem comitia haberi poſſent.

1. *Dilata eſt.*] Aliàs *delata*.

2. *Feralia quæ proximè fuiſſent.*] Malè Maguntini editique alii eos ſecuti, *fœneralia* ſcripſerunt, quæ nulla fuere, nec Fœneris Deus cui celebrarentur. Omnes ſcripti habent *Feralia*, quod nomen eſt Feſti celebrati conſueti IX. Kalendas Martias: quâ die in Kalendario notantur. Quanquam Ovidius ad XIII. Kal. Mart. refert. Erant autem ex Varrone & Feſto Diis *Manibus* ſive Inferis factata Feſta, à *ferendis* epulis, vel à *ferendis ſecundibus* appellata. Macrob. 1. Saturnal 13. eorum inſtitutionem refert ad Numam: Ovidius. 2. Faſtor. num. 16. ad Æneam. Notat idem eo die religioſum fuiſſe nubere, aut ſacra Diis ſuperis facere, niſi quod magicum quoddam ſacrum Deæ Mutæ ſive Taciturnitati ab anu inter puellas thure ac vino fiebat, ad compeſcendas maledicorum linguas.

3. *Quibus debitor vellet legibus.*] Romanis vel ſocialibus, ſi forte fœnebres ejus populi leges ex quo ſuppoſititius creditor, minùs graves eſſent debitori: niſi malis fieri potuiſſe ut conditiones quibus privatus aliquis debitor cum creditore ſuo contraxiſſet, leviores eſſent publicis Romanorum fœnebribus, quod opinor valdè rarum.

4. *Iluciam in Oretanis.*] Qui *Illici* pro Ilucia ſumunt, *Conteſtanos*, qui in regno Valentiæ, magnâ ex parte confundunt cum Oretanis, qui in Caſtella. Nicol. Sanſon. in Tabula Hiſpaniæ veteri *Tuſculciam* Antonini eamdem facit cum Noſtri *Ilcia*, ponitque in Carpeſiis longè trans Tagum, & interpretatur *Illeſcas* non procul Madrito: ſed hæc quoque

duxit. & per hyemem prœlia aliquot, nulla memoria digna, adverſus latronum magis quàm hoſtium excurſiones, vario tamen eventu, nec ſine militum jactura, ſunt facta. Majores res geſtæ à M. Fulvio. Is 5 apud Toletum oppidum cum Vaccæis 6 Vectonibuſque & Celtiberis ſignis collatis dimicavit: exercitum earum gentium fudit, fugavitque: regem Hilermum vivum cepit. Urb. cond. an. 560. Coſſ. L. Corn. Merula, & Q. Minucio Thermo.

VIII. Dum hæc in Hiſpania agerentur, comitiorum jam appetebat dies. itaque L. Cornelius conſul, relicto ad exercitum M. Claudio legato Romam venit. Is in ſenatu quum de rebus ab ſe geſtis diſſeruiſſet, quoque in ſtatu provincia eſſet; queſtus eſt cum Patribus conſcriptis, quod tanto bello una ſecunda pugna tam feliciter perfecto, non eſſet habitus Diis immortalibus honos. poſtulavit deinde, ut ſupplicationem ſimul triumphumque decernerent. Priùs tamen quàm relatio fieret, Q. Metellus, qui conſul dictatorque fuerat, *Literas eodem tempore*, dixit, *& conſulis L. Cornelii ad ſenatum, & M. Marcelli ad magnam partem ſenatorum, allatas eſſe, inter ſe pugnantes: eoque dilatam eſſe conſultationem, ut præſentibus auctoribus earum literarum diſceptaretur. Itaque expectaſſe ſeſe, ut conſul, qui ſciret ab legato ſuo adverſus ſe ſcriptum aliquid, quum ipſi veniendum eſſet, deduceret eum ſecum Romam: quum etiam verius eſſet, Tib. Sempronio imperium habenti tradi exercitum, quàm legato. Nunc videri eſſe amotum de induſtriâ, qui ea quæ ſcripſiſſet, præſens diceret, aut argueretcoram: & ſi quid vani afferret, argui poſſet, donec ad liquidum veritas explorata eſſet. Itaque nihil eorum, quæ poſtularet conſul, decernendum in præſentia cenſere.* Quum pergeret nihilo ſegnius referre, ut ſupplicatio decerneretur, triumphantique ſibi in urbem invehi liceret; M. & C. Titinii tribuni plebis, ſe interceſſuros, ſi de ea re fieret Senatuſconſultum, dixerunt.

IX. Cenſores erant priore anno creati Sext. Ælius Pætus, & C. Cornelius Cethegus. Cornelius luſtrum condidit. cenſa ſunt civium capita centum quadraginta tria millia ſeptingenta quatuor. Aquæ ingentes eo anno fuerunt: & Tiberis loca plana urbis inundavit. Circa portam Flumentanam etiam collapſa quædam ruinis ſunt. & porta Cœlimontana fulmine icta eſt; murusque circà multis locis de cœlo tactus. Et Ariciæ, Lanuvii, & in Aventino lapidibus pluit. & à Ca-

NOTÆ.

longiùs ab Oretanis. Quid ſi pro *Ilucia*, legamus *Biaſtam*, quæ ab Ptolemæo tributur Oretanis, appoſita dextræ Bœtis ripæ, hodieque *Baëca* in extremis Andaluſiæ finibus?

5. *Apud Toletum oppidum.*] Ad Tagum fluvium Carpetanorum caput eo tempore, poſtea Gothorum Hiſpaniæ regum ſedes, hodieque Caſtellæ novæ regia urbs, ut Burgi Caſtellæ veteris. Archiepiſcopum habet, qui inter totius orbis Chriſtiani Præſules vix cuiquam dignitate cedit, Regni Caſtellani Cancellarius, Hiſpaniæ Primatem ſe dicit, in cujus umbilico ſita hæc civitas: multùm de veteri frequentiâ ipſi deceſſit ab tranſlatâ Madritum regiâ.

6. *Vectonibuſque.*] *Vectones* ſeu *Vettones* Luſitanis proximi ad ortum, & Luſitaniæ contributi, partem provinciæ Le-

Urb. cond. an. 560. Coss. L. Corn. Merula, & Q. Minucio Thermo.

pua nunciatum est, examen vesparum ingens in forum advolasse, & in Martis æde consedisse. eas collectas cum cura, & igni crematas esse. Horum prodigiorum causa decemviri libros adire jussi, & novendiale sacrum factum, & supplicatio indicta est, atque urbs lustrata. Iisdem diebus ædiculam Victoriæ Virginis, propè ædem Victoriæ M. Porcius Cato dedicavit: biennio post quàm vovit. Eodem anno coloniam Latinam [1] in agrum Thurinum triumviri deduxerunt Cn. Manlius Vulso, L. Apustius Fullo, Q. Ælius Tubero; cujus lege deducebatur. tria millia peditum fere, trecenti equites: numerus exiguus pro copia agri. Dari potuere tricena jugera in pedites, sexagena in equites. Apustio auctore tertia pars agri dempta est: quo postea si vellent, novos colonos adscribere possent. Vicena jugera pedites, quadragena equites acceperunt.

X. In exitu jam annus erat, & ambitio magis quàm unquam aliàs exarserat consularibus comitiis. multi & potentes petebant patricii, plebeique: P. Cornelius Cn. filius Scipio, qui ex Hispania provincia nuper decesserat magnis rebus gestis: & L. Quintius Flamininus, qui classi in Græcia præfuerat: & Cn. Manlius Vulso. Hi Patricii. Plebeji autem, C. Lælius, Cn. Domitius, C. Livius Salinator, Manius Acilius. sed omnium oculi in Quintium Corneliumque conjecti. nam & in unum locum petebant ambo patricii, & rei militaris gloria recens utrumque commendabat. Cæterùm ante omnia certamen accendebant [1] fratres candidatorum, duo clarissimi ætatis suæ imperatores. major gloria Scipionis: & quo major, eò propior invidiæ. Quintii recentior, ut qui eo anno triumphasset. Accedebat, quod alter decimum jam propè annum assiduus in oculis hominum fuerat; quæ res minùs verendos magnos homines ipsa satietate facit: consul iterùm post devictum Annibalem, censorque fuerat. In Quintio novâ & recentia omnia ad gratiam erant: nihil nec petierat à populo post triumphum, nec adeptus erat: pro fratre germano, non patruele, se petere ajebat: pro legato & participe administrati belli. se terra, fratrem mari, rem gessisse. [2] His obtinuit, ut præferretur candidato quem [3] Africanus frater deducebat: quem Cornelia gens Cornelio

NOTÆ.

gionensis & Extremaduræ complectebantur, ubi Salmantica, Placentia, &c. à Tormesi ac Durio ad Tagum. Lucanus *profugos à gente vetusta Gallorum* nominat.

1. *In agrum Ferentinum.*] Scripti *in castrum Ferentinum* vel *Terentinum*. Sigon. non abs re legendum putat: *in agrum Thurinum*. cujus mentio suprà lib. 34. cap. 53. ubi Q. Ælius Tubero Tribunus plebis ex senatus consulto Plebiscitum fecisse dicitur, ut Latinæ duæ colonîæ, una in Brutios, altera in Thuriorum agrum deducerentur: iidemque Triumviri deductores nominantur.

1. *Fratres Candidatorum.*] Non tamen eodem gradu; nam hic P. Scipio non germanus erat, sed patruelis tantùm frater Africani: Lucius autem Quintius frater germanus T. Flaminii.

2. *Is obtinuit.*] Alias: *his obtinuit*, id est, his de causis.

3. *Africanus frater.*] Nempe patruelis, ut dixi.

consule

conſule comitia habente, quem tantum præjudicium ſenatus; virum è civitate optimum judicatum, qui matrem Idæam Peſſinunte venientem in urbem acciperet. L. Quintius & Cn. Domitius Æenobarbus conſules facti. adeo ne in plebejo quidem conſule, quum pro C. Lælio niteretur, Africanus valuit. Poſtero die prætores creati, L. Scribonius Libo, M. Fulvius Centumalus, A. Attilius Serranus, M. Bæbius Tamphilus, L. Valerius Tappus, Q. Salonius Sarra. Ædilitas inſignis eo anno fuit M. Æmilii Lepidi, & L. Æmilii Pauli. Multos pecuarios damnarunt: ex ea pecunia clypea inaurata in faſtigio Jovis ædis poſuerunt. Porticum unam extra portam Trigeminam, emporio ad Tiberim adjecto; 4 alteram à porta Fontinali ad Martis aram, qua in campum iter eſſet, perduxerunt. Urb. cond. an. 560. Coſſ. L. Corn. Merula, & Q. Minucio Thermo.

XI. Diu nihil in Liguribus dignum memoria geſtum erat. Extremo ejus anni bis in magnum periculum res adducta eſt. nam & caſtra conſulis oppugnata, ægrè ſunt defenſa: & non ita multò pòſt per ſaltum anguſtum quum duceretur agmen Romanum, ipſas fauces exercitus Ligurum inſedit. qua quum exitus non pateret, converſo agmine redire inſtituit conſul: & à tergo fauces ſaltûs occupatæ à parte hoſtium erant: Caudinæque cladis memoria non animis modò, ſed propè oculis, obverſabatur. Numidas octingentos fermè equites inter auxilia habebat. eorum præfectus conſuli pollicetur *Se parte, utra vellet, cum ſuis eruptorum. Tantum nti diceret, utra pars frequentior vicis eſſet: in eos ſe impetum facturum: & nihil priùs quàm flammam tectis injecturum, ut is pavor cogeret Ligures excedere ſaltu, quem obſiderent, & diſcurrere ad opem ferendam ſuis.* Collaudatum eum conſul ſpe præmiorum onerat. Numidæ equos conſcendunt, & obequitare ſtationibus hoſtium neminem laceſſentes cœperunt. Nihil primo aſpectu contemptius. equi homineſque paululi & graciles: diſcinctus & inermis eques, præterquàm quòd jacula ſecum portat: equi ſine frenis, deformis ipſe curſus; rigidâ cervice & extento capite currentium. Hunc contemptum de induſtriâ augentes, labi ex equis, & per ludibrium ſpectaculo eſſe. Itaque qui primò intenti paratique, ſi laceſſerentur, in ſtationibus fuerant, jam inermes ſedenteſque pars maxima ſpectabant. Numidæ adequitare, dein refugere, ſed propiùs ſaltum paulatim evehi: velut quos impotentes regendi equi invitos efferret. poſtremò ſubditis calcaribus per medias ſtationes hoſtium erupêre: & in agrum latiorem evecti, omnia propinqua viæ tecta incendunt. proximo deinde vico inferunt ignem, ferro flammâque omnia pervaſtant. Fumus primò conſpectus, deinde clamor trepidantium in vicis auditus, po-

NOTÆ.

4. *Alteram à porta Fontinali.*] Priſcis fuit cum Triumphali, vel non multùm temporibus *Fontinalis* dicta fuit porta ab eâ diſtans. *Fontinalia* porro in genere trans Tiberim, quæ poſteà *Septimiana* dicuntur Fontium ſacra, ut notat Sextus Feſtus Vaticanum campum. Vel eadem Pompejus.

Urb. cond. an. 560. Coſſ. L. Corn. Merula, & Q. Minucio Thermo.

ſtremò ſeniores puerique refugientes tumultum in caſtris fecerunt. itaque ſine conſilio, ſine imperio, pro ſe quiſque currere ad ſua tutanda: momentoque temporis caſtra relicta erant, & obſidione liberatus conſul, quò intenderat, pervenit.

XII. Sed neque Boji, neque Hiſpani, cum quibus eo anno bellatum erat, tam inimicè infeſti erant Romanis, quàm Ætolorum gens. Ii poſt deportatos ex Græcia exercitus, primò in ſpe fuerant, *& Antiochum in vacuam Europæ poſſeſſionem venturum: nec Philippum aut Nabin quieturos.* Ubi nihil uſquam moveri viderunt, agitandum aliquid miſcendumque rati, ne cunctando ſeneſcerent conſilia; concilium Naupactum indixerunt. Ibi Thoas prætor eorum conqueſtus injurias Romanorum, ſtatumque Ætoliæ, Quod omnium Græciæ gentium civitatumque inhonoratiſſimi poſt eam victoriam eſſent, [1] cujus cauſa ipſi fuiſſent; legatos cenſuit circa reges mittendos, qui non ſolùm tentarent animos eorum, ſed ſuis quemque ſtimulis moverent ad Romanum bellum'. Damocritus ad Nabin, Nicander ad Philippum, Dicæarchus frater prætoris ad Antiochum eſt miſſus. Tyranno Lacedæmonio Damocritus, *ademptis maritimis civitatibus enervatam tyrannidem dicere: inde militem, inde naves, navaleſque ſocios habuiſſe, incluſum ſuis propè muris Achæos videre dominantes in Peloponneſo. nunquam habiturum recuperandi ſua occaſionem, ſi eam quæ tum eſſet, prætermiſiſſet: Nullum exercitum Romanum in Græcia eſſe: nec propter Gythium, aut maritimos alios Laconas, dignam cauſam exiſtimaturos Romanos, cur legiones in Græciam rurſum trauſmittant.* Hæc ad incitandum animum tyranni dicebantur; ut quum in Græciam Antiochus trajeciſſet, conſcientia violatæ per ſociorum injurias Romanæ amicitiæ, conjungeret ſe cum Antiocho. Et Philippum Nicander haud diſſimili oratione incitabat. erat etiam major orationi materia, quò ex altiore faſtigio rex, quam tyrannus, detractus erat; quoque plures ademptæ res. *Ad hoc vetuſta regum Macedoniæ fama, peragratuſque orbis terrarum victoriis ejus gentis referebatur. Et tutum vel incepto vel eventu ſe conſilium afferre. nam neque ut antè ſe moveat Philippus, quàm Antiochus cum exercitu tranſierit in Græciam, ſuadere; & qui ſine Antiocho adverſus Romanos Ætoloſque tamdiu ſuſtinuerit bellum, ei adjuncto Antiocho, ſociis Ætolis, qui tum graviores hoſtes quàm Romani fuerint, quibus tandem viribus reſiſtere Romanos poſſe?* Adjiciebat, *De duce Annibale nato adverſus Romanos hoſte, qui plures & duces & milites eorum occidiſſet, quàm quot ſupereſſent.* Hæc Philippo Nicander. Alia Dicæarchus Antiocho: *& omnium primum,* [2] *prædam de Philippo Romanorum*

INTERPRETATIO.

2 Dicebat Dicæarchus Antiocho *Romanos Philippi*, communibus armis *devicti, ſpolia cepiſſe, licèt victoria per Ætolos eſſet reportata.*

NOTÆ.

1. *Cujus cauſa ipſi fuiſſent.*] Quod ſcilicet cum Romanis inito eos in Græ-

esse dicere, victoriam Ætolorum, & aditum in Græciam Romanis nullos alios, quàm Ætolos dedisse; & ad vincendum vires eosdem præbuisse. deinde quantas peditum equitumque copias præbituri Antiocho ad bellum essent: quæ loca terrestribus copiis, quos portus maritimis. Tum de Philippo & Nabide libero mendacio abutebatur: paratum utrunque ad rebellandum esse: & primam quamque occasionem recuperandi ea quæ bello amisissent, arrepturos. Ita per totum simul orbem terrarum Ætoli Romanis concitabant bellum. reges tamen aut non moti, aut tardiùs moti sunt. Urb. cond. an. 560. Coss. L. Corn. Merula, & Q. Minucio Thermo.

XIII. Nabis extemplo circa omnes vicos maritimos dimisit ad seditiones in iis miscendas: & [a] alios principum donis ad suam causam perduxit: alios pertinaciter in societate Romanâ manentes occidit. Achæis omnium maritimorum Laconum tuendorum ab T. Quintio cura mandata erat. itaque extemplo & ad tyrannum legatos miserunt, qui admonerent fœderis eum Romani, denunciarentque ne pacem, quam tantopere petisset, turbaret: & auxilia ad Gythium, quod jam oppugnabatur à tyranno, & Romam qui ea nunciarent, legatos miserunt. Antiochus rex eâ hieme 1 Raphiæ in Phœnice Ptolemæo regi Ægypti 2 filiâ in matrimonium data, quum Antiochiam se recepisset, 3 per Ciliciam, 4 Tauro monte superato, extremo jam hiemis Ephesum pervenit: inde principio veris, 5

INTERPRETATIO.

[a] *Spartanorum primores.*

NOTÆ.

ciam quasi induxissent.

1. *Raphia in Phœnice.*] Raphiam Rhinocolura proximam, urbem Syriæ ad Ægypti confinia, Ptol. Samariæ assignat, Plinius Idumeæ, Strabo cum Nostro Phœniciæ: propriè tamen Palæstinæ urbs fuit.

2. *Filiâ in matrimonium datâ.*] Ptolemæum, V. Epiphanem cognomine, Antiochus sibi reconciliavit, filiâ Cleopatrâ in matrimonium datâ, & velut in dotem redditis Cœlesyriâ, Phœnice ac Judæâ. Mater fuit hæc Cleopatra Ptolemæorum Philopatoris & Physconis.

3. *Per Ciliciam.*] *Cilicia* à Cilice, ut volunt, dicta Agenoris filio, Phœnicis fratre: regio est Asiæ minoris, mari suo sejuncta ab Insulâ Cypro, reliquis latebribus. Tauro monte cincta, quo à Pamphylia & Pisidiâ distinguebatur ad occidentem, à Cappadocia & minori Armenia ad Septentrionem, à Syria versus orientem. Dividebatur in Campestrem, quæ ad ortum, & Trachæam sive Asperam quæ ad occasum. Caput urbium Tarsus fuit: hodie sub Turcis *Caramania* stricte sumpto nomine vocatur.

4. *Tauro monte superato.*] Maximus Asiæ mons Taurus à Lycia minoris Asiæ provincia ad extremos versus orientem Seres protenditur, variosque hinc inde per totam Asiam ramos spargit diversis nominibus in Cilicia propriè *Taurus*, in Armenia minore *Antitaurus*, in Syria *Amanus*, in Armenia majore *Gordiæus*, in ejusdem & Mesopotamiæ confinio *Niphates*, in Iberia & Albania *Caucasus*, in Bactriana *Paropamisus*, in Scythia *Imaüs*, aliisque alibi appellationibus.

5. *Antiocho filio.*] Duo fuere Antiochi Magni eodem nomine filii: hic prior natu, qui ex voluntate patris sororem Laodicem uxorem duxerat, ejusdem jussu brevi post necatus est, ut videbimus cap. 15. Alter fuit cognomento Epiphanes, qui in Syria regnavit post Seleucum Philopatorem fratrem natu maximum.

Urb. cond. an. 560. Coſſ. L. Corn. Merula, & Q. Minucio Thermo.

Antiocho filio miſſo [6] in Syriam ad cuſtodiam ultimarum partium regni, ne quid abſente ſe à tergo moveretur; ipſe cum omnibus terreſtribus copiis [7] ad Piſidas, qui circa Sidam incolunt, oppugnandos eſt profectus. Eo tempore legati Romani P. Sulpicius, P. Villius qui ad Antiochum (ſicut antè dictum eſt) miſſi erant, juſſi priùs Eumenem adire, [8] Elæam venere, inde Pergamum (ibi regia Eumenis fuit) aſcenderunt. Cupidus belli adverſus Antiochum Eumenes erat: *gravem, ſi pax eſſet, accolam tantò potentiorem regem credens: eumdem ſi motum bellum eſſet, non magis parem Romanis fore quàm Philippus fuiſſet: & aut funditùs ſublatum iri: aut ſi pax victo daretur, multa illi detracta ſibi acceſſura; ut facilè deinde ſe ab eo fine ullo Romano auxilio tueri poſſet. Etiam ſi quid adverſi caſurum foret, fatiùs eſſe Romanis ſociis quamcumque fortunam ſubire quàm ſolum aut imperium pati Antiochi, aut abnuentem vi atque armis cogi.* Ob hæc quantum auctoritate, quantum conſilio valebat, incitabat Romanos ad bellum.

XIV. Sulpicius æger Pergami ſubſtitit. Villius quum Piſidiæ bello occupatum eſſe regem audiſſet, Epheſum profectus, dum paucos ibi moratur dies, dedit operam, ut cum Annibale, qui tum ibi fortè erat, ſæpè congrederetur: ut animum ejus & tentaret, ſi quæ poſſet, & metum demeret periculi ei quicquam ab Romanis eſſe. His colloquiis aliud quidem actum nihil eſt: ſecutum tamen ſua ſponte eſt, velut conſilio petitum eſſet, ut vilior ob ea regi Annibal & ſuſpectior ad omnia fieret. Claudius ſecutus [9] Græcos Aciliános libros, P. Africanum in ea fuiſſe legatione tradit: eum-

NOTÆ.

6. *In Syriam.*] Duplicem habet acceptionem nomen *Syriæ*: & latè quidem ſumpta Phœniciam & Paleſtinam cum Syria propriè dicta complectitur, atque Orientis appellatione ſub Romano imperio ferè intelligebatur. At *Syria* magis propriè dicta, continebat Syriam Itiſtiſſimè ſumptam, ubi Antiochia, Cœleſyriam ſive Syriam cavam, Decapolin, Comagenen & Palmyrenen, aliaque minorum regionum vocabula: à mari Phœnicio ſeu Syriaco ad Euphratem protenſa. Hodie Chriſtianis *Soria*, Perſis *Suriſtan*, Turcis dominantibus & Arabibus incolis *Scham*, tracto nomine ab urbe Damaſco: primaria tamen civitas habetur, *Aleppum*, Orientalibus *Chalab*, quæ veterum, non Berrhœa, nec Hierapolis, ſed *Chalybon*, ut nomen ipſum demonſtrat extra regimen Arabico more pronunciatum; eſt enim *Chalebon*: inde olim vinum *Chalybonites*.

7. *Ad Piſidas, qui circa Sidam.*] Aſiæ minoris regio fuit *Piſidia* Pamphyliæ finibus apud auctores non paucos comprehenſa. Horum urbs è præcipuis *Selge*: unde Gelenius cum in veteribus libris ſcriptum eſſet, *qui circa Sicam*, vel *Sitam*, correxerat hic *qui circa Selgam*: ſed Glar. legere maluit *qui circa Sidam*. Et fuit *Sida* urbs Pamphyliæ maritima, vicina Piſidiæ, non procul oſtio Eurymedontis: cujus loco Moletius & Thevetus *Scandalor* hodie ponunt. Ab hac urbe cognominatus Antiochus Sidetes.

8. *Elæam venere.*] Majoris Myſiæ (quæ Aſiæ minoris regio.) urbs *Elæa*, non procul oſtio Caici ad ſinum Elæaticum ex eodem dictum, è regione Mytilenes, quæ urbs Lesbi inſulæ à Ptolemæo tribuitur Æolidi, dicituruque Pergami navale, inter Pitanem & Myrinam: vulgò hodie, ut volunt *l'Alea*.

9. *Græcos Aciliano libros.*] Annalium C. Acilii meminit Plutarchus in Romulo: eos è Græco in Latinum ſermonem

que Epheſi collocutum cum Annibale. Et ſermonem etiam unum refert; quo quærenti Africano, *quem fieſſe maximum imperatorem Annibal crederet*, reſpondiſſe, *Alexandrum Macedonum regem; quòd parvâ manu immenſurabiles exercitus fudiſſet, quodque ultimas oras, quas viſere ſuprà ſpem humanam eſſet, peragraſſet*. Quærenti deinde, *quem ſecundum ponneret; Pyrrhum* dixiſſe, *caſtrametari primùm docuiſſe. ad hoc neminem elegantiùs loca cepiſſe, præſidia diſpoſuiſſe, artem etiam conciliandi ſibi homines eam habuiſſe, ut Italicæ gentes regis externi, quam populi Romani, tandiu principis in ea terra, imperium eſſe mallent*. Exſequenti, *quem tertium duceret; haud dubiè ſemetipſum* dixiſſe. Tum riſum obortum Scipioni & ſubjeciſſe. *Quidnam tu diceres, ſi me vicifſes?* [2] *Tum me verò*, inquit, *& ante Alexandrum, & ante Pyrrhum, & ante omnes alios imperatores eſſe*. Et perplexum Punico aſtu reſponſum, & improviſum aſſentationis genus Scipionem moviſſe: quod è grege ſe imperatorum velut inæſtimabilem ſecreviſſet.

Urb. cond. an. 560. Coſſ. L. Corn. Merulâ, & Q. Minucio Thermo.

XV. Villius ab Epheſo [1] Apameam proceſſit. eo & Antiochus audito Romanorum legatorum adventu occurrit: Apameæ congreſſis diſceptatio eadem fermè fuit, quæ Romæ inter Quinctium & legatos regis fuerat. mors nunciata Antiochi filii regis, quem miſſum paulò antè dixeram in Syriam, diremit colloquia. Magnus luctus in regia fuit, magnumque ejus juvenis deſiderium. id enim jam ſpecimen ſui dederat, ut ſi vita longior contigiſſet, magni juſtique regis in eo indoleſ fuiſſe appareret. Quo carior acceptiorque omnibus erat, eò mors ejus ſuſpectior fuit; gravem ſucceſſorem eum inſtare ſenectuti ſuæ patrem credentem, per ſpadones quoſdam, talium miniſteriis facinorum acceptos regibus, veneno ſuſtuliſſe. Eam quoque cauſam clandeſtino facinori adjiciebant, quod quum Seleuco filio Lyſimachiam dediſſet: Antiocho [2] quam ſimilem daret ſedem, ut procul ab ſe [3] honore eum quoque ablegaret, non habuiſſet. Magni tamen luctus ſpecies per aliquot dies regiam tenuit: legatuſque

NOTÆ.

Claudius Quadrigarius vertit, Livio teſte lib. 25. cap. 39.

2. *Tum me verò, inquit, & ante Alexandrum.*] Eadem habes apud Appianum in Syriacis, & Plutarchum.

1. *Apameam proceſſit.*] Plures fuere *Apameæ* à Seleuco Nicatore conditæ in Aſia, de nomine prioris uxoris. Hæc, cognomine *Cibotos*, quæ vox Græcè arcam ſignificat, antèà Celænæ dicebatur, ad Marſiam fluvium ſita, qui in Mæandrum fluit, in ea Phrygiæ magnæ parte quam Combuſtam appellabant, inter Laodiceas duas, eam quæ ad Mæandrum in Caria, & eam quæ Combuſta dicebatur: hodie *Apaſmis*.

2. *Quam ſimilem daret ſedem.*] Etſi Antiochi Enthei tempore Theodotus Baſtrianam, eoque mortuo Arſacen & Tiridatem Parthian Seleucidarum imperio exemiſſent: hic tamen Antiochus præter Syriam, Aſiæ quoque minoris magnam partem, & cum Babylonia Mediam ac Perſidem obtinuit; & Media ac Perſis procul ab Antiochia ejus Regia ſedem idoneam Antiocho huic filio præbere potuiſſent: unde hæc interficienda filii cauſa minùs idonea videri poteſt.

3. *Honore eum quoque ablegaret.*] *Honore* hic idem eſt ac *per ſpeciem honoris*; atque in ſcriptis ſic legitur Sigon. & Gen. ſcribendum cenſuere, *per honorem*.

Urb. cond. an. 560. Coss. L. Corn. Merulâ, & Q. Minucio Thermo.

Romanus, ne alieno tempore incommodus obversaretur, Pergamum concessit. Rex Ephesum, omisso quod inchoaverat bello, rediit. ibi per luctum regia clausa, cum Minione quodam, qui princeps amicorum ejus erat, secreta consilia agitavit. Minio ignarus omnium externorum, viresque æstimans regis, 4 ex rebus in Syria aut Asia gestis, non causa modò superiorem esse Antiochum, quòd nihil æqui postularent Romani, sed bello quoque superaturum credebat. Fugienti regi disceptationem cum legatis, seu jam experto cum minùs prosperam, seu mœrore recenti confuso, professus Minio, se quæ pro causa essent dicturum, persuasit ut à Pergamo arcesserentur legati. 5

XVI. Jam convaluerat Sulpicius: itaque ambo Ephesum venerunt. Rex à Minione excusatus, & absente eo res agi cœpta est. Ibi præparata oratione Minio: *Specioso titulo*, inquit, *uti vos, Romani, Græcarum civitatum liberandarum video: sed facta vestra orationi non conveniunt. & aliud Antiocho juris statuistis, alio tosi ut mihi. Qui enim magis Smyrnæi Lampsaceneque Græci sunt, quàm Neapolitani & Rhegini, & Tarentini, à quibus stipendium, à quibus naves ex fœdere exigitis? cur Syracusas atque in alias Siciliæ Græcas urbes prætorem quotannis cum imperio & virgis & securibus mittitis? nihil aliud profectò dicatis, quam armis superatis vos iis has leges imposuisse. Eandem de Smyrna & Lampsaco civitatibusque, quæ Joniæ aut Æolidis sunt, causam ab Antiocho accipite. Bello superatas à majoribus, & stipendiarias ac vectigales factas, in antiquum jus repetit. itaque ad hæc ei responderi velim, si ex æquo disceptatur, & non belli causa quæritur.* Ad ex Sulpicius: *Fecit verecundè*, inquit, *Antiochus, qui, si alia pro causa ejus non erant quæ dicerentur, quemlibet ipsa quàm se dicere maluit. quid enim simile habet civitatum carum quas comparasti causa? Ab Rhegimis, & Neapolitanis, & Tarentinis, ex quo in nostram venerunt potestatem, uno & perpetuo tenore juris semper usurpato, nunquam intermisso, quæ ex fœdere debent, exigimus. Potestne tandem dicere, ut ii populi non per se, non per alium quemquam fœdus mutaverint; sic & Asiæ civitates, ut semel venerunt in majorum Antiochi potestatem, in perpetua possessione regni vestri permansisse, & non alias earum in Philippi, alias in Ptolemæi fuisse potestate, alias per multos annos nullo ambigente libertatem usurpasse? Nam si, quod aliquando servierunt temporum iniquitate pressi, jus post tot sæcula asserendi eos in* 10 15 20 25 30

NOTÆ.

quod minùs Latinè dici eis videretur, *honore eum ablegare*; id tamen defendit Gron. 4. observ. 16.

4. *Ex rebus in Syria aut Asia gestis.*] Antiochus Magni cognomine dicebatur, non immeritò: nam & rebellantes Achæum Sardibus in Asia minori, Molonem & Alexandrum fratres in Media & Persidè trans Tigrim bello ad necem adegerat, iisque commissas ceperat provincias, & adversus Parthos atque Ægyptios prosperè pugnaverat, exceptâ Ciliciâ, Cœlesyreâ, Judæâ aliisque provinciis. Itaque non tantùm in Syria, & in Asia minori, sed etiam in Asia magna egregium se ducem hactenus gesserat.

ſervitutem facit; quid abeſt quin actum nobis nihil ſit, quòd à Philippo liberavimus Græciam, & repetant poſteri ejus Corinthum, Chalcidem, Demetriadem & Theſſalorum totam gentem; Sed quid ego cauſſam civitatum ago, quam ipſis agentibus & nos, & regem ipſum cognoſcere æquius eſt? Urb. cond. an. 560. Coſſ. L. Corn. Merulâ, & Q. Minucio Thermo.

XVII. Vocari deinde civitatum legationes juſſit: præparatas jam antè & inſtructas ab Eumene, qui quantumcunque virium Antiocho deceſſiſſet, ſuo id acceſſurum regno ducebat. Admiſſi plures, dum ſuas quiſque nunc querelas nunc poſtulationes inſerit, æqua iniquis miſcentes, è diſceptatione altercationem fecerunt. itaque neque remiſſâ ullâ re, neque impetratâ, æquè ac venerant omnium incerti legati Romani redierunt. Rex, dimiſſis iis, conſilium de bello Romano habuit. Ibi alius alio ferociùs: quia quò quiſque aſperiùs adverſus Romanos locutus eſſet, eò ſpes gratiæ major erat. Alius ſuperbiam poſtulatorum increpare, tanquam Nabidi victo, ſic Antiocho, maximo Aſiæ regum, imponentium leges. quanquam Nabidi tamen dominationem in patriam ſuam, [1] & patriam Lacedæmonem remiſſam. Antiocho, ſi Smyrna & Lampſacus imperata faciant, indignum videri. alii parvas & vix dictu dignas belli cauſas tanto regi eas civitates eſſe. [2] ſed initium ſemper parvis injuſta impetrandi fieri. niſi crederent Perſas, quum aquam terramque ab Lacedæmoniis petierunt, [3] gleba terræ & hauſtu aquæ eguiſſe. *Per ſimilem tentationem Romanis de duabus civitatibus agi. & alias civitates, ſimul duas jugum exuiſſe vidiſſent, ad liberatorem populum defecturas. Si non libertas ſervitute potior ſit, tamen omni præſenti ſtatu ſpem cuique novandi res ſuas blandiorem eſſe.*

XVIII. Alexander Acarnan in conciliо erat, Philippi quondàm amicus, nuper relicto eo ſecutus opulentiorem regiam Antiochi: & tanquam peritus Græciæ, nec ignarus Romanorum, in eum gradum amicitiæ regis, ut conſiliis quoque areanis intereſſet, acceptus erat. Is tanquam non utrum bellandum eſſet, necne, conſuleretur; ſed ubi & qua ratione bellum gereretur, *Victoriam ſe haud dubiam proponere animo affirmabat; ſi in Europam tranſiſſet rex, & in aliqua Græciæ parte ſedem bello cepiſſet. Jam*

NOTÆ.

1. *Et patriam Lacedæmonem.*] Rem auget *per per jus injuſta impetrandi*. Tolerari hæc repetitio & nominis expreſſio, quòd indignum videatur Lacedæmonem, quæ libertatis adeo ſemper ſtudioſa fuerit, tyranno addictam. poteſt Naudæana ſcriptura, etiam ſine præpoſitione, at *initium injuſta & magna impetrandi fiat petitis æque impetratis parvis rebus*.

2. *Sed initium ſemper à parvis injuſta impetrandi fiori.*] In Reg. majori eſt, *parvis injuſta imperandi*, & in alio Reg. qui Naudæi fuit, *injuſta imperandi*. ubi à ſecunda manu inter lineas inſerta eſt litera, *a*, ut ſit *initium ſemper à parvis*, &c. quemadmodum legebat Ruben. cùm vulgò in editis eſſet: *initium ſim-*

3. *Glebâ terræ & hauſtu aquæ.*] Aliud volebat poſtulatum Perſarum *aquam terramque* petentium: his quippe nominibus ſignificabatur confeſſio ſubjectionis; quemadmodum cum quis herbam porrigere proverbio dicitur, quod victoriæ agnitæ ſymbolum habebatur.

Urb. cond. an. 560. Coss. L. Corn. Merulâ, & Q. Minucio Thermo.

primùm Ætolos, qui umbilicum Græciæ incolerent, in armis eum inventurum; antesignanos ad asperrima quæque belli paratos. In duobus velut cornibus Græciæ Nabin à Peloponneso concitaturum omnia, repetentem Argivorum urbem, repetentem maritimas civitates: quibus cum depulsum Romani Lacedæmonis muris inclusissent. à Macedoniâ Philippum, ubi primum bellicum cani audisset, arma capturum. Nosse se spiritus ejus, nosse animum: scire ferarum modo, quæ claustris aut vinculis teneantur, ingentes jamdiù iras eum in pectore volvere. Meminisse etiam se, quoties in bello precari omnes Deos solitus sit, ut Antiochum sibi darent adjutorem. Cujus voti si compos nunc fiat; nullam moram rebellandi facturum. Tantùm non cunctandum, neque cessandum esse. in eo enim victoriam verti si & loca opportuna, & socii præoccuparentur. Annibalem quoque sine mora mittendum in Africam esse ad distringendos Romanos.

XIX. Annibal non adhibitus in concilium, propter colloquia cum Villio suspectus regi, & in nullo posteà honore habitus; primò eam contumeliam tacitus tulit: deinde melius esse ratus, & percunctari causam repentinæ alienationis, & purgare se[1] tempore apto, quæsita simpliciter iracundiæ causa, auditaque, *Pater Amilcar*, inquit, *Antioche, parvum admodum me quum sacrificaret, altaribus admotum jurejurando adegit, nunquam amicum fore populi Romani. Sub hoc sacramento sex & triginta annos militavi:* b *hoc me in pace patria mea exutit: hoc in patria extorrem in tuam regiam adduxit:* [2] *hoc duce, si tu fspem meam destitueris, ubicunque vires, ubi arma esse sciam, huc veniam toto orbe terrarum quærens aliquos Romanis hostes. Itaque* a *si quibus tuorum meis criminibus apud te crescere libet, aliam materiam crescendi quàm ex me quærant. Odi odioque sum Romanis. id me verum dicere pater Amilcar, & Dii testes sunt. Proinde quem de bello Romano cogitabis, inter primos amicos Annibalem habeto. si qua res te ad pacem compellet, in id consilium alium, cum quo deliberes, quærito,* Non movit modò talis oratio regem, sed etiam reconciliavit Annibali. Ex consilio ita discessum est, ut bellum gereretur.

Urb. cond. an. 561. Coss. Cn. Domitio, & L. Quintio.

XX. Romæ destinabant quidem sermonibus hostem Antiochum, sed nihil dum ad id bellum præter animos parabant. Consulibus ambobus Italia provincia decreta est: ut inter se compararent sortirenturve, uter comitiis ejus anni præesset. ad utrum ea non pertineret cura, ut paratus esset, si quo eum extra Italiam opus esset ducere legiones. Huic consuli permissum, ut duas legiones scriberet novas, & sociùm ac Latini nominis viginti millia, &

INTERPRETATIO.

a *Si aliqui è familiaribus tuis sunt qui quærant apud te gratiâ augeri, me accusando.*
b Juramentum *illud effecit ut extra patriam profectus sim*, &c.

NOTÆ.

1. *Tempore apto.*] Conjicit Gron. *tempore capto*, sed non minùs huic loco aptum, quod vulgò legitur.

2. *Hoc duce.*] Figuratè dixit, *Sacramento duce*, quasi jurijurando personam affingeas.

equi-

equites nongentos. Alteri conſuli duæ legiones decretæ, quas L. Cornelius conſul ſuperioris anni habuiſſet, & ſocium ac Latini nominis ex eodem exercitu pedites quindecim millia, & equites quingenti. Q. Minucio cum exercitu, quem in Liguribus habebat, prorogatum imperium. additum in ſupplementum, ut quatuor millia peditum Romanorum ſcriberentur, & centum quinquaginta equites, a & ſociis eodem quinque millia peditum imperarentur, CCL. equites. Cn. Domitio extra Italiam, quò ſenatus cenſuiſſet, provincia evenit, L. Quintio Gallia 1 & comitia habenda. Prætores deinde provincias ſortiti: M. Fulvius Centumalus urbanam, L. Scribonius Libo peregrinam, L. Valerius Tappus Siciliam, Q. Salonius Sarra Sardiniam, M. Bæbius Tamphilus Hiſpaniam citeriorem, A. Atilius Serranus, ulteriorem. Sed his duobus primùm Senatuſconſulto, deinde plebis etiam ſcito permutatæ provinciæ ſunt. Atilio claſſis & Macedonia, Bæbio Brutii decreti. Flaminio Fulvioque in Hiſpaniis prorogatum imperium. Bæbio Tamphilo in Brutios duæ legiones decretæ, quæ priore anno urbanæ fuiſſent: ut & ſociis eodem millia peditum quindecim imperarentur, & quingenti equites. Atilius triginta naves quinqueremes facere juſſus, & ex navalibus veteres deducere, ſi quæ utiles eſſent, & ſcribere navales ſocios. Et Conſuli imperatum, ut ei duo millia ſociûm ac Latini nominis, & mille pedites daret Romanos. Hi duo prætores & duo exercitus, terreſtris navaliſque adverſus Nabin apertè jam oppugnantem ſocios populi Romani dicebantur parari. Cæterùm legati ad Antiochum miſſi expectabantur: priuſquàm ii rediiſſent, vetuerat Cn. Domitium conſulem ſenatus ab urbe diſcedere. Prætoribus Fulvio & Scribonio, quibus ut jus dicerent Romæ provincia erat, negotium datum, ut præter eam claſſem, cui Atilius præfuturus erat, centum quinqueremes pararent. Priuſquam conſul prætoreſque in provincias proficiſcerentur, ſupplicatio fuit prodigiorum cauſa. Capram ſex hœdos uno fœtu edidiſſe, ex Piceno nunciatum eſt: & Aretii puerum natum unimanum: Amiterni terra pluiſſe: Formiis portam murumque de cœlo tacta. & (quod maximè terrebat) Conſulis Cn. Domitii bovem locutum, ROMA CAVE TIBI.

Urb. cond. an. 561. Coſſ. Cn. Domitio, & L. Quintio.

XXI. Cæterorum prodigiorum cauſa ſupplicatum eſt: bavem cum cura

INTERPRETATIO.

a *Et imperarentur ſociis quinque millia peditum ſcribenda, ut in Ligures etiam* Q. *Minucio mitterentur.*

NOTÆ.

1. *Et comitia habenda: Prætorum.*] Intanni proximi: quod manifeſtè ſeomnibus ſcriptis & editis eſt, *comitia habita*: ſenſus tamen exigit ut cum Gelenio ſcribamus *comitia habenda*, quibus verbis ſignificatur cura comitiorum

quitur ex iis quæ initio hujus capitis dicta ſunt, decretum fuiſſe ut Coſſ. inter ſe comparatent ſortirenturve uter comitiis hujus anni præeſſet.

Urb. cond. an. 561. Coss. Cn. Domitio, & L. Quintio.

servari alique aruſpices juſſerunt. Tiberis infeſtiore, [1] quàm priore impetu illatus urbi, duo pontes, ædificia multa, maximè [2] circa portam Flumentanam, evertit. Saxum ingens, ſive imbribus, ſive motu terræ leviore, quàm ut alioqui ſentiretur labefactatum, [3] in vicum Jugarium ex Capitolio procidit, & multos oppreſſit. In agris paſſim inundatis pecua ablata: villarum ſtrages facta eſt. Priuſquàm L. Quintius conſul in provinciam perveniret, Q. Minucius in agro Piſano cum Liguribus ſignis collatis pugnavit: novem millia hoſtium occidit. cæteros fuſos fugatoſque in caſtra compulit. Ea uſque in noctem magno certamine oppugnata defenſaque ſunt. nocte clam profecti Ligures: primâ luce Romanus vacua caſtra invaſit. prædæ minus inventum eſt, quod ſubinde ſpolia agrorum capta domos mittebant. Minucius nihil deinde laxamenti hoſtibus dedit. ex agro Piſano in Ligures profectus, caſtella vicoſque eorum igni ferroque pervaſtavit: ibi prædâ Etruſca, quæ miſſa à populatoribus fuerat, repletus eſt miles Romanus.

XXII. Sub idem tempus legati ab regibus Romam reverterunt, qui quum nihil, quod ſatis maturam cauſam belli haberet, niſi adverſus Lacedæmonium tyrannum, attuliſſent, quem & Achæi legati annunciabant contra fœdus maritimam oram Laconum oppugnare; Atilius prætor cum claſſe miſſus eſt in Græciam ad ſocios tuendos. Conſules quando nihil ab Antiocho inſtaret, proficiſci ambo in provincias placuit. Domitius ab Arimino, qua proximum fuit, Quintius per Ligures in Bojos venit. Duo conſulum agmina diverſa latè agrum hoſtium pervaſtarunt. primò equites eorum pauci cum præfectis, deinde univerſus ſenatus, poſtremò in quibus aut fortuna aliqua aut dignitas erat, ad mille quingenti ad conſules transfugerunt. Et in utraque Hiſpania eo anno res proſperè geſtæ. nam & C. Flaminius [4] oppidum Litabrum, munitum opulentumque vineis expugnavit, & nobilem regulum Corribilonem

NOTÆ.

quæ ſanè nondum habita. At *Tò Prætorum*, quod ſequitur in melioribus ad ſententialis; in regione poſtea octava fori quentia refertur; nec neceſſe eſt mutari in ſcilicet Romani.
prætores. Significat enim ex prætoribus M. Fulvium provinciam urbanam ſortitum eſſe, L. Scribonium peregrinam, &c.

1. *Quàm priore impetu.*] Apertiùs locutus eſſet Livius ſi ſcripſiſſet: *Infeſtiore quàm priore anno impetu*, quemadmodum legi vellet Ian. Faber.

2. *Circa portam Flumentanam.*] Affluenti proximo Tiberi & campo Martio erat hæc porta, cui nunc ferè reſpondet *Porta del Popolo*.

3. *In vicum Jugarium.*] Vicus Jugarius ex Capitolii parte fuit, in qua porta Carmentalis; in regione poſtea octava fori

4. *Oppidum Litabrum.*] In Hiſpania citeriori fuit, ut ex cap. 7. hujus libri colligitur. Eum locum apud Segobiam Arevacorum urbem Moralis ponit, quod mirum mihi videtur, quandoquidem Toletum, quod citra Arevacos, & minùs diſtat ab Ibero flumine, hoc adhuc tempore fuiſſe Hiſpaniæ ulteriori attributum, inde colligo quòd ibi M. Fulvius ejus provinciæ prætor cum Vectonibus aut Vaccæis dimicaſſe ſcribitur, eodem cap. 7. hujus lib. *Libora* nomen in Carpetanis infrà Toletum ad Ta-

vivum cepit : & M. Fulvius proconsul cum duobus exercitibus hostium duo secunda prœlia fecit: oppida Hispanorum, 2 Vescelium, 3 Holonemque, & castella multa expugnavit : alia voluntate ad eum defecerunt. tum in Oretanos progressus & ibi duobus potitus oppidis, 4 Noliba & 5 Cusibi, ad Tagum, amnem ire pergit. 6 Toletum ibi parva urbs erat, sed loco munita. eam quum oppugnaret, 7 Vectonum magnus exercitus Toletanis subsidio venit. Cum his signis collatis prospere pugnavit : & fusis Vectonibus, operibus Toletum cepit. Urb. cond. an. 561. Coss. Cn. Domitio, & L. Quintio.

XXIII. Cæterùm eo tempore minùs ea bella, quæ gerebantur, curæ Patribus erant, quàm expectatio nondum cœpti cum Antiocho belli. nam etsi per legatos identidem omnia explorabantur, tamen rumores temerè sine ullis auctoribus orti multa falsa veris miscebant. Inter quæ allatum erat, quum in Ætoliam venisset Antiochus, exemplo classem eum in Siciliam missurum. Itaque senatus, etsi prætorem Atilium cum classe miserat in Græciam, tamen quia non copiis modò, sed etiam auctoritate opus erat [1] ad tuendos sociorum animos, T. Quintium & C. Octavium, & Cn. Servilium, & P. Villium legatos in Græciam misit : & ut M. Bæbius ex Brutiis ad Tarentum & Brundusium promoveret legiones, decrevit : ut inde, si res posceret, in Macedoniam trajiceret : & ut M. Fulvius prætor classem navium triginta mitteret ad tuendam Siciliæ oram : & cum imperio esset, qui classem eam duceret: (duxit L. Oppius Salinator, qui priore anno ædilis plebis fuerat:) & ut idem prætor L. Valerio collegæ scriberet, *Periculum esse, ne classis regis Antiochi ex Ætolia in Siciliam trajiceret : itaque placere se-*

NOTÆ.

gum minùs placet. In Arevacis ponit *Molina*?

Brict. *Litabrum* aut Britablum, & interpretatur *Marcotea*.

2. *Vescelium*.] Indicatur fortè *Vesci* seu *Vescis* Plinio & Ptolemæo cognitum oppidum Turdulorum, in extremis versus ortum Bœticæ finibus. Nigro *Velez*, aliis *Huesca*, Sansoni *Vergix*.

3. *Holonemque*.] Significari puto *Alonas* Contestanorum oppidum, quod Melæ est *Alon*, ad sinum Illicitanum : hodie *Xixona* in regno Valentiæ, aut inde non procul. Brietio, (post Ferratium) *Alane* seu Holone est *Alicante*.

4. *Noliba*.] Brietius *Nolibam* sive *Nolebam* Oretanis adscribit, & circa Malagam fuisse vult; quod stare non potest: siquidem *Malaca*, quæ olim Malaca, est in Bastulis Pœnis qui Bœticæ populi maritimi: Num potius *Almodovar* aut

5. *Cusibi*.] In Oretanis quoque fuisse patet ex hoc loco; & fallor nisi fuit ubi *la Puebla de Alcocer*.

6. *Toletum ibi parva urbs*.] Videtur tamen caput Carpetanorum jam tum fuisse, etsi tunc parva: certè non parum deinde hæc urbe crevit Hispaniæ Carthaginiensis Metropolis facta, & postea Gothorum Regia.

7. *Vectonum magnus exercitus*.] *Vectones* seu *Vettones*, ulterioris Hispaniæ populi, Lusitanis ad ortum : ubi nunc Regni Legionensis pars Australis, & Estremadura.

1. *Ad tuendos sociorum animos*.] Fatetur Gron. verbum *tuendi* interdum sumi pro *alere*, *sustentare* : dubitat tamen cum Tan. Fabro, an non scriptum fuerit: *ad tenendos sociorum animos*, id est, *retine-*

natui, ad eum exercitum quem haberet, tumultuariorum militum, 3 ad duodecim millia pedites, & quadringentos equites scribere eum: quibus oram maritimam provinciæ, qua vergeret in Græciam, tueri posset. Eum delectum prætor non ex Sicilia ipsa tantùm, sed etiam ex circumjacentibus insulis habuit: oppidaque omnia maritima, quæ in Græciam versa erant, præsidiis firmavit. Addidit alimenta rumoribus adventus Attali Eumenis fratris, qui nunciavit, Antiochum regem Hellespontum cum exercitu transiisse. Ætolos ita se parare, ut sub adventum ejus in armis essent. Et Eumeni absenti, & præsenti Attalo gratiæ actæ, 4 & ædes liberę, locus, lautia decreta, & munera data, equi duo, bina equestria arma, & 5 vasa argentea centum pondo, & 6 aurea viginti pondo.

Urb. cond. an. 561. Coss. Cn. Domitio, & L. Fulv.

XXIV. Quum alii atque alii nuncii bellum instare afferrent, ad rem pertinere visum est, consules primo quoque tempore creari. Itaque Senatusconsultum factum est, ut M. Fulvius prætor literas extemplo ad consulem mitteret, quibus certior fieret senatui placere, provincia exercituque tradito legatis, Romam reverti eum: & ex itinere præmittere edictum, quo comitia consulibus creandis ediceret. 1 Paruit his literis consul, & præmisso edicto, Romam venit. Eo quoque anno magna ambitio fuit, quod Patricii tres 2 in unum locum petierunt: P. Cornelius, Cn. F. Scipio, qui priore anno repulsam tulerat: & L. Cornelius Scipio, & Cn. Manlius Volso. 3 P. Scipioni, ut dilatum viro tali non negatum honorem appareret, consulatus datus est. additus ei de plebe collega, Manius Acilius Glabrio. Postero die prætores creati, L. Æmilius Paullus, M. Æmilius Lepidus, Junius Brutus, A. Cornelius Mammula, C. Livius, & L. Oppius; utrique eorum Salinator cognomen erat. Oppius is erat, qui classem triginta navium in Siciliam duxerat. Interim dum novi magistratus fortiuntur provincias, M. Bebius à Brundusio cum omnibus copiis transire in Epirum est jussus, & circa Apolloniam copias continere: & M. Fulvio prætori urbano negotium datum est, ut quinqueremes novas quinquaginta faceret.

NOTÆ.

nendos.

3. *Ad duodecim millia pedites.*] Videtur Gronovio insititium esse nomen *pedites*, cum militum nomen paulò ante scriptum, id significet.

4. *Ædes liberæ, locus, lautia.*] Locus, opinor, intelligitur in spectaculis publicis, velut in Orchestra ubi ludi scenici fiebant.

5. *Vasa argentea centum pondo.*] Intellige tria millia librarum nostrarum cum sexcentis, si materia spectetur, præter artificis operam.

6. *Aurea viginti pondo.*] Si ponderis tantum & metalli ratio habeatur, redderentur undecim millia ac ducentæ libræ.

1. *Paruit his literis consul.*] L. Quintius, is fuerit, an Cn. Domitius, difficile est pronunciare.

2. *In unum locum petierunt.*] Duorum Consulum alter necessario è plebe creandus erat; ideoque oportebat in idem munus consulare omnes candidatos Patricios concurrere.

3. *P. Scipioni.*] Qui Nasica dictus.

XXV. Et populus quidem Romanus ita ſe ad omnes conatus Antiochi præparabat. Nabis jam non differebat bellum, ſed ſumma vi Gythium oppugnabat: & infenſus Achæis, quod miſeranæ obſeſſis præſidium, agros eorum vaſtabat. Achæi non anteà auſi capeſſere bellum, quàm ab Roma revertiſſent legati; ut quid ſenatui placeret, ſcirent: poſt reditum legatorum, & Sicyonem concilium edixerunt; & legatos ad T. Quintium miſerunt, qui conſilium ab eo peterent. In concilio omnium ad bellum extemplo capeſſendum inclinatæ ſententiæ erant: literæ T. Quintii cunctationem injecerunt, quibus auctor erat, Prætorem claſſemque Romanam expectandi. Quum principum alii in ſententia permanerent, alii utendum ejus, quem ipſi conſuluiſſent, conſilio cenſerent; multitudo Philopœmenis ſententiam expectabat. Prætor is tum erat, & omnes eo tempore & prudentia & auctoritate anteibat. Is præfatus, *Benè comparatum*, [1] *apud Ætolos eſſe, ne prætor quum de bello conſuluiſſet, ipſe ſententiam diceret; ſtatuere quamprimùm ipſos quid vellent, juſſit: Prætorem decreta eorum cum fide & curâ executurum: annixurumque ut, quantum in conſilio humano poſitum eſſet, nec pacis eos pœniteret, nec belli.* Plus ea oratio momenti ad incitandos ad bellum habuit, quàm ſi apertè ſuadendo cupiditatem res gerendi oſtendiſſet. Itaque ingenti conſenſu bellum decretum eſt: tempus & ratio adminiſtrandi ejus liberæ prætori permiſſa ſunt. Philopœmen præterquàm quòd ita Quintio placeret, & ipſe exiſtimabat claſſem Romanam expectandam, quæ à mari Gythium tueri poſſet: ſed metuens, ne dilationem res non pateretur, & non Gythium ſolùm, ſed præſidium quoque miſſum ad tuendam urbem amitteretur, naves Achæorum deduxit.

Urb. cond. an. 562. Coſſ. P. Scipion. & Manio Acilio Glabrione.

XXVI. Comparaverat & tyrannus modicam claſſem, ad prohibenda ſi qua obſeſſis mari ſubmitterentur, præſidia, tres tectas naves, & lembos [1] priſteiſque; tradita vetere claſſe ex fœdere Romanis. Harum ut novarum tum navium agilitatem experiretur, [2] ſimul omnia ſatis apta ad certamen eſſent, provectos in altum, quotidie remigem militemque ſimulaeris navalis pugnæ exercebat: in eo ratus verti ſpem obſidionis, ſi præſidia maritima intercluſiſſet. Prætor Achæorum, ſicut terreſtrium certaminum arte

NOTÆ.

1. *Apud Ætolos eſſe.*] Lege *apud Achæos*: nam in Achæorum non Ætolorum concilio hæc agebantur, & hic mos apud liberos populos ferè omnes receptus. Denique Philopœmeni Achæorum prætori ſervandus erat, mos patrius, non Ætolicus.

1. *Priſteſque.*] *Priſtis* genus eſt piſcis marini longiſſimi, & pro longitudine anguſti corporis: ab ejus ſimilitudine naves oblongæ *priſtes* dicebantur, ut §. Æneid.

Velocem Mneſtheus agit acri remige priſtin.

Notat Servius *Piſtricem* dici de bellua, *priſtin* de navi: ſed Virg. de Scylla monſtro marino dixit.

poſtrema immani corpore piſtris.

Et verò deducitur utrumque à Græco πρίζειν, quod eſt *ſecare*, à ſecandis nempe fluctibus.

2. *Simul omnia.*] Vulgò legitur, *ſimul ut omnia*, bellè, ni fallor, ad ſenſum: in

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Urb. cond. an. 562. Coss. P. Scipione], & Manio Acilio Glabrione.

quemvis clarorum imperatorum vel usu vel ingenio æquabat, ita rudis in re navali erat: [2] Arcas, mediterraneus homo, externorum etiam omnium, nisi quod in Creta præfectus auxiliorum militaverat, ignarus. Navis erat quadriremis vetus, capta [3] annis octoginta antè: quum Crateri [4] uxorem Nicæam ab Naupacto Corinthum veheret. hujus famâ motus (fuerat enim nobile in classe regiâ quondam navigium) deduci ab Ægio putrem admodum & vetustate dilabentem jussit. Hac tum prætoria nave præcedente classem, quum in ea Patrensis Tiso præfectus classis veheretur, occurrerunt à Gythio Laconum naves: & primo statim incursu ad novam & firmam navem, vetus, quæ per se ipsa omnibus compagibus æquam acciperet, divisa est: captique omnes, qui in nave erant. cætera classis, prætoria nave amissâ, quantum quæque remis valuit, fugerunt. ipse Philopœmen in levi speculatoria nave fugit: nec ante fugæ finem, quàm Pætras venerit sit, fecit. Nihil ea res animum militaris viri, & multos experti casus, imminuit: quin contrà, si in re navali, cujus esset ignarus, offendisset; eò plus in ea, quorum usu calleret, spei nactus, breve id tyranno gaudium se effecturum affirmabat.

XXVII. Nabis quum prospera elatus re, tum spem etiam haud dubiam nactus, nihil jam à mari periculi fore, & terrestres adirus claudere opportunè positis præsidiis voluit. tertia parte copiarum ab obsidione Gythii abducta, [1] ad Plejas posuit castra. Imminet is locus & Leucis [2] & Acris: qua videbantur hostes exercitum admoturi. Quum ibi stativa essent, & pauci tabernacula haberent; multitudo alia casas ex arundinibus textas fronde, quæ umbram modò præberet, texissent; priusquàm in conspectum hostium veniret Philopœmen, [3] nec opinantem eum improviso

INTERPRETATIO.

In Arcadia natus, qua regio mare nullâ ex parte attingit.

NOTÆ.

scriptis desideratur particula *ut*: sed satis intelligitur.

3. *Annis octoginta.*] Ita legendum concordibus libris, etsi Plutarchus quadraginta tantùm annos numeret. Nam non alius facilè occurrit *Craterus*, cui hæc conveniant, quàm Demetrii Poliorcetæ filius, Antigoni Gonatæ Macedoniæ regis frater, cujus meminit prologus 26. Trogi Pompeji, & Phlegon Trallianus de admirandis cap. 32. laudati à Gron. ætas autem Antigoni Gonatæ qui à Pyrrho pulsus ac deinde restitutus est, convenit cum Olympiade 120. & cum anno urbis 480. unde ad hunc annum numerantur anni octoginta pleni.

4. *Uxorem Nicæam.*] Verum hoc videtur nomen, quamvis libri manu exarati *Nicalam* habeant.

1. *Ad Plejas.*] Lege ad *Bœas*, quod nomen est loci, juxta Actias & Leucas in Laconica ex Polyb. lib. 5. & Pausan. in Lacon. Sigonius *ad Eliam* legendum putat, quàm etiam urbem in Laconia memorat Polybius.

2. *Et Acris.*] Lege *Acriis*, ex auctoribus iisdem. Etenim *Acria* una fuit è septemdecim urbibus Eleutherolaconum ad finum Laconicum.

3. *Nec opinantem eum.*] Nabin scilicet.

genere belli aggredi ſtatuit. Navigia parva in ſtationem occultam agri Argivi contraxit: in ea expeditos milites, cetratos pleroſque, cum fundis & jaculis, & alio levi genere armaturæ impoſuit, inde litora legens, quum ad propinquum caſtris hoſtium promontorium veniſſet, egreſſus callibus notis, nocte Plejas pervenit: & ſopitis vigilibus, ut in nullo propinquo metu, ignem caſis ab omni parte caſtrorum injecit. Multi priùs incendio abſumpti ſunt, quàm hoſtium adventum ſentirent: & qui ſenſerant, nullam opem ferre potuerunt. Ferro flammaque omnia abſumpta: perpauci tamen ex tam ancipiti peſte ad Gythium in majora caſtra perfugerunt. Ita perculſis hoſtibus, Philopœmen protinus ad depopulandam 4 Tripolim Laconici agri, qui proximus finem Megalopolitarum eſt, duxit: & magna vi pecorum hominumque inde abrepta, priuſquàm à Gythio tyrannus præſidium agris mitteret, diſceſſit. Idem Tegeam exercitu contracto, concilioque eodem & Achæis & ſociis indicto, in quo & Epirotarum & Acarnanum fuere principes, ſtatuit, quoniam ſatis & ſuorum à pudore maritimæ ignominiæ reſtituti animi, & hoſtium conterriti eſſent, ad Lacedæmonem ducere: eo modo uno ratus ab obſidione Gythii hoſtem abduci poſſe. Ad Cariæ primùm in hoſtium terra poſuit caſtra. Eo ipſo die Gythium expugnatum eſt, cujus rei ignarus Philopœmen, caſtra ad Barboſthenem (mons eſt decem millia paſſuum ab Lacedæmone) promovit. Et Nabis recepto Gythio, cum expedito exercitu inde profectus, quum præter Lacedæmonem raptim duxiſſet, Pyrrhi (quæ vocant) caſtra occupavit: quem peti locum ab Achæis, non dubitabat. inde hoſtibus occurrit. Obtinebant autem longo agmine propter anguſtias viæ propè quinque millia paſſuum. cogebatur agmen ab equitibus, & maximè à parte auxiliorum: quod exiſtimabat Philopœmen, tyrannum mercenariis militibus, quibus plurimum fideret, à tergo ſuos aggreſſurum. Duæ res ſimul inopinatæ perculerunt, cum: una, præoccupatus, quem petebat, locus: altera, quod primo agmini occurriſſe hoſtem cernebat. ubi quum per loca conſtragoſa iter eſſet, ſine levis armaturæ præſidio ſigna ferri non videbat poſſe.

Urb. cond. an. 562. Coſſ. P. Scipione & Manio Acilio Glabrione.

XXVIII. Erat autem Philopœmen præcipuæ in ducendo agmine lociſque capiendis ſolertiæ atque uſus: nec belli tantùm temporibus, ſed etiam in pace, ad id maximè animum exercuerat. Ubi iter quopiam faceret, & ad difficilem tranſitu ſaltum veniſſet, contemplatus ab omni parte loci naturam, quum ſolus erat, ſecum ipſe agitabat animo: quum comites haberet, ab iis quærebat, *Si hoſtis eo loco apparuiſſet, quid ſi à fronte, quid ſi ab latere hoc, aut illo, quid ſi à tergo adoriretur, capiendum conſilii foret? Poſſe inſtructos rectâ acie, poſſe incompoſitum agmen, & tantummodo aptum viæ occurrere. Quem locum ipſe*

NOTÆ.

4. *Tripolim Laconici agri.*] Hæc Tripolis occidua Laconiæ regione fuit, Eurotam ſita Laconica ad ſeptentrionem Spartæ inter, & Alpheum, ad fines Megalopo-

Urb. cond. an. 562. Coſſ. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.

capturus eſſet, cogitando a *aut quærendo exequebatur; aut quot armatis, aut quo genere armorum (plurimùm enim intereſſe) uſurus, quo impedimenta, quo ſarcinas, quo turbam inermem rejiceret. quanto ea, aut quali præſidio cuſtodiret: & utrum pergere quâ cœpiſſet ire viâ,* 1 *an ea quâ veniſſet, repetere melius eſſet. caſtris quoque quem locum caperet, quantum munimento amplecteretur loci, quâ opportuna aquatio, quâ pabuli lignorumque copia eſſet: quâ poſtero die caſtra moventi tutum maximè iter: quæ forma agminis foret.* His curis cogitationibuſque ita ab incunte ætate animum agitaverat, ut nulla ei nova in tali re cogitatio eſſet. Et tum omnium primum agmen conſtituit: dein Cretenſes auxiliares; & quos Tarentinos vocabant, equites, binos ſecum trahentes equos, ad prima ſigna miſit: & juſſis equitibus ſubſequi, ſuper torrentem, unde aquari poſſent, rupem occupavit. Eo impedimenta omnia & calonum turbam conjectam armatis circumdedit: & pro natura loci caſtra communivit. tabernacula ſtatuere in aſpretis, & inæquabili ſolo difficile erat. Hoſtes quingentos paſſus aberant. ex eodem rivo utrinque cum præſidio levis armaturæ aquati ſunt: & priuſquàm, (qualia in propinquis caſtris ſolent) contraheretur certamen, nox intervenit. Poſtero die apparebat pugnandum pro aquatoribus circa tivum eſſe. nocte in valle à conſpectu hoſtium averſa, quantam multitudinem locus occulere poterat, condidit cetratorum.

XXIX. Luce ortâ Cretenſium levis armatura & Tarentini equites ſuper torrentem prœlium commiſerunt. 1 Latemnaſtus Cretenſis popularibus ſuis, equitibus 2 Lycortas Megalopolitanus præerat. Cretenſes 3 & hoſtium auxiliares, equitumque idem genus Tarentini, præſidio aquatoribus erant. Aliquandiu dubium prœlium fuit; ut eodem ex parte utraque hominum genere, & armis paribus. Procedente certamine, & numero vicere tyranni auxiliares: & quia ita præceptum à Philopœmene præfectis erat, ut modico edito prœlio in fugam inclinarent, hoſtemque ad inſidiarum locum pertraherent, effuſè 4 ſecuti fugientes per convallem, plerique & vulnerati & interfecti ſunt, priuſquam oculeum hoſtem viderent. Cetrati ita, quantùm latitudo vallis patiebatur, inſtructi ſederant: ut facilè per intervalla ordinum fugientes ſuos acciperent. Conſurgunt

INTERPRETATIO.

a *Fergebat quærere & interrogare.*

NOTÆ.

lis Arcadiæ urbis.

1. *An ea qua veniſſet repetere.*] Imò *eam*, inquit Gron. ſed *ea* adverbialiter ſumi poteſt.

1. *Latemnaſtus.*] Ita plerique: in Colb. eſt *Latomnaſtus*.

2. *Lycortas Megalopolitanus.*] Num Polybii hiſtorici pater?

3. *Et hoſtium auxiliares.*] Hinc Cretenſes Latemnaſto duce, inde equites Tarentini dicti, duce Lycorta, pro aquatoribus quiſque ſuis pugnabant.

4. *Secuti fugientes.*] Lacedæmonii Achæos.

deinde

deinde ipſi integri, recentes, inſtructi: & in hoſtes inordinatos, effuſos, laboreetiam & vulneribus feſſos, impetum faciunt. Neo dubia victoria fuit, extemplo terga dedit tyranni miles: & haud paulò concitatiore curſu, quàm ſecutus erat, fugiens, ad caſtra eſt compulſus. multi cæſi captique in ea fuga ſunt. & in caſtris quoque foret trepidatum, ni Philopœmen receptui cani juſſiſſet; loca magis confragoſa, & quacumque temerè proceſſiſſet, iniqua, quàm hoſtem metuens. Inde & ex fortuna pugnæ, & ex ingenio ducis conjectans, in quo tum is pavore eſſet, unum de auxiliaribus ſpecie transfugæ mittit ad eum, qui pro comperto afferret: Achæos ſtatuiſſe poſtero die ad Eurotam amnem qui prope *5 ipſis affluit mœnibus, procedere, ut intercluderent iter; ne aut tyrannus quum vellet, receptum ad urbem haberet; aut commeatus ab urbe in caſtra portarentur. ſimul etiam tentaturus, ſi quorum animi ſolicitari ad defectionem à tyranno poſſent. Non tam fidem dictis perfuga fecit, quàm perculſo metu relinquendi caſtra cauſam probabilem præbuit. Poſtero die Pythagoram cum auxiliaribus & equitatu ſtationem agere pro vallo juſſit. ipſe tanquam in aciem cum robore exercitus egreſſus, ſigna ocyùs ferri ad urbem juſſit.

Urb. cond. an. 562. Coſſ. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.

XXX. Philopœmen poſteaquam citatum agmen per anguſtam & proclivem viam duci raptim vidit, equitatum omnem & Cretenſium auxiliares in ſtationem hoſtium, quæ pro caſtris erat, emittit. Illi ubi hoſtes adoſſe & à ſuis ſe deſertos viderunt; primò in caſtra recipere ſe conati ſunt: deinde poſteaquàm inſtructa acies tota Achæorum admovebatur; metu ne cum ipſis caſtris caperentur, ſequi ſuorum agmen aliquantum prægreſſum inſiſtunt. Extemplo cetrati Achæorum in caſtra impetum faciunt, & diripiunt: cæteri ad perſequendos hoſtes ire pergunt. Erat iter tale, per quod vix tranquillum ab hoſtili metu agmen expediri poſſet. Ut verò ad poſtremos prœlium ortum eſt, clamorque terribilis à tergo pàventium ad prima ſigna eſt perlatus; pro ſe quiſque armis abjectis in circumjectas itineri ſylvas diffugiunt. momentoque temporis ſtrage armorum ſepta via eſt, maximè haſtis; quæ pleræque adverſæ cadentes, velut vallo objecto iter impediebant. Philopœmen, utcunque poſſent, inſtare & perſequi auxiliaribus juſſis (utique enim equitibus haud facilem futuram fugam) ipſe gravius agmen viâ patentiore ad Eurotam amnem deduxit. ibi caſtris ſub occaſum ſolis poſitis, levem armaturam, quam ad perſequendum reliquerat hoſtem, opperiebatur. qui ubi primâ vigiliâ venerunt, nunciantes, tyrannum cum paucis ad urbem penetraſſe, cæteram multitudinem inermem toto ſparſam vagari ſaltu, corpora curare eos jubet. ipſe ex cætera copia militum (qui, quia priores in caſtra venerant, refecti & cibo ſumpto & modicâ quiete erant) delectos, nihil præter gladios

NOTÆ.

*5. *Ipſis affluit mœnibus.*] Spartæ.

Urb. cond. an. 562. Coll. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.

secum ferentes, extemplo educit; & duarum portarum itineribus, quæ Pharas, quæque Barbosthenem ferunt, eos instruxit, qua ex fugâ recepturos sese hostes credebat. Nec eum opinio fefellit. nam Lacedæmonii, quoad lucis superfuit quicquam, deviis callibus medio falcu se recipiebant. Primo vespere ut lumina in castris hostium conspexere, è regione eorum occultis semitis se tenuerunt: ubi prætergressi ea sunt, jam tutum rati, in patentes vias descenderunt. ibi excepti ab insidente hoste passim ita multi cæsi captique sunt, ut vix quarta pars de toto exercitu evaserit. Philopœmen incluso tyranno in urbem, insequentes dies propè triginta vastandis agris Laconum absumpsit, debilitatisque ac propè fractis tyranni viribus, domum redit, æquantibus eum gloria ferum Achæis imperatori Romano; & quod ad Laconicum bellum attineret, præferentibus etiam.

XXXI. Dum inter Achæos & tyrannum bellum erat; legati Romanorum circumire sociorum urbes; soliciti, ne Ætoli partis alicujus animos ad Antiochum avertissent. minimum operæ in Achæis adeundis consumpserunt; quos, quia Nabidi infesti erant, ad cætera quoque satis fidos censebant esse. Athenas primùm, inde Chalcidem, inde in Thessaliam jere: allocutique concilio frequenti [1] Thessalos, Demetriadem iere flexere. eo Magnetum concilium indictum est. Accuratior ibi habenda oratio fuit: quòd pars principum alienati à Romanis, totique Antiochi & Ætolorum erant: quia, quum [2] reddi filium obsidem Philippo allatum esset, stipendiumque impositum remitti; inter cætera vana allatum erat, Demetriadem quoque ei redditurus Romanos esse. Id ne fieret, Eurylochus princeps Magnetum, factionisque ejus quidam, omnia novari Ætolorum Antiochique adventu malebant. Adversus eos ita disserendum erat, ne timorem vanum iis demendo, [3] spes incisa Philippum abalienaret: in quo plus ad omnia momenti, quàm in Magnetibus esset. Illa tantùm commemorata, *quum totam Græciam beneficio libertatis obnoxiam Romanis esse, [4] tum eam civitatem præcipuè. Ibi enim non præsidium modò Macedonum fuis-*

NOTÆ.

1. *Qua Pharas.*] Sigon. *Pharin* legit ex Stephano, cui *Pharis* est urbs Laconiæ: suffragatur & Pausanias, qui Amyclas & *Pharin* conjungit: estque *Pharis* oppidum quinque aut sex passuum millibus à Sparta meridiem versus, interfluente Eurota. Verùm Henricus Valesius malebat *Pharas* oppidum Messeniæ circa ostia Pamisi, quod & *Phera*.

1. *Thessalos.*] Propriè dictos, qui & Thessaliotæ. à Magnetibus distincti; alias sub Thessalorum nomine comprehenduntur Magnetes.

2. *Reddi filium obsidem.*] Demetrium, de quo supra lib. 33. cap. 30.

3. *Spes incisa Philippum alienaret.*] Ut enim timor Magnetibus demeretur, negandum erat fore ut Romani Philippo Demetriadem restituerent: contrà verò ad retinendum in amicitia Philippum, spes ei faciendæ erat ejus urbis reddendæ.

4. *Tum eam civitatem præcipuè.*] Civitatis nomine intellige populum Magnetum.

se: sed 5 *regiam exædificatam: ut præsens semper in oculis habendus esset dominus. Cæterùm nequicquam ea facta, si Ætoli Antiochum in Philippi regiam adducerent, & novus & incognitus pro vetere & experto habendus rex esset.* Magnetarchen summum magistratum vocant. is tum Eurylochus erat. ac potestate ea fretus, negavit dissimulandum sibi & Magnetibus esse, quæ fama vulgata de reddenda Demetriade Philippo foret. id ne fieret, omnia & conanda & audenda Magnetibus esse. Et inter dicendi contentionem inconsultiùs evectus projecit, *Tum quoque specie liberam Demetriadem esse. revera omnia ad nutum Romanorum fieri.* Sub hanc vocem fremitus variantis multitudinis fuit, 6 partim assentientium, partim indignantium, dicere id ausum eum. Quintius quidem adeo exarsit irâ, ut manus ad cœlum tendens, Deos testes ingrati ac perfidi animi Magnetum invocaret. Hac voce perterritis omnibus, Zeno ex principibus unus, magnæ tum ob eloquentiæ actam vitam auctoritatis, tum quòd semper Romanorum haud dubiè partis fuerat, ab T. Quintio legatisque aliis flens petiit, *ne unius amentiam civitati assignarent. Suo quemque periculo furere. Magnetas, non libertatem modò, sed omnia, quæ hominibus sancta caraque sint, T. Quintio & populo Romano debere. Nihil quemquam ab Diis immortalibus precari posse, quod non Magnetes ab illis haberent, & in corpora sua citiùs per furorem sævituros, quàm ut Romanam amicitiam violarent.* Hujus orationem subsecutæ multitudinis preces sunt.

Urb. cond. an. 562. Coss. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.

XXXII. Eurylochus ex concilio itineribus occultis ad portam, atque inde protinus in Ætoliam profugit. Jam enim, & id magis in dies, Ætoli defectionem mutabant: eoque ipso fortè tempore 1 Thoas princeps gentis, quem miserant ad Antiochum, redierat: indeque Menippum secum adduxerat, regis legatum. Qui priusquam concilium iis daretur, impleverant omnium aures, terrestres navalesque copias commemorando; ingentem vim peditum equitumque venire: ex India elephan-

NOTÆ.

5. *Regiam exædificatam.*] Apud Demetriadem, ubi Philippus frequenter degere solitus.

6. *Partim assentientium, partim indignantium.*] Gron. ex Barb. & Petav. scribit *partim assensum, partim indignationem*, quibuscum convenit & Reg. major, & refert ad fremitum *multitudinis variantis*, hoc est, alterantis, & inter se confundentis hæc duo. Mihi tamen magis arridet vulgata lectio, quæ constructioni convenientior. Longius enim distarent illa, *partim assensum, partim indignationem*, à participio *variantis*: cùm scriptum sit apud Livium, *fremitus variantis multitudinis fuit, partim*, &c. ac minùs commodè interjectum esset *fuit* inter *variantis* & *partim assensum* quod ipse Gron. sentiens, ordinem vocabulorum mutavit, ut sensum suum explicaret. At nihil erit quod nos remoretur, si ex recepta scriptura legamus: *fremitus variantis multitudinis fuit, partim assentientium, partim indignantium*. Et parum apta loquendi forma, *assensum aut indignationem dicere id ausum eum* præ illa, *indignantium ausum eum id dicere*.

1. *Thoas princeps gentis.*] Principem legationis ejus nominat etiam Appianus *Thoantem*, anteà missum ad Antiochum ab Ætolis. Dicæarchum dixerat Livius, qui prætoris nimirum Thoantis frater appellatur, hujus lib. cap. 12. Simile veri est prætorem ipsum cum fratre profe-

Urb. cond. an. 562. Coss. P Scipione, & Manio Acilio Glabrione.

tos: [a] ad omnia (quo maximè moveri credebant multitudinis animos) tantum advehi auri, ut ipsos emere Romanos posse. Apparebat, [b] quid ea oratio in concilio motura esset. nam & venisse eos, & quæ agerent, omnia Romanis legatis deferebantur: & [a] quanquam propè abscissa res erat, tamen non abs re esse Quintio visum est, sociorum aliquos legatos interesse ei concilio, qui admonerent Romanæ societatis Ætolos, qui vocem liberam mittere adversus regis legatum auderent. Athenienses maximè in eam rem idonei visi sunt, & propter civitatis dignitatem, & veterem societatem cum Ætolis. ab iis Quintius petit, ut legatos 3 ad Panætolicum concilium mitterent. Thoas primus in eo concilio 4 renunciavit legationem. Menippus post eum interrogatus, *Optimum fuisse omnibus, qui Græciam Asiamque incolerent*, ait, *integris rebus Philippi potuisse intervenire Antiochum: sua quemque habiturum fuisse, neque omnia sub nutum ditionemque Romanam perventura. Nunc quoque*, inquit, *si modò vos qui inchoastis, consilia constanter perducitis ad exitum, poterit, Diis juvantibus, & Ætolis sociis, Antiochus quamvis inclinatas Græciæ res restituere in pristinam dignitatem. Eâ autem in libertate posita est, quæ suis stat viribus, non ex alieno arbitrio pendet.* Athenienses, quibus primis post regiam legationem dicendi quæ vellent, potestas facta est; mentione omni regis prætermissa, Romanæ societatis Ætolos, meritorumque in universam Græciam T. Quintii admonuerunt, *Ne temerè eam celeritate nimiâ consiliorum everterent. Consilia calida & audacia primâ specie lætа, tractatu dura, eventu tristia esse. legatos Romanos, & in iis T. Quintium, haud procul inde abesse. Dum integra omnia essent, verbis potius de iis quæ ambigerentur, disceptarent, quàm Asiam Europamque ad funestum armarent bellum.*

XXXIII. Multitudo avida novandi res, Antiochi tota erat: & ne admittendos quidem in concilium Romanos censebant. principum maximè seniores auctoritate obtinuere, ut daretur iis concilium. Hoc decretum Athenienses quum retulissent, eundem in Æto-

INTERPRETATIO.

[a] *Præter vel supra cætera.*

[b] *Quanti momenti futurus*, vel *quantos motus excitaturus esset in concilio* Ætolorum sermo ejusmodi.

[c] *Dignitas verò Gracia consistit in libertate propriis viribus fundata.*

NOTÆ.

tum fuisse ad Antiochum.

2. *Quanquam propè abscissa res erat.*] Gall. *quoique l'affaire fust presque rompuë, & hors de toute apparence de pouvoir réüssir.*

3. *Panatolicum concilium.*] Concilium fuit omnium Ætoliæ populorum, unde nomen *Panatolio*, eâdem ratione quâ Panathenæa vocabantur festa omnium Athenienſium communia in honorem Minervæ.

4. *Renunciavit legationem.*] Gall. *fit rapport de son ambassade.* Aliud enim propriè est *renunciare legationem*, id est, referre quæ gesta sunt in legatione; aliud *renunciare legationi*, quod est *repudiare*: quo sensu quandoque sumitur *renunciandi* verbum, etiam cum accusandi casu

liam Quintio visum est. [1] Aut enim moturum aliquid, aut omnes homines testes fore, penes Ætolos belli culpam esse: Romanos justa ac prope necessaria sumpturos arma. Posteaquàm ventum est eò, Quintius in concilio orsus à principio societatis Ætolorum cum Romanis, & quoties ab iis [2] fides mota fœderis esset; pauca de jure civitatum, de quibus ambigeretur, disseruit. *Si quid tamen aqui se habere arbitrarentur, quanto esse satius Romam mittere legatos: seu disceptare, seu rogare senatum mallent; quàm populum Romanum cum Antiocho,* [2] *laniſtis Ætolis, non sine motu magno generis humani & pernicie Græciæ dimicare? nec ullos priùs cladem ejus belli sensuros, quàm qui movissent.* Hæc nequicquam, velut vaticinatus Romanus; Thoas deinde cæterique factionis ejusdem cum assensu omnium auditi, pervicerunt, Ut ne dilato quidem concilio, [3] & absentibus Romanis, decretum fieret, quo arcesseretur Antiochus ad liberandam Græciam, [4] disceptatumque inter Ætolos & Romanos. Huic tam superbo decreto addidit propriam contumeliam Damocritus prætor eorum. nam quum id ipsum decretum poscseret eum Quintius, non veritus majestatem viri; *aliud in præsentia, quod magis instaret, prævertendum sibi esse*, dixit: *decretum responsumque brevi in Italia, castris super ripam Tiberis positis, daturum.* Tantus furor illo tempore gentem Ætolorum, tantusque magistratus eorum cepit.

Urb. cond. an. 562. Coll. P. Scipione, & Mario Acilio Glabrione.

XXXIV. Quintius legatique Corinthum redierunt. inde [1] ut quæque

INTERPRETATIO.

[a] *Quoties læsa esset ac violata fides quæ in fœdere data fuerat.*

NOTÆ.

1. *Aut enim moturum aliquid.*] Gall. *car il arriveroit ou qu'il gagneroit & avanceroit quelque chose, ou que tout le monde seroit tesmoin*, &c.

2. *Laniſtis Ætolis.*] In scriptorum, & editorum plerisque est, *admixtis Ætolis*: sed præclarè Gelen. è scriptis quibusdam, cum quibus congruit Reg. major, correxit, *laniſtis Ætolis*: metaphorâ à gladiatoribus ductâ, quos inter se committunt, & ad certamen initruunt atque hortantur laniſtæ seu præfecti ludorum gladiatorum. Alludit fortè ad dictum Antonii epist. ad Hirtium & Octavianum Cæsarem, quæ refertur Philipp. 13. *quod spectaculum adhuc fortuna vitavit, ne videretur unius corporis duas acies laniſtâ Cicerone dimicantes.*

3. *Et absentibus Romanis.*] Repete ex superiori membro particulam *ne*, ut sit: *ne absentibus Romanis*, sive ne expectato quidem Romanorum discessu.

4. *Disceptandumque inter Ætolos & Romanos.*] Variant scripti, & quidam habent, *disceptatumque*; eodem tamen sensu, sed diversa constructione. Vult enim arcessitum Antiochum ab Ætolis ad liberandam Græciam, & ut disceptaret atque arbitrum seu judicem ageret inter Romanos & Ætolos.

1. *Ut quæque de Antiocho.*] Regius Joann. Mureti, *ut quemque de Antiocho*: Reg. Naudæi, *ut quoque de Antiocho*: unde nihil lucis. Præclara Tan. Fabri correctio legentis, *ut quieti de Antiocho*, nisi quod statim sequitur, *nihil per se moti*, quod idem est. Alioqui difficilis hic locus sic videtur explicari posse, ut dicamus Ætolos nullum totius gentis concilium habuisse, postquàm Romanos dimiserant; itaut & *quæcumque de Antiocho dicerentur*, ipsi, (ne Romanis innotesceret eorum consilia) quasi nihil per se laborantes, sed velut immoti

Urb. cond. an. 562. Coss. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.

de Antiocho, [2] nihil per se ipsi moti, & sedentes expectare adventum viderentur regis. concilium quidem universæ gentis post dimissos Romanos non habuerunt, [3] per Apocletos autem (ita vocant sanctius concilium: ex delectis constat viris) id agitabant, quonam modo res in Græciâ novarentur. Inter omnes constabat, in civitatibus principes, optimum quemque, Romanæ societatis esse, & præsenti statu gaudere. multitudinem, & quorum res non ex sententiâ ipsorum essent, omnia novari velle. Ætoli consilium uno die spei quoque non audacis modò, sed etiam impudentis ceperunt; Demetriadem, Chalcidem, & Lacedæmonem occupandi. Singuli in singulas missi sunt principes: Thoas Chalcidem, Alexamenus Lacedæmonem, Diocles Demetriadem. Hunc [4] Exul Eurylochus, de cujus fuga causaque fugæ antè dictum est, quia reditus in patriam nulla spes alia erat, adjuvit. literis Eurylochi admoniti propinqui amicique, & qui ejusdem factionis erant, liberos & conjugem ejus cum sordida veste, tenentes velamenta supplicum, concionem frequentem adire jubent; singulos universosque obtestantes, ne insontem, indemnatum consenescere in exilio sinerent. Et simplices homines misericordia, & improbos seditiososque immiscendi res tumultu Ætolico spes movit: pro se quisque revocare jubebant. His præparatis Diocles cum omni equitatu (& erat tunc præfectus equitum) specie reducentis exulem hospitem profectus, die ac nocte ingens iter emensus, quum millia sex ab urbe abesset; luce prima tribus electis turmis, cætera multitudine equitum subsequi jussa, præcessit. posteaquàm portæ appropinquabat, desilire omnes ex equis jussit, & loris ducere equos, itineris maximè modo, solutis ordinibus: ut comitatus magis præfecti videretur, quàm præsidium. Ibi una ex turmis ad portam relicta, ne excludi subsequens equitatus posset, media urbe ac per forum manu Eurylochum tenens, multis occurrentibus gratulantibusque, domum deduxit. Mox equitum plena urbs erat, & loca opportuna occupabantur, tum in domos missi, qui principes adversæ factionis interficerent.

XXXV. Ita Demetrias Ætolorum facta est. Lacedæmone non urbi vis afferenda; sed tyrannus dolo capiendus erat: quem spoliatum maritimis oppidis à Romanis, tunc intra mœnia etiam Lacedæmonis ab Achæis compulsum, qui occupasset occidere, cum totius

NOTÆ.

manerent, viderenturque duntaxat Regis sive adventum sive motum expectare.

2. *Nihil per se ipsi moti.*] Perizon. reponit: *nihil p. s. i. moturi*: quod mihi sanè arridet: tum quòd activæ voci magis congruere videatur accusativus *nihil*; tum quòd iidem, sine insulsa illa repetitione, quam nota proxima indicavi, dici possunt, & in præsenti *quieti* ex sententia Fabri; & *nihil moturi* in futurum:

3. *Per Apocletos.*] A verbo ἀποκλέω quod est *voco*, *nomino*, ἀπόκλητοι dicebantur hi consultores sive senatores, quasi dicamus *vocatos* seu *excitos*; Gall. *Deputez*.

4. *Exul Eurylochus.*] Is Magnesia in Ætoliam profugus, de quo supra cap. 31.

gratiam rei apud Lacedæmonios laturum. Causam mittendi ad eum habuerunt, quod fatigabat precibus, ut auxilia sibi, quum illis auctoribus rebellassiet, mitterentur. Mille pedites Alexameno dati sunt, & triginta electi ex juventute equites. Iis à prætore Damocrito in concilio Arcano gentis, de quo antè dictum est, denunciatum, *Ne se ad bellum Achaicum, aut rem ullam, quam suæ quisque opinione præcipere posset, crederent missos esse. Quicquid Alexamenum res monuisset subiti consilii capere; ad id quamvis inopinatum, temerarium, audax, obedienter exequendum parati essent, ac pro eo acciperent, tanquam ad id unum agendum missos ab domo se scirent.* Cum his ita præparatis Alexamenus ad tyrannum venit, quem adveniens extemplo spei implevit. *Antiochum jam in Europam transisse, mox in Græcia fore; terras, maria, armis, viris completurum. Non cum Philippo rem esse credituros Romanos. numerum iniri peditum equitumque ac navium non posse; elephantorum aciem conspectu ipso debellaturam. Ætolos toto suo exercitu paratos esse venire Lacedæmonem, quum res poscat: sed frequentes armatos ostendere advenienti regi voluisse. Nabidi quoque & ipsi faciendum esse, ut quas haberet copias; non sineret sub tectis marcescere otio: sed educere, & in armis decurrere cogeret, simul animos acueret, & corpora exerceret. Consuetudine leviorem laborem fore: & comitate ac benignitate ducis etiam non injucundum fieri posse.* Educi indè frequenter ante urbem in campum ad Eurotam amnem cœpere. Satellites tyranni media ferè in acie consistebant. tyrannus cum tribus summum equitibus[1], inter quos plerumque Alexamenus erat, ante signa vectabatur, cornua extrema invisens; in dextro cornu Ætoli erant, & qui ante auxiliares tyranni fuerunt, & qui venerant mille cum Alexameno. Fecerat sibi morem Alexamenus, nunc cum tyranno inter paucos ordines circumeundi, monendique eum quæ in rem esse videbantur; nunc in dextrum cornu ad suos adequitandi; mox inde, velut imperato, quod res popolcisset, recipiendi se ad tyrannum. Sed quem diem patrando facinori statuerat, eo paulisper cum tyranno vectatus, quum ad suos concessisset, cum equitibus ab domo secum missis, *Agenda*, inquit, *res est, juvenes audendaque, quam me duce impigrè exequi justi estis. Parate animos, dextrasque, ne quis in eo, quod me viderit facientem, cesset. Qui cunctatus fuerit, & suum consilium meo interponet, sciat sibi redeundum ad penates non esse.* Horror cunctos cepit: & meminerant cum quibus mandatis exissent. Tyrannus ab lævo cornu veniebat. 3 Ponere hastas equites Alexamenus jubet. & se intue-

Urb. cond. an. 562. Coss. P. Scipione & Manio Acilio Glabrione.

NOTÆ.

1. *Gratiam rei apud Lacedæmonios laturum.*] Intellige *constabat*, vel *certum erat*, vel *sciebant*: tantùm scilicet abesse ut rem ingratam Lacedæmoniis facturus esset, qui eorum occideret tyrannum; quin potiùs magnam ab eis gratiam initurum esse;

2. *In armis decurrere cogeret.*] Gallicè, *qu'il leur fît faire l'exercice.*

3. *Ponere hastas equites Alexamenus jubet.*] Hic *ponere hastas* non est *subjicere*; sed *reclinare*, ne erectæ conspectum ip-

Urb. cond. an. 562. Coss. P. Scipion. & Manio Acilio Glabrione.

ri. colligit & ipse animum confusum tantæ cogitatione rei. Posteaquàm appropinquabat, impetum facit: & transfixo equo, tyrannum deturbat. Jacentem equites confodiunt. multis frustra in loricam ictibus datis, tandem in nudum corpus vulnera pervenerunt: & priusquàm à media acie succurreretur, expiravit. Alexamenus cum omnibus Ætolis citato gradu ad regiam occupandam pergit. Corporis custodes, quum res in oculis gereretur, pavor primò cepit: deinde, posteaquàm abire Ætolorum agmen vidêre, concurrunt ad relictum tyranni corpus: & spectatorum turba ex custodibus vitæ, mortisque ultoribus, facta. Nec movisset se quisquam, si extemplo positis armis vocata in concionem multitudo fuisset, & oratio habita tempori conveniens, 1. frequentibus inde retentis in armis Ætolis, sine injuria cujusquam: sed 2 ut oportuit in consilio fraude cœpto, omnia in maturandam perniciem eorum, qui fecerant, sunt acta. Dux regia inclusus, diem ac noctem in scrutandis thesauris tyranni consumpsit: Ætoli velut capta urbe, quam liberasse videri volebant, in prædam versi. Simul indignitas rei, simul contemptus, animos Lacedæmoniis ad cœundum fecit. Alii dicere, exturbandos Ætolos, & libertatem, quum restitui videretur, interceptam repetendam. alii 3 ut caput agendæ rei esset, regii aliquem in speciem assumendum. Laconicus ejus stirpis erat puer admodum, educatus cum liberis tyranni. eum in equum imponunt, & armis arreptis Ætolos vagos per urbem cædunt. Tum regiam invadunt. ibi Alexamenum cum paucis resistentem obtruncant. Ætoli 4 circa Chalciœcon (Minervæ est templum æreum) congregati cæduntur. Pauci armis abjectis, pars Tegeam, pars Megalopolim perfugiunt. ibi comprehensi a magistratibus, sub corona venierunt.

XXXVII. Philopœmen, audita cæde tyranni, profectus Lacedæmonem, quum omnia turbata metu inveniset; evocatis principibus, & oratione habita, qualis habenda ab Alexameno fuerat, societati Achæorum Lacedæmonios adjunxit: eò etiam facilius, quod adidem fortè tempus Atilius cum quatuor & viginti quinqueremibus ad Gythium accessit. iisdem diebus circa Chalcidem Thoas per Euthymidam principem pulsum, opibus eorum qui Romanæ societatis erant, post T. Quinctii legatorumque adventum, & Herodotum Cianum mercatorem, sed potentem Chalcide

NOTÆ.

sius Alexameni equitibus eriperent, quos jubebat se intueri atque imitari.

1. *Frequentibus inde retentis in armis Ætolis sine injuria cujusquam.*] Zeugma est, debet enim ex superioribus intelligi, *si fuissent retenti*.

2. *Ut oportuit in consilio fraude cœpto.*] Non ita quidem fieri oportebat, sed fraudulento consilio conveniens erat, sive respondebat, ut res non ex ratione procederet.

3. *Ut caput agendæ rei esset.*] Gall. *afin d'avoir un chef, pour entreprendre quelque chose*.

4. *Circa Chalciœcon.*] Significatur hoc vocabulo *æream domum habitans*, supple Minerva; quæ sic dicta à Spartanis apud Suid. quod οἶκον Χαλκοῦν haberet, sive pro-

propter divitias, præparatis ad proditionem iis, qui Euthymidæ factionis erant; nequaquam eandem fortunam, qua Demetrias per Eurylochum occupata erat, habuit. Euthymidas ab Athenis (eum domicilio delegerat locum) Thebas primùm, hinc [1] Salganea processisse. Herodotus ad Thronium, inde haud procul in Maliaco sinu duo millia peditum, & Thoas ducentos equites, onerarias leves ad triginta habebat. eas cum sexcentis peditibus Herodotus trajicere [2] in insulam Atalantam jussus: ut inde, quum pedestres copias appropinquare jam Aulidi atque Euripo sensisset, Chalcidem trajiceret. ipse cæteras copias nocturnis maximè itineribus, quanta poterat celeritate, Chalcidem ducebat. Urb. cond. an. 562. Coss. P. Scipione & Manio Acilio. Liv. Glarean.

XXXVIII. [1] Mictio & Xenoclides, penes quos tum summa rerum, pulso Euthymida, Chalcide erat, seu ipsi per se suspicati, seu indicata re; primò pavidi, nihil usquam spei, nisi in fuga ponebant. deinde posteaquam resedit terror, & prodi & deseri non patriam modò, sed etiam Romanorum societatem cernebant, consilio tali animum adjecerunt. Sacrum anniversarium eo fortè tempore Eretriæ [2] Amarynthidis Dianæ erat: quod non popularium modò, sed Carystiorum etiam cœtu celebratur. Eò miserunt qui orarent Eretrienses Carystiosque, *Ut & suarum fortunarum in eadem insula geniti miserentur, & Romanam societatem respicerent ne sinerent Ætolorum Chalcidem fieri. Euboeam habituros, si Chalcidem habuissent. Graves fuisse Macedonas dominos, multò minùs tolerabiles futuros Ætolos.* Romanorum maximè respectus civitates movit; & virtutem nuper in bello, & in victoria justitiam benignitatemque expertas. itaque quod roboris in juventute erat, utraque civitas armavit misitque. His tuenda mœnia Chalcidis oppidani quum tradidissent, ipsi omnibus copiis transgressi Euripum, ad Salganea posuerunt castra. inde caduceator primùm, deinde legati ad Ætolos missi percunctatum quo suo dicto factove socii atque amici ad se oppugnandos venirent? Respondit Thoas dux Ætolorum, *Non ad oppugnandos, sed ad liberandos ab Romanis venire sese. Splendidiore nunc eos catena, & multò graviore vinctos esse, quàm quum præsidium Macedonum in arcem habuissent. Se verò negare Chalcidenses aut servire ulli, aut præsidio cujusquam egere.* Ita di-

NOTÆ.

quòd Chalcidenses Eubœa profugi ædem illi extruxissent.

1. *Salganea.*] Aliàs *Salganeus*: oppidum fuit Bœotiæ ad Euripum, inter Anthedonem & Isinenì fl. ostium, Aulidi vicinum versus occasum, hodie *Salganico*.

2. *In insulam Atalantam.*] *Atalanta* exigua est insula, Eubœæ adjacens, è regione Opuntis Locrorum urbis, vulgò nunc *Talandi*.

1. *Mictio.*] Variè scribitur hoc nomen proprium in M.Ss. Verum nomen videtur fuisse *Micithion*, ut est apud Appianum, quod Sigon. notat.

2. *Amarynthidis Dianæ.*] Eretrienses & Carystii in Eubœa, eumque bis Athenienses Dianam nomine *Amarysiam* peculiari cultu celebrabant, festumque ipsum Amarysia vocabant, ab Amarynthio vico apud Eretriam, Strabone teste.

Urb. cond. an. 702. Coss. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.

greſſi ex colloquio legati ad ſuos. Thoas & Ætoli, ut qui ſpem omnem in eo, ut improviſo opprimerent, habuiſſent; ad juſtum bellum oppugnationemque urbis mari ac terra munitæ haudquaquam pares, domum rediere. Euthymidas, poſtæquàm caſtra popularium ad Salganea eſſe, profectoſque Ætolos audivit; & ipſe à Thebis Athenas rediit. Et Herodotus quum per aliquot dies incertus ab Atalanta ſignum nequicquam expectaſſet, miſſa ſpeculatoria nave, ut quid moræ eſſet, ſciret; poſteaquam rem omiſſam à ſociis vidit, Thronium, unde venerat, repetit.

XXXIX. Quintius quoque his auditis, ab Corintho veniens navibus, in Chalcidis Euripo Eumeni regi occurrit. Placuit, quingentos milites præſidii cauſa relinqui Chalcide, ab Eumene rege: ipſum Athenas ire. Quintius quò profectus erat, Demotriadem contendit; ratus Chalcidem liberatam, momenti aliquid apud Magnetas ad repetendam ſocietatem Romanam facturam, & ut præſidii aliquid eſſet ſuæ partis hominibus, Eunomo prætori Theſſalorum ſcripſit, ut armaret juventutem, & Villium ad Demetriadem præmiſit ad tentandos animos; non aliter, niſi pars aliqua inclinaret ad reſpectum priſtinæ ſocietatis, rem aggreſſurus. Villius quinqueremi nave ad oſtium portus eſt invectus. Eò multitudo Magnetum omnis quum ſe effudiſſet, quæſivit Villius, utrum ad amicos, an ad hoſtes ſeſe veniſſe mallent? Reſpondit [1] Magnetarches Eurylochus *Ad amicos veniſſe eum: ſed abſtineret portu, & ſineret Magnetas in concordia & libertate eſſe, nec per colloquii ſpeciem multitudinem ſollicitaret.* Altercatio inde, non ſermo fuit: quum Romanus, ut ingratos increpuerat Magnetas, imminentesque prædiceret clades: multitudo obſtreperet, nunc Senatum, nunc Quintium accuſando. ita irrito incepto Villius ad Quintium ſeſe recepit. At Quintius, nuncio ad prætorem miſſo, ut rediret domum copias, ipſe navibus Corinthum rediit.

XL. Abſtulerunt me velut de ſpacio, Græciæ res immixtæ Romanis: non quia ipſas operæ prætium eſſet perſcribere, ſed quia cauſæ fuerunt cum Antiocho belli. Conſulibus deſignatis (inde namque diverteram) L. Quintius, & Cn. Domitius conſules in provincias profecti ſunt: [2] Quintius in Ligures, Domitius adverſus Bojos. Boji quieverunt: atque etiam ſenatus eorum cum liberis, & præfecti cum equitatu (ſumma omnium mille & quingenti) conſuli dediderunt ſeſe. Ab altero conſule ager Ligurum latè eſt vaſtatus; caſtellaque aliquot capta: unde non præda modò omnis generis cum captivis parta, ſed recepti quoque aliquot cives ſociique, qui in hoſtium poteſtate fuerant. Eodem hoc anno Vibonem colonia deducta.

NOTÆ.

1 *Magnetarches Eurylochus.*] Significatur hoc vocabulo Magnetum prætor.

1. *Quintius in Ligures, Domitius adverſus Bojos.*] Uterque in Bojis bellum geſſiſſe dicitur cap. 22. ſed Quintius potiſſimum rem geſſit in Liguria, quam ita penetravit, ut in Bojos pervenerit, quæ Domitii collegæ provincia erat, cum quo in confinio utriuſque provinciæ copias junxit.

est Senatusconsulto plebeique scito. tria millia & septingenti pedites je- Urb. cond.
runt, trecenti equites. Triumviri deduxerunt eos, Q. Nævius, M. Mi- an. 562.
nucius, M. Furius Crassipes. Quina dena jugera agri data in singulos pe- Coss. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.
dites sunt: duplex equitibus. Bruttiorum proximè fuerat ager: [2] Bruttii
ceperant de Græcis. Romæ per idem tempus duo maximi fuerunt terro- ne.
res; dirinus alter, sed segnior. Terra dies duodequadraginta movit. per totidem dies feriæ in sollicitudine ac metu fuere. in triduum ejus rei causa supplicatio habita est. Ille non pavor vanus, sed vera multorum clades fuit. incendio à foro Boario orto, diem noctemque ædificia in Tiberim versa arsere, tabernæque omnes cum magni precii mercibus conflagraverunt.

XLI. Jam ferè in exitu annus erat: & in dies magis fama de Antiochi bello, & cura Patribus crescebat. itaque de provinciis magistratuum designatorum, quò intentiores essent omnes, agitari cœptum est. Decrevere, ut consulibus Italia, & quo senatus censuisset, (jam esse bellum adversus Antiochum regem omnes sciebant) provinciæ essent. cujus ea sors esset, quatuor millia peditum civium Romanorum, & trecenti equites, sex millia socium Latini nominis, cum quadringentis equitibus iunt decreta. Eorum delectum habere L. Quintius consul jussus: ne quid moraretur, quominus consul novus, quo senatus censuisset, extemplo proficisci posset. Item de provinciis prætorum decretum est: [2] prima ut sors duæ, urbanaque, & inter cives ac peregrinos jurisdictio esset: secunda Bruttii: tertia classis, ut navigaret, quo senatus censuisset: quarta, Sicilia: quinta, Sardinia: sexta, Hispania ulterior. imperatum prætorea L. Quintio consuli est, ut duas legiones civium Romanorum novas conscriberet: & socium ac Latini nominis viginti millia peditum, & octingentos equites. eum exercitum prætori, cui Bruttii provincia evenisset, decreverunt. Ædes duæ Iovi eo anno in Capitolio dedicatæ sunt. Voverat L. Furius Purpureo prætor Gallico bello unam, alteram consul. dedicavit Q. Marcius Ralla duumvir. Iudicia in fœneratores eo anno multa severè sunt facta; accusantibus privatos ædilibus curulibus, M. Tuccio, & P. Iunio

INTERPRETATIO.

2 *Ut cui prætori prima sors obtigisset, is* [illegible] *annam* scilicet *& peregrinam*. quam quæ *duas haberet* intra urbem *jurisdictiones*, habebat, judicabat inter cives & perequæ inter duos fermè dividebantur, *ur-* grinos.

NOTÆ.

2. *Bruttii ceperant de Græcis*.] Locri conditores Hipponem sive Hipponium dixerant, unde sinus Hipponiates: Bruttii vicini ditionis postea suæ fecerant, à quibus *Vibon* dicta videtur hæc urbs. postea etiam *Vibo Valentia* appellata.] Imminebat litori Tyrrheno ad Angitulam amnem. Quamquam sunt qui Vibonem distinguant ab Hipponio: huic Bartius vulgarem appellationem *Monteleone* tribuit, probante Cluverio: ille antiquo ferè nomine vocatur *Bivona*.

Urb. cond. an. 562. Coſſ. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.

Bruto. de multa damnatorum quadrigæ inauratæ in Capitolio poſitæ in ceſſa Iovis ſupra faſtigium ædiculæ, & duodecim clypea inaurata, & iidem porticum [1] extra portam Trigeminam inter lignarios fecerunt.

XLII. Intentis in apparatum novi belli Romanis, ne ab Antiocho quidem ceſſabatur. Tres eum civitates tenebant, Smyrna, & [1] Alexandria Troas, & Lampſacus: quas neque vi expugnare ad eam diem poterat, neque conditionibus in amicitiam perlicere, neque à tergo relinquere trajiciens ipſe in Europam volebat. Tenuit eum & de Annibale deliberatio, & primo naves apertæ, quas cum eo miſſurus in Africam fuerat, moratæ ſunt. deinde an omninò mittendus eſſet, conſultatio mota eſt; maximè à Thoante Ætolo, qui omnibus in Græcia tumultu completis, Demetriadem afferebat in poteſtate eſſe: & quibus mendaciis de rege, multiplicando verbis copias ejus, crexerat multorum in Græcia animos; iiſdem & regis ſpem inflabat: omnium votis eum accerſi. concurſum ad litora futurum, [2] unde claſſem regiam proſpexiſſent. Hic idem auſus de Annibale eſt a movere ſententiam propè jam certam regis. nam *neque dimittendam partem navium à claſſe regia cenſebat: neque ſi mittendæ naves forent, minus quempiam ei claſſi, quàm Annibalem præficiendum. Exulem illum & Pœnum eſſe, cui mille in dies nova conſilia, vel fortuna ſua, vel ingenium poſſit facere. Et ipſam eam gloriam belli, qua velut dote Annibal concilietur, nimiam in præfecto regio eſſe. Regem conſpici, regem unum ducem, unum imperatorem videri debere. Si claſſem, ſi exercitum amittat Annibal, idem damni fore, ac ſi per alium ducem amittantur. ſi quid proſperè eveniat, Annibalis eam, non Antiochi gloriam fore. Si vero univerſo bello vincendi Romanis fortuna detur; quam ſpem eſſe, ſub rege victurum Annibalem uni ſubjectum, qui patriam propè non tulerit? Non ita ſe à juventa eum geſſiſſe, ſpe animoque complexum orbis terrarum imperium, ut in ſenectute dominum laturus videatur.* [b] *Nihil opus eſſe regi Annibale duce: comite & conſiliario eodem ad bellum uti poſſe. Modicum fructum ex ingenio tali, neque gravem, neque inutilem fore. ſi ſumma petantur, & dan-*

INTERPRETATIO.

a *Regem dimovere à conſilio propè jam certo.*

b *Regem Antiochum non indigere Annibale tanquam duce, ſed eo uti poſſe tanquam comite, aut conſiliario: ſic exiguum quid commodi ex ejuſmodi ingenii viro ſperari poſſe: & eo modo neque inutilem omninò neque oneri futurum: ſed ſi ſummam imperii militaris petat, verendum ne ea & ipſi commodet regi eam poteſtatem concedenti, & ipſi Annibali qui eam accipiet, onerosa ſit, eumque à recto mentis ſtatu moturæ.*

NOTÆ.

1. *Extra portam Trigeminam inter lignarios.*] Ligurii ſunt qui ligna ſecant, aut vendunt. Non. *ligni opifices* interpretatur.

1. *Alexandria Troas.*] In ora Ægæi maris inter Abydum & Antandrum fuit in minori Phrygia, nunc *Sanctæ-maria*: Turcis *Carasia* vocatur hic locus, Leunclavio teſte.

2. *Unde claſſem regiam proſpexiſſent.*] Mallem *ubi*, id eſt, *ſtatim atque claſſem regiam proſpexiſſent.*

tem, & accipientem prægravatura. ¹ Nulla ingenia tam prona ad invidiam sunt, quàm eorum qui genus ac fortunam suam animis non æquant: quia virtutem & bonum alienum oderunt. Extemplo consilium mittendi Annibalis, quod unum in principio belli utiliter cogitatum erat, abjectum est. Demetriadis maximè defectione ab Romanis ad Ætolos elatus, non ultra differre profectionem in Græciam constituit. Priusquam solveret naves, ² Ilium à mari ascendit, ut Minervæ sacrificaret. Inde ad classem regressus, proficiscitur quadraginta rectis navibus, apertis scxaginta: & ducentæ onerariæ cum omnis generis commeatu, bellicoque alio apparatu sequebantur. Imbrum primò Insulam tenuit, ³ inde Scyathum trajecit. ibi collectis in alto quæ dissipatæ erant navibus, ad ⁴ Peleum primum continentis venit. Ibi Eurylochus ei Magnetarches, principesque Magnerum ab Demetriade occurrerunt. quorum frequentia lætus, die postero in urbis portum navibus est invectus. Copias haud procul inde exposuit. decem millia peditum fuere, & quingenti equites, sex elephanti; vix ad Græciam nudam occupandam satis copiarum, nedum ad sustinendum Romanum bellum. Ætoli posteaquàm Demetriadem venisse Antiochum allatum est, concilio indicto, decretum, quo arcesserent eum, fecerunt. Jam profectus ab Demetriade rex, quia ita decretum sciebat, Phalcram in sinum Maliacum processerat. inde decreto accepto Lamiam venit; exceptus ingenti favore multitudinis, cum plausibus clamoribusque, & quibus aliis lætitia effusa vulgi significatur. Urb. cond. an. 562. Coss. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.

XLIV. In concilium ut ventum est, ægrè à Phanea prætore principibusque introductus, inde facto silentio res dicere orsus. Prima ejus oratio fuit excusantis, *Quod tanto minoribus spe atque opinione omnium copiis venisset. Id suæ impensæ erga eos voluntatis maximum debere indicium esse, quod nec paratus satis ullâ re, & tempore ad navigandum immaturo, vocantibus legatis eorum, haud gravatè obsecutus esset, credidisseque, quum se vidissent Ætoli, omnia vel in se uno posita præsidia existimaturos esse. Cæterùm eorum quoque se, quorum expectatio destituta in præsentia videatur, spem abundè expleturum.* ¹ *Nam simul primum anni tempus navigabile præbuisset mare, omnem se*

NOTÆ.

1. *Nulla ingenia tam prona ad invidiam sunt.*] Hoc de Antiocho dicitur.

2. *Ilium à mari.*] Ab Ilio Trojanorum rege dictum *Ilium*, ut à Troë *Troja*, quæ duo sunt ejusdem urbis nomina in Phrygia minori seu Troade, inter Idam montem & litus Ægæi maris. Ea à Græcis eversa, deinde restituta: sed hodie ruinæ tantùm ejus extant, & vetus nomen: *Troja* enim loco adhuc nomen ad dextram navigantibus ab Ægæo in Helespontum.

3. *Inde Scyathum.*] Insula hæc inter Peparethum insulam & Magnesiam Thessaliæ regionem posita, interque sinus Thermaicum & Pelasgicum seu Pagasæum; nomen retinet: vulgò enim *Sciato* dicitur, teste Sophiano.

4. *Peleon.*] Phthiotidis oppidum haud procul Pelasgico sinu, Sanson: Plinius ad Maliacum sinum & Sperchii ostium ponit versus confinia Bœotiæ; hodie *Fitleo*.

1. *Nam simul primum.*] Etenim statim

Urb. cond. an. 562. Coss. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.

Græciam armis, viris, equis: omnem oram maritimam classibus completurum. Nec impensæ, nec labori, nec periculo parsurum; donec depulso cervicibus eorum imperio Romano, liberam verè Græciam atque in ea principes Ætolos fecisset. cum exercitibus commeatus quoque omnis generis ex Asia venturos. In præsentia curæ esse Ætolis debere, ut copia frumenti sua[a] & annona tolerabilis rerum aliarum suppeditaretur.

XLV. In hanc sententiam rex, cum magno omnium assensu locutus, discessit. Post discessum regis inter duos principes Ætolorum Phæneam & Thoantem, contentio fuit. Phæneas, reconciliatore pacis, & disceptatore de iis quæ in controversia cum populo Romano essent, utendum potiùs Antiocho censebat, quàm duce belli. *Adventum ejus & majestatem*[a] *ad verecundiam faciendam Romanis vim majorem habituram, quàm arma. Multa homines, ne bellarent, voluntate remittere, quæ bello & armis cogi non possint.* Thoas negare, *paci studere Phæneam: sed discutere apparatum belli velle, ut tædio & impetus relanguescat regis, & Romani tempus*[1] *ad comparandum habeant. Nihil enim æqui ab Romanis impetrari posse, toties legationibus missis Romam, toties cum ipso Quintio disceptando,*[2] *satis expertum esse: nec nisi abscisâ omni spe, auxilium Antiochi*[b] *implooraturos fuisse. Quo celeriùs spe omnium oblato, non esse elanguescendum; sed orandum potiùs regem, ut quoniam, quod maximum fuerit, ipse vindex Græciæ venerit, copias quoque terrestres navalesque arcessat. Armatum regem aliquid impetraturum: inermem non pro Ætolis modo, sed neque se quidem ipso, momentum ullius futurum apud Romanos.* Hæc vicit sententia, 3 imperatoremque regem appellandum censuerunt & triginta principes, cum quibus si qua vellet, consuleret, delegerunt. Ita dimisso concilio multitudo omnis in suas civitates dilapsa est.

XLVI. Rex postero die cum apocletis eorum, unde bellum oriretur consultabat. Optimum visum est, Chalcidem, frustra nuper ab Ætolis tentatam, primùm aggredi: & celeritate in eam rem magis quàm magno conatu & apparatu opus esse. Itaque cum mille peditibus rex, qui ab Demetriade secuti erant, profectus per Phocidem est. & alio itinere principes Ætoli, juniorum paucis evocatis, [1] ad Chæroneam

INTERPRETATIO.

[a] *Et sufficiens copia cæterarum rerum ad victum pertinentium subministraretur.*
[a] *Ad injiciendum Romanis pudorem valeret.* aliquem, & obtinendas ab illis hac ratione honestas pacis conditiones.
[b] *Futurum non fuisse ut & Ætoli implorarent.*

NOTÆ.

atque tempus vernum navigabilia maria fecisset.

1. *Ad comparandum.*] Intellige *bellum.*

2. *Satis expertum esse.*] *Expertum* hic passivè sumit pro eo quod ei experimentâ cognitum & comprobatum.

3. *Imperatoremque regem appellandum.*] Gall. *on fut d'avis de prendre pour General le Roy Antiochus.*

1. *Ad Chæroneam.*] Urbs Bœotiæ ad Cephisum fl. in Phocidis confinio, Coro-

occurrerunt: & decem constratis navibus secuti sunt. Rex ad Salganea castris positis, navibus ipse cum principibus Ætolorum Euripum trajecit, & quum haud procul portu egressus esset, magistratus quoque Chalcidensium & principes ante portam processerunt. Pauci utrimque ad colloquium congressi sunt. Ætoli magnopere suadere, *ut salvâ Romanorum amicitia, regem quoque assumerent socium atque amicum. Neque enim eum inferendi belli, sed liberandæ Græciæ causâ in Europam trajecisse; liberandæ vero re, non verbis & simulatione, quod fecissent Romani. Nihil autem utilius Græciæ civitatibus esse quàm utramque complecti amicitiam. ita enim ab utriusque injuria tutam alterius semper præsidio & fiduciâ fore. Nam si non recepissent regem, viderent quid patiendum iis exemplo foret: quum Romanorum procul auxilium, hostis Antiochus, cui resistere viribus suis non possent, ante portas esset.* Ad hæc Mictio, unus ex principibus, *mirari se dixit, ad quos liberandos Antiochus, relicto regno suo, in Europam trajecisset. Nullam enim civitatem se in Græcia nosse, quæ aut præsidium haberet, aut stipendium Romanis pendat: aut fœdere iniquo alligata, quas nolit, leges patiatur. Itaque Chalcidenses neque vindice libertatis ullo indigere, quum liberi sint, neque præsidio, quum pacem ejusdem populi Romani beneficio & libertatem habeant. Amicitiam regis non aspernari, neque ipsorum Ætolorum. id primum eos* [a] *pro amicis facturos, si insulâ excedant, atque abeant. nam ipsis certum esse, non modò non recipere mœnibus, sed ne societatem quidem ullam pacisci, nisi ex auctoritate Romanorum.*

Urb. cond. an. 562. Coss. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.

XLVII. Hæc renunciata regi ad naves, ubi restiterat, quum essent; in præsentia (neq; enim iis venerat copiis, ut vi agere quicquam posset) reverti Demetriadem placuit. ibi, quoniam primum inane cœptum evasisset, consultare cum Ætolis rex, quid deinde fieret. Placuit, Achæos & Amynandrum, regem Athamanum, tentare. Bœotorum gentem aversam ab Romanis jam inde à Brachyllæ morte, & quæ secuta eam fuerant, censebant. Achæorum Philopœmenem principem, æmulatione gloriæ in bello Laconum, infestum invisumque esse Quintio credebant. Amynander uxorem Apamiam, filiam Alexandri cujusdam Megalopolitani habebat: qui se oriundum à magno Alexandro ferens, filiis duobus Philippum atque Alexandrum, & filiæ Apamiam nomina imposuerat: quam regiis inclytam nuptiis, major ex fratribus Philippus secutus in Athamaniam fuerat. Hunc forte ingenio vanum, Ætoli & Antiochus [a] impulerant in spem, quod is verè regum stirpis esset, regni Macedoniæ, si Amynandrum Atha-

INTERPRETATIO.

a *Spem ei fecerant consequendi regni Macedoniæ, cum, ut quidem ipse credi volebat, verè ortus esset ex regum stirpe.*

NOTÆ.

næ ad occasum supra Copaïdem paludem: jacet sub antiquo nomine.

2. *Pro amicis facturos.*] Gall. *qu'ils seroient en amitié, ou en qualité d'amis.*

Urb. cond. an. 562. Coss. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.

manesque Antiocho conjunxisset. & ea vanitas promissorum, non apud Philippum modò, sed etiam apud Amynandrum, valuit.

XLVIII. In Achaïa legatis Antiochi Ætolorumque coram T. Quintio Ægii datum est concilium. Antiochi legatus, prior, quàm Ætoli, est auditus. Is, ut plerique quos opes regiæ alunt, vaniloquus, maria terrasque inani sonitu verborum complevit. *Equitum innumerabilem vim trajici Hellespontoin Europam: partim loricatos, quos cataphractos vocant: partim sagittis ex equo utentes,* a *& à quo nihil satis tecti sit, aversos refugiente equo certius figentes. His equestribus copiis (quanquam vel totius Europæ exercitus in unum coacti obrui possent) adjiciebat multiplices copias peditum. & nominibus quoque gentium vix fando auditis terrebat:* 1 *Dahas,* 2 *Medos,* 3 *Elimæosque & Cadusios appellans. Navalium verò copiarum, quas nulli portus capere in Græcia possent, dextrum cornu* 4 *Sidonios & Tyrios, sinistrum* 5 *Aradios: & ex Pamphylia* 6 *Sidetas tenere; quas gentes nullæ unquam nec arte, nec virtute navali æquasse nt. Jam pecuniam, jam alios belli apparatus referre supervacaneum esse. Scire ipsos, abundasse semper auro regna Asiæ. Itaque non cum Philippo, nec Annibale rem futuram Romanis. principe altero civitatis, altero Macedoniæ*

5

10

15

INTERPRETATIO.

a *Et qui aversi & equo velut fugiente certius ictum destinarent, & à quo genere pugna nihil sit tutum.*

NOTÆ.

1. *Dahas.*] *Daha* vel *Daa* populi fuere ad mare Caspium: Persis olim, nunc Syro, Macedonibus subjectierant; Medis vicini ad Septentrionem: Nomades quoque dicti & cognomine Parni, ut est apud Strabonem, qui & Arsacem habuisse regem, auctorem Parthici regni ait: Dausquejus ad Silium lib. 13. ostendit duplices esse Dahas, alios ad Hyrcaniam, alios ad Germaniam seu Pannoniam pertinentes, qui sæpiùs Daci & Davi appellantur: fortè ut distinguantur à Dahis Scythiæ supra Mæotidem populis. Ptolemæus in Margiana ponit cum Massagetis & Derbicibus. Pars hodie regionis quam *Chorasan* vocant, ad Margum fl. qui vulgò *Margab.*

2. *Medos.*] Asiæ regio *Media*, à Medo, ut volunt, Iasonis & Medeæ filio dicta: hodie pars regni Persici, vulgò *Teracagemi*: à Medis ad Persas translatum imperium à Cyro Iustinus aliique memorant.

3. *Elymæosque.*] *Elymæi*, qui sacris litteris *Elamita*, in Susianæ, quæ nunc *Cusistan*, confinio ad sinum Persicum inter hunc & Mediam ad Eulæum fl. nunc *Tiritiri*. *Cadusii* autem in parte Mediæ Boreali, quam Atropatiam vel Atropatenam inter Cyrum & Amardum fluvios ad mare Caspium coluisse videntur ex Strabon. & Ptol. Sub Persarum fuere ut quoque ditione, at tunc Antiocho parebant.

4. *Sidonios.*] A *Sidone* urbe Phœniciæ maritima, admodùm clara, Agenoris sede, Cadmi & Europæ patria: quæ ab Alexandro capta: hodie vulgò *Seida* Turcis & Christianis.

5. *Aradios.*] Ab *Arado* Phœniciæ quoque urbe in insula quæ ponte juncta fuit continenti, juxta Orthosiam ad Eleutheri fl. ostia in confinio Casiotidis, quæ Syriæ regio.

7. *Sidetas.*] A Sida urbe maritima Pamphyliæ in Ciliciæ confinio inter ostia Eurymedontis & Melæ fluviorum: hodie *Chirisonda*, ut vult Niger, autut Theyetus & Moletius, *Scandelor.*

tantùm

tantùm regni finibus incluſo; ſed cum magno Aſiæ totius partiſque Europæ rege. Eum tamen, quamquam ab ultimis orientis terminis ad liberandam Græciam veniat, nihil poſtulare ab Achæis, in quo fides eorum adverſus Romanos priores ſocios atque amicos lædatur. Non enim, ut ſecum adverſus eos arma capiant, ſed ut neutri parti ſeſe conjungant, petere. Pacem utrique parti, quod medios deceat amicos, optent: bello ſe non interponant. Idem fermè & Ætolorum legatus Archidamus petiit, ut quæ facillima & tutiſſima eſſet, quietem præſtarent, ſpectatoreſque belli, fortunarum alienarum eventum ſine ullo diſcrimine rerum ſuarum opperirentur. Provectus deinde eſt intemperantia linguæ in maledicta, nunc communiter Romanorum, nunc propriè ipſius Quintii, ingratos appellans, & exprobrans non victoriam modò de Philippo virtute Ætolorum partam, ſed etiam ſalutem: ipſumque & exercitum ſua opera ſervatos. Quo enim illum unquam imperatoris functum officio eſſe? Auſpicantem immolantemque, & vota nuncupantem ſacrificuli vatis modo in acie vidiſſe, quum ipſe corpus ſuum pro eo telis hoſtium objiceret.

XLIX. Ad ea Quintius, [1] Coram quibus magis, quam apud quos verba faceret, dicere Archidamum rationem habuiſſe, Achæos enim probè ſcire, Ætolorum omnem ferociam in verbis, non in factis eſſe: in conciliis magis concionibuſque, quàm in acie apparere. itaque parvi Achæorum æſtimationem, quibus notos eſſe ſe ſciret, feciſſe: legatis regis, & per eos abſenti regi eum ſe jactaſſe. Quòd ſi quis anteà ignoraſſet, quæ res Antiochum & Ætolos conjunxiſſet: ex legatorum ſermone potuiſſe apparere; mentiendo invicem jactandoque vires, quas non haberent, inflaſſe vanaſpe, atque inflatos eſſe: dum ii ab ſe Philippum victum, ſua virtute protectos Romanos, & quæ modo audiebatis, narrant; vos cæteraſque civitates & gentes, ſuam ſectam eſſe ſecuturos: rex contra peditum equitumque nubes jactat, & conſternit maria ſuis claſſibus. Eſt autem res ſimillima cœnæ Chalcidenſis hoſpitis uni, hominis & boni & ſciti convivatoris, apud quem ſolſtitiali tempore comiter accepti, quum miraremur, unde illi eo tempore anni tam multa & varia venatio; homo non quàm iſti ſunt glorioſus, renidens condimentis ait varietatem illam, & ſpeciem ferinæ carnis ex manſueto ſue factam. Hoc dicaptè in copias regis quæ paulo antè jactatæ ſint, poſſe. Varia enim genera armorum, & multa nomina gentium inauditarum, Dahas, & Medos, & Caddueos, Elimæos, [2] Syros omnes eſſe: haud paulo mancipiorum melius, propter ſervilia ingenia, quàm militum genus. Et utinam ſubjicere oculis veſtris, Achæi, poſſem concurſationem regis magni ab Demetriade, nunc Lamiam in concilium Ætolorum, nunc Chalcidem. Videretis vix uſuram male

Urb. cond. an. 562. Coſſ. P. Scipione & Manio Acilio Glabrione.

NOTÆ.

1. *Coram quibus magis.*] Vult Archidamum legatum Ætolorum in oratione ſua ſpectaſſe potiùs quâ ratione placeret legatis Antiochi, qui aderant huic Achæorum concilio, quam quomodo perſuaderet Achæis ipſis; quorum in concilio loquebatur.

2. *Syros omnes eſſe.*] Erant quidem extra Syriam, utpote ultra Euphratem ac Tygrim; ſed tamen ſubjecti Syriæ regibus.

Urb. cond. an. 562. Coss. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.

plenarum legiunculârum instar in castris regis; videretis regem, nunc mendicantem prope frumentum ab Ætolis, quod militi admetiretur: nunc mutuas pecunias fœnore insti pendium quærentem: nunc ad portas Chalcidis stantem: & mox inde exclusum, nihil aliud quàm 3 *Aulide atque Euripo spectatis* 4 *in Ætoliam redeuntem. Male crediderunt & Antiochus Ætolis, & Ætoli regiæ vanitati. Quo minus vos decipi debetis, sed expertæ toties spectatæque Romanorum fidei credere. Nam quod optimum esse dicant,* 5 *non interponendi vos bello: nihil immo tam alienum rebus vestris est. Quippe sine gratia, sine dignitate præmium victoris eritis.*

L. Nec absurdè adversus utrosque respondisse visus est: & facilè erat orationem apud faventes æquis auribus accipi. nulla enim nec disceptatio, nec dubitatio fuit, quin omnes, eosdem genti Achæorum hostes & amicos, quos populus Romanus censuisset, judicarent: bellumque & Antiocho & Ætolis nunciari juberent. Auxilia etiam quo censuit Quinctius, quingentorum militum Chalcidem, quingentorum Piræeum extemplo miserunt. Erat enim haud procul seditione Athenis res: trahentibus ad Antiochum quibusdam spe largitionum venalem pretio multitudinem, donec ab iis, qui Romanæ partis erant, Quinctius est accitus, & accusante Leonte quodam Apollodorus auctor defectionis damnatus, atque in exilium est ejectus. Et ab Achæis quidem cum tristi responso legatio ad regem rediit, Bœoti nihil certi responderunt. quum Antiochus in Bœotiam venisset, tum quid sibi faciendum esset, se deliberaturos esse. Antiochus quum [2] ad Chalcidis præsidium & Achæos & Eumenem regem missse audisset; maturandum ratus, ut & prævenirent sui. & venientes, si possent, exciperent; Menippum cum tribus fermè millibus militum, & cum omni classe Polyxenidam mittit, ipse paucos post dies sex millia suorum militum, & ex ea copia, quæ Lamiæ repente colligi potuit, non ita multos Ætolos ducit. Achæi quingenti; ab Eumene rege modicum auxilium missum, duce Xenochide Chalcidensi, nondum obsessis itineribus tuto transgressi Euripum. Chalcidem pervenerunt. Romani milites quingenti fermè & ipsi, quum jam menippus castra ante Salganea [2] ad Hermeum, qua transitus ex Bœotia in Eubœam insulam est, haberet, venerunt. Mi-

NOTÆ.

3. *Aulide atque Euripo spectatis.*] Bœotiæ urbs fuit Aulis ad Euripum, qui sinus est maris Ægæi æstatis æstibus agitari solitus, Bœotiamque dividens ab Eubœa insula: inter Chalcidem autem & Aulidem adeo angustus, ut illa continenti pontè jungatur. Celebratur porrò *Aulis* Græcorum adversus Trojam conjurantium statione, sed hodie intercidisse dicitur.

4. *In Ætoliam redeuntem.*] Non in ipsam quidem Aetoliam, sed in eam Thessaliæ partem quam suæ ditionis fecerant Ætoli: Demetriadem enim concesserat Antiochus, & in vicina Aetolorum in Phthiotide loca.

5 *Interponendi vos bello.*] Supple consilium. Vulgò *interponi*.

1. *Ad Chalcidis præsidium Achæos & Eumenem regem.*] Supple copias seu milites: 2. *ad Hermeum.*] Circa Ismeni fl. ostia fuerit Hermeum hoc, sive Mercurii promontorium sub Salganeis: alia ejus no-

ctio erat cum iis legatus à Chalcide ad Quinctium, ad idipsum præsidium petendum missus. qui postcaquam obsessas ab hostibus fauces vidit, omisso ad Aulidem itinere, Delium convertit, ut inde in Eubœam transmissurus. Urb. cond. an. 562. Coss. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.

LI. Templum est Apollinis 3 Delium, imminens mari: quinque mil-
1 lia passuum à Tanagra abest. minus quatuor millium inde in proxima Eubœæ est trajectus. Ubi & in fano hùcoque, ea religione 2 eo jure sancto, quo sunt templa, (asyla Græci appellant) & nondum aut indicto bello, 1 aut ira commisso, ut strictos gladios, aut sanguinem usquam factum audissent, quum per magnum ocium milites, alii ad spectacu-
10 lum templi lucique versi, alii in litore inermes vagarentur, magna pars per agros lignatum pabulatumque dilapsa esset; repentè Menippus palatos passim aggressus, eos cecidit, ad quinquaginta vivos cepit. perpauci effugerunt in quibus Mictio parva oneraria nave exceptus. Ea res Quinctio Romanisque, sicut jactura militum molesta, ita ad jus inferendi Antiocho
15 belli adjecisse aliquantum videbatur. Antiochus admoto ad Aulidem exercitu, quum rursus oratores partim ex suis, partim Ætolos Chalcidem misisset, qui eadem illa quæ nuper cum minis gravioribus agerent, nequicquam contrà Mictione & Xenoclide tendentibus, a facilè tenuit, ut portæ sibi aperirentur. Qui Romanæ partis erant, sub adventum regis
20 urbe excesserunt. Achæorum & Eumenis milites Salganea tenebant. Et in Euripo castellum Romani milites pauci, b custodiæ causa loci, communiebant. Salganea Menippus, rex ipse castellum Euripi oppugnare est adortus. Priores Achæi & Eumenis milites pacti, ut sine fraude liceret abire, præsidio excesserunt. Pertinacius Romani à Euripum tuebantur.
25 Hi quoque tamen quum terra marique obsiderentur, & jam machinas tormentaque comportari viderent, non tulere obsidionem. Quum id quod caput erat Eubœæ, teneret rex, ne cæteræ quidem ejus insulæ urbes imperium abnuerunt. magnoque principio sibi orsus bellum videbatur; quòd tanta insula, & tot opportunæ urbes in suam ditionem venissent.

INTERPRETATIO.

a *Non ægrè obtinuit.*
b *Ut castellum illud custodiret.*

NOTÆ.

minis promontoria tradunt Geographi in Sardinia, in Creta, in Thracia, & alibi: sed ea huc non pertinent.

3. *Delium.*] Locus Bœotiæ maritimus inter Aulidem & Asopi ostium.

1. *Autita commisso.*] Repetendum hic quoque *Tò bello*, scilicet *nondum bello ita commisso*, ut Romani milites, qui Chalcidem mittebantur strictos gladios audivissent.

2. *Euripum tuebantur.*] Nempè castellum quod ad Euripum in Eubœa situm; Euripus & ipsum dicebatur, Chalcidi vicinum.

TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM LIBER XXXVI.

EPITOME EJUSDEM LIBRI.

MANIUS Acilius Glabrio conſul Antiochum apud Thermopylas, Philippo rege adjuvante, victum, Græciâ expulit, idemque Ætolos ſubegit. P. Cornelius Scipio Naſica conſul ædem matris Deûm, quam ipſe in Palatium intulerat, vir optimus à ſenatu judicatus, dedicavit. idemque Bojos Gallos victos in deditionem accepit, & de iis triumphavit. Prætereà navalia certamina proſpera adverſus præfectos Antiochi regis referuntur.

Urb. cond. an. 562. Coſſ. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.

I. PUBLIUM Cornelium Cn. filium Scipionem, & Manium Acilium Glabrionem conſules inito magiſtratu, Patres priuſquàm de provinciis agerent, res divinas facere majoribus hoſtiis juſſerunt in omnibus fanis, in quibus [1] lectiſternium majorem partem anni fieri ſolet: precarique, quod ſenatus de novo bello in animo haberet, ut ea res ſenatui populoque Romano benè ac feliciter eveniret. Ea omnia ſacrificia læta fuerunt: primiſque hoſtiis perlitatum eſt: & ita aruſpices reſponderunt, eo bello terminos populi Romani propagari: victoriam atque triumphum oſtendi. Hæc quum renunciata eſſent, ſolutis religione animis, Patres rogationem ad populum ferri juſſerunt: *Vellent juberentne cum Antiocho rege, quique ejus ſectam ejus ſecuti eſſent, bellum iniri: ſi ea rogatio perlata eſſet, tum, ſi ita videretur conſul. bus,* [2] *rem integram ad ſenatum referrent.* P. Cornelius eam

NOTÆ.

1. *Lectiſternium majorem partem anni fieri ſolet.*] Quibus in templis majori parte anni fieri Lectiſternia ſolerent, nondum ſatis perſpectum habeo: hactenus enim vidimus placandæ Deorum iræ & procurandis oſtentis indicta extra ordinem non certo more & ſtatis temporibus facta fuiſſe.

2. *Rem integram ad Senatum referret.*] Miſcetur hic mos antiquus cum novo poſteriorum temporum more: initio enim de bello & pace populus conſulebatur, deinde patres auctores fiebant: poſteà verò patribus primùm auctoribus, populus deinde conſultus ſanciebat. Nunc & auctor eſt Senatus ut populus ro-

rogationem pertulit. tum ſenatus decrevit, ut conſules Italiam & Græciam provincias ſortirentur: cui Græcia evenisſet, ut præter eum numerum militum, quem L. Quintius in eam provinciam ex auctoritate ſenatus ſcripſiſſet imperaſſetve, ut eum exercitum acciperet, quem M. Bæbius prætor anno priore ex ſenatuſconſulto in Macedoniam trajeciſſet. Et extra Italiam permiſſum, ut ſi res poſtulaſſet, auxilia ab ſociis ne ſupra quinque millium numerum acciperet. L. Quintium ſuperioris anni conſulem legari ad id bellum placuit. Alter conſul, cui Italia provincia evenisſet, cum Bojis juſſus bellum gerere, utro exercitu malleт ex duobus, quos ſuperiores conſules habuiſſent; alterum ut mitteret Romam, eæque urbanæ legiones eſſent paratæ quò ſenatus cenſuiſſet.

Urb. cond. an. 562. Coſſ. P. Scipione, & Minio Acilio Glabrione.

II. His ita in ſenatu, [a] ad id, quæ cujus provincia foret, decretis, tum demum ſortiri conſules placuit. Acilio Græcia, Cornelio Italia evenit. Certâ deinde ſorte Senatuſconſultum factum eſt: *quod populus Romanus eo tempore* [1] *duellum juſſiſſet cum rege Antiocho eſſe, quique ſub ejus imperio eſſent; ut ejus rei cauſa ſupplicationem imperarent conſules: utique Manius Acilius conſul ludos magnos Jovi voveret, & dona ad omnia pulvinaria. Id votum in hæc verba præeunte P. Licinio pontifice maximo conſul nuncupavit. Si duellum, quod cum Antiocho rege ſumi populus juſſit, id ex ſententiâ ſenatus populique Romani confectum erit; tum tibi Jupiter, populus Romanus ludos magnos dies decem continuos faciet: donaque ad omnia pulvinaria dabuntur de pecunia, quantam ſenatus decreverit. Quiſquis magiſtratus eos ludos quando ubique faxit, bi ludi rectè facti, donaque data rectè ſunto.* Supplicatio inde ab duobus conſulibus edicta per biduum fuit. Conſulibus ſortitis provincias, extemplo & prætores ſortiti ſunt. M. Junio Bruto juriſdictio utraque evenit: A. Cornelio Mammulæ Brutii, M. Æmilio Lepido Sicilia, L. Oppio Salinatori Sardinia, C. Livio Salinatori claſſis, L. Æmilio Paulo Hiſpania ulterior. His ita exercitus decreti. A. Cornelio novi milites, conſcripti priore anno ex Senatuſconſulto à L. Quintio conſule, dati ſunt: juſſuſque tueri omnem oram circa Tarentum Brunduſiumque. L. Æmilio Paulo in ulteriorem Hiſpaniam præter eum exercitum, quem à M. Fulvio proprætore accepturus eſſet, decretum, ut militum tria millia duceret, & trecentos equites, ita ut in iis duæ partes ſociûm Latini nominis, tertia civium Romanorum eſſet. Idem ſupplementi ad C. Flaminium, cui imperium prorogabatur, in Hiſpaniam citeriorem eſt miſſum. M. Æmilius Lepidus à L. Valerio, cui ſuc-

INTERPRETATIO.

[a] *Circa ea quæ adhuc incertâ ſorte ſpectabant ad provincias, quæ Conſulum cuique eſſent eventura.*

NOTÆ.

getur, & poſt rogationem populi Senatus ad ſe rem integram referri poſtulat, nihil tamen amplius decernit; quàm quæ ad exequendam rogationem pertinent.

1. *Duellum juſſiſſet.*] Antiquum nomen bant. Qui mos adhuc manebat.

Urb. cond. an. 562. Conſ. P. Scipion. & Manio Acilio Glabrione.

ceſſurus eſſet, *ſimul provinciam exercitumque accipere juſſus: L. Valerium, ſi ita videretur, pro prætore in provinciam retinere, & provinciam ita divideret, ut una ab Agrigento ad Pachynum eſſet: altera à Pachyno* [2] *Tyndarium. Eam maritimam oram L. Valerius viginti navibus longis cuſtodiret.* Eidem prætori mandatum, ut [3] duas decumas frumenti exigeret: id ad mare comportandum, devehendumque in Græciam curaret. Idem L. Oppio de alteris decumis exigendis in Sardinia imperatum. Cæterum, non in Græciam, ſed Romam id frumentum portari placere. C. Livius prætor, cui claſſis evenerat, cum triginta navibus paratis trajicere in Græciam primo quoque tempore juſſus, & ab Atilio naves accipere. veteres naves quæ in navalibus erant, ut reficeret & armaret, M. Junio prætori negotium datum eſt, & in eam claſſem ſocios navales [4] libertinos legeret.

III. Legati terni in Africam ad Carthaginienſes, & in Numidiam ad frumentum rogandum, quod in Græciam portaretur, miſſi: pro quo pretium ſolveret populus Romanus: Adeoque in apparatum curamque ejus belli civitas intenta fuit, ut P. Cornelius conſul ediceret, *Qui ſenatores eſſent,* « [1] *quibuſque in ſenatu ſententiam dicere liceret; quique minores magiſtratus eſſent, ne quis eorum longiùs ab urbe Roma abiret, quàm unde eo die redire poſſet: neve uno tempore quinque ſenatores ab urbe Roma abeſſent.* In comparando impigrè claſſem, C. Livium prætorem contentio orta cum colonis maritimis, pauliſper tenuit. Nam quum [2] cogerentur in claſſem, tribunos plebis appellarunt: ab iis ad ſenatum rejecti ſunt. Senatus ita, ut ad unum omnes conſentirent, decrevit, vacationem rei navalis his colonis non eſſe. Oſtia, & [2] Fregenæ, & Caſtrum novum, [3] & Pyrgi, & Antium, & Tarracina, & Minturnæ, & Sinueſſa fuerunt, quæ cum præ-

INTERPRETATIO.

[1] *Cùm congregarentur ut in navei aſcenderent.*

NOTÆ.

pro *bellum*.

2. *Tyndarium.*] *Tyndarium*, quæ & *Tyndaris*, translati Meſſana à Dionyſio incolæ habuerunt. quam nobiliſſimam civitatem Cicero appellat. Fuit ad oſtium Helleonis fl. in latere Siciliæ Boreali, oppoſita Vulcaniæ inſulæ, inter Mylas, nunc *Melazzo*, ad orientem æſtivum, & Agathirnum ad occaſum hibernum, ſeu Agathirnam, hodie *San marco*. In ruinis porro Tyndaridis extructa ædes nomen adhuc antiquum ſervat, vulgò *Santa Maria di Tyndaro*.

3. *Duas decumas.*] Tributum Romani in ſpecibus exigebant, & decimam frumenti partem accipiebant: nunc extra ordinem duplum imperarunt.

4. *Libertinos legeret.*] Minoris dignationis navalis militia: ideoque libertini potiùs quàm ingenui in eam lecti.

1. *Quibuſque in ſenatu ſententiam.*] Quid inter hos & ſenatores intereſſet docent Feſtus & Gellius.

2. *Fregenæ.*] Diverſæ à Fregellis fuere *Fregenæ*. Oppidum Tuſciæ maritimum, inter Portum Romanum & Alſium, novem ab utroque mill. paſſ. ex itinerario videtur fuiſſe circa locum vulgò *La Maccareſe*. Alſium autem eſt *Palo*, in Braciani Ducatu gentis Vrſinæ Caſtellum maritimum. *Caſtrum novum*, nunc *Santa Marinella* in patrimonio S. Petri.

3. *Et Pyrgi.*] In eadem Tuſcia *Pyrgi* Cæretanorum navale, ſex inde paſſuum

tore de vacatione certaverunt. Conſul deinde Manius Acilius ex Senatus conſulto ad collegium fecialium retulit: *Ipſine utique regi Antiocho indiceretur bellum, an ſatis eſſet ad præſidium aliquod ejus nunciare? & num Ætolis quoque ſeparatim indici juberent bellum, & num priùs ſocietas eis & amicitia renuncianda eſſet, quàm bellum indicendum?* Feciales reſponderunt: *Jam ante ſeſe, quum de Philippo conſulerentur, decreſſe; nihil referre, ipſi coram, an ad præſidium nunciaretur. Amicitiam renunciatam videri, cum legatis toties repetentibus res, nec reddi, nec ſatisfieri æquum cenſuiſſent. Ætolos ultrò ſibi bellum indixiſſe, quum Demetriadem ſociorum urbem per vim occupaſſent: Chalcidem terrâ marique oppugnatum eſſent: regem Antiochum in Europam ad bellum populo Romano inferendum traduxiſſent.* Omnibus jam ſatis comparatis, Manius Acilius Conſule edixit: *Ut quos L. Quintius milites conſcripſiſſet, & quos ſociis nominique Latino imperaſſet, quos ſecum in provinciam ire oporteret, & tribuni militum legionis primæ & tertiæ, uti omnes Brundiſium Idibus Majis convenirent,* ipſe ante diem quintum nonas Majas paludatus urbe egreſſus eſt. Per eoſdem dies & prætores in provincias profecti ſunt.

Urb. cond. an. 562. Coſſ. P. Scipion. & Manio Acilio Glabrione.

IV. Sub idem tempus legati ab duobus regibus, Philippo & Ptolemeo Ægypti rege, Romam venerunt; pollicentes ad bellum auxilia, & pecuniam, & frumentum. ab Ptolemæo etiam [1] mille pondo auri, [2] viginti millia pondo argenti allata. [3] Nihil ejus acceptum. Gratiæ regibus actæ. & quum uterque ſe cum omnibus copiis in Ætoliam venturum, belloque interfuturum polliceretur; Ptolemæo id remiſſum: Philippi legatis reſponſum, gratum eum ſenatui populoque Romano, factúrum, ſi Manio Acilio conſuli non defuiſſet. Item ab Carthaginienſibus & Maſiniſſa rege legati venerunt. Carthaginienſes [4] tritici modiûm mille, hordei quingenta millia ad exercitum, dimidium ejus Romam apportaturos polliciti ſunt: id ut ab ſe munus Romani acciperent, petere ſe; & claſſem ſuorum ſuo ſumptu comparaturos: & ſtipendium quod pluribus penſionibus in multos annos deberent, præſens omne daturos. Maſiniſſæ legati, quingenta millia modiûm tritici, trecenta hordei ad exercitum in Græciam, Romam trecenta millia modiûm tritici, ducenta quinquaginta hordei,

NOTÆ.

millibus, inter Alſium & Caſtrum novum. Fuiſſe videntur, ubi nunc *Santa Severa*.

1. *Mille pondo auri.*] Reſponderent quingentis & ſexaginta librarum noſtrarum millibus.

2. *Viginti millia pondo argenti.*] Eſſent noſtrâ monetâ ſeptingenta viginti millia librarum.

3. *Nihil ejus.*]Ejus ſcilicet pecuniæ quæ offerebatur ab Ptolemæo. *Nec Ægypti rege* aſſuta eſſe Gron. cenſet. Faveor ſuper-

vacanea videri, ſed tamen in tribus ſcripti is, quæ penes me habeo, Regiis nempe duobus, & Colb. ea conſtanter habentur.

4. *Tritici modiûm mill.*] Minorem verâ quantitatem tritici ſuſpicatur Sigon. conjicitque ex lib. 43. cap. . . . . ubi Carthaginienſes iidem pollicentur tritici decies centena millia. Modius porrò menſura erat continens libras Romanas viginti ſex cum unciis octo, *environ un boiſſeau meſure de Paris.*

Urb. cond. an. 562. Coss. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.

equites quingentos, elephantos viginti regem ad Manium Acilium consulem misserunt. De frumento utrisque responsum; ita usurum eo populum Romanum, si pretium acciperent. De classe Carthaginiensibus remissum: præterquam si quid navium ex fœdere deberent. de pecunia item responsum, nullam ante diem accepturos.

V. Quum hæc Romæ agebantur; Chalcide Antiochus [1] ne cessaret per hibernorum tempus, partim ipse solicitabat civitatum animos mittendis legatis, partim ultrò ad eum veniebant: sicuti Epirotæ communi gentis consensu, & Elei [2] è Peloponneso venerunt. Elei auxilium adversus Achæos petebant, quos post bellum non ex sua sententia indictum Antiocho, primùm civitati suæ arma illaturos credebant. Mille iis pedites cum duce Cretensi Euphane sunt missi. Epirotarum legatio erat minimè in partem ullam [a] liberi aut simplicis animi. Apud regem gratiam initam volebant, [b] eum eo ut caverent ne quid offenderent Romanos. petebant enim [3] *ne se temerè in causam deduceret, expositos adversus Italiam pro omni Græcia, & primos impetus Romanorum excepturos. Sed si ipse posset terrestribus navalibusque copiis c præsidere Epiro* [4] *cupidè eum omnibus Epirotas & urbibus & portubus suis accepturos. si id non posset, deprecari, ne se nudos atque inermes Romano bello objiceret.* Hac legatione id agi apparebat, ut sive (quod magis credebant) abstinuisset Epiro, integra sibi omnia [5] apud exercitus Romanos esset; conciliata satis apud re-

INTERPRETATIO.

a *Non ex animo*, qui apertè & absolutè in partes Antiochi propenderet; *sed ambiguo & perplexo*.

b *Eâ conditione ut*, &c. *eâ lege ut*, &c. *ita tamen ut*, &c.

c *Præsidio esse Epirotis*.

NOTÆ.

1. *Ne cessaret per hybernorum tempus.*] Barberinæ membranæ habent, *ne cessaret hibernorum tempus*. Quod probari potest exemplo lib. 37. *ne tamen segna æstiva essent*: ubi per hypallagen tempori tribuitur quod hominum est per illud tempus.

Hujus Antiocho hæc est imago ex numis.

2. *E Peloponneso venerunt.*] *Venerunt* Gronovio non videtur esse Livii: nec verò necessarium est: satis enim intelligitur ex superiori verbo *veniebant*: sed tamen nonnihil inter hæc discriminis apparet.

3. *Ne se temerè in causam deduceret.*] Gall. *qu'il ne les engageât pas mal à propos dans le party, eux qui estoient exposez*, &c.

4. *Cupidè eum omnibus Epirotas.*] Vulgò *omnes Epirotas*: sed scripti habent *omnibus*, nempè & urbibus & portubus.

5. *Apud exercitus Romanos.*] Supervacaneum apparet illud, *exercitus*, ut Gronotat: potest tamen intelligi Epirotas non tam de Senatu & populo Romano solicitos fuisse, quàm de illorum exercitibus ad se venturis.

gem

gem gratiâ, quòd accepturi fuiſſent venientem: ſive veniſſet, ſic quoque ſpes veniæ ab Romanis foret; quòd non expectato longinquo auxilio ab ſe, præſentis viribus ſuccubuiſſent. Huic tam perplexæ legationi, quia non ſatis in promptu erat quid reſponderet, legatos ſe miſſurum ad eos dixit, qui de iis, quæ ad illos ſeque communiter pertinerent, loquerentur. Urb. cond. an. 562. Coſſ. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.

VI. In Bœotiam ipſe profectus eſt; cauſas in ſpeciem iræ adverſus Romanos eas [1] quas antè dixi, habentem, Brachyllæ necem, & bellum à Quintio Coroneæ, propter Romanorum militum cædes, illatum: revera per multa jam ſæcula publicè privatimque [2] labante egregiâ quondam diſciplinâ gentis, & multorum eo ſtatu, qui diuturnus eſſe ſine mutatione rerum non poſſet. Obviam effuſis undique Bœotiæ principibus, [3] Thebas venit. ibi in concilio gentis; quanquam & ad Delium impetu in præſidium Romanum facto, & ad Chalcidem [4] commiſerat nec à parvis nec dubiis principiis bellum; tamen eandem orationem exorſus, quâ in colloquio primo ad Chalcidem, quaque per legatos in concilio Achæorum uſus erat, ut amicitiam ſecum inſtitui, non bellum indici Romanis poſtularet; [a] neminem, quid ageretur fallebat. decretum tamen ſub levi verborum prætextu pro rege adverſus Romanos factum eſt. Hac quoque gente adjuncta, Chalcidem regreſſus, præmiſſis inde literis, ut Demetriadem convenirent principes Ætolorum, cum quibus de ſumma rerum deliberaret; navibus eo âd diem indictam concilio venit. Et Amynander accitus ad conſultandum ex Athamania: & Annibal jamdiu non adhibitus, interfuit ei concilio. Conſultatum de Theſſalorum gente eſt, quorum omnibus qui aderant voluntas tentanda videbatur. in eo modo diverſæ ſententiæ erant: quod alii extemplo agendum; alii ex hieme, quæ tunc fermè media erat, differendum in veris principium; & alii, legatos tantummodò mittendos: alii cum omnibus copiis eundum cenſebant, terrendoſque metu, ſi cunctarentur.

VII. Quum circa hanc fere conſultationem diſceptatio omnis verteretur,

INTERPRETATIO.

a *Omnes intelligebant quo tenderet Antiochus.*

NOTÆ.

1. *Quas antè dixi.*] Vide lib. 33. cap. 28. & 29.

2. *Labante egregiâ quondam diſciplinâ gentis.*] Vult Bœotorum egregiam olim diſciplinam collapſam tunc: & præſentem multorum Thebanorum ac Bœotorum, præſertim nobilium, ſtatum privatum ejuſmodi fuiſſe, ut multi diu ſtare non poſſent, niſi Rempublicam turbarent, quæ veræ belli cauſa:

3. *Thebas venit.*] Vrbs Bœotiæ principalis fuit, à Cadmo condita, quæ nunc vix oppidi titulo digna, Turcis ſtrive.

4. *Commiſerat nec à parvis.*] Ita dicit *bellum committere*, ut Juriſconſulti *committere ſtipulationem*, id eſt, id *agere quod, qui agit obnoxius fiat, ſeu tenetur quod*

Urb. cond. an. 562. Coſ. P. Scipion. & Manio Acilio Glabrione.

tur, Annibal nominatim interrogatus ſententiam, in univerſi belli cogitationem regem atque eos qui aderant, tali oratione avertit: *Si ex quo tranſjecimus in Græciam adhibitus eſſem in conſilium, quum de Eubœa, de Achæis, de Bœotia agebatur; eam ſententiam dixiſſem, quam hodie, quum de Theſſalia agitur, dicam. Ante omnia Philippum & Macedonas in ſocietatem belli quacumque ratione cenſeo deducendos eſſe. nam quod ad Eubœam Bœotoſque & Theſſalos attinet, cui dubium eſt, quin ut quibus nullæ ſuæ vires ſint, præſentibus adulando ſemper, quem metum in conſilio habeant, eodem ad impetrandam veniam utantur; ſimul ac Romanum exercitum in Græcia viderint, ad conſuetum imperium ſe avertant? nec iis noxæ futurum ſit, quod quum Romani procul abeſſent, vim tuam præſentis exercituſque tui experiri noluerint? Quantò igitur prius potiuſque eſt, Philippum nobis conjungere, quàm hos, cui, ſi ſemel in cauſam deſcenderit, nihil integri futurum ſit, quique eas vires afferat, quæ non acceſſio tantùm ad Romanum eſſe bellum, ſed per ſe ipſæ nuper ſuſtinere potuerint Romanos? Hoc ego adjuncto (abſit verbo invidia) qui dubitare de eventu poſſim? quum, quibus adverſus Philippum valuerint Romani, iis nunc fore videam ut ipſi oppugnentur. Ætoli, qui Philippum (quod inter omnes conſtat) vicerunt, cum Philippo adverſus Romanos pugnabunt. Amynander atque Athamanum gens, quorum ſecundum Ætolos plurima fuit opera in eo bello, nobiſcum ſtabunt: Philippus tum, te quieto, totam molem ſuſtinebat belli: nunc duo maximi reges, Aſiæ Europæque viribus adverſus unum populum (ut meam utramque fortunam taceam) patrum certe ætate ne uni quidem Epirotarum regi parem, & quicquid tandem erit vobiſcum comparatus, geretis bellum. Quæ igitur res mihi fiduciam præbet conjungi nobis Philippum poſſe? Una communis utilitas, quæ ſocietatis maximum vinculum eſt: altera, auctores vos Ætoli. Veſter enim legatus hic Thoas inter cætera, quæ ad exciendum in Græciam Antiochum dicere eſt ſolitus, ante omnia hoc ſemper affirmavit: fremere Philippum, & ægrè pati, ſub ſpecie pacis leges ſervitutis ſibi impoſitas. Ille quidem feræ beſtiæ vinctæ aut clauſæ, & refringere clauſtra cupienti, regis iram verbis æquabat. cujus ſi talis animus eſt, ſolvamus nos ejus vincula, & clauſtra refringamus: ut erumpere diu coërcita ira in hoſtes communes poſſit. Quod ſi*

NOTÆ.

piam dare vel facere propter ſtipulationem, aut eventum conditionis eidem inſertæ.

1. *Simul ac Romanum.*] Placet Gronovii tranſpoſitio, *ac ſimul Romanum exercitum in Græcia viderint*. Eſt enim *ſimul*, perinde ut *ſimul ac*, idem ac *ſtatim atque*.

2. *Quidquid tandem erit vobiſcum comparatus.*] Sive receptam hanc lectionem ſequamur; ſive cum Gron. Mogunti-nam, *quid tandem erit*: ſive ut mihi ſcribendum videtur, leviſſimâ correctione, *qui* (Epirotarum nempè Rex) *quid tandem erit vobiſcum comparatus*? interpunctione opus, aut potius parentheſi.

3. *Ut erumpere diu coercita ira.*] M. Sſ. quidam è melioribus, in quibus & Colo. ſcribunt, *erumpere diu coercitam iram*: Philippus nimirum: *erumpendi*, eni m verbum aliquando activè ſumitur:

nihil eum legatio noſtra moverit: at nos, quoniam nobis eum adjungere non poſſumus, ne hoſtibus noſtris ille adjungi poſſit, caveamus. Seleucus filius tuus Lyſimachiæ eſt: qui ſi eo exercitu, quem ſecum habet per Thraci am proxima Macedoniæ cœperit depopulari: facile ab auxilio ferendo Romanis Philippum ad ſua potiſſimum tuenda avertet. De Philippo meam ſententiam habes. De ratione univerſi belli quid ſentirem, jam ab initio non ignoraſti. quod ſi tum auditus forem, non in Euboea Chalcidem captam, & Caſtellum Euripi expugnatum Romani; ſed Etruriam Ligurumque & Galliæ Ciſalpinæ oram bello ardere, & qui maximus iis terror eſt, Annibalem in Italia eſſe audirent. Nunc quoque arceſſas cenſeo omnes navales terreſtreſque copias. Sequantur claſſem onerariæ eum commeatibus. nam hic ſicut ad belli munera pauci ſumus ſic nimis multi pro inopia commeatuum. Quum omnes tuas contraxeris vires; diviſam claſſem partim Coreyræ in ſtatione habebis, ne tranſitus Romanis liber ac tutus pateat: partim ad litus Italiæ, quod Sardiniam Africamque ſpectat, trajicies: ipſe cum omnibus terreſtribus copiis 4 in Byllinum agrum procedes. Inde Græciæ præſidebis, & ſpeciem Romanis trajecturum te præbens, &, ſi res poſcet, trajecturus. Hæc ſuadeo, qui, ut non omnis peritiſſimus ſim belli: cum Romanis certe bellare bonis maliſque meis didici. In quæ conſilium dedi, in eadem nec infidelem, nec ſegnem operam polliceor. Dii approbent eam ſententiam, quæ tibi optima viſa fuerit.

Urb. cond. an. 562. Coſſ. P. Scipion. & Manio Acilio Glabrione

VIII. Hæc fermè Annibalis oratio fuit, quàm laudarunt magis in præſentia, qui aderant, quàm rebus ipſis executi ſunt. nihil enim eorum eſt factum, niſi quod ad claſſem copiaſque arceſſendas ex Aſia Polyxenidam [1] miſit. Legati Lariſſam ad concilium Theſſalorum ſunt miſſi, & Ætolis Amynandroque dies [2] ad conveniendum exercitui Pheras eſt indictus. eodem & rex cum ſuis copiis conſeſtim venit. Ibi dum opperiretur Amynandrum atque Ætolos, Philippum Megalopolitanum cum duobus millibus hominum ad legenda oſſa Macedonum circa Cynoſcephalas, ubi debellatum erat cum Philippo, miſit; ſive ab ipſo quærente ſibi commendationem ad Macedonum gentem & invidiam regi, quòd inſepultos milites reliquiſſet, monitus; ſive ab inſita regibus vanitate, ad conſilium ſpecie amplum, re inane animo adjecto. Tumulus eſt in unum

NOTÆ.

eumque in rem citatur à Gronovio Cicero lib. 16. ad Attic. ep. 3. *ne in me ſtomachum erumpant, cùm ſint tibi irati.* Et Cæſar 2. de bello civili: *portis ſe foras erumpunt.*

4. *In Byllinum agrum.*] *Bullis* Ptolemæo dicitur, quæ Plinio *Bullidenſes* Colonia, ni fallor: & incolæ *Bulliones*, eidem Plinio, Straboni *Byliones* Ciceroni *Bullenſes*, Stephano *Bullini*. Hinc ager *Byllinus*. Macedoniæ oppidum natalis, quæ alias Illyrici pars fuit, & nunc Albania dicitur, oppidum fuit maritimum in Elymiotis ad fauces Adriatici maris. Hodie, ni fallor, *Languetta*, in confinio Epiri ad meridiem Auſonis ſeu Valſonæ.

1. *Miſit.*] Antiochus.

2. *Ad conveniendum exercitui Pheras eſt indictus.*] Scribendum Gron. ſuſpicatur, *ad conveniendum cum exercitu Pheras*: aut ita legendum mihi quoque videtur, aut *eorumque exercitui*.

Urb. cond. an. 562. Coss. P. Scipion. & Manio Acilio Glabrione.

ossibus, quæ passim strata erant, coacervatis factus: qui nullam gratiam ad Macedonas, odium ingens ad Philippum movit. itaque [b] qui ad id tempus fortunam esset in consilio habiturus, is exemplo ad M. Bæbium proprætorem misit, Antiochum in Thessaliam impetum fecisse: si videretur ei, moveret ex hibernis: se obviam processurum, ut quid agendum esset, consultarent.

IX. Antiocho ad Pheras jam castra habenti, ubi conjunxerant ei se Ætoli & Amynander; legati ab Larissa venerunt, querentes, quod ob factum dictumve Thessalorum, bello lacesseret eos: simul orantes, ut remoto exercitu, per legatos, si quid ei videretur, secum disceptaret. Eodem tempore quingentos armatos duce Hippolocho Pheras in præsidium miserunt: hi exclusi aditu, jam omnia itinera obsidentibus regiis, Scotussam se receperunt. Legatis Larissæorum rex clementer respondit: Non belli faciendi, sed tuendæ & stabiliendæ libertatis Thessalorum caussâ, se Thessaliam intrasse. Similia his qui cum Pheræis ageret missus. cui nullo dato responso, Pheræi ipsi suum legatum ad regem, principem civitatis Pausaniam miserunt. Qui quum haud dissimilia his, ut in causa pari, quæ pro Chalcidensibus in colloquio ad Euripi fretum dicta erant, quædam etiam ferociùs egissent; rex etiam atque etiam deliberare eos jussos, ne id consilii caperent, cujus, dum in futurum nimis cauti & providi essent, extemplo pœniteret, dimisit. Hæc renunciata Pheras legatio quum esset, ne paulum quidem dubitarunt; quin pro fide erga Romanos, quicquid fors belli tulisset, paterentur. Itaque & hi summa ope parabant se ad urbem defendendam: & rex ab omni parte simul oppugnare mœnia est aggressus. ut qui satis intelligeret, (neque enim dubium erat) in eventu ejus urbis positum esse, quam primam aggressus esset, aut sperni deinde ab universa gente Thessalorum, aut timeri se; omnem undique terrorem obsessis injecit. Primum impetum oppugnationis satis constanter sustinuerunt: deinde quum multi propugnantes caderent, aut vulnerarentur, labare animi cœpere, revocati deinde castigationibus principum ad perseverandum in proposito, relicto exteriore circulo muri deficientibus jam copiis, in interiorem partem urbis concesserunt; cui brevior orbis munitionis circumjectus erat: postremò victi malis quum timerent, ne vi captis, nulla apud victorem venia esset, dediderunt sese. Nihil inde moratus rex, quatuor millia armatorum, dum recens terror esset, Scotussam misit. nec ibi mora deditionis est facta: cernentibus Pheræorum recens exemplum: qui, quod pertinaciter primò abnuerant, malo domiti tandem fecissent, cum ipsa urbe Hippolochus Larissæorumque deditum est præsidium. Dimissi ab rege inviolati omnes.

INTERPRETATIO.

a *Apud Philippum.*

b *Qui se animo comparasset quid, ut spe-* | *culari vellet quam in partem inclinaret* | *fortuna, & ex re capere consilium*, &c.

quod eam rem magni momenti futuram rex ad conciliandos Lariſſæorum animos credebat.

X. Intra decimum diem quàm Pheras venerat, his perfectis, [1] Cranonem profectus cum toto exercitu, primo adventu cepit. [2] inde Cyparam, [3] & Metropolim, & iis circumjecta caſtella recepit: omniaque jam regionis ejus, præter Atracem [4] & Gyrtonem, in poteſtate erant. Tum aggredi Lariſſam conſtituit: ratus vel terrore cæterarum expugnatarum, vel beneficio præſidii dimiſſi, vel exemplo tot civitatum dedentium ſeſe, non ultra in pertinacia manſuros. Elephantis agi ante ſigna terroris cauſa juſſis, quadrato agmine ad urbem inceſſit: ut incerti fluctuarentur animi magnæ partis Lariſſæorum inter metum præſentem hoſtium, [5] & verecundiam abſentium ſociorum. Per eoſdem dies Amynander cum Athamanum juventute occupat [6] Pellinæum: & Menippus cum tribus millibus peditum Ætolorum, & ducentis equitibus in Perrhæbiam profectus, [7] Malloeam [8] & Cyretias vi cepit, depopulatuſque eſt [9] agrum Tripolitanum. His raptim peractis, Lariſſam ad regem redeunt: conſultanti, quidnam agendum eſſet de Lariſſa, ſupervenerunt. Ibi in diverſum ſententiæ tendebant: aliis, vim adhibendam, & non differendum cenſentibus, quin operibus ac machinis ſimul undique mœnia aggrederentur urbis ſitæ in plano; à parte campeſtri undique facilis aditus: aliis, nunc vires urbis, nequaquam Pheris conferendæ, memorantibus: nunc hiemem & tempus anni nulli bellicæ rei, minimè obſidioni atque oppugnationi urbium aptum. Incerto regi inter ſpem metumque legati à Pharſalo, qui ad dedendam urbem ſuam fortè venerant, animos auxerunt. M. Bæbius interim cum Philippo in Daſſaretiis congreſſus, Ap. Claudium ex communi conſilio ad præſidium Lariſſæ miſit, qui per Macedoniam ma-

Urb. cond. an. 562. Coſſ. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.

NOTÆ.

1. *Cranonem profectus.*] Phthiotidis oppidum fuit *Cranon*, non procul Enipei & Amphryſi confluentibus ad lævam, victoria Antipatri de Athenienſibus paulò poſt Alexandri mortem cognitam: hodie *Ceres* Bellonio.

2. *Inde Cyparam.*] *Cypara* Cranonii ad occaſum intercurrente Apidano, (qui hodie *Epideno*) Theſſaliotidis oppidum fuit.

3. *Et Metropolin.*] In eadem Theſſaliotidis regione fuit hæc *Metropolis*.

4. *Et Gyrtonem.*] Magneſiæ tribuitur à Plinio *Gyrton* cum Cranone, Thaumacis, aliiſque. Strabo certè extremo libro 9. ejus meminit in Theſſaliæ deſcriptione, memoratque inter Lariſſam & Pheras: Nardo eſt *Tachi Volicati*.

5. *Et verecundiam abſentium ſociorum.*] Romanorum ſcilicet *verecundiam* dicit, pro *reverentia* aliqua cum pudore conjuncta.

6. *Pellinæum.*] *Pellinæum* nominat Strabo inter oppida ſuperioris Theſſaliæ, ſive Eſtiæotidis; & cum Tricca ad lævam Penei locat.

7. *Malloeam.*] In Pelaſgiotide ſub Candaviis montibus fuit *Mallæa*.

8. *Et Cyretias.*] Ptol. *Cloyretias* hoc oppidum vocat, ponitque in Eſtiæotis cum Metropoli, quam alii Theſſaliotis aſſignant: Sophiano nunc *Malcoluri*.

9. *Agrum Tripolitanum.*] Pelagoniam Tripolitin, opinor, intelligit, quæ Macedoniæ regio fuit ſub Candaviis montibus, Theſſaliotidi ortum verſus, Eſtiæotidi ad meridiem proxima, ſic dicta à tribus urbibus, Doliche, Pythæo & Azoro,

Urb. cond. an. 562. Coſſ. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.

gnis itineribus in jugum montium, quod ſuper Gonnos eſt, pervenit. Oppidum Gonni viginti millia ab Lariſſa abeſt; in ipſis faucibus ſaltûs, quæ Tempe appellantur ſitum. Ibi caſtrametatus latiùs quam pro copiis, & plures, quàm quot ſatis in uſum erant, ignes quum accendiſſet, ſpeciem quam quæſierat, hoſti fecit: omnem ibi Romanum exercitum cum rege Philippo eſſe. itaque hiemem inſtare apud ſuos cautus rex, unum tantùm moratus diem, ab Lariſſa receſſit; & Demetriadem rediit. Ærolique & Athamanes in ſuos receperunt ſe fines. Appius etſi cujus rei cauſa miſſus erat, ſolutam cernebat obſidionem; tamen Lariſſam ad confirmandos in reliquum ſociorum animos deſcendit: duplexq; lætitia erat, quod & hoſtes exceſſerant finibus, & intra mœnia præſidium Romanum cernebant.

XI. Rex Chalcidem à Demetriade profectus, amore captus virginis Chalcidenſis Cleoptolemi filiæ; quum patrem, [1] primo allegando, deinde coràm ipſe rogando fatigaſſet, [a] invitum ſe gravioris fortunæ conditioni illigantem; tandem impetrata re, tanquam in media pace nuptias celebrat: & reliquum hiemis, oblitus quantas ſimul duas res ſuſcepiſſet, bellum Romanum & Græciam liberandam omiſſa omnium rerum cura, in conviviis & vinum ſequentibus voluptatibus, ac deinde ex fatigatione magis, quàm ſatietate earum in ſomno traduxit. Eadem omnes præfectos regios (qui ubique ad Bœotiam maximè præpoſiti hibernis erant) cepit luxuria: in eandem & milites effuſi ſunt. nec quiſquam eorum aut arma induit, aut ſtationem aut vigilias ſervavit: aut quicquam, quod militaris operis aut muneris eſſet, fecit. Itaque principio veris, quum 3 per Phocidem in Acarnaniam, quo convenire om-

INTERPRETATIO.

a *Qui nonniſi invitus adducebatur, ut per nuptias filiæ ſeſe illigaret altiori, ſed periculoſiori* Antiochi *fortunæ.*

NOTÆ.

1. *Primò allegando.*] Sumitur *allegare* pro eo quod eſt *per alio alloqui*, ut probat Gron. tum ex Cic. Philip. 5. *Cretenſis judex, iſque nequiſſimus: quem ad hunc reus alleget, quomodò accedat:* & ex Q. Cic. de petitione conſulatus: *hi rogandi omnes ſunt diligenter, & ad eos allegandum.* Obſervat idem Gron. hinc allegatos antiquis dictos pro ſequeſtris quibuſdam, quos ad aliquem mittimus, inquiſitoros & quaſi expiſcatoros judicium ipſius, ut deinde teſtes ſint eorum quæ ex eo audierint: eoque ſenſu accipiendum eſt quod Iſidorus *allegatos* pro teſtibus dici ſcribit, lib. 4. Orig. cap. 25.

2. *Conditioni illigantem.*] Poteſt quidem *conditio* hic de ſtatu & quaſi ſocietate fortunæ intelligi: ſed mens, opinor, auctoris eſt, ut de matrimonio intelligatur. Sic apud Quintil. declamat 257. *bona conditio* pro eo quod nos dicimus, *un bon party, un bon mariage*. Et apud Plautum in Aulul. *conditionem hanc accipe, & eam mihi dospondo.* Et *circumſpicere conditiones*, Gallicè *s'informer, s'enquerir de divers partis pour marier une fille.* Ita inter ſolemnia divortii hæc in uſu fuit formula: *conditione tua non utor.*

3. *Per Phocidem.*] Regio Helladis, ſive Græciæ propriè dictæ (quam Ptolem.

nem undique exercitum jusserat, vertisset; facilè animadvertit; nihilo severiore disciplina milites, quàm ducem hibernasse. Alexandrum inde Acarnanem & Menippum Macedonem, Stratum Ætoliæ copias ducere jussit. ipse Delphis sacrificio Apollini facto, Naupactum processit. concilio principum Ætoliæ habito, via, quæ [5] prætor Chalcidem & Lysimachiam fert ad Stratum, suis qui per Maliacum sinum veniebant, occurrit. Ibi Mnesilochus princeps Acarnanum multis emptus donis, non ipse solùm gentem regi conciliabat, sed Clytum etiam prætorem, penes quem tum summa potestas erat, in suam sententiam adduxerat. Is quum Leucadios, quod Acarnaniæ caput est, non facilè ad defectionem posse cerneret impelli, propter metum Romanæ classis, quæ cum Atilio, quæve [6] circa Cephaleniam erat, arte eos est aggressus. nam quum in concilio dixisset, tuenda mediterranea Acarnaniæ esse, & omnibus, qui arma ferrent, excundum [7] ad Medionem & Thyrium, ne ab Antiocho aut Ætolis occuparentur; fuere qui dicerent, nihil attinere omnes tumultuosè concitari: satis esse quingentorum hominum præsidium. eam juventutem nactus, trecentis Medione, ducentis Thyrii in præsidio positis, id agebat, ut pro obsidibus futuri venirent in potestatem regis.

Urb. cond. an. 562. Coss. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.

XII. Per eosdem dies legati regis Medionem venerunt. quibus audientis, quum in concione, quidnam respondendum regi esset, consultaretur, & alii manendum in Romana societate, alii non aspernandam amicitiam regis censerent; media visa est Clyti sententia, eoque accepta est, ut ad regem mitterent legatos, petorentque ab eo, ut Medionios super tanta re consultare in concilio Acarnanum pateretur. In eam legationem Mnesilochus, & qui ejus factionis erant, de industria conjectis, clam missis, qui regem admovere copias juberent, ipsi terebant tempus. itaque vixdum iis egressis legatis, Antiochus in finibus, & mox ad portas erat, & trepidantibus, qui experres prodicionis sue-

NOTÆ.

Achajam vocat, provincia fuit *Phocis*, ab Oeta monte ad sinum Corinthiacum à Septentrione ad meridiem porrecta: cujus caput Delphi oraculo Apollinis & Pythicis Ludis nobilis urbs, nunc *Castri*, ad Parnassum montem: hodie sub Turcis Livadiæ pars.

4. *Stratum Ætoliæ.*] Fuit *Stratus*, sive *Strato* urbs Acarnaniæ meridionalis è primariis, in Ætoliæ confinio, intercurrente Acheloo.

5. *Prætor Chalcidem.*] Hæc *Chalcis* in Ætolia fuit circa Olenum, ut & Lysimachia.

6. *Circa Cephaleniam.*] Inter insulas maris Ionii aut Siculi, quæ ab Acarnania ad Peloponnesum jacent, præcipuum locum obtinet *Cephalenia*, olim *Samos* dicta: urbs primaria idem habet cum insula nomen. Insulis *Cefalonia*: estque in Venetorum ditione, cum vicina ad meridiem Zacyntho.

7. *Ad Medionem & Thyrium.*] Oppida fuerunt Acarnaniæ Mediterraneæ inter Acheloum fluvium & Ambracium sinum. *Medion*, non procul fluvio ad limitem Ætoliæ, distinctum ab aliis nominis ejusdem in vicinia oppidis, Phocico & Bœotico, quorum meminere Strabo & Stephanus.

Urb. cond. an. 562. Coſſ. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.

rant, tumultuoſeque juventutem ad arma vocantibus, ab Clyto & Mneſilocho in urbem eſt inductus: & aliis ſua voluntate affluentibus, metu coacti etiam qui diſſentiebant, ad regem convenerunt. quos placida oratione territos quum permulſiſſet: ad ſpem vulgatæ clementiæ aliquot populi Acarnaniæ defecerunt. Thyrium à Medione profectus eſt, Mneſilocho eodem & legatis promiſſis. Cæterùm detecta Medione fraus cautiores, non timidiores Thyrienſes fecit; dato ei haud perplexo reſponſo, nullam ſe novam ſocietatem, niſi ex auctoritate [1] Romanorum imperatorum, accepturos: portiſque clauſis, armatos in muris diſpoſuerunt. Et peropportunè ad confirmandos Acarnanum animos Cn. Octavius miſſus à Quintio, quum præſidium & paucas naves ab A. Poſtumio, qui ab Atilio legato Cephaleniæ præpoſitus fuerat, acceſſiſſet: Leucadem venit, implevitque ſpei ſocios. Manium Acilium Conſulem jam cum legionibus mare trajeciſſe, & in Theſſalia caſtra Romana eſſe. Hunc rumorem quia ſimilem veri tempus anni maturum jam ad navigandum faciebat; rex præſidio Medione impoſito, & in quibuſdam aliis Acarnaniæ oppidis, Thyrio abſceſſit: & per Ætoliæ ac Phocidis urbes Chalcidem rediit.

XIII. Sub idem tempus M. Bæbius & Philippus rex jam antè per hiemem in Daſſaretiis congreſſi, quum App. Claudium, ut obſidione Lariſſam eximeret, in Theſſaliam miſiſſent, quia id tempus rebus gerendis immaturum erat, in hiberna regreſſi, principio veris conjunctis copiis in Theſſaliam deſcenderunt. In Acarnania tum Antiochus erat. Advenientes, Philippus Mallœam Perræbię, Bębius [1] Phacium eſt aggreſſus. quo primo propè impetu capto, [2] Phæſtum eadem celeritate capit. inde Atracem cùm ſe recepiſſet, Chiretias hinc & [3] Phricium occupat. præſidiiſque per recepta oppida diſpoſitis, Philippo rurſus obſidenti Mallœam ſe conjungit. Sub adventum Romani exercitûs, ſeu ad metum virium, ſeu ad ſpem veniæ quum dediciſſent ſeſe: ad ea recipienda oppida, quæ Athamanes occupaverant, uno agmine jerunt. Erant autem hæc, Æginium, [4] Ericinum, Gomphi, [5] Silana, [6] Tricca,

NOTÆ.

1. *Romanorum imperatorum.*] Sufficere videtur Gronovio *Romanorum*: poſſunt tamen *imperatorum* nomine intelligi Acilius Conſul, Atilius claſſi præfectus, aut Quintius, vel Livius.

1. *Phacium.*] Oppidum erat Pelaſgiotidis inter Pamiſum fl. & Pierium montem, quo Theſſalia dividitur à Macedonia.

2. *Phæſtum.*] In Eſticeotide fuit *Phæſtus* ex Ptol. ad dextram Pamiſi: nunc *Oſſa* Moletio.

3. *Phricium occupat.*] Sigonius legi vult *ia*, ſed longiùs à locis antè memoratis aberat mons & oppidum hujus nominis, utpote ad Thermopylas in Locris ſitum. Huic loco magis convenit *Phricus* in Theſſaliotide poſitum oppidum, inter Chiretias & Mallœam. Vulgo eſt *Eritium*. Conjicerem *Ericinum*, niſi ſtatim ejus capti mentio fieret.

4. *Ericinum.*] Eſt in Eſticeotide ad ortum Æginii in confinio Pelagoniæ Tripolitis.

5. *Silana.*] *Silanam* invenio in Eſticeotide, inter Gomphos & Itonen ad lævam Ionis fluvii.

6. *Tricca.*] Eſticeotidis quoque oppi-

7. Me-

7 Meliboei, 8 Phaloria. Inde Pellinæum, ubi Philippus Megalopolitanus cum quingentis peditibus & equitibus quadraginta in præsidio erat, & circumsidunt, & priusquam oppugnarent, mittunt ad Philippum qui moneret, ne vim ultimam experiri vellet. Quibus ille satis ferociter respondit, vel Romanis vel Thessalis se crediturum fuisse: in Philippi se potestatem commissurum non esse. Posteaquàm apparuit vi agendum; quia videbatur & 9 Limnæum eodem tempore oppugnari posse, regem ad Limnæum ire placuit; Bæbius restitit ad 10 Pellinæum oppidum. Urb. cond. ann. 562. Coss. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.

XIV. Per eos fortè dies Manius Acilius consul cum 1 decem millibus peditum, duobus millibus equitum, quindecim elephantis, mari trajecto, pedestres copias Larisam ducere delectos militum tribunos jussit. ipse cum equitatu Limnæam ad Philippum venit. Adventu consulis deditio sine cunctatione est facta: traditumque 2 præsidium regium, & cum iis Athamanes. Ab Limnæa Pellinæum consul proficiscitur. Ibi 3 primi Athamanes tradiderunt se. deinde & 4 Philippus Megalopolitanus: cui decedenti de præsidio, quum obvius fortè fuisset 5 Philippus rex, ad ludibrium Regem cum consalutari jussit; ipse congressus, fratrem, haud sanè decoro majestati suæ joco, appellavit. Deductus inde ad consulem custodiri jussus: & haud ita multò pòst in vinculis Romam missus. cætera multitudo Athamanum aut militum Antiochi regis, quæ in præsidiis deditorum per eos dies oppidorum fuerat, Philippo tradita regi est. fuere autem ad tria millia hominum. Consul 6 Larisam est profectus; ibi de summa belli consulturus, in itinere 7 ab Pieria &

NOTÆ.

dum fuit ad finistram Penei ripam, cujus *viginti* numerat. Neque obest, quod hujus Episcopum fuisse ajunt Heliodorum Æthiopicorum scriptorem: hodie *Tricala* dicitur, in provincia *Janna*: præfecti Turcici sedes, ut fertur.

7. *Meliboea.*] Fallor, nisi potiùs legendum *Melitæa*: quo nomine urbs fuit in Phthiotidis & Thessaliotidis confinio, cujus meminit Strabo, & quæ Ptolemæo est *Melitæa*, hodie *Militea*: nam *Meliboea* procul ab hoc tractu in extrema fuit Magnesia ad mare Macedonicum.

8. *Phaloria.*] Alias *Phalora* fuit in Thessaliotide, non procul Apidano amne inter Metropolin & Cyparam.

9. *Limnæum.*] Ponitur à Strabone in Thessaliotide inter Apidanum & Peneum.

10. *Pellinæum.*] Plinio *Pellina*: fuit, ad finistram Penei in Estiæotide, inter Triccam & Atracem.

1. *Decem millibus peditum.*] Appianus lib. cap. 3. lib. sequentis cap. 2. duas tantùm legiones Livius numerat: his quippe addendi socii nominis Latini, quorum etiam meminit.

2. *Præsidium regium.*] Ab Antiocho impositum.

3. *Primi Athamanes.*] Qui in præsidio erant.

4. *Philippus Megalopolitanus.*] De quo suprà cap. 13.

5. *Philippus rex.*] Macedoniæ.

6 *Larissam est profectus.*] Quæ obsid ione liberata fuerat ab Appio Claudio, c. 13.

7. *Ab Pieria.*] Regio est Macedoniæ *Pieria*, à Piero monte dicta, qui eam à Thessalia dirimit. Sed ea regio Philippo parebat, Romanorum socio. Legendum ergo *Pieria*, vel *Piera*, quod Æstiæotidis oppidum fuit, inter Chiretias & Erisinum, circa fontes Pamisi: ejus meminit Stegh.

Urb. cond. an. 562. Coss. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.

Metropoli legati tradentes urbes ſuas occurrerunt. Philippus Athamanum præcipuè captivis indulgenter habitis, ut per eos conciliaret gentem, nactus ſpem Athamaniæ potiundæ, exercitum eò duxit: præmiſſis in civitates captivis. & illi magnam auctoritatem apud populares habuerunt, clementiam erga ſe regis munificentiamque commemorantes. & Amynander, cujus præſentis majeſtas aliquos in fide continuiſſet, veritus ne traderetur Philippo jampridem hoſti, & Romanis merito tum propter defectionem infenſis; cum conjuge ac liberis regno exceſſit, Ambraciamque ſe contulit. ita Athamania omnis in jus ditionemque Philippi conceſſit. Conſul ad reficienda maximè jumenta, quæ & navigatione & poſteà itineribus fatigata erant, paucos Lariſſæ moratus dies, velut renovato modica quiete exercitu, Cranonem eſt profectus. Venienti Pharſalus, Scotuſſa, & Pheræ, quæque in eis præſidia Antiochi erant, deduntur. ex iis interrogatis, qui manere ſecum vellent, mille volentes Philippo tradit: cæteros inermes Demetriadem remittit. 8. Proernam inde recepit, & quæ circa eam caſtella erant. ducere tum porrò in ſinum Maliacum cœpit. Appropinquante faucibus, ſuper quas ſiti Thaumaci ſunt, deſerta urbe juventus omnis armata, ſylvas & itinera inſedit: & in agmen Romanum ex ſuperioribus locis incurſavit. Conſul primò mittere, qui ex propinquo colloquentes deterrerent eos à tali furore: poſteaquàm perſeverare in incepto vidit, tribuno cum duorum ſignorum militibus circumміſſo, intercluſit ad urbem iter armatis, vacuamque eam cepit. tum clamore ab tergo captæ urbis audito, refugientium undique ex ſylvis inſidiatorum cædes facta eſt. A Thaumacis altero die conſul ad 9 Sperchium amnem pervenit; inde Hypatæorum agros vaſtavit.

XV. Quum hæc agebantur, Chalcide erat Antiochus. qui jam tum cernens, nihil ſe ex Græcia, præter amœna Chalcide hiberna & inſames nuptias petiſſe, Ætolorum vana promiſſa incuſare, & Thoantem: Annibalem vero, non ut prudentem tantùm virum, ſed propè vatem omnium, quæ tum evenirent, admirari. ne tamen temere cœpta, ſegnitia inſuper everteret, nuncios in Ætoliam mittit, ut omni contracta juventute convenirent. Jam & ipſe eo decem millia ferè peditum ex iis, qui poſteà venerant ex Aſia, expleta, & equites quingentos duxit. Quò quum aliquanto pauciores quàm unquam antèa 1 conveniſſent, & principes tantummodo cum paucis clientibus eſſent, atque ii dicerent omnia ſedulo

NOTÆ.

8. *Proërnam inde recepit.*] *Arne* in Eſtiœotide fuit ad Curalium: ſed *Proërne*, (ut Straboni dicitur) vel *Proarne*, (ut Steph. appellat) quam hic quærimus, in Theſſaliotide erat, circa Othrym montem in agro Melienſium ſeu Melitæorum, non procul Thaumacis.

9. *Sperchium amnem.*] Fluvius eſt Phthiotidis è Pindo in Maliacum ſinum rapido curſu labens, nunc ab aliis *Agriomela*, ab aliis *Selambria* dicitur, Sophiano teſte.

1. *Conveniſſent.*] Ætoli.

ab se facta, ut quamplurimos ex civitatibus suis evocarent; nec auctoritate, nec gratia, nec imperio adversus detrectantes militiam valuisse: destituturus undique & ab suis, qui morabantur in Asia, & ab sociis, qui ea, in quorum spem vocaverant, non præstabant: intra saltum Thermopylarum se se recepit. Id jugum, sicut Apennini dorso Italia dividitur, ita mediam Græciam dirimit. ante saltum Thermopylarum in septentrionem versa Epirus, & Perrœbia, & Magnesia & Thessalia est, Phthiotæ Achæi, & sinus Maliacus. intra fauces ad meridiem vergunt, Ætoliæ pars major, & Acarnania, & cum Locride Phocis, & Bœotia, adjunctaque insula Euboea, & excurrente in altum, velut promontorio, Attica terra sita ab tergo & Peloponnesus. Hoc jugum ab Leucate & mari occidentem versus per Ætoliam ad alterum mare orienti objectum tendens ea aspreta rupesque interjectas habet, ut non modò exercitus, sed ne expediti quidem facilè ullos ad transitum calles inveniant. Extremos ad orientem montes Oetam vocant. quorum quod altissimum est, Callidromon appellatur: in cujus valle ad Maliacum sinum vergente iter est non latius quàm sexaginta passus. Hæc una militaris via est, qua traduci exercitus, si non prohibeantur, possint. ideo Pylæ, & ab aliis, quia calidæ aquæ in ipsis faucibus sunt, Thermopylæ locus appellatur; nobilis Lacedæmoniorum adversus Persas 6 morte magis memorabili, quàm pugna.

Urb. cond. an. 562. Coss. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.

XVI. Haudquaquam parì tum animo Antiochus intrà portas loci ejus castris positis, munitionibus insuper saltum impediebat. & quum duplici vallo fossaque, & muro etiam qua res postulabat, ex multa copia passim jacen-

NOTÆ.

2. *Saltum Thermopylarum.*] Per *Saltum Thermopylarum* intelligit Oetam montem, aliosque montes, qui in meridiem & occasum ab extrema in Austrum Thessalia ad mare usque Jonium, procul à Thermopylis, pertingentes, Epirum ab Acarnania magna ex parte, ab Aetolia Aetolorumque per Helladem seu Græciam propriè dictam ditione dirimebant.

3. *Et Perrœbia & Magnesia.*] *Perrœbia* de qua loquitur hic Livius, inter Peneum fluvium & Pierium montem sita, ut ex superiorious apparet, parùm distat à Pelasgiotide Ptolemæi, quæ cum Magnesia atque Estæiotide, pars fuit Thessaliæ late sumptæ. Sed hic Thessaliæ nomine intelligit Thessaliotidem sive Thessaliam strictius acceptam.

4. *Phthiota Achæi.*] Vetustis temporibus Phthiotis sedes fuit Achæorum, quorum pars magna in Peloponneso: nam Achæus Xuthi filius, Aeoli primi nepos, cum in Aegialeam Peloponnesi facessisset, postea in Thessaliam rediit, ibique regnavit. In Mss. tamen, quos vidi, vocantur *Phthiotæ*, nulla cognominis *Achaeorum* mentione.

5. *Et Acarnania.*] Lege *& Acarnaniæ*, supple *major pars*; si enim hoc jugum, sive hic saltus ab Leucade urbe, aut vicino promontorio Leucate initium habet; pars Acarnaniæ Ambracio sinui & Amphilochis subjecta, ad Septentrionem vergit, non ad meridiem.

6. *Morte magis memorabili.*] Notum est Leonidæ Spartanorum ducis factum, qui quatuor millibus militum triduo angustias Thermopylarum adversus decies ferè centena millia Persarum tuitus, quarta die occupato à xx. millibus hostium cacumine, solos sexcentos Lacedæmonios

Urb. cond. an. 562. Coss. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.

tium lapidum permunisset omnia; satis fidens nunquam eà vim Romanum exercitum facturum, Ætolos ex quatuor millibus (tot enim convenerant) partim ad Heracleam præsidio obtinendam, quæ ante ipsas fauces posita est, partim 2 Hypatam mittit; & Heracleam haud dubius consulem oppugnaturum, & jam multis nunciantibus circa Hypatam omnia evastari. Consul depopulatus Hypatensem primò, deinde Heracleensem agrum, inutili utrobique auxilio Ætolorum, in ipsis faucibus prope fontes calidarum aquarum adversus regem castra posuit. Ætolorum 3 utræque manus Heracleam sese incluserunt. Antiochum, cui priusquàm hostem cerneret, satis omnia permunita & præsidiis obsepta viderentur, timor deinde incessit: ne quos per imminentia juga calles inveniret ad transitum Romanus. 4 nam & Lacedæmonios quondam ita à Persis circumitos fama erat; 5 & nuper Philippum ab iisdem Romanis. itaque nuncium Heracleam ad Ætolos mittit, ut hanc saltem sibi operam eo bello præstarent, ut vertices circà montium occuparent obsiderentque, ne qua transire Romanus posset. Hoc nuncio audito, dissensio inter Ætolos orta est. pars imperio parendum regis atque eundum censebant; pars subsistendum Heracleæ ad utramque fortunam; ut sive victus à consule rex esset, in expedito haberent integras copias ad opem propinquis ferendam civitatibus suis: sive vinceret, ut diffipatos in fugam Romanos persequerentur. Utraque pars non mansit modò in sententia sua, sed etiam exceuta est consilium. duo millia Heracleæ subsiterunt: duo trifariam divisa, Callidromum & Rhoduntiam, & Tichiunta (hæc nomina cacuminibus sunt) occupavere.

XVII. Consul posteaquàm insessa superiora loca ab Ætolis vidit, M. Porcium Catonem & L. Valerium Flaccum consulares legatos cum binis millibus delectorum militum ad castella Ætolorum, Flaccum in Rhoduntiam & Tichiunta, Catonem in Callidromum mittit. ipse priusquam ad hostem copias admoveret, vocatos in concionem milites, paucis est allocutus: *Pleroſque omnium ordinum milites inter vos eſſe video, qui in hac eadem provincia T. Quintii ductu auſpicioque militaveritis.*

NOTÆ.

secum retinuit, cum quibus ad certam mortem se devovit.

1. *Partim ad Heracleam.*] Hæc *Heraclea Trachinia* dicta, inter Sperchium & Asopum ad sinum Maliacum, qui nunc *Golfo de Zeyton*.

2. *Hypatam mittit.*] Thessaliotidis caput fuit *Hypata*, in montis vertice, supra fontes Sperchii, ad quam *Ænianes* populi.

3. *Utraque manus.*] Intelligit Ætolorum copias, seu militum corpora duo, tum eorum qui Hypatam, tum eorum qui recta Heracleam missi fuerant. Parum autem interest, an in multitudinis numero legatur *utraque manus*; an verò in numero singulari *utraque manus*.

4. *Nam & Lacedæmonios.*] Auctor Persis ejus consilii, ut occupato cacumine Spartanos à tergo aggrederentur, Ephialtes Thrachinius nominatur.

5. *Et nuper Philippum.*] Non apud Thermopylarum angustias, sed in saltu ad Asopum fluvium, & fauces quæ in Epiri &

Urb. cond. an. 562. Coll. P. Scipion. & Manio Acilio Glabrione.

Macedonico bello inexſuperabilis magis ſaltus ad amnem Aoum fuit, quàm hic. Quippe portæ ſunt hæ. & unus, inter duo maria clauſis omnibus, vel ut naturalis tranſitus eſti. [1] *munitiones & locis opportunioribus tunc fuerunt, & validiores impoſitæ: exercitus hoſtium ille & numero major & militum genere aliquantò melior. Quippe illic Macedones Thraceſque & Illyrii erant, ferociſſimæ omnes gentes: hic Syri & Aſiatici Græci ſunt;* [2] *leviſſima genera hominum, & ſervitutí nata. Rex ille bellicoſiſſimus, exercitatus jam inde ab juventa finitimis Thracum atque Illyriorum, & circa omnium accolarum bellis: hic, ut aliam omnem vitam ſileam, is eſt, qui quum ad inferendum populo Romano bellum ex Aſia in Europam tranſiſſet, nihil memorabilius toto tempore hibernorum geſſerit, quàm quod amoris causâ ex domo privata & obſcuri etiam inter populares generis uxorem duxit. & novus maritus velut ſaginatus nuptialibus cœnis, ad pugnam proceſſit. Summa virium ſpeique ejus in Ætolis fuit: gente vaniſſimâ, & ingratiſſima, ut vos priùs experti eſtis, nunc Antiochus experitur. Nam nec convenerunt frequentes, nec contineri in caſtris potuerunt, & in ſeditione ipſi inter ſe ſunt: & quum Hypatam tuendam Heracleamque depoposciſſent, neutram tutati, refugerunt in jugamontium, pars Heracleæ incluſerunt ſeſe. Rex ipſe confeſtim, nuſquam æquo campo non modò congredi ſe ad pugnam audere, ſed ne caſtra quidem in aperto ponere, relictâ omni ante ſe regione eâ, quam ſe nobis ac Philippo ademiſſe gloriabatur, condidit ſe intra rupes: ne ante fauces quidem ſaltus, ut quondam Lacedæmonios fama eſt, ſed intra penitus retractis caſtris:* [3] *quod quantum intereſt ad timorem oſtendendum, an muris*

INTERPRETATIO.

[3] *Quod perinde valet ad prodendum metus indicium, ac ſi urbis alicujus mœnibus ſe incluſiſſet obſidionem toleraturus;* quòd acie congredi non auderet.

NOTÆ.

Macedoniæ Illyricæ confinio, ubi per tenuem Naudæi, legitur: *munitiore tunc fuerunt, & validiores impoſiti exercitus hoſtium.* Mihi probaretur præ ceteris quod ſequutus ex Andrea paululum immutato Gron. *munitioribus & tunc fuerunt & validiores impoſiti exercitus hoſtium locis,* niſi quòd Philippi adverſus Quintium unus in pugna ad Aoum exercitus fuerat, non plures. Itaque receptæ ex Mogunti-no ſcripturæ ſtandum cenſeo: *validi* quidem nomen ſimpliciter hominibus ſæpiùs quàm locis: ſed & his aliquando tribuitur à priſcis ſcriptoribus. Salluſt. *validum oppidum* dixit. Tacit. *validiores provincia.* Noſter lib. 39. *validum urbem.*

pastorem à Charopo Epirotarum principe miſſum deductí ſupra caput hoſtium milites T. Quintii. Vide lib. 32. cap. 5. 11. & 12.

1. *Munitiones & locis opportunioribus tunc fuerunt, & validiores impoſitæ.*] Variant hic admodùm lectiones. Hæc vulgata ex Codice Moguntino eſt. Andreas & priores ſic ediderant: *munitioribus tunc fuerunt, & validioribus impoſiti exercitus hoſtium locis: exercitus ille,* &c. Regius Major qui Jo. Mureti fuerat, ſic habet: *munitioribus tunc fuerunt & validioribus impoſiti exercitus hoſtium; ille numero* &c. Colb. ſcribit *munitionibus*, cætera omnino ſimilis. In Regio, qui antè fuerat, & *validiores impoſiti exercitus hoſtium.* Mihi probaretur præ ceteris quod ſequutus ex Andrea paululum immutato Gron. *munitioribus & tunc fuerunt & validiores impoſiti exercitus hoſtium locis,* niſi quòd Philippi adverſus Quintium unus in pugna ad Aoum exercitus fuerat, non plures. Itaque receptæ ex Moguntino ſcripturæ ſtandum cenſeo: *validi* quidem nomen ſimpliciter hominibus ſæpiùs quàm locis: ſed & his aliquando tribuitur à priſcis ſcriptoribus. Salluſt. *validum oppidum* dixit. Tacit. *validiores provincia.* Noſter lib. 39. *validum urbem.*

2. *Leviſſima hominum genera.*] *Syri* verò ſervare fidem dicuntur apud Vopiſcum

Urb. cond. an. 562. Coss. P. Scipion. & Manio Acilio Glabrione.

alicuius urbis obsidendum seſe incluſerit? Sed neque Antiochum tuebuntur angustiæ: nec Ætolos vertices illi, quos ceperunt. Satis undique 3 provisum anteque præcautum est, ne quid adversus vos in pugna præter hostes esset. Illud proponere animo vestro debetis; non vos pro Græciæ libertate tantùm dimicare (quanquam is quoque egregius titulus esset, liberatam à Philippo antè, nunc ab Ætolis & ab Antiocho liberare) neque ea tantùm in præmium vestrum cessura, quæ nunc in regiis castris sunt: sed illum quoque omnem apparatum, qui in dies ab Epheso expectatur, prædæ futurum: Asiam deinde Syriamque; & omnia usque ad ortus solis ditissimæ regna imperio Romano aperturos. Quid deinde aberit, quin ab Gadibus 4 ad mare Rubrum Oceano fines terminemus, qui orbem terrarum amplexu finit: & omne humanum genus secundum Deos nomen Romanum veneretur? In hæc tanta præmia dignos parate animos, ut crastino die benè juvantibus Dîis acie decernamus.

XVIII. Ab hac concione dimissi milites, priusquàm corpora curarent, 1 arma telaque parant. Luce primâ, signo pugnæ proposito, instruit aciem consul, arctâ fronte, ad naturam & angustias loci. Rex postequàm signa hostium conspexit, & ipse copias eduxit. Levis armaturæ partem ante vallum in primo locavit: tum Macedonum robur, quos 2 Sarisophoros appellabant, velut firmamentum circa ipsas munitiones constituit. his ab sinistro cornu, jaculatorum sagittariorumque & funditorum manum sub ipsis radicibus montis posuit, ut ex altiore loco nuda latera hostium inciderent. ab dextro Macedonibus ad ipsum munimentorum finem, qua locâ usque ad mare invia palustri limo & voraginibus claudunt, elephantos cum assueto præsidio posuit: post eos equites. tum modico intervallo relicto, cæteras copias in secunda acie. Macedones pro vallo locati, primò facilè sustinebant Romanos, tentantes ab omni parte aditus: multum adjuvantibus qui ex loco superiore fundis, velut nimbum, glandes & sagittas simul & jacula

NOTÆ.

in Aurel. quod probant frequentes sub Seleucidis motus ac defectiones ab uno in alium propè continuæ apud Diodorum, Josephum, Justinum.

3. *Provisum anteque præcautum.*] Sic scripti: nec novum omninò præpositionem *ante* cum verbis ex ejusdem significationis aliâ præpositione compositis conjungi, observat Oro. ex Cicer. in Orat. pro Planc. *providentem ante & præventem nunquam certè moverunt.* Et ex Nostro lib. 40. *ferox interim fœmina ad multò antè præcogitatum revoluta facinus.*

4. *Ad mare Rubrum.*] Eo nomine complectebantur veteres ulteriorem etiam Oceanum ad orientalem Indiam.

1. *Arma telaque parant.*] *Arma* hîc sunt quæ corpori adhærent: *tela*, quæ jaciuntur.

2. *Sarisophoros.*] Sic dicebant *sarissis* armatos, quæ longiores hastæ Macedonum propriæ erant. Quod autem Macedones inter Antiochi copias memorantur, hi non propriè ita dicuntur quod in Macedonia nati, sed quod ex Macedonum Alexandro primùm, deinde Seleuco in Asia militantium posteris essent, vel eorum disciplinam æmularentur, quamvis in Syria nati, sive sub ditione Syriæ regum: unde Syro-macedones propriè appellati.

ingerebant. deinde, ut major nec jam toleranda vis hoſtium inferebat ſe ; pulſi loco, intra munimenta ſubductis ordinibus conceſſerunt: inde ex vallo prope alterum vallum, haſtis præ ſe objectis, ſecerunt. & ita modica altitudo valli erat, ut & locum ſuperiorem ad pugnandum ſuis præberet: & propter longitudinem haſtarum ſubjectum haberet hoſtem. Multi temerè ſubeuntes vallum tranſfixi ſunt: & aut incœpto irrito receſſiſſent, aut plures cecidiſſent, ni M. Porcius ab jugo Callidromi, dejectis inde Ætolis, & magnâ ex parte cæſis, (incautos enim & pleroſque ſopitos oppreſſerat) ſuper imminentem caſtris collem apparuiſſet. Urb cond. an. 562. Coſſ. P. Scipion. & Manio Acilio Glabrione.

XIX. Flacco non eadem fortuna ad Tichiunta & Rhoduntiam, nequiquam ſubire ad ea caſtella conato, fuerat. Macedones, quique alii in caſtris regiis erant, primò, dum procul nihil aliud quàm turba & agmen apparebat, Ætolos credere, viſa procul pugna, ſubſidio venire. cæterùm ut primum ſignaque & arma ex propinquo cognita errorem aperuerunt, tantus repentè pavor omnes cepit, ut abjectis armis fugerent. Et munimenta ſequentes impedierunt, & anguſtiæ vallis, per quam ſequendi erant: & maximè omnium, quòd elephanti noviſſimi agminis erant: quos pedes ægrè præterire, eques nullo poterat modo; timentibus equis, tumultumque inter ſe majorem quàm in prœlio edentibus. Aliquantum temporis & direptio caſtrorum tenuit. [1] Scarphiam tamen eo die perſecuti ſunt hoſtem. Multis in ipſo itinere cæſis captiſque, non equis viriſque tantùm, ſed etiam elephantis, quos capere non potuerant, interfectis, in caſtra reverterunt: quæ tentata eo die inter ipſum pugnæ tempus ab Ætolis Heracleam obtinentibus præſidio, ſine ullo haud parum audacis incœpti effectu fuerant. Conſul noctis inſequentis tertiâ vigiliâ, præmiſſo equitatu ad perſequendum hoſtem, ſigna legionum primâ luce movit. [a] Aliquantum viæ præceperat rex; ut qui non antè quàm Elatiæ ab effuſo conſtiterit curſu: ubi primùm reliquis pugnæque & fugæ collectis, cum perexigua manu ſemiermium militum Chalcidem ſe recepit. Romanus equitatus ipſum quidem regem Elatiæ aſſecutus non eſt, ſed magnam partem agminis, aut laſſitudine ſubſiſtentis, aut errore, ut qui ſine du-

INTERPRETATIO.

a Antiochus *fugiens aliquantum anteceperat iter*.

NOTÆ.

1. *Scarphiam.*] In ſcriptis quos vidi, eſt, *Jam tamen eo die conſecuti ſunt hoſtem*: unde certa conjectura Signavi ex Appian. ducta fecit *Scarphiam*, quæ Locrorum Epicnemidiorum urbs fuit maritima, Thermopylis ad Auſtrum vicina. Glareanus ſubſtituerat Liſæum. Et Liſæa quidem Phocidis oppidum fuit: ſed ea ſub Parnaſſo in Dorum & Locrorum Ozolarum confinio longiùs à Thermopylis quàm ut eò perveniri uno die potuerit.

Urb. cond. an. 562. Coss. P. Scipion. & Manio Acilio Glabrione.

cibus per ignota itinera fugerent, dissipatos oppresserunt. nec præter quingentos, qui circa regem fuerunt, ex toto exercitu quisquam effugit? etiam ex decem millibus militum, quos Polybio auctore trajecisse secum regem in Græciam scripsimus, exiguus numerus. quid si Antiati Valerio cre- 5
damus sexaginta millia militum fuisse in regio exercitu scribenti, quadraginta inde millia cecidisse, supra quinque millia capta cum signis militaribus ducentis triginta? 2 Romanorum centum quinquaginta in ipso certamine pugnæ, ab incursu Ætolorum se tuentes non plus quinquaginta interfecti sunt.

XX. Consule 1 per Phocidem & Bœotiam exercitum ducente, consciæ defectionis civitates, 2 cum velamentis ante portas stabant; metu ne hostiliter diriperentur. Cærerùm per omnes dies haud secùs quàm in pacato agro sine violatione ullius rei agmine processit; donec in agrum Coronæum ventum est. Ibi statua regis Antiochi posita in templo 3 Minervæ itoniæ iram accendit: permissumque militi est, ut circumjectum templo agrum popularetur. deinde cogitatio animum subiit: quum communi decreto Bœotorum posita esset statua, indignum esse in unum Coronensem agrum sævire. Revocato extemplo milite, finis populandi factus: castigati tantùm verbis Bœoti, ob ingratum in caneis tamque recentibus beneficiis animum erga Romanos. Inter ipsum pugnæ tempus

N. O. T. Æ.

2. *Romanorum centum quinquaginta interfecti sunt.*] Auget aliquantum hunc numerum Codex Mogruntinus: Romanorum centum quinquaginta in ipso certamine pugnæ; ab incursu Ætolorum se tuentes, non plus quinquaginta interfecti sunt. Quod additamentum Gronovius pernendum negat: sic enim fiet numerus ducentorum, quos Appianus refert interemptos, nimirum centum quinquaginta in prœlio, & quinquaginta in castris incursu Ætolorum tentatis.

1. *Per Phocidem & Bœotiam.*] In Regio majori perperam scriptum est *per Hocidem Bœotiæ* in minori *per Æolidem Bœotia*: quod rectum puto; nam hîc tractus ab Æolo Hellenis filio, qui regnum in Thessalia, Bœotia, vicinisque regionibus obtinuit, Æolidis nomen prisci temporibus habuit; ejusque incolæ adhuc tempore Strabonis Æoles appellabantur ipso teste, initio lib. 8. atque ab horum migratione Æolis dicta minoris Asiæ regio Joniæ vicina, colonia Ætolum à Penthilo aliisque Orestis liberis eò deducta, quemadmodum idem observat lib. 13. Vide & Pausan. in Bœoticis. Hæc cùm non adverterent Interpretes, pro Æolide Bœotiæ, quæ sic dicitur ad discrimen Asiaticæ; scripserunt *per Phocidem & Bœotiam*, quæ correctio non absurda nititur ratione, cùm certum sit Bœotiæ conterminam esse Phocidem: sed venienti à Thermopylis prior occurrit Bœotia, deinde Phocis, & ager Coronæus, de quo statim agitur, in Bœotia est, ac citra Phocidem.

2. *Cum velamentis ante portas stabant.*] Nomine *velamentorum* intelliguntur supplicum vittæ, his enim velabant manus: unde apud Virgil. 2. Æneid.

Præferimus manibus vittas & verba precantum.

itemque apud Ovid. 1. Metamorph.

velamenta manu prætendens, supplice.

& apud Tacit. 19. Annal. *mox velamenta & infulas pro muris ostendunt.*

3. *Minervæ Itoniæ.*] Fuit celebertimum *Minervæ Itoniæ* Templum in Thessalia ad Curalium amnem, qui in Peneum fluit apud Itonem oppidum Metropolitanum agri: inde aliud Fanum, eidem Numini dicatum in Bœothia apud Cheroneam, nomen sumpsit.

decem.

decem naves regiæ cum præfecto Isidoro ad Thronium in sinu Maliaco stabant. eò gravis vulneribus Alexander Acarnan nuncius adversæ pugnæ quum perfugisset, trepidæ inde recenti terrore naves 4 Cenæum Eubœæ petierunt. Ibi mortuus sepulturæque Alexander. Tres, quæ ex Asia profectæ eundem portum tenuerant naves, auditâ exercitûs clade, Ephesum redierunt. Isidorus ab Cenæo Demetriadem, si fortè eò deferret fuga regem, trajecit. Per eosdem dies A. Atilius præfectus Romanæ classis, magnos regios commeatus, jam fretum, quod ad Andrum insulam est, prætervectos, excepit: alias mersit, alias cepit naves. quæ novissimæ agminis erant, cursum in Asiam verterunt. Atilius Piræum, unde profectus erat, cum agmine captivarum navium revectus, magnam vim frumenti & Athenienſibus, & aliis ejusdem regionis sociis divisit. Urb. cond. an. 562. Coss. P. Scipion. & Manio Acilio Glabrione.

XXI. Antiochus sub adventum consulis a Chalcide profectus, 1 Tenum primò tenuit. inde Ephesum transmisit. Consuli Chalcidem venienti portæ patuerunt, quum appropinquante eo Aristoteles præfectus regis, urbe excessisset. & cæteræ urbes in Eubœa sine certamine tradiræ. paucosque per dies omnibus perpacatis, sine ullius noxa urbis, exercitus Thermopylas reductus. mukò modestiâ post victoriam, quàm ipsâ victoriâ laudabilior. Inde consul M. Catonem, per quem quæ gesta essent senatus populusque Romanus haud dubio auctore sciret, Romam misit. Is à Creusa, 2 (Thespiensium emporium est, in intimo sinu Corinthiaco rectractum) Patras Achajæ petit: à Patris Coryram usque Ætoliæ atque Acarnaniæ litora legit: atque ita 3 ad Hydruntum Italiæ trajecit. quinto die inde 4 pedestri itinere Romam ingenti cursu pervenit. ante lucem ingressus urbem, à porta ad prætorem M. Junium iter intendit. Is primâ luce senatum vocavit. quo L. Cornelius Scipio aliquot diebus ante à consule dimissus, quum adveniens audisset prægressum Catonem in senatu esse; supervenit exponenti quæ gesta essent. Duo inde legati jussu senatus in concionem sunt producti: atque ibi eadem, quæ in senatu, de rebus in Aetolia gestis, exposuerunt. Supplicatio in triduum decreta

NOTÆ.

4. *Cenæum Eubœæ.*] Monet Sig. scribendum *Cenæum.* Est Promontorium, Eubœæ maximè occidentale, in Maliacum prominens sinum, contra Scarphiam Locrorum. Nunc *Capo Litar* Sophiano, vel potius *Camaia*, ut Niger testatur.

1. *Tenum primo tenuit.*] Cycladum una est *Tenos*, insularum Ægæi maris, media inter Andrum & Myconem. Hodie *Tina* vocatur, teste Soph. paretque Venetis in media Turcarum ditione.

2. *Thespiensium emporium.*] Urbs Boeotiæ fuit *Thespia* in confinio Megaridis sub Helicone, haud procul sinu Corinthiaco; nunc *Thespe* vocatur, estque vici instar. Ejus portus Creusa.

3. *Ad Hydruntum Italiæ.*] Plut. in Catone Brundusium trajecisse vult.

4. *Pedestri itinere.*] Non opponitur equestri hoc pedestre iter, sed maritimo.

5. *In Ætoli.*] Non in provincia, sed in terris seu ditione Ætolorum Thessalica.

Urb. cond. an. 562. Coſſ. P. Scipion. & Manio Acilio Glabrione.

eſt, & ut quadraginta hoſtiis majoribus prætor, quibus Diis ei videretur, ſacrificaret. Per eoſdem dies & M. Fulvius Nobilior, qui biennio antè prætor in ulteriorem Hiſpaniam erat profectus, ovans urbem eſt ingreſſus: [6] argenti bigati præ ſe tulit centum & triginta millia : [7] & extra numerum duodecim millia pondo argenti: [8] auri pondo centum viginti ſeptem.

XXII. Acilius conſul ab Thermopylis Heracleam ad Ætolos præmiſit, *ut tunc ſaltem experti regiam vanitatem reſipiſcerent; traditâque Heraclea, cogitarent de petendâ ab ſenatu ſeu furoris ſui, ſeu erroris venia. & cæteras Græciæ civitates defeciſſe eo bello ab optimè de ſe meritis Romanis: ſed quia poſt fugam regis, cujus fiducia ab officio deciſſiſſent, non addidiſſent pertinaciam culpæ, infidem receptas eſſe. Ætolos quoque, quanquam non ſecuti ſint regem, ſed arceſſierint, & duces belli, non ſocii fuerint; ſi pœnitere poſſint, poſſe & incolumes eſſe.* Ad ea quum pacati nihil reſponderetur, apparareteque armis rem gerendam, & rege ſuperato bellum Ætolicum integrum reſtare; caſtra ab Thermopylis ad Heracleam movit: eoque ipſo die ut ſitum noſceret urbis, ab omni parte equo mœnia eſt circumvectus. Sita eſt Heraclea in radicibus Oeæ montis: ipſa in campo, arcem imminentem loco alto, & undique præcipiti habet. Contemplatus omnia, quæ noſcenda erant, quatuor ſimul locis aggredi urbem conſtituit. [1] à flumine Aſopo, quà & gymnaſium eſt, L. Valerium operibus atque oppugnationi præpoſuit: [γ] arcem extra muros, quæ frequentiùs propè quàm urbs habitabatur Tib. Sempronio Longo oppugnandam dedit: à ſinu Maliaco, quæ aditum haud facilem pars habebat, M. Bœbium; ab altero amniculo, quem [2] Melana vocant, adverſus Dianæ templum, Appium Claudium oppoſuit. Horum [α] magno certamine intra paucos dies turres, arieteſque, & alius omnis apparatus oppugnandarum urbium perficitur. & quum ager Heracleenſis paluſter omnis frequenſque proceris arboribus, benignè ad omne genus operum materiam ſuppeditabat: ſumma quia refugerant intra mœnia Ætoli, deſertaque in veſtibulo urbis erant te-

INTERPRETATIO.

α *His certatim rem promoventibus.*

NOTÆ.

6. *Argenti bigati præ ſe tulit centum viginta millia.*] Duo & quinquaginta millia librarum noſtratium.

7. *Et extra numerum duodecim millia pondo argenti.*] Efficit hæc ſumma ad Francicam monetam redacta *quadringenta triginta quatuor millia librarum.*

8. *Auri pondo centum viginti ſeptem.*] Gall. *ſoixante & onze mille cent vingt*

1. *A flumine Aſopo.*] Theſſalicus hic eſt *Aſopus*, qui in ſinum Oetæum ſive Maliacum ſub Thermopylis influit, nomenque vetus adhuc ſervat.

2. *Melana.*] Plures ſunt hujuſce nominis amnes, à nigro colore ſic appellati. Hic ad Heracleam in Theſſaliæ finibus verſus Locros.

cta, in vários usus non tigna modò & tabulas: sed laterem quoque, & cæmenta, & saxa, variæ magnitudinis, præbebant.

XXIII. Et Romani quidem operibus magis quàm armis urbem oppugnabant: Ætoli è contrà armis se tuebantur. nam quum ariete quatere- Urb. cond. an. 562. Coss. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.
tur muri 1 non laqueis, ut solet, exceptos declinabant ictus, 2 sed armati, frequentes, quidam ignes etiam, quos aggeribus injicerent, ferebant. fornices quoque in muro erant apti ad excurrendum: & ipsi, quum pro diruti reficerent muros, crebiores eos, ut pluribus erumperetur in hostem locis, faciebant. Hoc primis diebus, dum integræ vires erant, & frequentes & impigrè fecerunt: in dies deinde pauciores, & segnius. Etenim quum multis urgerentur rebus, nulla eos res æquè ac vigiliæ conficiebant; Romanis in magna copia militum succedentibus aliis in stationem aliorum, Ætolos propter paucitatem 3 eosdem dies noctesque 4 assiduo labore urente. Per quatuor & viginti dies, ita ut nullum tempus vacuum dimicatione esset, adversus quatuor è partibus simul oppugnantem hostem nocturnus diutno continuatus labor est. Quum fatigatos jam Ætolos sciret consul & ex ratione temporis, & quod ita transfugæ affirmabant, tale consilium iniit. mediâ nocte receptui signum dedit, & ab oppugnatione simul omnes milites deductos usque ad tertiam diei horam quietos in castris tenuit. inde cœpta oppugnatio ad mediam rursus noctem perducta est: intermissa deinde usque ad tertiam diei horam. Fatigationem rati causam esse Ætoli non continuandæ oppugnationis; quæ & ipsos affecerat, ubi Romanis datum receptui signum esset, velut ipsi quoque hoc revocati, pro se quisque ex stationibus decedebant: nec ante tertiam diei horam armati in muris apparebant.

XXIV. Consul quum nocte mediâ intermisisset oppugnationem, quartâ vigiliâ rursus ab tribus partibus summâ vi aggressus; ab una Tib. Sempronium tenere intentos milites, signumque expectantes jussit: 1 ad ea in nocturno tumultu, unde clamor exaudiretur, haud dubiè

INTERPRETATIO.

2 *Ægrè excitabant & movebant.*

NOTÆ.

1. *Non laqueis, ut solet.*] Quis esset horum laqueorum usus explicat apud Sigon. Vitruvius lib 4. cap. 23. *alii captos arietes per multitudinem hominum de muro in obliquum trahunt, & cum ipsis testudinibus evertunt.*

2. *Sed armati frequentes.*] Addit Gron. verbum *erumpebant*: quo addito magis perspicua phrasis reddi videtur: verùm non aliter intelligi possunt Ætoli arietum ictus armis impediisse quàm per eruptiones.

3 *Eosdem.*] Refert ad Ætolos obsessos.

4. *Assiduo labore urente.*] Sic ex plerisque scriptis Gron. & olim editi: vulgò ex Sig. *urgente.* Utrumvis malueris, parum errabis: & *bello uri* sæpè apud nostrum legitur, veluti lib. 27. *quos & Machanidas tyrannus Lacedæmoniorum finitimo bello uredat*: & eodem lib. *Punici belli quo duodecimum annum Italia utcbatur*, 1. *Ad ea.*] Loca.

Urb. cond. an. 562. Coss. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.

ratus hostes concursuros. Ætoli pars sopiti affecta labore ac vigiliis corpora [a] ex somno moliebantur: pars vigilantes adhuc ad strepitum pugnantium in tenebris currunt. Hostes partim per ruinas jacentis muri transcendere conantur: partim scalis altensus tentant. adversus quos undique ad opem ferendam occurunt Ætoli. Pars una, in qua ædificia extra urbem erant, neque defenditur, neque oppugnatur: sed qui oppugnarent, intenti signum expectabant, defensor nemo aderat. Jam diluescebat, quum signum consul dedit: & sine ullo certamine partim per semiruta, [a] partim scalis integros muros transcendere. Simul clamor index capti oppidi est exauditus, undique Ætoli delertis stationibus in arcem fugiunt. Oppidum victores permissu consulis diripiunt: non tam ab ira, nec ab odio, quàm ut miles coercitus in tot receptis ex potestate hostium urbibus, aliquo tandem loco fructum victoriæ sentiret. Revocatos inde à medio fermè die milites quum in duas divisisset partes; unam radicibus montium [3] circumduci ad rupem jussit: quæ fastigio altitudinis par, mediâ valle velut abrupta ab arce erat: sed adeò propè geminata cacumina eorum montium sunt, ut ex vertice altero conjici tela in arcem possint: cum dimidiâ militum parte consul ab urbe ascensurus in arcem, signum ab iis qui ab tergo in rupem evaluri erant, exspectabat. Non tulere qui in arce erant Ætoli primum eorum, qui rupem ceperant, clamorem, deinde impetum ab urbe Romanorum; & fractis jam animis, & nullâ ibi præparatâ re ad obsidionem diutiùs tolerandam: utpote congregatis fœminis, puerisque, & imbelli aliâ turbâ in arcem, quæ vix capere, nedum tueri multitudinem tantam posset. itaque ad primum impetum objectis armis dediderunt sese. Traditus inter cæteros princeps Ætolorum Damocritus est: qui principio belli decretum Ætolorum, quo arcessendum Antiochum censuerant, T. Quintio poscenti respondérat: in Italia daturum, quum castra ibi Ætoli posuissent. ob eam ferociam majus victoribus gaudium [4] traditus fuit.

XXV. Eodem tempore quo Romani Heracleam, Philippus Lamiam ex composito oppugnabat; circa Thermopylas cum consule redeunte ex Bœotia, ut victoriam ipsi populoque Romano gratularetur, excusaretque quòd morbo impeditus bello non interfuisset, congressus. inde diversi ad duas simul oppugnandas urbes profecti. Interfuit septem millia fer-

NOTÆ.

a: *Partim per erutos.*] Ita est in Mogutino, ex quo Aldus aliique edidere: quæ tria verba in plerisque manu exaratis deliderantur: pro his scribit Gron. *partim prorutos*, refer ad verbum *transcendere*: sed quidni *per erutos* in urbem transcensum fuerit? Nec novum apud nostrum idem verbum ad diversa referri, quæ non eandem constructionem desiderare viderentur.

3. *Circumduci ad rupem.*] Ascendendo scilicet per circuitum eniti ad rupem.

4. *Traditus fuit.*] Sic rectè Freinshemius ut Damocritus traditus Romanis si-

mè passuum. & quia Lamia quum posita est in tumulo, tum regionem eâ maximè despectat oppidum, qua breve intervallum videtur, & omnia in conspectu sunt; quum enixè velut proposito certamine Romani Macedonesque diem ac noctem, aut in operibus aut in præliis essent, hoc major difficultas Macedonibus erat, quod Romani aggere & vineis & omnibus supra terram operibus, subtus Macedones [1] cuniculis oppugnabant: & in asperis locis silex sæpè impenetrabilis ferro occurrebat. & quum parum procederet incœptum, per colloquia principum oppidanos tentabat rex, ut urbem dederent: haud dubius, quin si priùs Heraclea capta foret, Romanis se potiùs quàm sibi dediturі essent; [2] suamque gratiam consul in obsidione liberanda facturus esset. nec eum opinio est fruſtrata: confestim enim ab Heraclea capta nuncius venit, ut oppugnatione absisteret. Æquius esse, Romanos milites, qui acie dimicassent cum Ætolis, præmia victoriæ habere. Ita recessum ab Lamia est, & propinquæ clade urbis [a] ipsi, ne quid simile paterentur, effugerunt.

Urb. cond. an. 562. Coss. P. Scipion. & Manio Acilio Glabrione

XXVI. Paucis priusquàm Heraclea caperetur diebus, Ætoli concilio Hypatam coacto, legatos ad Antiochum miserunt: inter quos & Thoas idem, qui & anteà missus est. Mandata erant, ut ab rege peterent primùm, ut ipse coactis rursus terrestribus navalibusque copiis, in Græciam trajiceret: deinde, si qua ipsum tenerent res, ut pecuniam & auxilia mitteret. id quum ad dignitatem ejus fidemque pertinere, non prodi socios; tum etiam ad incolumitatem regni non sinere Romanos omni cura vacuos, quum Ætolorum gentem sustulissent, omnibus copiis in Asiam trajicere. Vera erant quæ dicebantur: eò magis regem movere. Itaque in præsentia pecuniam, quæ ad usus belli necessaria erat, legatis dedit: auxilia terrestria navaliaque affirmavit missurum. Thoantem unum ex legatis retinuit; & ipsum haud invitum morantem, ut exactor præsens promissorum adesset.

XXVII. Cæterùm Heraclea capta fregit tandem animos Ætolorum: & post paucos dies quàm ad bellum renovandum, accipiendumque regem in Asiam miserant legatos; abjectis belli consiliis, pacis petendæ oratores, ad consulem miserunt. Quos dicere exorsos consul interpellatus, quum alia sibi [1] prævertenda esse dixisset; redire Hypatam eos datis dierum de-

INTERPRETATIO.

[a] *Lamienses per eladem Heraclea proprium damnum vitarunt.*

NOTÆ.

gnificet ipsis majus gaudiū, seu majori gaudio fuisse, quàm ipsa urbs Heraclea capta.

1. *Cuniculis oppugnabant.* Ideo subterraneis cuniculis cogebantur Macedones, uti quòd omnes eorum supra terram molitiones sub oculis essent oppidanorum qui omnibus eorum operibus facilè occurrere potuissent.

2. *Suamq; gratiam Consul.* Gall. *qui le Consul en voudroit avoir tout le gré, & voudroit que les assiegez luy eussent l'obligation de leur delivrance.*

1. *Prævertenda esse.* Gal. *Leur ayant dit qu'il avoit bien d'autres coses à faire avãt cela.*

Urb. cond. an. 562. Coss. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.

cem induciis, & L. Valerio Flacco cum iis missō, jussit ei quæ secum acturi fuissent, exponere: & si qua vellent alia. Hypatam ut est ventum, principes Ætolorum [a] apud Flaccum concilium habuerunt; consultantes, quonam agendum modo apud consulem foret. Parantibus iis [b] antiqua fœderum ordiri; meritaque in populum Romanum, *Absistere iis Flaccus jussit, quæ ipsi violassent, confessionem iis culpæ magis profuturam, [2] & totam in preces orationem versam. nec enim in causa ipsorum, sed in populi Romani clementia spem salutis positam esse. [3] & suppliciter agentibus iis se adfuturum, & apud consulem & Romæ in senatu: eò quoque enim mittendos fore legatos.* Hæc una via omnibus ad salutem visa est, [4] *ut infidem se permitterent Romanorum, Ita enim & illis violandi supplices verecundiam se imposituros: & ipsos nihilominus suæ potestatis fore, si quid melius fortuna ostendisset.*

XXVIII. Posteaquàm ad consulem ventum est, Phæneas legationis princeps longam orationem, & variè ad mitigandam iram victoris compositam, ita ad extremum finivit, ut diceret, *Ætolos se suaque omnia fidei populi Romani permittere.* Id consul ubi audivit; *Etiam atque etiam videte,* inquit, *Ætoli, ut ita permittatis.* Tum decretum Phæneas, in quo id diserte scriptum, erat, ostendit. *Quando ergo,* inquit, *ita permittitis, postulo ut mihi Dicæarchum civem vestrum, & Menetam Epirotam,* (Naupactum is cum præsidio ingressus ad defectionem compulerat) *& Amynandrum cum principibus Athamanum, quorum consilio ab nobis defecistis, sine morâ dedatis.* propè dicentem interfatus Romanum Phæneas, *Non in servitutem,* inquit, *sed in fidem tuam nos tradimus. & certum habeo te imprudentia labi: qui nobis imperes, quæ moris Græcorum non sint.* Ad hæc consul, *Nec hercle,* inquit, *magnopere nunc curo, quid Ætoli satis ex more Græcorum factum esse censeant: dum ego: more Romano imperium id habeam in deditos modò decreto meo, antè armis victos. Itaque ni properè fit quod impero, ut sciri vos jam jubeo*: afferrique catenas, & circumsistere lictores jussit. Tum fracta Phæneæ ferocia, Ætolis-

INTERPRETATIO.

a *Præsente & quasi præsidente Flacco.*

b *Proferre quæ ad vetera fœdera pertinebant.*

NOTÆ.

2. *Et totam in preces orationem versam.*] Magisque ipsis profuturum, si orationem suam omnem verterent in preces.

3. *Et suppliciter agentibus iis se adfuturum.*] In scriptis qui penes me, Regiis duobus & Colb. constanter legitur absque pronomine, *& suppliciter agentibus iis profuturum, & apud Consulem, & Romæ in Senatu*; receptam lectionem suadet quod dicitur cap. 28. sub finem, *inducias Ætolis datas petère pro eis Flacco.*

4. *Ut in fidem se permitterent Romanorum.*] Aliud *fidei se committere*, aliud *se dedere*: deditionis enim pactum omnia subjicit potestati victoris, salutem quoque ipsam eorum qui se dedunt.

1. *More Romano imperium id habeam in deditos.*] Gron. scribit, *imperium inhibeam*, id est, *exerceam*: sed sufficit quod imperium habeat, ut eo uti possit: mos autem vetustus Romanorum hac in re explicatur à nostro lib. 28. cap. 24. *mos*

que aliis eſt: & tandem cujus conditionis eſſent, ſenſere. & ſe quidem Phæneas, & qui adſint Ætolorum, *Scire facienda eſſe quæ imperarentur, dixit: ſed ad decernenda ea conſilio Ætolorum opus eſſe. ad id petere, ut decem dierum inducias daret.* Petente Flacco pro Ætolis, induciæ datæ: & Hypatam reditum eſt. Ubi quum in concilio delectorum, quos Apocletos vocant, Phæneas & quæ imperarentur, & quæ ipſis propè accidiſſent, expoſuiſſet; ingemuerunt quidem principes conditioni ſuæ, parendum tamen victori cenſebant, & ex omnibus oppidis convocandos Ætolos ad concilium. Urb. cond. an. 562. Coſſ. P. Scipione & Manio Acilio Glabrione.

XXIX. Poſteaquàm verò omnis coacta multitudo eadem illa audivit, adeo ſævitia imperii atque indignitate exaſperati animi ſunt, ut ſi in pace fuiſſent, illo impetu iræ concitari potuerint ad bellum. Ad iram accedebat & difficultas eorum quæ imperarentur: quonam modo enim utique regem Amynandrum ſe tradere poſſe? Et ſpes fortè oblata, quod Nicander eo ipſo tempore ab rege Antiocho veniens, implevit expectatione vana multitudinem; terra marique ingens parari bellum. Is duodecimo die quam conſcenderat navem, in Ætoliam perfecta legatione rediens, Phaleram in ſinu Maliaco tenuit. inde Lamiam pecuniam quum devexiſſet, ipſe cum expeditis[1] veſperâ primâ inter Macedonum Romanaque caſtra medio agro dum Hypatam notis callibus petit, in ſtationem incidit Macedonum: deductuſque ad regem eſt, [2] nondum convivio dimiſſo. Quod ubi nunciatum eſt, vèlut hoſpitis, non hoſtis, adventu motus Philippus, accumbere eum epularique juſſit: atque inde dimiſſis aliis ſolum retentum, *ipſum quidem de ſe timere quidquam vetuit, Ætolorum prava conſilia, atque in ipſorum caput ſemper recidentia accuſavit. qui primùm Romanos, deinde Antiochum in Græciam adduxiſſent. Sed præteritorum, quæ magis reprehendi, quàm corrigi poſſint, oblitum ſe, non factурum, ut inſultet adverſis rebus eorum. Ætolos quoque finire tandem ad verſus ſe odia debere; & Nicandrum privatim ejus diei, quo ſervatus à ſe foret, meminiſſe.* Ita datis qui intutum eum proſequerentur, Hypatam Nicander conſultantibus de pace Romana ſupervenit, Poſſe. ne.

XXX. Manius Acilius vendita aut conceſſa militi circa Heracleam præda, poſteaquàm nec Hypatæ pacata eſſe conſilia, & Naupactum concurriſſe Ætolos, ut inde totum impetum belli ſuſtinerent, audivit; præmiſſo Ap. Claudio cum quatuor millibus militum ad occupanda juga, quà difficiles tranſitus montium erant, ipſe Octam aſcendit, Herculique ſacrificium fecit in eo loco quem [3] Pyram, quòd ibi mortale corpus ejus

NOTÆ.

vetuſtius erat Romanis, cum quo nec fœdera nec aquis legibus jungeretur amicitia, non priùs imperio in eum tanquam pacatum uti, quàm omnia divina humanaque deduciſſet.

1. *Veſperâ primâ*] Gall. *ſur l'entrée de la nuit.*

2. *Nondum convivio dimiſſo.*] Gall. *qui eſtoit ſur la fin du repas.*

3. *Pyram, quòd ibi mortale corpus ejus*

Urb. cond. an. 562. Coss. P. Scipion. & Manio Acilio Glabrione.

Dei sit crematum, appellant. inde toto exercitu profectus, reliquum iter satis expedito agmine fecit. [1] Ut ad Coracem est ventum (mons est altissimus [2] inter Callipolim & Naupactum, ibi & jumenta multa ex agmine præcipitata cum ipsis oneribus sunt, & homines vexati. Id facilè apparebat, quàm cum inerti hoste res esset, qui tam impeditum saltum nullo præsidio, ut clauderet transitum, insedisset. Tum quoque vexato exercitu, ad Naupactum descendit: & uno castello adversus aream posito, cæteras partes urbis, divisis copiis pro situ mœnium, circumsedit. nec minus operis laborisque ea oppugnatio, quàm Heracleæ habuit. 5

XXXI. Eodem tempore & Messene in Peloponneso ab Achæis, quod concilii eorum recusaret esse, oppugnari cœpta est. Etenim duæ civitates Messene & Elis extra concilium Achaicum erant: cum Ætolis sentiebant. Elei tamen, post fugatum ex Græcia Antiochum, legatis Achæorum leniùs respondérant; *dimisso præsidio regio cogitaturos se quid sibi faciendum esset*. Messenii sine responso dimissis legatis moverant bellum; trepidique rerum suarum, quum jam ager effuso exercitu passim ureretur, castraque prope urbem poni viderent: legatos Chalcidem ad T. Quintium auctorem libertatis miserunt, qui nunciarent, Messenios Romanis, non Achæis, & aperire portas, & dedere urbem paratos esse. Auditis legatis, extemplo [1] profectus Quintius à Megalopoli, ad Diophanem Prætorem Achæorum misit, qui extemplo reducere eum à Messene exercitum, & venire ad se juberent. Dicto paruit Diophanes: & soluta obsidione, expeditus ipse prægressusagmen, [2] circa Andaniam parvum oppidum inter Megalopolim, Messenemque positum, Quintio occurrit .. & quum causas oppugnationis exponeret, castigatum leniter, quòd tantam rem sine auctoritate sua conatus esset; dimittere exercitum jussit: nec pacem omnium bono partam turbare: Messeniis imperavit, ut exules reducerent, & Achæorum concilii esse. si qua haberent, de quibus aut recusare, aut in posterum cavere sibi vellent, Corinthum ad se venirent. Diophanem concilium Achæorum.

10 15 20 25

NOTÆ.

Dei sit crematum.] Nota est fabula Herculis, qui cùm vestem, Nessi centauri sanguine illitam, atque à Dejanira uxore, hic mariti amorem in se vertendam à Centauro persuasa, missam, sacrificaturus induisset, vi veneni illius in eum furorem adactus memoratur, ut constructo rogo sese combusserit: post mortem verò in Deorum numerum relatus est.

1. *Ut ad Coracem*.] In Ætolia esse hunc montem hinc patet. Maximum Aetoliæ Strabo appellat: Ptolemæus inter Callidromum ponit & Parnassum.

2. *Inter Callipolim & Naupactum*.] Hujus *Callipolis* Ætoliæ vix alibi mentio, præterquàm apud Appianum, qui hunc Livii locum imitatus videtur.

1. *Profectus Quintius à Megalopoli*.] In hanc lectionem consentiunt exarati quos vidi, nec quidquam mutandum: est enim sententia satis aperta, nempe Quintium, profectum Chalcide (sive Euboica, sive Corinthiaca) postquàm Megalopolim Arcadiæ ut bene perveniset, inde ad Diophanem Prætorem Achæorum, qui castra ad Messenen habebat, misisse.

2. *Circa Andaniam*.] Messeniæ oppidum extrem-

extemplo sibi præbere jussit. Ibi 3 de Zacyntho intercepta per fraudem insula quæstus, postulavit, ut restitueretur Romanis. Philippi Macedonum regis Zacynthus fuerat: eam mercedem Amynandro dederat, ut per Athamaniam ducere exercitum in superiorem partem Ætoliæ liceret. qua expeditione fractis animis, Ætolos compulit ad petendam pacem. Amynander Philippum Megalopolitanum insulæ præfecit: posteà per bellum, quo se Antiocho adversus Romanos conjunxit, Philippo ad munia belli revocato, Hieroclem Agrigentinum successorem misit. Urb. cond. an. 562. Coll. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.

XXXII. Is post fugam ab Thermopylis Antiochi, Amynandrumque à Philippo Athamania pulsum, missis ultrò ad Diophanem prætorem Achæorum nunciis, pecuniam pactus, insulam Achæis tradidit. Id præmium belli suum esse, æquum censebant Romani. non enim Manium Acilium consulem legionesque Romanas Diophani & Achæis ad Thermopylas pugnasse. Diophanes adversus hæc purgare interdum sese, gentemque: interdum de jure facti disserere. Quidam Achæorum & initio eam se rem aspernatos testabantur, & tunc pertinaciam increpitabant prætoris: auctoribusque iis decretum est, ut T. Quintio ea res permitteretur. Erat Quintius sicut adversantibus asper; ita, si cederes, idem placabilis. Omissa igitur contentione vocis vultusque, *Si utilem*, inquit *possessionem ejus insulæ censerem Achæis esse, auctor essem senatui populoque Romano, ut eam vos habere sinerent. cæterùm sicut testudinem, ubi collectæ in suum tegumen est, tutam ad omnes ictus video esse; ubi exerit partes aliquas, quodcumque nudavit, obnoxium atque infirmum habere; haud dissimiliter vos Achæi clausos undique mari, quæ intra Peloponnesi sint terminos, ea & jungere vobis, & juncta tueri facilè. simul aviditate plura amplectendi hinc excedatis; nuda vobis omnia, quæ extra sint, & exposita ad omnes ictus esse.* Assentiente omni concilio, nec Diophane ultrà tendere ansos, Zacynthus Romanis traditur.

XXXIII. Per idem tempus Philippus rex proficiscentem consulem ad Naupactum percunctatus, [1] si se interim quæ defecissent ab societate Romana urbes, recipere vellet; permittente eo, ad Demetriadem copias admovit; haud ignarus quanta ibi tum perturbatio esset. Destituti enim ab omni spe, quum desertos se ab Antiocho, spem nullam in Ætolis esse cernerent; dies noctesque aut Philippi hostis adventum; aut infestiorem etiam, quò justius irati erant, [2] Romanorum expectabant. Turba erat ibi incondita regiorum: qui primò pauci in præsidio relicti, posteà plures, plerique inermes ex prælio adverso fuga delati, nec virium, nec animi satis ad obsidionem tolerandam habebant,

NOTÆ.

fuit *Andania* ad dextram Pamisi.

3. *De Zacyntho.*] Insula Siculi, seu Ionii maris ad meridiem Cephaleniæ posita, & Chelonati Elidis promontorio ad occasum opposita: hodie *il Zante*: urbem habet cognominem cum arce.

1. *Si*, &c.] Pro *an vellet*.

2. *Romanorum.*] Repete *adventum*.

Urb. cond. an. 562. Coss. P. Scipion. & Manio Acilio Glabrione.

itaque præmissis à Philippo qui spem impetrabilis veniæ ostendebant, responderunt, patere portas regi. Ad primum ejus ingressum principum quidam urbe excessernnt: Eurylochus sibi mortem conscivit. Antiochi milites (sic enim pacti erant) per Macedoniam Thraciamque, prosequentibus Macedonibus: ne quis eos violaret, Lysimachiam deducti sunt. Erant & paucæ naves Demetriade, quibus præerat Isidorus: eæ quoque cum præfecto suo dimissæ sunt.

XXXIV. Inde 1 Dolopiam, 2 & Aperantiam, 3 & Perrhœbiæ quasdam civitates recepit. Dum hæc à Philippo geruntur, T. Quintius receptа Zacyntho, ab Achaico concilio, Naupactum trajecit: quæ jam per duos menses (sed prope excidium erat) oppugnabatur, & si capta vi foret, omne ibi nomen Ætolorum ad internecionem videbatur venturum. Cæterùm quanquam meritò iratus erat Ætolis, quòd solos obtrectâsse gloriæ suæ, quum liberaret Græciam, meminerat, & nihil auctoritate sua motos esse, quum quæ tum maximè acciderant, casura prænonens, à furioso incœpto eos deterrerent; tamen, sui maximè operis esse credens, nullam gentem liberatæ à se Græciæ fundicus everti, obambulare muris, ut facilè nosceretur ab Ætolis, cœpit. Consestim à primis stationibus cognitus est, vulgatumque per omnes ordines, Quintium esse. itaque concursu facto undique in muros, manus pro se quisque tendentes, consonante clamore nominatim Quintium orare, ut opem ferret ac servaret. Et tum quidem, quanquam moveretur his vocibus, manu tamen abnuit, quidquam opis in se esse. Cæterùm posteaquàm ad consulem venit: *Utrumfallit*, inquit, *te Mani Acili, quid agatur? an quum satis provideas, nihil id magnopere ad summam rempublicam pertinere censes?* Erexerat expectatione consulem; &, *Quin expromis*, inquit, *quid rei sit?* Tum Quintius: *Ecquid vides te devicto Antiocho in duabus urbibus oppugnandis tempus terrere, quum jam propè annus circumactus sit imperii tui. Philippum autem, qui non acrem, non signa hostium vidit, non solùm urbes, sed tot jam gentes, Athamaniam, Perrhœbiam, Aperantiam, Dolopiam sibi adjunxisse? Atqui non tantùm interest nostra, Ætolorum opes ac vires minui, quantùm non supra modum Philippum crescere: & victoriæ tuæ præmium te*

NOTÆ.

1. *Dolopiam.*] Pindo monti subjecti ad meridiem *Dolopes*, Molossis ad Septentrionem, interjacente Tomaro monte: populi fuere Epiri, in confinio Thessaliotidis & Estiæotidis, inter Æthices ad occasum æstivum & Athamanes ad ortum hibernum: eorum urbs *Menelais*: hodie regunculis illorum dicitur *Onoblacha* Ottelio teste.

2. *Et Aperantiam.*] Exiguus Epiri populus *Aperantia* ad Acheloi fontes inter Molossos & Amphilochos ad occasum, Athamanes ad ortum, Agræos ad meridiem, Dolopes ad Boream, in Thessaliotarum confinio fuere.

3. *Et Perrhœbiæ.*] Fuere Perrhœbi populi per Thessaliam sparsi: sed hoc tempore circa Penei ostia inter Olympum & Pierium montes ad Septentrionem, atque Ossam ad meridiem: eorum tamen pars in Epiro fuit inter Dryopes ad Septentrionem, Athamanes ad occasum, Ætolos ad meridiem, Phocenses ac Doreas ad ortum.

militesque tuos nondum tot urbes, quot Philippum gentes Græciæ habere.

XXXV. Absentiebatur his consul, sed pudor, si irrito incepto abscederet obsidione, occurrebat. tota inde Quintio res permissa est. Is rursus ad eam partem muri, qua paulò antè vociferati Ætoli fuerant, rediit, ibi quum impensius orarent, ut misereretur gentis Ætolorum; exire aliquos ad se jussit. Phæneas ipse principesque alii extemplo egressi sunt. quibus provolutis ad pedes: *Fortuna*, inquit; *vestra facit, ut & in nostra & vicinorum temperem. Evenerunt quæ prædixi eventura. & ne hoc quidem velim, qui vobis est, ut indignis accidisse ea videantur. Ego tamen feci quædam moriendis Græciæ datus, ne ingratis quidem beneficere obstitissem. Mittite oratores ad consulem qui inducias tantum temporis petant, ut mittere legatos Romam possitis, per quos senatui de vobis permittatis. Ego apud consulem deprecator defensorque vobis adero.* Itaut censuerat Quintius, fecerunt: nec aspernatus est legationem consul. inducisque in diem certum datis, qua legatio renunciari ab Roma posset, soluta obsidio est, & exercitus in Phocidem missus. Consul cum L. Quintio ad Achaicum concilium [1] Ægium trajecit. sibi de Elcis & exulibus Lacedæmoniorum restituendis actum. & neutra perfecta res: quia suæ gratiæ referebant eam Achæi, Elei per se ipsi, quàm per Romanos maluerunt. Acilio contribui concilio. Epirotarum legati ad eundem venerunt, quos non sincera fide in amicitia fuisse satis constabat: militem tamen nullum Antiocho dederant. pecunia juvisse eum insimulabantur: legatos ad regem ne ipsi quidem misisse inficiabantur. iis petentibus, ut in amicitia pristina esse liceret, respondit consul: *Se, utrum hostium, an pacatorum eos numero haberet, nondum scire. Senatum ejus rei judicem fore. Integram se causam eorum Romam rejicere. inducias ad id diem nonaginta dare.* Epirotæ Romam missi senatum adierunt. iis magis quæ non fecissent hostilia referentibus, quàm purgantibus ea, de quibus arguebantur, responsum datum est, quo veniam impetrasse, non causam probasse videri possent. Et Philippi regis legati sub idem tempus in senatum introducti, gratulantes de victoria. iis petentibus, ut sibi sacrificare in Capitolio, donumque ex auro liceret ponere in æde Jovis, Optimi Maximi, permissum ab senatu. [2] eorum pondo coronam auream posuerunt. Non responsum solùm benignè legatis est: sed Philippi quoque filius Demetrius, qui obses Romæ erat, ad patrem reducendus legatis datus est. Bellum quod cum Antiocho rege in Græcia gestum est à Manio Acilio consule, hunc finem habuit.

Urb. cond. ann. 562. Coss. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.

XXXVI. Alter consul P. Cornelius Scipio Galliam provinciam sortitus, priusquàm ad bellum, quod cum Bojis gerendum erat, pro-

NOTÆ.

1. *Ægium trajecit.*] A Messenia *Ægium* sed Alpheus, aliique fluvii: terrestre est iter, nec trajiciendum unde. 2. *Centum pondo coronam auream.*] Auri-

Urb. cond. an. 562. Coss. P. Scipion. & Manio Acilio Glabrione.

ficiſceretur, poſtulavit ab ſenatu, ut pecunia ſibi decerneretur ad ludos, quos prætor in Hiſpania inter ipſum diſcrimen pugnæ voviſſet. Novum atque iniquum poſtulare eſt viſus. cenſuerunt ergo *quos ludos incon-ſulto ſenatu ex ſua unius ſententia voviſſet, eos* [1] *uti de manubiis, ſi quam pecuniam ad id reſervaſſet, vel ſua ipſe impenſa faceret.* eos ludos per dies decem P. Cornelius fecit. Per idem ferè tempus ædes Matris magnæ Ideæ dedicata eſt: quam Deam is P. Cornelius advectam ex Aſia, P. Cornelio Scipione, cui poſt Africano fuit cognomen, P. Licinio conſulibus in Palatium à mari detulerat. Locaverant ædem faciendam ex ſenatuſconſulto M. Livius, C. Claudius cenſores, M. Cornelio, P. Sempronio conſulibus: tredecim annis poſtquàm locata erat, dedicavit eam M. Junius Brutus: ludique ob dedicationem ejus facti, [2] quos primos ſcenicos fuiſſe, Valerius Antias eſt auctor, Megaleſia appellatos. Item [3] Juventatis ædem in Circo Maximo C. Licinius Lucullus duumvir dedicavit. Voverat eam ſexdecim annis antè M. Livius conſul, quo die Aſdrubalem exercitumque ejus cecidit. idem cenſor eam faciendam locavit, M. Cornelio, P. Sempronio conſulibus. Hujus quoque dedicandæ cauſa ludi facti: & eo omnia cum majore religione facta, quod novum cum Antiocho inſtabat bellum.

XXXVII. Principio ejus anni, quo hæc, jam profecto ad bellum Manio Acilio, manente adhuc Romæ P. Cornelio conſule agebantur, boves duos domitos [1] in Carinis per ſcalas perveniſſe in tegulas ædificii, proditum memoriæ eſt. Eos vivos comburi, cineremque eorum dejici in Tiberim, æruſpices juſſerunt. Tarracinæ & Amiterni nunciatum eſt, aliquoties lapidibus pluiſſe. Minturnis ædem Jovis & tabernas circa forum de cœlo tactas eſſe: Vulcurni in oſtio fluminis duas naves fulmine ictas conflagraſſe. Eorum prodigiorum cauſa libros Sibyllinos ex Senatuſconſulto decemviri quum adiſſent, renunciarunt; *Jejunium in-*

NOTÆ.

pondus illud coronam indicat quinquaginta & ſex millia librarum ſolâ materiâ æquantem.

1. *Uti de manubiis.*] Aſſentior Gronovio ſic emendanti ſcripturam veterem, *ut idem manubiis*. Nec tamen abſona eſt vulgaris lectio, *vel de manubiis*.

2. *Quos primos ſcenicos fuiſſe.*] Rectè notat Glar. non nunc primùm celebratos fuiſſe Romæ *Scenicos ludos* teſte ipſo Livio lib. 29. & 34. ſed nunc primùm *Megaleſia* dictos eſſe, ſeu Megalenſes, à magna Deûm matre, cujus in honorem celebrati: eſt enim μεγάλη Græcè idem quod *magna* Latinè.

3. *Juventatis ædem.*] Sigonius, ut & Victor. & Gron. contendunt ſcribendum eſſe *Iuventutis*: Scaliger tamen ad Pod. Feſtum docet indifferenter dici & *Juventatem* & *Juventutem*: addo & *Juventam*: quæ tria nomina tam pro ætate juvenili, quàm pro Hebe juventutis Dea accipiuntur. *Iuventutem* certè dixit pro Dea Plin. lib. 35. cap 8. *Pinxit hic raptum Proſerpinæ, qua tabula fuit in Capitolio, in Minervæ delubro ſupra aediculam Iuventutis*. Et pleraque auctorum loca *Iuventatis* nomen habent ex correctione, non ex prima ſcriptura.

1. *In Carinis.*] Fuere *Carinæ* cum Cœlio monte conjunctæ, quà is Eſquilinam ſpectat ſupra ſuburram, caput Viæ Sa-

ſtituendum Cereri eſſe, & id quinto quoque anno ſervandum: & ut novendiale ſacrum fieret, & unum diem ſupplicatio eſſet, coronati ſupplicarent: & conſul P. Cornelius, quibus Diis quibuſque hoſtiis edidiſſent decemviri, ſacrificaret. Placatis Diis, nunc votis ritè ſolvendis, nunc prodigiis expiandis, in provinciam proficiſcitur conſul: atque inde Cn. Domitium proconſulem dimiſſo exercitu, Romam decedere juſſit: ipſe in agrum Bojorum legiones induxit. Urb. cond. an. 562. Coſſ. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.

XXXVIII. Sub idem ferè tempus Ligures lege ſacratâ coacto exercitu, nocte improviſo caſtra Q. Minucii proconſulis aggreſſi ſunt. Minucius uſque ad lucem intra vallum militem inſtructum tenuit; intentus ne qua tranſcenderet hoſtis munimenta. Primâ luce duabus ſimul portis eruptionem fecit. nec primo impetu, quod ſperaverat, Ligures pulſi ſunt: duas ampliùs horas dubium certamen ſuſtinuere. Poſtremò quum alia atque alia agmina erumperent; & integri ſeſſis ſuccederent ad pugnam, tandem Ligures inter cætera etiam vigiliis confecti, terga dederunt. cæſa ſuper quatuor millia hoſtium: ex Romanis, ſociiſque minus trecenti perierunt. Duobus ferè poſt menſibus, P. Cornelius conſul cum Bojorum exercitu ſignis collatis egregiè pugnavit. Duodetriginta millia hoſtium cæſa, Antias Valerius ſcribit: capta tria millia & quadringentos: ſigna militaria centum viginti quatuor: equos miſſe ducentos triginta: carpenta ducenta quadraginta ſeptem: ex victoribus mille quadringentos octoginta quatuor cecidiſſe. Ut in numero ſcriptori parum fidei ſit (quia in augendo eo non alius intemperantior eſt) magnam victoriam fuiſſe apparet, quod & caſtra capta ſunt, & Boji poſt eam pugnam extemplo dediderunt ſeſe, & quòd ſupplicatio ejus victoriæ cauſa decreta ab ſenatu, victimæque majores cæſæ.

XXXIX. Per eoſdem dies M. Fulvius Nobilior ex ulteriore Hiſpania ovans urbem eſt ingreſſus. [1] argenti tranſtulit decem millia pondo: [2] bigati argenti centum & triginta: [3] auri centum viginti quinque. P. Cornelius conſul primò obſidibus à Bojorum gente acceptis, agri parte ferè dimidiâ eos mulctavit: quo ſi vellet, populus Romanus colonias mittere poſſet. Inde Romam, ut ad triumphum haud dubium, decedens, exercitum dimiſit, & adeſſe Romæ ad diem triumphi juſſit. ipſe poſtero die quàm venit, ſenatu in ædem Bellonæ vocato, quum de rebus ab ſe geſtis diſſeruiſſet, poſtulavit, ut ſibi triumphanti liceret in urbem invehi. P.

NOTÆ.

æræ, in tertiâ poſteâ regione, cui nomen Iſis & Serapis moneta, ubi deinde Theatrum Veſpaſiani.

1. *Argenti tranſtulit decem millia pondo.*] Librarum noſtratium trecenta & ſexaginta millia.

2. *Bigati argenti centum & triginta.*] Supple *millia*; qui denariorum numerus efficit quinquaginta & duo millia librarum.

3. *Auri centum viginti quinque.* Sic habent manu exarati tres quibus utor: at hic non *millia* ſed *pondo* intelligenda putem, Galliæ 685 *libras*.

Urb. cond. an. 562. Coſſ. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.

Sempronius Blæſus tribunus plebis, *non negandum Scipioni, ſed differendum honorem triumphi cenſebat. Bella Ligurum Gallicis ſemper junctа fuiſſe: eas inter ſe gentes mutua ex propinquo ferre auxilia. Si P. Scipio, devictis acie Bojis, aut ipſe cum victore exercitu in agrum Ligurum tranſiſſet, aut partem copiarum Q. Minucio miſiſſet, qui jam tertium ibi annum dubio detineretur bello, 4 debellari cum Ligu*ribus potuiſſe. *Nunc ad triumphum frequentandum deductos eſſe milites, qui egregiam navare operam reipublicæ potuiſſent: poſſent etiam, ſi ſenatus, quod feſtinatione triumphi prætermiſſum eſſet, id reſtituere, differendo triumpho, velle. Juberent conſulem cum legionibus redire in provinciam; dare operam ut Ligures ſubigantur. Niſi illi cogantur 5 in jus judiciumque populi Romani; ne Bojos quidem quieturos. aut pacem, aut bellum ubique habenda. Devictis Liguribus paucos poſt menſes proconſulem P. Cornelium multorum exemplo qui in magiſtratu non triumphaverunt, triumphaturum eſſe.*

XL. Ad ea conſul: *Neque ſe Ligures provinciam ſortitum eſſe, ait: neque cum Liguribus bellum geſſiſſe, neque triumphum de iis poſtulare. Q. Minucium conſidere brevi ſubactis iis meritum triumphum poſtulaturum atque impetraturum eſſe. ſe de Gallis Bojis poſtulare triumphum, quos acie vicerit, caſtris exuerit: quorum gentem biduo poſt pugnam totam acceperit in deditionem: à quibus obſides abduxerit, pacis futuræ pignus. Verum enimvero illud multo majus eſſe, quod tantum numerum Gallorum ceciderit in acie, 1 quod cum tot millibus certè Bojorum nemo ante ſe imperator pugnaverit: 2 plus partem dimidiam ex quinquaginta millibus hominum cæſam, multa millia capta: ſenes puerosque. 3 Bojis ſupereſſe. Itaque id quamquam mirari poſſe, cur victor exercitus, quam hoſtem in provincia neminem reliquiſſet, Romam venerit ad celebrandum conſulis triumphum? Quorum multum ſi & in alia provincia opera uti Senatus velit: utro tandem modo promptiores ad aliud periculum novumque laborem iturus exedat, ſi perſoluta is ſine detrectatione prioris periculi laborisque mercis ſit.*

NOTÆ.

4. *Debellari cum Liguribus.*] Bellum Ligusticum ad finem perduci potuiſſe.

5. *In jus judiciumque populi Romani.*] Impreſſi habent *in jus ditionemque populi Romani*. Sed contra ſcriptorum fidem, qui oſtendunt formulâ hic aliâ uti Livium voluiſſe, quam & lib. 39 repetit, ubi Athamanum legati inducuntur dicentes *totam Athamaniam ſub jus judiciumque venuſſe*. & lib. 41. ubi Perſeus dicitur *ſub jus judiciumque ſuum totum ſe geſſiſſe gentem Dolopum.*

1. *Quod cum tot millibus.*] Rubenio placebat, ductâ ex Bisbii Cod. conjecturâ, *quot cum millibus certè Bojorum nemo ante ſe ſe Imperator pugnaverat.* Et potuit ſanè rem ſic tecte exprimere Livius: ſed eodem recidit ſententia vulgatæ lectionis, cui & ſcripti plerique omnes adſuppulantur: ita ut nihil opus ſit locum hunc ſanum nullo operæ pretio vexari.

2. *Plus partem dimidiam.*] Nihil hic quoque mutari neceſſe eſt, ut Lipſius, Gron. perinde enim dicitur *majorem partem*, vel *partem dimidiam*, ac *partes*, vel *pro parte majori*, aut *media*, &c. accuſandi caſu, loco ablativi. Sic Tac. 14. cap. 47. amplius *jupra centum millia hominum capta.* Occurrunt quæ ſimiles paſſim apud noſtrum loquendi formæ.

3. *Bojis ſupereſſe.*] Vulg. tantùm inadd

an si ſpem pro re ferentes dimittant, jam ſemel in prima ſpe deceptos? Nam quod ad ſe attineat, ſibi gloriæ in omnem vitam illo die ſatis quæſitum eſſe: quo ſe virum optimum judicatum ad accipiendam matrem Idæam miſiſſet ſenatus. Hoc titulo, etſi nec conſulatus, nec triumphus addatur, ſatis honeſtam honoratamque P. Scipionis Naſicæ imaginem fore. univerſus ſenatus, non ipſe modò ad decernendum triumphum conſenſit, ſed etiam tribunum plebis auctoritate ſua compulit ad remittendam interceſſionem. P. Cornelius conſul triumphavit de Bojis. in eo triumpho Gallicis carpentis arma ſignaque & ſpolia omnis generis tranſvexit, & vaſa ænea Gallica: & cum captivis nobilibus equorum quoque captorum gregem traduxit. Aureos torques tranſtulit mille quadringentos ſeptuaginta. ad hæc [4] auri pondo ducenta quadraginta quinque, [5] argenti infecti factique in Gallicis vaſis non infabrè ſuo more factis, duo millia trecenta quadraginta pondo, [6] bigatorum nummorum ducenta triginta tria militibus, qui currum ſecuti ſunt, [7] trecentos vicenos quinos aſſes diviſit: duplex centurioni, triplex equiti. Poſtero die, concione advocata, de rebus ab ſe geſtis, & de injuria tribuni bello alieno ſe illigantis ut ſuæ victoriæ fructu ſe defraudaret, quum diſſeruiſſet, milites exauctoratos dimiſit. Urb. cond. an. 562. Coſſ. P. Scipion. & Manio Acilio Glabrione.

XLI. Dum hæc in Italia geruntur, Antiochus Epheſi ſecurus admodum de bello Romano erat; tanquam non tranſituris in Aſiam Romanis. quam ſecuritatem ei magna pars amicorum, aut per errorem aut aſſentando faciebat. Annibal unus, [1] cujus eo tempore ut maxima apud regem auctoritas erat, *Magis mirari ſe*, ajebat, *quod non jam in Aſia eſſent Romani, quàm venturos dubitare.* [2] *Propius eſſe in*

NOTÆ.

pueros & ſenes à ſe relictos in Bojorum regione: ſive nonniſi ſenes & pueros: juventutem autem ferè totam cæſam, captam, aut obſidum nomine abductam.

4. *Auri pondo ducenta quadraginta quinque.*] Gall. *La valeur de* 137200. *livres en lingots d'or.*

5. *Argenti infecti factique, &c. duo millia trecenta quadraginta pondo.*] Gall. *en argent fait mis en œuvre, ſoit en maſſe, la valeur de* 82240. *livres.*

6. *Bigatorum nummorum ducenta triginta tria.*] Gall. *en pieces de monnoye d'argent marquées au chariot attelé à deux chevaux, la valeur de* 9905. *livres.*

7. *Trecenorvicenos quinos aſſes.*] Libras noſtras hodiernas circiter quindecim eum aſſibus duodenis æquabat hujuſmodi largitio.

1. *Cujus eo tempore ut maxima apud regem auctoritas erat.*] Cùm in hanc ſcripturam conſentiant cum priſcis editionibus codices manu exarati; fortè pro *ut quæ maxima* legendum auguratur Gron. Quidni potiùs *vel maxima*? certè earum non eſt vocabulum *ut* pro *vel* Librariorum incuriâ ſcribi.

2. *Propius eſſe in Aſiam ex Græcia.*] *Propiùs* dixit pro eo quod eſt *promptius, facilius*, jam ſcilicet pollentibus mari Romanis, poſt devictam Græciam trajicere in Aſiam, quam hanc adhuc liberam ex Italia aggredi, cùm minorem haberent claſſem. Cæterùm latius eſt Ægæum mare, quo Aſia ditimitur à Græcia, quam Adriaticus ſinus, qui Græciam ab Italia ſejungit; nam Helleſponto ac Boſphoro Thracico, (anguſtioribus Hadriatico ſinu) non Græcia, ſed Thracia Romanis adhuc armis intacta ab Aſia diſpeſcitur.

Ueb. cond. an. 562. Coſſ. P. Scipion. & Manio Acilio Glabrione.

Aſiam ex Græcia, quàm ex Italia in Græciam trajicere: 3 & multo majorem cauſam Antiochum, quàm Ætolos eſſe. 4 neque enim mari minus quàm terra pollere Romana arma. jampridem claſſem circa Malcam eſſe. Audire ſeſe, nuper novas naves novumque imperatorem rei gerendæ causâ ex Italia veniſſe. Itaque deſineret Antiochus pacem ſibi ipſe ſpe vanâ facere. In Aſia, & de ipſa Aſia brevi terrâ marique dimicandum ei cum Romanis eſſe: & aut imperium adimendum orbem terrarum affectantibus, aut ipſi regnum amittendum. Unus vera & providere & fideliter prædicere viſus. itaque ipſe rex navibus, quæ paratæ inſtructæque erant, 5 Cherſoneſum petit: ut ea loca, ſi fortè terra venirent Romani, præſidiis firmaret. cæteram claſſem Polyxenidam parare, & deducere juſſit; ſpeculatorias naves ad omnia exploranda circa inſulas dimiſit.

XLII. C. Livius præfectus Romanæ claſſis, cum quinquaginta navibus tectis profectus ab Roma Neapolim, quo ab ſociis ejus oræ convenire juſſerat apertas naves, quæ ex fœdere debebantur, Siciliam inde petit: freto-que Meſſanam prætervectus, quum ſex Punicas naves ad auxilium miſſas accepiſſet, ab Rheginis Locriſque, & ejuſdem juris ſociis debitas exegiſſet naves; luſtrata claſſe ad Lacinium, altum petit. Corcyram, quam primam Græciæ civitatum adiit, quum veniſſet, percunctatus de ſtatu belli (necdum enim in Græcia perpacata erant) & ubi claſſis Romana eſſet; poſteaquàm audivit circa Thermopylarum ſaltum in ſtatione conſulem 1 ac regem eſſe, claſſem Piræi ſtare; maturandum ratus omnium rerum causa, pergit protinus navigare. Peloponneſum, 2 Samen Zacynthumque,

NOTÆ.

3. *Et multò majorem cauſam Antiochum.*] Referri poteſt *major cauſa* vel ad lacceſſitos in Græcia Romanos, vel ad fructum victoriæ, qui longè uberior ex magno rege Antiocho in Aſia devicto, quam ex Ætolis, qui inter Græciæ gentes non eminebant, vix Achæis aut Athenienſibus hiſce temporibus compa-randi.

4. *Neque enim mari.*] Ex cauſis quas profert Annibal proſequendi à Romanis in Aſia belli adverſus Antiochum, facilitatem nempe trajiciendi è Græcia, & victoriæ emolumentum, ratio quæ hic additur, ad priorem potiùs quam ad poſteriorem refertur, ut rectè advertit Gron. ſed non ſemper ad juſtam ratiocinationem atque ad Dialecticorum leges exigendi Ducum ſermones.

5. *Cherſoneſum.*] Peninſulam nempè Thraciæ, in qua Lyſimachia.

1. *Ac regem.*] Philippum Macedoniæ.

2. *Samen Zacynthumque.*] Veteres libri quibus utor, ſcribunt uno ductu *Peloponeſum tamen Saguntumque*: imperfidiſtinguunt, & *Peloponneſum* referunt ad ſuperiora; malè meo quidem judicio: neque enim dicendum eſſet *navigare Peloponneſum*, ſed *in* aut *verſus Peloponneſum*: eſt quippe Peloponneſus regio, non urbs, ut cuique notum: Livius quidem in præpoſitionum uſu Grammaticorum regulas minùs ſcrupulosè ſequitur: nihil tamen opus ad inſueta cæteris ſcriptoribus orationem ejus deflectere abſque neceſſitate. Vt nec *Samum* vel *Samen* ſubſtituere in locum particulæ adverſativæ *tamen*. Nec ſum neſcius *Samen*, quæ & *Samus* dicitur inſulam eſſe maris Ionii, Echinadum unam Dulichio proximam, Strabone teſte: cujus & Virgilius meminit: ſed ea ita exigua erat, ut parùm aut nihil intereſſet Romanorum has an illas partes ſequeretur. Nec ejus meminit Auctor noſter tanquam Aetolorum fœdus amplexæ, aut Aetolis quia

quia partis Ætolorum maluerant esse, protinus depopulatus, Maleam petit: & prosperâ navigatione usus, paucis diebus Piræum ad veterem classem pervenit. Ad Scyllæum Eumenes rex cum tribus navibus occurrit; quum Æginæ diu incertus consilii fuisset, utrum ad tuendum rediret regnum, (audiebat enim Antiochum Ephesi navales terrestresque parare copias, an nusquam abscederet ab Romanis, ex quorum fortunâ sua penderet. A Piræo A. Atilius traditis successori quinque & viginti navibus tectis, Romam est profectus. Livius 3 una & octoginta rostratis navibus, multis præterea minoribus, quæ aut apertæ rostratæ, aut sine rostris speculatoriæ erant, Delum trajecit. Urb cond. an. 562. Coss. P. Scipion. & Manio Acilio Glabrione.

XLIII. Eo ferè tempore consul Acilius Naupactum oppugnabat. Livium Deli per aliquot dies (& est ventosissima regio [1] inter Cycladas, fretis alias majoribus, alias minoribus divisas) adversi venti tenuerunt. Polyxenidas certior per dispositas speculatorias naves factus, Deli stare Romanam classem, nuncios ad regem misit. qui omissis quæ in Hellesponto agebat, cum rostratis navibus, quantum accelerare potuit, Ephesum rediit: & consilium extemplo habuit, faciendum periculum

NOTÆ.

subjectæ. Nihil itaque mutandum censeo, nisi quòd *Zacynthumque* malim, quàm ut est in plerisque scriptis, *Saguntinumque*: quanquam Saguntinum ipsum Hispaniæ à Zacynthiis conditum, atque appellatum non ignorem. Lego itaque *pergit protinus navigare* (Gallice, *il continua sa navigation.*) *Peloponesum tamen Zacynthumque, quia partis Ætolorum maluerant esse, protinus depopulatus.* Fateor nec Peloponesum, nec Zacynthum in partibus Ætolorum fuisse: sed quod de Zacyntho Sigonius conjicit Livium præfectum classis Romanæ Româ profectum eam insulam populatum esse, cui fortè nondum compertum erat ab Achæis agente Quintio concessam populo Romano: quidni idem de Laconia Peloponnesi parte vel maximè conjicia, conjici possit? Lacedæmonios certe Ætolorum antea socios fuisse constat ex Liv. lib. 25. cap. 23. Et hoc quoque tempore Nabidem Lacedæmoniorum tyrannum ad Ætolos defecisse, (quod noster lib. 35. cap. 13. & sequentibus narrat) quod C. Livius discere Romæ potuit: tyranni verò necem, quæ nonnisi cap. 35. memoratur, nondum didicisse credibile est, aut etiam si sciverit, tamen præteritam Lacedæmoniorum ut & Zacynthiorum culpam ulcisci voluerit: neque enim hic dicitur ideò Livium depopulatum hæc loca, quòd tunc partis Ætolorum essent, sed *quia* anteà *partis Ætolorum maluerant esse.*

3. *Una & octoginta rostratis navibus.*] Naves aliæ tectæ ad commodius navigandum pugnandumque aptæ: aliæ apertæ. Aliæ præterea rostratæ seu rostris æneis ferreisve armatæ ad pugnam: aliæ rostris carebant: omnium generum naves in classe C. Livii erant, sed majores tectæ ac rostris instructæ, atque ad pugnandum comparatæ octoginta & una numero fuere.

1 *Inter Cycladas.*] Insulæ maris Ægæi dividuntur præsertim in *Cycladas* & *Sporadas*: Illæ à Geresto Eubœæ promontorio circa Delum in orbem litæ unde & nomen traxere, numero ferè quinquaginta sunt, quarum præcipuæ Andrus, Tenos, Myconos, Scyros, Siphnus Seriphus, Præpesinthus, Cythnus, ipsique omnium & minima ferè & clarissima Delos: Oliaros præterea, Paros, Naxius. *Sporades* autem, ita dictæ, quòd per æquor sparsæ sint, absque ordine, ad meridiem & ortum deflectunt, Icaria, Jos Homeri sepulchro veneranda, Gyaros, aut etiam si seiverit, tamen præteritam Pathmos, Leros, Cimolus, Melos, Lemorgos, Thera, Therasia, Anaphe, Astypalæa.

Urb. cond. an. 562. Coil. P. Scipion. & Manio Acilio Glabrione.

navalis certaminis foret. Polyxenidas, *Negabat cessandum & utique priùs consligendum, quàm classis Eumenis, & Rhodiæ naves conjungerentur Romanis.* 2 *ita numero fermè impares futuros, ipsum cæteris omnibus superiorem, & celeritate navium, & varietate auxiliorum. Nam Romanas naves, quum ipsas inscitè factas immobiles esse, tum etiam, ut quæ in terram hostium veniant, one ratas commeatu venire: suas autem, ut pacata omnia circa se relinquentes, nihil præter militem atque arma habituras. multùm etiam adjuturam notitiam maris terrarumque & ventorum: quæ omnia ignaros turbatura hostes essent.* Movit omnes auctor consilii, qui & re consilium executurus erat. Biduum in apparatu morati: tertio die 3 centum navibus, quarum septuaginta tectæ, cæterę apertæ, 4 minoris omnes formæ erant, 5 profecti, Phocæam petierunt. inde quum audisset, appropinquare jam Romanam classem rex, quia non interfuturus navali certamini erat, 6 Magnesiam, quæ ad Sipylum est, concessit, ad terrestres copias comparandas. Classis ad Cyssuntem 7 portum Erythręorum (tanquam ibi aptius expectatura hostem) contendit. Romani, ubi primùm aquilones, (ii namque per aliquot dies tenuerant) cecidere, ab Delo 8 Phanas, portum Chiorum in Ægeum marę versum, petunt: inde 9 ad urbem circumegere naves, commeatuque sumpto, Phocęam trajiciunt. Eumenes Elæam ad suam classem profectus, paucis pòst inde diebus eum quatuor & viginti navibus tectis, apertis pluribus paulò, à Phocęa ad Romanos parantes instructeisque se ad navale certamen, rediit. Inde 3 centum quinquaginta tectis navibus, apertis fermè quinquaginta profecti, primò aquilonibus transversis quum urgerentur in terram, cogebantur tenui agmine propè in ordinem singulę naves

1 5 10 15 20 25

NOTÆ.

2. *Ita numero fermè impares futuros, ipsum cæteris omnibus superiorem esse,* &c.] Sic magno consensu scripti tres, qui apud me: nescio cur mutatum est: perspicuus enim sensus est, Romanos numero navium ferè impares, id est, inferiores potiùs quàm superiores futuros: ipsum verò Antiochum cæteris omnibus rebus superiorem. Vulgatis lectio *ita numero non fermè impares futuros se, cæteris omnibus superiores.*

3. *Centum navibus.*] Appianus *ducentas* numerat.

4. *Minoris omnes formæ erant.*] Conjicit Cronovius *Moneres omnes fermè erant*, id est, quæ uno remorum ordine agerentur, sed parum credibilis conjectura.

5. *Profecti Phocæam.*] Ad sinum Smyrnæum, a Leva influentis in eum Hermi, fuit Æolidis urbs *Phocæa*, unde orti Massilienses: hodie *Focchia*.

6. *Magnesiam quæ ad Sipylum est.*] Duplex in minori Asia est urbs hoc nomine: hæc ad Sipylum montem, in Lydia est ad Phrygiæ magnæ confinia, (ubi olim Niobe in rupem durata in fabulis memoratur) sub ipsud tempus victoriâ Scipionis Asiatici de Antiocho nobilitata est. Hodie *Manissa* Leunclavio.

7. *Portum Erythræorum.*] *Erythra* Joniæ urbs fuit in Asia minori è regione insulæ & urbis Chii, inter Clazomenas & Teon: hodie *Colire* vel *Stolar* sub Turcis. Ejus portum *Cyssuntem* dictum discimus ex hoc Livii loco.

8. *Phanæ, portum Chiorum.*] *Phanæ* promontorium est insulæ Chii ex Steph. ubi portus & ejusdem nominis oppidum.

9. *Ad urbem.*] Chium insulæ cognominis caput.

ire: deinde ut lenita paulùm vis venti eſt, 10 ad Corycum portum, qui ſuper Cyſſuntem eſt, conati ſunt trajicere. Urb. cond. an. 562. Coſſ. P. Scipione, & Manio Acilio Glabrione.

XLIV. Polyxenidas, ut appropinquare hoſtes allatum eſt, occaſione pugnandi lætus, ſiniſtrum ipſe cornu in altum extendit, dextrum cornu præfectos navium ad terram explicare jubet, & æquâ fronte ad pugnam procedebat. Quod ubi vidit Romanus, 1 vela contrahit, maloſque inclinat, & ſimul armamenta componens, opperitur inſequentes naves. Jam fermè triginta in fronte erant; quibus ut æquaret lævum cornu, 2 dolonibus erectis altum petere intendit: juſſis, qui ſequebantur, adverſus dextrum cornu prope terram proras dirigere. Eumenes agmen cogebat. cæterùm ut demendis armamentis tumultuari primùm cœptum eſt, & ipſe quantâ maximâ celeritate poteſt, concitat naves. 3 Jam omnibus in conſpectu erant; duæ Punicæ naves antecedebant Romanam claſſem; quibus obviæ tres fuerunt regiæ naves. & ut in numero impari, duæ regiæ unam circumſiſtunt. & primum ab utroque latere [a] remos detergunt: deinde tranſcendunt armati, & dejectis cæſiſque propugnatoribus, navem capiunt. Una quæ compari Marte concurrerat, poſtquam captam alteram navem vidit, priuſquàm à tribus ſimul circumveniretur, retrò ad claſſem refugit. Livius indignatione accenſus, prætoriâ nave in hoſtes tendit. adverſus quam eâdem ſpe duæ, quæ Punicam unam navem circumvenerant, quum inferrentur, demittere in aquam remos ab utroque latere remiges [b] ſtabiliendæ navis cauſa juſſit, & in advenientes hoſtium naves ferreas manus injicere: & ubi pugnam 4 pedeſtri ſimilem feciſſet, meminiſſe Romanæ virtutis, nec pro viris ducere regia mancipia. Haud paulò facilius, quàm antè duæ unam, tunc una duas naves expugnavit, cepitque. Et jam claſſes quoque undique concurrerant, & paſſim permixtis navibus pugnabatur. Eumenes, qui extremus 5 commiſſo certamine advenerat, ut animadvertit lævum cornu hoſtium ab Livio turbatum;

INTERPRETATIO.

a *Confregerunt remos.* b *Ad navem* (intermiſſo curſu) *firmandam.*

NOTÆ.

10. *Ad Corycum portum.*] Diverſus hic portus à Coryco Ciliciæ; fuit enim in Erythræum vicinia ſitus, ad ſinum Jonium ab occaſu Teiorum bis.

1. *Vela contrahit.*] Hæc omnia ad inhibendum curſum navium facta, ut remotioribus navibus ad aſſequendam claſſem tempus daretur.

2. *Dolonibus erectis.*] In inſtrumento navali *Dolones* vocantur minora vela, quæ ſupra Actia, id eſt, ſupra vela majora erigi ſolent celeritatis cauſâ.

3. *Jam omnibus in conſpectu erant.*] Navibus, opinor, Eumenis.

4. *Pedeſtri ſimilem feciſſet.*] Legendum ait Gronovius *feciſſent*, præfecti nempe & propugnatores navium: ſed Livii hoc erat inventum, neque præfecti, ſed remiges, Livi juſſu, ſtatariam hanc efficiebant pugnam.

5. *Commiſſo certamine.*] Certamen commiſſum hoc loco ſumitur pro inchoato, non pro perpetrato: Gallicè diceremus, *le combat eſtant déja engagé*: ut cum dicuntur committi paria gladiatorum: & apud Vellejum *commiſſa proſcriptio ſan-*

Urb. cond. an. 562. Coſſ. P. Scipion. & Manio Acilio Glabrione.

dextrum ipſe, ubi æqua pugna erat, invadit. Nec ità multò pòſt, primum ab lævo cornu fuga cœpit. Polyxenidas enim ut virtute militum haud dubiè ſuperari ſe vidit, ſublatis dolonibus effuſè fugere intendit: mox idem & qui prope terram cum Eumene contraxerant certamen, fecerunt.

XLV. Romani & Eumenes, quoad ſufficere remiges potuerunt, & in ſpe erant extremi agminis vexandi, ſatis pertinaciter ſecuti ſunt. poſteaquàm celeritate navium, utpote levium, ſuas comeatu onuſtas eludi fruſtrà tendentes viderunt, tandem abſtiterunt; credecim captis navibus cum milite ac remige, decem demerſis. Romanæ claſſis una Punica navis, in primo certamine ab duabus circumventa periit. Polyxenidas non priùs quàm in portu Epheſi, fugæ finem fecit. Romani eo die, unde egreſſa regia claſſis erat, manſerunt: poſtero die hoſtem perſequi intenderunt. medio ferè in curſu obviæ fuere iis [1] quinque & viginti rectæ Rhodiæ naves, [2] cum Pauſiſtrato præfecto claſſis. Iis adjunctis Epheſum hoſtem perſecuti, ante oſtium portûs acie inſtructa ſteterunt. Poſteaquàm confeſſionem victis ſatis expreſſerunt, Rhodii & Eumenes domos dimiſſi: Romani Chium petentes, Phœnicumcem primùm portum Erythræ terræ prætervecti, nocte anchoris jactis, poſtero die 3 in inſulam ad ipſam urbem trajecerunt. ubi paucos dies remige maximè reficiendo morati, Phoceam tranſmittunt. Ibi, relictis ad præſidium urbis quatuor quinqueremibus, 4 ad Canas claſſis venit: & quum jam hiems appeteret, foſſa valloque [a] circumdatis naves ſubductæ. Exitu anni comitia Romæ habita, quibus creati ſunt Conſules L. Cornelius Scipio, & C. Lælius: 5 intuentibus cunctis ad finiendum cum Antiocho bellum. Poſtero die prætores creati, M. Tuccius, L. Aurunculeius, Cn. Fulvius, L. Æmilius, P. Junius, C. Atinius Labeo.

5 10 15 20

INTERPRETATIO.

a *Naves deducta ex alto mari, & munita adjectis circùm foſſa & vallo.*

NOTÆ.

guinæ Tribuni, id eſt, cœpta: ita Virgil. 5. Æneid.

Et tuba commiſſos medio canit aggere ludos.

1. *Quinque & viginti.*] *Septem & viginti* fuiſſe Appianus ait.

2. *Cum Pauſiſtrato.*] Idem Appianus hunc Rhodiæ claſſis præfectum Paſſimachum vocat.

3. *In inſulam.*] Chium.

4. *Ad Canas.*] *Cane* oppidum eſt Myſiæ majoris, Elææ ad Auſtrum, in Æolidis confinio, ad promontorium Maliæ, promontorio Lesbi inſulæ oppoſitum, intermedio ſinu Elaïtico.

5. *Intuentibus cunctis.*] *Intuentes* dicit pro *intentis* atque ad unum id ſpectantibus.

FINIS LIBRI XXXVI.

TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM LIBER XXXVII.

EPITOME EJUSDEM LIBRI.

LUCIUS Cornelius Scipio conſul legato P. Scipione Africano, qui ſe legatum fratris futurum dixerat, ſi ei Græcia & Aſia provincia decerneretur, quum C. Lælio, qui multùm in ſenatu poterat, ea provincia dari videretur; profectus ad bellum adverſus Antiochum gerendum, in Aſiam primus omnium Romanorum ducum trajecit. Æmilius Regillus adverſus regiam claſſem Antiochi feliciter pugnavit ad Myonneſum, Rhodiis adjuvantibus. Filius Africani ab Antiocho captus, patri remiſſus eſt. Manius Acilius Glabrio de Antiocho, quem Græcia expulerat, & de Ætolis triumphavit. Victo deinde Antiocho à L. Cornelio Scipione, adjuvante Eumene rege Attali Pergameni filio, pax data: ea conditione, ut omnibus provinciis citra Taurum montem cederet. Eumeni, quo juvante Antiochus victus erat, regnum ampliatum. Rhodiis quoque, qui & ipſi juverant, quædam civitates conceſſæ. Colonia deducta eſt Bononia. Æmilius Regillus, qui præfectos Antiochi navali certamine vicerat, navalem triumphum duxit. L. Cornelius Scipio, qui cum Antiocho dibellaverat, cognomine fratri coæquatus, Aſiaticus appellatus eſt.

1. LUCIO Cornelio Scipione, & C. Lælio conſulibus, nulla prius, [a] ſecundùm religiones acta in ſenatu res eſt, quàm de Ætolis: & [1] legati eorum inſtitere, quia brevem induciarum diem habebant, & ab T. Quintio, qui tum Romam ex Græcia redierat, adjuti ſunt. Urb. cond. an. 563. Coſſ. L. Cornel. Scipione & C. Lælio Nepote.

INTERPRETATIO.

2 *Poſt ea quæ ad religionem & piacula ſpectabant.*

NOTÆ.

1. *Legati eorum inſtitere.*] Legati ſcilicet Ætolorum poſtularunt quamprimùm audiri, quoniam breves ipſis induciæ à Manio Acilio Conſule datæ fuerant. Supra lib. 36. cap. 25. fortè 90. dierum, ut Epirotis ibid.

Urb. cond. an. 563. Coss. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

Ætoli, ut quibus plus in misericordia senatus, quàm in causa spei esset, suppliciter egerunt; veteribus benefactis nova pensantes maleficia. Cæterùm & præsentes interrogationibus undique senatorum, confessionem magis noxæ, quàm responsa exprimentium, fatigati sunt: & excedere curia jussi, [b] magnum certamen præbuere. Plus ira, quàm misericordia in causa eorum valebat. quia non ut hostibus modò, sed tanquam indomitæ & insociabili genti, succensebant. Per aliquot dies quum certatum esset, postremò neque dari, neque negari pacem placuit. duæ conditiones eis latæ sunt: vel senatui liberum arbitrium de se permitterent; vel [a] mille talentûm darent, eosdemque amicos atque inimicos haberent. Exprimere cupientibus, quarum rerum in se arbitrium senatui permitterent; nihil certi responsum est. ita infecta pace dimissi, urbe eodem die, Italia intra quindecim dies excedere jussi. Tum de consulum provinciis cœptum est agi. Ambo Græciam cupiebant. Multùm Lælius in senatu poterat. is, quum senatus aut sortiri aut comparare inter se provincias consules jussisset; elegantiùs facturos dixit, si judicio Patrum: quàm si sorti eam rem permisissent. Scipio responso ad hoc dato, cogitaturum quid sibi faciendum esset, cum fratre uno locutus; jussusque ab eo permittere audacter senatui: renunciat collegæ, facturum se quod is censeret. Quum res aut nova, aut vetustate exemplorum memoriæ jam exoletæ, relatâ expectatione certaminis senatum erexisset, P. Scipio Africanus dixit: *Si L. Scipioni fratri suo provinciam Græciam decrevissent, se legatum iturum.* Hæc vox magno assensu audita, sustulit certamen. Experiri libebat, utrum plus regi Antiocho in Annibale victo, an in victore Africano consuli legionibusque Romanis auxilii foret: ac propè omnes Scipioni Græciam, Lælio Italiam decreverunt.

II. Prætores inde provincias sortiti, L. Aurunculejus urbanam, Cn. Fulvius peregrinam, L. Æmilius Regillus classem, P. Junius Brutus Tuscos, M. Tuccius Apuliam & Bruttios, C. Atinius Siciliam. Consuli deinde, cui provincia decreta erat, ad eum exercitum quem à Manio Acilio (duæ autem legiones erant) accepturus esset, in supplementum additæ peditum civium Romanorum tria millia, equites centum, & socium Latini nominis quinque millia, equites ducenti: & adjectum, ut quum in provinciam venisset, si è republica videretur esse, exercitum in Asiam trajiceret. Alteri consuli totus novus exercitus decretus: duæ legiones Romanæ, & socium Latini nominis, quindecim millia peditum, equites sexcenti. Exercitum ex Liguribus Quintius Minutius (jam enim [a] con-

INTERPRETATIO.

b *Occasionem ingentis inter Senatores contentionis dederunt.* a *Perfunctum munere suo.*

NOTÆ.

1. *Mille talentum.*] Id esset monetæ bratum millia. Gallicè *deux millions quatre cens mille livres.* nostræ vicies centena, & quadringenta li-

fectam provinciam ſcripſerat, & Ligurum omne nomen in deditionem veniſſe) traducere in Bojos, & Publio Cornelio proconſuli tradere juſſus. Ex agro, quo victos bello mulctaverat Bojos, deductæ urbanæ legiones, quæ priore anno conſcriptæ erant, M. Tuccio prætori datæ, & ſocium Latini nominis peditum quindecim millia, equites ſexcenti, ad Apuliam Bruttioſque obtinendos. A. Cornelio ſuperioris anni prætori, qui Bruttios cum exercitu obtinuerat, imperatum, ſi ita conſuli videretur, ut legiones in Ætoliam trajectas Manio Acilio traderet, ſi is manere ibi vellet. ſi Acilius redire Romam mallet, ut A. Cornelius cum eo exercitu in Ætolia remaneret. C. Atinium Labeonem provinciam Siciliam exercitumque à M. Æmilio accipere placuit, & in ſupplementum ſcribere ex ipſa provincia, ſi vellet, peditum duo millia, & centum equites. P. Junius Brutus in Tuſcos exercitum novum, legionem unam Romanam, & decem millia ſocium Latini nominis ſcribere, & quadringentos equites. L. Æmilius, cui provincia maritima erat, viginti naves longas, & ſocios navales à M. Junio prætore ſuperioris anni accipere juſſus, & ſcribere ipſe mille navales ſocios, duo millia peditum; cum iis navibus militibuſque in Aſiam proficiſci, & claſſem à C. Livio accipere. Duas Hiſpanias Sardiniamque obtinentibus prorogatum in annum imperium eſt, & iidem exercitus decreti. Siciliæ Sardiniæque binæ eo anno decumæ frumenti imperatæ: Siculum omne frumentum in Ætoliam ad exercitum portari juſſum: ex Sardinia pars Romam, pars in Ætoliam, eodem quo Siculum.

Urb. cond. an. 563. Coſſ. L. Cornel. Scipion. & C. Lælio Nepote.

III. Priuſquam conſules in provincias proficiſcerentur, prodigia per pontifices procurari placuit. Romæ Junonis Lucinæ templum de cælo tactum erat, ita ut faſtigium valvæque deformarentur. Puteolis pluribus locis murus, & porta fulmine icta, & duo homines exanimati. Nurſiæ ſereno ſatis conſtabat nimbum ortum. ibi quoque duos liberos homines exanimatos. Terra apud ſe pluiſſe Tuſculani nunciabant: & Reatini mulam in agro ſuo peperiſſe. Ea procurata: Latinæque inſtauratæ: quod Laurentibus [1] carnis, quæ dari debet, data non fuerat. Supplicatio quoque [2] earum religionum cauſa fuit, quibus Diis decemviri ex libris fieret ediderunt. Decem ingenui, decem virgines, [2] patrimi omnes matri-

INTERPRETATIO.

a *Expianda hæc prodigia quæ religionem incuſſerant,*

NOTÆ.

1. *Carnis quæ dari debet*]E Latii populis, quibus diſtribui ſolebat portio victimæ Jovi Latiari mactatæ, fuiſſe *Laurentes* nemo neſcit: at *carnis* in recto caſu dici pro *caro*, novum; uſurpatum tamen a Livio hic notat Priſcianus.

2. *Patrimi omnes matrimique.*] Gall. *qui ſont avojune encore leur pere & leur mere.*

Urb. cond. an. 563. Coss. L. Cornel Scipione & C. Lælio Nepote.

mique ad id sacrificium adhibiti: & decemviri nocte b lactentibus rem divinam fecerunt. P. Cornelius Scipio Africanus, priusquam proficisceretur, fornicem in Capitolio adversus viam, qua in Capitolium ascenditur cum signis septem auratis, duobus equis, & marmorea duo labra ante fornicem posuit. Per eosdem dies principes Ætolorum tres & quadraginta, inter quos Damocritus & frater ejus erant, ab duabus cohortibus missis à Manio Acilio, Romam deducti & 3 in Lautumias conjecti sunt. cohortes inde ad exercitum redire L. Cornelius consul jussit: legati ab Ptolemæo & Cleopatra, regibus Ægypti, gratulantes quòd Manius Acilius consul Antiochum regem Græcia expulisset, venerunt: adhortatique, ut in Asiam exercitum traducerent, omnia perculsa metu non in Asia modò, sed etiam in Syria esse; reges Ægypti ad ea quæ censuissent senatus, paratos fore. Gratiæ regibus actæ: legatis munera dari jussa, in singulos 4 quaternum millium æris.

IV. L. Cornelius consul peractis quæ Romæ agenda erant, pro concione edixit, ut milites, quos ipse in supplementum scripsisset, quique in Bruttiis cum A. Cornelio prætore essent, ut hi omnes Idibus Quintilibus Brundusium convenirent. Item tres legatos nominavit, Sex. Digitium, L. Apustium, C. Fabricium Luscinum, qui ex ora maritima undique naves Brundusium contraherent: & omnibus jam paratis, paludatus ab urbe est profectus. Ad quinque millia voluntariorum ex Romanis sociisque, qui emerita stipendia sub imperatore P. Africano habebant, præsto fuere exeunti consuli; & nomina dederunt. Per eos dies, quibus est profectus ad bellum consul, ludis Apollinaribus, ante diem quintum Idus Quintiles cœlo sereno interdiu c obscurata lux est, quum Luna sub orbem Solis subisset. Et L. Æmilius Regillus, cui navalis provincia evenerat, eodem tempore profectus est. L. Aurunculejo negotium ab senatu datum est, ut triginta quinqueremes, viginti triremes faceret: quia fama erat, Antiochum post prœlium navale majorem classem aliquantò reparare. Ætoli postquam legati ab Roma retulerunt, nullam spem pacis esse, quanquam omnis ora maritima eorum quæ in Peloponnesum versa est, depopulata ab Achæis erat, periculi magis quàm

INTERPRETATIO.

b *Sacrificarunt nocte* Decemviri *hostias nondum ab ubere matrum depulsas*, veluti agnos, fuculos, vitulos.

NOTÆ.

3. *In Lautumias.*] Lapidicinas quas Siculi Græcè λατομίας, Latini *Lautumias* dixere; & sic legitur in scriptis melioribus. Tetrum hoc nomine carcerem Dionysius tyrannus Syracusis primus exciderat.

4. *Quaternum millium æris.*] Lege Papiriâ à L. Papirio Carbone Tribuno plebis latâ asses facti sunt semunciales auctore Plin. lib. 33. cap 3. Id Hotomannus ad hunc annum refert. Itaque hæc quatuor millia vix efficient Gallicæ monetæ hodiernæ libras sexdecim supra centum, cum assibus nostris tredecim ac denariis quatuor.

damni

damni memores, ut Romanis interclúderent iter, Coracem montem occupaverunt. neque enim dubitabant, ad oppugnationem Naupacti eos principio veris redituros esse. Acilio, qui id expectari sciebat, satius visum est inopinatam aggredi rem, & Lamiam oppugnare. Nam & à Philippo propè ad excidium [1] adductos esse. Et tunc eo ipso, quod nihil tale timerent, opprimi incautos posse. Profectus ab Elatia, primùm [2] in hostium terra circa Sperchium amnem posuit castra: inde nocte motis signis, prima luce corona [3] mœnia est aggressus. Urb. con d. ann. 563. Coss. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote;

V. Magnus pavor ac tumultus, ut in re improvisa fuit. constantiùs tamen, quàm quis facturos crederet in tam subito periculo, quum viri propugnarent, fœminæ tela omnis generis saxaque in muros gererent, multifariam scalis appositis, urbem eo die defenderunt. Acilius signo receptui dato, suos in castra medio fermè die reduxit: & tunc cibo & quiete refectis corporibus, priusquàm prætorium dimitteret, denunciavit, ut ante lucem armati paratique essent. nisi expugnata urbe se eos in castra non reducturum. Eodem tempore quo pridie, pluribus locis, aggressus, quum oppidanos jam vires, jam tela, jam ante omnia animus deficeret, intra paucas horas urbem cepit: ibi partim divendita, partim divisa præda, consilium habitum quid deinde faceret. Nemini ad Naupactum iri placuit; occupato ad Coracem ab Ætolis saltu. neque tamen segnia æstiva essent, & Ætoli non impetratam pacem ab senatu, nihilominus per suam cunctationem haberent, oppugnare [1] Acilius Amphissam statuit. ab Heraclea per Oetam exercitus eò ductus. Quum ad mœnia castra posuisset, non corona, sicut Lamiam, sed operibus oppugnare urbem est adortus. Pluribus simul locis aries admovebatur: & quum quaterentur muri, nihil adversus tale machinationis genus parare, aut comminisci oppidani conabantur. omnis spes in armis & audacia erat, eruptionibusque crebris & stationes hostium, & eos ipsos, qui circa opera & machinas erant, turbabant.

VI. Multis tamen locis murus decussus erat; quum allatum est, successorem Apolloniæ expósito exercitu, per Epirum ac Thessaliam venire [1] cum

NOTÆ.

1. *Adductos esse.*] Ætolos.

2. *In hostium terra.*] Non in Ætolia ipsa, sed in Ætolorum ditione, quæ circa sinum Maliacum.

3. *Mœnia.*] Lamiæ.

1. *Acilium Amphissam.*] In Phocidis & Locrorum Ozolarum confinio fuit *Amphissa*; sed tunc in Ætolorum potestate aut societate erat: Amphissæi enim offensi grave olentia Locrorum se ad Ætolos applicuerant. Hæc urbs nomen adhuc servare dicitur à quibusdam, quanquam Nigro *Lambina* hodie dicatur.

1. *Cum tredecim millibus peditum.*]Scripti habent, *cum tribus millibus peditum*: sed in numero haud dubiè peccant ut colligitur ex cap. 2. ubi præter tria millia civium Romanorum L. Scipioni in supplementum data, leguntur addita sociorum quinque millia; quibus se ultrò adjunxerunt socii tot idem ex veteranorum numero cap. 4. qui numeri simul juncti tredecim millia efficiunt, ut rectè Sigon. notavit.

Feb. cond. an. 563. Coss. L. Cornel. Scipione & C. Lælio Nepote.

tredecim millibus peditum & quingentis equitibus consul veniebat. 2 jam in situm Maliacum venerat. & præmissis Hypatam, qui tradere urbem juberent, postea quàm responsum est, nihil nisi ex communi Ætolorum decreto facturos; ne teneret se oppugnatio Hypatæ nondum Amphissa recepta, præmisso fratre Africano, Amphissam ducit. Sub adventum eorum oppidani relicta urbe (jam enim magna ex parte nudata mœnibus erat) in arcem, quam inexpugnabilem habent, omnes armati atque inermes concessere. Consul sex millia fermè passuum inde posuit castra. eo legati Athenienses primùm ad P. Scipionem, prægressum agmen (sicut antè dictum est) deinde ad consulem venerunt, deprecantes pro Ætolis. Clementiùs responsum ab Africano tulerunt: qui causam relinquendi honestè Ætolici belli quærens, Asiam & regem Antiochum spectabat; jusseratque Athenienses, non Romanis solùm, ut pacem bello præferrent, sed etiam Ætolis persuadere. Celeriter auctoribus Athenienſibus frequens ab Hypata legatio Ætolorum venit. & spem pacis eis fermo etiam Africani, quem priorem adjerunt, auxit; commemorantis, multas gentes populosque in Hispania priùs, deinde in Africa in fidem suam venisse. in omnibus se majora clementiæ benignitatisque, quàm virtutis bellicæ monumenta reliquisse. Perfecta videbatur res, quum aditus consul idem illud responsum retulit, 3 quo fugati ab senatu fuerant. Eo tanquam novo quum icti Ætoli essent (nihil enim nec legatione Athenienſium, nec placido Africani responso profectum videbant) referre ad suos dixerunt velle.

VII. Reditum inde Hypatam est, nec consilium expediebatur: nam neque unde mille talentum daretur, erat, & permisso libero arbitrio, ne in corpora sua sævirentur, metuebant. Redire itaque eosdem legatos ad consulem & Africanum jusserunt, & petere, ut fidare verè pacem, non tantùm ostendere, frustrantes spem miserorum, vellent; aut ex summa pecuniæ demerent, aut permissionem extra civium corpora fieri juberent. Nihil impetratum ut immutaret consul: & ea quoque irrita legatio dimissa est. Secuti & Athenienses sunt, & princeps legationis eorum Echedemus, fatigatos tot repulsis Ætolos, & complorantes inutili lamentatione fortunam gentis, ad spem revocavit: auctor indutias sex mensium petendi, ut legatos Romam mittere possent. Dilatio-

NOTÆ.

2. *Jam in sinum Maliacum venerat.*] Inscriptis legitur, *jam in sinu Maliaco venerat.* Sigon. corrigit *in finem Maliacum venerat*; ut satisfieret mitanti Glareano, quod antè in Maliacum sinum quàm Hypatam consul venisset: nam recta venienti ex Epiro prior haud dubiè occurrebat Hypata, quàm Maliacus sinus. Sed nec necesse est belli ducem in expeditionibus suis itinerum ordinem sequi; eamque habere potuit consul Scipio Heracleam, Thaumacos, Lamiam, erepta nuper Ætolis circa sinum Maliacū oppida, priùs adeundi, quàm Hypatam, quæ adhuc in hostium erat potestate: nec vero eam nunc oppugnandam censuit, sed longè inde Amphissam profectus est.

3. *Quo fugati.*] Sup. c. 1.

nem nihil ad præſentia mala, quippe quæ ultima eſſent, adjecturam levari per multos caſus tempore interpoſito præſentes clades poſſe. Auctore Echedemo iidem miſſi, priùs P. Scipione convento, per eum indutias temporis ejus, quod perebant, à conſule impetraverunt: ſoluta obſidione Amphiſſæ, M. Acilius tradito conſuli exercitu provincia deceſſit, & conſul ab Amphiſſa Theſſaliam reperit, ut per Macedoniam Thraciamque duceret in Aſiam. Tum Africanus fratri, *Iter, quod inſtitis, L. Scipio, ego quoque approbo. ſed totum id vertitur in voluntate Philippi. Qui ſi imperio noſtro fidus eſt, & iter, & commeatus, & omnia quæ in longo itinere exercitus alunt juvantque, nobis ſuppeditabit. ſi is deſtituat, nihil per Thraciam ſatis tutum habebis. Itaque priùs regis animum explorari placet. optimè explorabitur, ſi nihil ex præparato agentem* [1] *opprimet qui mittetur.* Ti. Sempronius Gracchus longè tum acerrimus juvenum ad id delectus, per diſpoſitos equos incredibili celeritate ab Amphiſſa (inde enim dimiſſus) die tertio Pellam pervenit. In convivio rex erat, & in multum vini proceſſerat: ea ipſa remiſſio animi, ſuſpicionem dempſit, novare eum quicquam velle. Et tum quidem comiter acceptus hoſpes. poſtero die commeatus exercitui paratos benignè, pontes in fluminibus factos, vias, ubi tranſitu difficiles erant, munitas vidit. Hæc referens eadem, quæ Ierat, celeritate Thaumacis occurrit conſuli. Inde certiore & majore ſpe lætus exercitus ad præparata omnia in Macedoniam pervenit. Venientes regio apparatu accepit, & proſecutus eſt rex. Multa in eo & dexteritas & humanitas viſa, quæ commendabilia apud Africanum erant; virum ſicut ad cætera egregium, ita à comitate, quæ ſine luxuria eſſet, non averſum. Inde non per Macedoniam modò, ſed etiam Thraciam, proſequente & præparante omnia Philippo, ad Helleſpontum perventum eſt.

Urb. cond. an. 563. Coll. L. Cornel. Scipione, & C. Lelio Nepote.

VIII. Antiochus poſt navalem ad Coryeum pugnam, quum totam hiſmem liberam in apparatus terreſtres maritimoque habuiſſet; claſſi maximè reparandæ, ne tota maris poſſeſſione pelleretur, intentus fuerat. Succurrebat, *Superatum ſe quum claſſis abfuiſſet Rhodiorum. quod ſi ea quoque* [1] *nec commiſſuros Rhodios, ut iterum morarentur) certamini adeſſet, magno ſibi navium numero opus fore, ut viribus, & magnitudine claſſem hoſtium æquaret.* Itaque & Annibalem in Syriam miſerat ad Phœnicum arceſſendas naves; & Polyxenidam, quo minus proſperè geſta res erat, eò enixiùs & eas quæ erant reficere, & alias parare naves juſſit. Ipſe [2] in Phrygia hibernavit. undique auxilia accerſens, etiam

NOTÆ.

1. *Opprimet qui mittetur.* Gallicè, *ſi celuy qu'on enverra le prend à l'improveu.*

1. *Nec commiſſuros.* Supple *providebat*, vel *reputabat*.

2. *In Phrygia hibernavit.* Duplex in Aſia minori *Phrygia* fuit: *Major*, quæ poſteà *Pacatiana*, ſive *Salutaris* in mediterraneis à Bithynia in Lycium & Pamphyliam proteſa, nunc *Germian* dicta

Urb. cond. an. 563. Coss. L. Cornel. Scipion. & C. Lelio Nepote.

3 in Gallogræciam miserat. Bellicosiores ea tempestate erant, Gallicos adhuc, nondum exoleta stirpe gentis, servantes animos. Filium Seleucum in Æolide reliquerat cum exercitu ad maritimas continendas urbes, quas illinc à Pergamo Eumenes, hinc à Phocea Erythrisque, Romani sollicitabant. Classis Romana, sicut antè dictum est, ad Canas hibernabat. Eo media fermè hieme rex Eumenes cum duobus millibus peditum, equitibus centum, venit. Is quum magnam prædam agi posse dixisset ex hostium agro, qui 4 circa Thyatira esset, hortando perpulit Livium, ut quinque millia militum secum mitteret. missi ingentem prædam intra paucos dies averterunt. 5

IX. Inter hæc Phocæa seditio orta, quibusdam ad Antiochum multitudinis animos avocantibus. Gravia hiberna navium erant, grave tributum; quod togæ quingenæ imperatæ erant cum quingentis tunicis: gravis etiam inopia frumenti, propter quam naves quoque & præsidium Romanum excessit. tum verò liberata metu factiocrat, quæ plebem in concionibus ad Antiochum trahebat. Senatus & optimates in Romana societate perstandum censebant. defectionis auctores plus apud multitudinem valuerunt. Rhodii, quo magis cessatum priore æstate erat, cò maturiùs æquinoctio verno eundem Pausistratum classis præfectum cum sex & triginta navibus miserunt. Jam Livius à Canis cum triginta navibus, & septem quadriremibus, quas secum Eumenes rex adduxerat, Hellespontum petebat: ut ad transitum exercitus, quem 1 terra venturum opinabatur, præpararet quæ opus essent. In portum, 2 quem vocant Achæorum, classem primùm advertit. inde Ilium ascendit, sacrificioq; Minervę facto, legationes finitimas 10 15 20

NOTÆ.

Castaldo teste; partim etiam *Chiutaje*. Ejus caput *Laodicea*: altera *minor* ad Hellespontum, quæ & *Troas*, & *Epictetos* quasi adjectitiam dicas: postea Hellesponti provinciæ pars: nunc *Sarcan*, vel *Sacrum* eidem Castaldo. Antiochus in priori hiemem transegit.

3. *In Gallo-Graciam.*] Galatia minoris Asiæ provincia decerpta ferè fuerat ex veteri Phrygia, Tectosagum aliorumque Gallorum in Asiam transitu, post vastatam victricibus armis Græciam: dividebatur in populos tres, Tectosages, Tolistobogios, (quorum nomen à Tolosa urbe detortum suspicor, etsi veteres quidam scriptores à Ducis nomine derivent) & Trocmos. Incolæ *Gallo-Graci* dicti sunt: quòd Galli essent Græcis Asiaticis mixti; quemadmodum in Hispania Celtiberi dicti, quod Celtæ essent Iberis permixti, sive Hispanis. Totam hanc veterum Gallorum expeditionem ex Strabone, Pausania, Justino accurate descripsit Ægidius Lacarrius è societate Jesu, vir pietate & eruditione omnibus, mihi familiaris etiam amicitiæ memoria commendabilis. Galatia Turcis dominantibus, hodie partim *Kiengar*, partim *Getas* vocatur.

4. *Circa Thyatira.*] Lydiæ urbs est *Thyatira* non procul Magnesia ad Sipylum, inter Hermum & Hillum amnes.

1. *Terra venturum.*] Per Macedoniam nempe & Thraciam ad extrema Europæ & oram Hellesponti: inde in Mysiam minorem & majorem transiturum; ita ut navibus trajicien dus tantùm esset Hellespontus exiguo freto.

2. *Quem vocant Achæorum.*] In Troade ad Sigeum promontorium fuit hic por-

3 ab Elæunte 4 & Dardanos 5 & Rhœteo, tradentes in fidem civitates suas, benignè audivit. Inde ad Hellesponti fauces navigat; & decem navibus in stationem contra Abydum relictis, cæterâ classe in Europam ad Sestum oppugnandam trajecit. Jam subeuntibus armatis muros, 7 fanatici Galli primùm cum solemni habitu ante portam occurrunt. Jussu sic matris Deûm famulos Deæ venire memorant, ad precandum Romanum, ne parceret mœnibus urbique. Nemo eorum violatus est: mox universus senatus cum magistratibus ad dedendam urbem processit. 8 Inde Abydum trajecta classis. ubi quum tentatis per colloquia animis, nihil pacati responderetur, ad oppugnationem sese expediebant.

Urb. cond. an. 563. Coss. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

X. Dum hæc in Hellesponto geruntur, Polyxenidas regius præfectus (erat autem exul Rhodius) quum audisset, profectam ab domo populariorum suorum classem, & Pausistratum præfectum superbè quædam & contemptim in se concionatum dixisse, præcipuo 1 certamine animi adversus eum sumpto, nihil aliud dies noctesque agitabat animo, quàm ut verba magnifica ejus rebus confutaret. Mittit ad eum hominem & illi notum qui diceret, *Et se Pausistrato patriæque suæ magno usui*, 2 *si liceat*, *fore. & à Pausistrato se restitui in patriam posse*. Quum, quonam modo ex fieri possent, mirabundus Pausistratus percunctaretur, fidem petenti de-

NOTÆ.

tus, cui nomen à Græcorum Trojam petentium classe eo loco appulsâ vel ibi stationem habente.

3. *Ab Elaunte.*] Urbs fuit in extrema versus Austrum Chersonesô Thracicâ ad fauces Hellesponti; cui ad Boream Sestos, ad Eurum verò Sigeum, intermedio freto: hodie *Critea*.

4. *Et Dardano.*] Phrygiæ minoris urbs maritima à Dardano conditore nomen accepit, qui ductâ Teucri filiâ auctor fuit familiæ Regum Trojanorum: fuit inter Abydum & Sigeum ad oram Hellesponti Asiaticam: unde *Dardania* dicta, quæ post *Troas*: nunc locus *Dardanello*.

5. *Et Rhœteo.*] Oppidum fuit & promontorium Troadis, haud procul Sigeo, nunc Turcis *Pef Kiam*, Leunclavio teste.

6. *Ad Sestum.*] Herûs, seu Heronis patria *Sestos* in Europa, ejus cum Leandro Abydeno infaustis amoribus nota; in Thracia è regione Abydi, ubi vix milliaris unus spatio patent Hellesponti angustiæ. Ibi duæ arces oppositæ nostris communi nomine vocantur *les Dardanelles*. At Sestos in Europa, & Abydos in Asia, propriam adhuc appellationem retinent.

7. *Fanatici Galli.*] Cybeles Pessinuntiæ Sacerdotes, seu Arioli evirati, Galli dicebantur à Gallo Phrygiæ magnæ flumine in Sangarium defluente: aut quod è Galatarum gente. Hi autem per varias regiones oberrare soliti, religionis nomine lucrum captabant, non secus ac Isidis Ægyptiacæ Sacerdotes.

8. *Inde Abydum.*] De Abydo jam diximus. Capta hæc urbs fuerat à Philippo Macedoniæ rege, civibus ex desperatione ad se cum pretiosis quibusque rebus suis igne consumendos adactis, lib. 31. cap. 17. & sequentibus.

1. *Certamine animi.*] Quamvis sic legatur inscriptis & editis, Gronovio non placet *animi*, legique vellet *præcipuo certamine unum adversus eum sumpto, nihil aliud dies noctesque agitabat animo*. Non video tamen cur ut *certamen belli* à Cæsone, & *contentio animorum*; ita *certamen animi* à Livio dici non potuerit. Neque obest iteratio nominis ejusdem paulò post, cùm dicitur *agitabat animo*: hujusmodi quippe minutias nostro panum curæ esse sæpius notavimus.

2. *Si liceat fore.*] Mallet Tan. Faber *si*

Urb. cond. an. 563. Coſſ. L. Cornelius Scipio, & C. Lælius Nepos.

dit agendæ communiter rei, aut ſilentio tegendæ. Tum internuncius, regiam claſſem aut totam, aut majorem ejus partem, Polyxenidam tradiſturum ei. pretium tanti meriti nullum paciſci, quàm reditum in patriam. Magnitudo rei, nec ut crederet, nec, ut aſpernaretur dicta, effecit. 3 Panormum Samiæ terræ petit: ibique ad explorandam rem, quæ oblata erat, ſubſiſtit. Ultro citroque nuncii curſare: nec fides antè Pauſiſtrato facta eſt; quàm coràm nuncio ejus Polyxenidas ſua manu ſcripſit, ſe ea, quæ pollicitus eſſet, facturum: ſignoque ſuo impreſſas tabellas miſit. Eo verò pignore velut auctoratum ſibi proditorem ratus eſt. Neque enim cum, qui ſub rege viveret, commiſſurum fuiſſe, ut adverſus ſemetipſum indicia manu ſuâ teſtata daret. inde ratio ſimulatæ proditionis compoſita, *Omnem ſe rerum apparatum omiſſurum*, Polyxenidas dicere; *non remigem, non ſocios navales ad claſſem frequentes habiturum: ſubductarum per ſimulationem reficiendi quaſdam naves, alias in propinquos portus dimiſſurum: paucas ante portum Epheſi in ſalo habiturum. quas ſi exire res cogeret, objecturus certamini foret.* Quam negligentiam Polyxenidam in claſſe ſua habiturum Pauſiſtratus audivit, eam ipſe extemplo habuit. partem navium ad commeatus arceſſendos Halicarnaſſum, [a] partem Samum ad urbem miſit: ut paratus eſſet, quum ſignum aggrediendi à proditore accepiſſet. Polyxenidas augere ſimulando errorem, ſubducit quaſdam naves, alias velut ſubducturus eſſet, navalia reficit: remiges ex hibernis non Epheſum arceſſit, ſed Magneſiam occultè cogit.

5

10

15

20

XI. Fortè quidam Antiochi miles, quum Samum rei privatæ cauſâ veniſſet, pro ſpeculatore comprehenſus deducitur Panormum ad præfectum. is percunctanti, quid Epheſi ageretur, incertum metum, an erga ſuos haud ſincera fide, omnia aperit: claſſem inſtructam paratamque in portu ſtare: remigium omne [1] Magneſiam ad Sipylum miſſum: perpaucas naves ſubductas eſſe, & navalia regi: nunquam intentiùs rem navalem adminiſtratam eſſe. Hæc ne pro veris audirentur, animus errore & ſpe vana præoccupatus fecit. Polyxenidas ſatis omnibus comparatis, nocte remige à Magneſia arceſſito, deductiſque raptim quæ ſubductæ erant navibus, quum diem non tam in apparatu abſumpſiſſet, quam quod con-

25

30

INTERPRETATIO.

a Navium *partem miſit* in inſulam Samum, atque *ad* ipſam *urbem Samum* inſulæ caput.

NOTÆ.

libent, ad rem ſatis appoſitè.

3. *Panormum Samiæ terræ.*] Plures ſunt hujus nominis portus. Hîc agitur de eo, qui eſt in Samo inſula, hodie *Macri*, ut vult Nard. II.

1. *Magneſiam ad Sipylum.*] Hæc urbs à mari adeò diſſita, parum apta videtur ad congregandos remiges: Magneſia ad Mæandrum minùs diſtat à mari, & ex ea non difficile per flumen devehi potuerant.

ſpici proficiſcentem claſſem nolebat; poſt ſolis occaſum profectus ſeptuaginta navibus rectis, vento adverſo ante lucem [2] Pygela portum tenuit. ubi quum interdiu, [3] ob eandem cauſam quieſſet, nocte in proxima Samiæ terræ trajecit. Hinc Nicandro quodam archipirata cum quinq; navibus [4] rectis Palinurum juſſo petere, atque inde armatos, qua proximum per agros iter eſſet, Panormum ad tergum hoſtium ducere; ipſe interim claſſe divisa, ut ex utraque parte fauces portus tenerent, Panormum petit. Pauſiſtratus primò, ut in re nec opinata, turbatus parumper, deinde vetus miles celeriter collecto animo, terra melius arceri quàm mari hoſtes poſſe ratus; armatos duobus agminibus ad promontoria quæ cornibus objectis ab alto portum faciunt, ducit: inde facilè telis accipitibus hoſtem ſummoturus. id inceptum ejus Nicander à terra viſus quum turbaſſet, repentè mutato conſilio naves conſcendere omnes jubet. Tum verò ingens pariter militum nautarumque trepidatio orta, & veluti fuga in naves fieri, quum ſe mari terraque ſimul cernerent circumventos. Pauſiſtratus unam viam ſalutis eſſe ratus, ſi vim facere per fauces portus, atque erumpere in mare apertum poſſet; poſteaquàm conſcendiſſe ſuos vidit, ſequi cæteris juſſis, ipſe princeps concitata nave, remis ad oſtium portûs tendit. Superantem jam fauces navem ejus Polyxenidas tribus quinqueremibus circumſiſtit. Navis roſtris icta ſupprimitur: telis obruuntur propugnatores, inter quos & Pauſiſtratus impigrè pugnans interficitur. Navium reliquarum ante portum aliæ, aliæ in portu deprehenſæ; quædam à Nicandro, [8] dum moliuntur à terra, captæ; [5] quinque tantùm Rhodiæ naves, cum duabus Cois effugerunt; terrore flammę micantis via ſibi inter confertas naves facta. contis enim binis à prora prominentibus, trullis ferreis multum conceptum igniem pręſe portabant. Erythręę triremes, quum haud procul à Samo Rhodiis navibus, quibus ut eſſent præſidio veniebant, obvię fugientibus ſuiſſent, in Helleſpontum [6] ad

Urb. cond. an. 563. Coſſ. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

INTERPRETATIO.

[8] *Dum conarentur à terra diſcedere*, ac litus relinquere.

NOTÆ.

ſed *Sipylum* oppidum non longè à Smyrnâ maritimâ civitate memorant Strabo & Plinius: procul tamen ab Epheſo, ſi maritimum iter inſpicias. Vide an legendum *Magneſiam ac Sipylum*; ut intelligatur *Magneſia* ad Mæandrum mari propior: & *Sipylus* non mons, ſed oppidum ferè maritimum.

2. *Pygela portum.*] Epheſo ad Boream; unde in Græciam ſolvere ſoliti: hodie *Figena*.

3. *Ob eandem cauſam.*] Ne conſpicerentur: ut ſic Rhodiam claſſem, improviſus adoriri poſſet.

4. *Palinurum.*] Apparet locum fuiſſe maritimum in Samo inſula.

5. *Quinque tantùm naves.*] Appianus *ſeptem* ſcripſit: nec tamen Livio adverſatur, qui cum quinque Rhodiis Coas duas elapſas eſſe ſcribit.

6. *Ad Romanos.*] Ad claſſem Livii.

Urb. cond. an. 563. Coss. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

Romanos cursum averterunt. Sub idem tempus [7] Seleucus prodítum Phocæam porta una per custodes aperta, recepit: [8] & Cyme, aliæque ejusdem oræ urbes, ad eum metu defecerunt.

XII. Dum hæc in Æolide geruntur, Abydus quum per aliquot dies obsidionem toleraſset, [1] præsidio regio tutante mœnia, jam omnibus fessis, Philota quoque præfecto præsidii permittente, magistratus eorum cum Livio de conditionibus tradendæ urbis agebant. rem distinebat, quòd utrum armati an inermes emitterentur regii, parùm conveniebat. Hæc agentibus quum interveniſset nuncius Rhodiorum cladis, emissa de manibus res est. metuens enim Livius, ne successu tantæ rei inflatus Polyxenidas, classem quæ ad Canas erat opprimeret; Abydi obsidione, custodiaque Hellesponti extemplo relicta, naves, quæ subductę Canis erant, deduxit. Et Eumenes Elæam venit. Livius omni classe, cui adjunxerat [2] triremes duas Mitylenæas, Phocęam petit. quam quum teneri valido regio præsidio audiſset, nec procul Seleuci castra esse; depopulatus maritimam oram, & prędа maximè hominum raptim in naves impositа, tantùm moratus, dum Eumenes cum classe assequeretur, Samum petere intendit. Rhodiis primò audita clades simul pavorem, simul lætitiam ingentem fecit. nam pręter navium militumque jacturam, quod floris, quod roboris in juventute fuerat, amiserant: multis nobilibus secutis inter cętera auctoritatem Pausistrati, quę inter suos meritò maxima erat. deinde quòd fraude capti, quod [3] à cive potiſſimùm suo forent, in iram luctus vertit. Decem extemplo naves, & diebus pòst paucis, decem aliàs [4] præfecto omnium Eudamo miserunt, quem aliis virtutibus bellicis haudquaquam Pausistrato parem; cautiorem, quo minus animi erat, ducem futurum credebant. Romani & Eumenes rex [5] in Erythręam primùm classem applicaverunt. ibi noctem unam morati, postero die [6] Corycum [7] Tejorum promontorium tenuerunt. inde quum in

NOTÆ.

7. *Seleucus.*] Antiochi filius.

8. *Et Cyme.*] Aliàs *Cyma* urbs Æolidis maritima, inter Myrinam & Phocæam: nunc *Castri* Sophiano auctore: hinc *Cumæ* in Italia ortum & nomen traxerunt.

1. *Præsidio regio.*] Antiochi, qui hanc ad Hellespontum urbem, à Philippo compositâ cum Romanis pace derelictam, occupaverat. Vide lib. 33. cap. 38.

2. *Triremes duas Mitylenæas.*] Caput Lesbi insulæ in Ægæo mari, fuit *Mitylene*, ad orientalem oram, è regione Joniæ: nunc insula cum urbe communi nomine vocatur *Metelin.*

3. *A cive potissimùm suo.*] Polyxenida, qui & ipse Rhodius Antiocho militabat

4. *Præfecto omnium Eudamo miserunt.*] Classem nempe suam ad Livium Rhodii miserunt, datâ Eudamo omnium navium suarum præfecturâ.

5. *In Erythræam.*] *Erythræam* pro *Erythra* vel *Erythris* dixit, quæ urbs fuit Joniæ Chersonesi maritima, è regione insulæ Chii: hodie *Colire* Nigro: hinc Sibyllæ *Erythræa* nomen.

6. *Corycum Tejorum promontorium.*] Pater diversum fuisse à *Coryco* Ciliciæ. Fuit oppidum & promontorium hujusce nominis ad sinum Jonium, *Teo* urbi ad occasum.

7. *Tejorum.*] In territorio Joniæ urbis maritimæ *Tei*, quæ & *Tejos*: nunc pro-

proximâ Sâmiæ vellent trajicere, non expectato solis ortu, ex quo statum cœli notare gubernatores possent, in incertam tempestatem miserunt. Medio in cursu [8] aquilone in septentrionem verso, exasperato fluctibus mari jactari cœperunt. Urb. cond. an. 563. Coss. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

XIII. Polyxenidas Samum petituros ratus hostes, ut se Rhodiæ classi conjungerent; ab Epheso profectus, primò [1] ad Myonnesum stetit: inde [2] ad Macrin (quam vocant) insulam trajecit: ut prætervehentis classis, si quas aberrantes ex agmine naves posset, aut postremum agmen opportunè adoriretur. Posteaquàm sparsam tempestate classem vidit, occasionem primò aggrediendi ratus, paulò pòst increbrescente vento, & majores jam volvente fluctus, quia pervenire se ad eos videbat non posse, ad Æthaliàm insulam trajecit: ut inde postero die Samum ex alto petentes naves aggrederetur. Romani pars exigua, primis tenebris [3] portum Samiæ delertum tenuerunt: classis cætera noctem totam in alto jactata, in eundem portum decurrit. Ibi ex agrestibus cognito, hostium naves ad Æthaliam stare: consilium habitum, utrum extemplo decernerent, an Rhodiam expectarent classem. dilata re (ita enim placuit) Coryeum, unde venerant, trajecerunt. Polyxenidas quoque quum frustra steriisset, Ephesum rediit. Tum Romanæ naves vacuo ab hostibus mari, Samum trajecerunt. Eodem & Rhodia classis post dies paucos venit. quam ut expectatam esse appareret, profecti extemplo sunt Ephesum, ut aut decernerent navali certamine, aut si detrectaret hostis pugnam (quod plurimùm

NOTÆ.

Theveto ac Moletio testibus *Susor.*

8. *Aquilone in septentrionem verso.*] Septentrionales sunt stellæ Arcticæ ita inter se dispositæ, ut ternæ quæque trigonon seu triquetram figuram efficiant, & plaustrum exhibeant: sed cùm de ventis agitur, septentrionum nomine generaliter intelliguntur venti tres ab ea cœli parte flantes, in quibus Aquilo quoque: sed hîc *Septentrio* propriè dicitur, qui rectâ ab Arcto flat nautis in Oceano navigantibus *Nord*, in Mediterraneo *Tramontana*, & Græcis dicitur ἀπηρκτίας, medius inter Aquilonem, qui paulùm versus ortum solstitialem declinat, diciturque nautis vulgo *Nord-Nordest*, & Thraciam qui paulò occidentalior, & vulgò *Nord Nordouest*.

1. *Ad Myonnesum stetit.*] Joniæ fuit oppidum in Asia Minori, inter Teum & Lebedum, ad sinum Jonium. Thucydides Tejorum insulam facit; & in insula aut certè peninsula fuisse hoc oppidum, indicio est, vel ipsum nomen. Est enim Græcè *Myonnesus* murium insula.

2. *Ad Macrin insulam trajecit.*] *Macris* plurium Ægæi maris insularum nomen fuit. Nam & Eubœa hoc nomen aliàs fortita est à longitudine; & Chios Plinio teste, apud quem minores eo nomine insulæ duæ memorantur lib. 5. cap. 3. ambæ ad diversam Lyciæ oram: sed hæ longiùs ab Samo insula, cui vicinas fuisse & hanc *Macrin*, & Æthaliam tota Livii narratio docet. Et fortè hæc *Macris* eadem cum *Icaria*, quæ Sâmio ad occasum: siquidem ex Eustathio in Dionysium Periegeten discimus Cycladum unam, *Icarum* nempe, à qua Icarium mare quidam deducunt, *Macrin* fuisse appellatam; ut & Chion *Æthaliæ* nomine olim dictam tradat Ephorus apud Plin. verùm hæc prisca harum insularum nomina.

3. *Portum Samiæ desertum.*] Intellige *terræ*, ut cap. 10. supra *Panormum Samiæ terræ*, & cap. 11. in *proximæ Samiæ terræ*,

Ferb. cond. an. 563. Coss. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

intererat ad animos civitatum) timoris confessionem exprimerent. Contra fauces portûs instructâ in frontem navium acie stetere. Posteaquàm nemo adversùs ibat, classe divisâ, pars in salo ad ostium portûs in anchoris stetit: pars in terram milites exposuit. In eos jam ingentem prædam latè depopulato agro agentes, Andronicus Macedo, qui in præsidio Ephesi erat, jam mœnibus appropinquantes, eruptionem fecit, excursúque magna parte prædæ, ad mare ac naves redegit. Postero die insidiis medio fermè vix positis, ad eliciendum extra mœnia Macedonem, Romani ad urbem agmine iere: indè, quum ea ipsa suspicio, ne quis exiret, deterruisset, redierunt ad naves: & terra marique fugientibus certamen hostibus, Samum, unde venerat, classis repetit. inde duas sociorum ex Italia, duas Rhodias triremes † cum præfecto Epicrate Rhodiorum ‡ ad fretum Cephallenîæ tuendum prætor misit. Infestum id latrocinio Lacedæmonius Hybristas cum juventute Cephallenum faciebat: clausumque jam mare commeatibus Italicis erat.

XIV. Piræei L. Æmilio Regillo succedenti ad navale imperium Epicrates occurrit. qui audita clade Rhodiorum, quum ipse duas tantùm quinqueremes haberet; Epicratem cum quatuor navibus in Asiam secum reduxit. prosecutæ etiam apertæ Athenienſium naves sunt. Ægæo mari trajecit. Eodem Timasicrates Rhodius cum duabus quadriremibus ab Samo nocte intempesta venit: deductúsque ad Æmilium, præsidii causa se missum ait: quòd eam oram maris infestam onerariis * regiæ naves, excursionibus crebris ab Hellesponto atque Abydo facerent. Trajicienti Æmilio à Chio Samum, duæ Rhodiæ quadriremes missæ obviam ab Livio, & rex Eumenes cum duabus quinqueremibus occurrit. Samum posteaquàm ventum est, accepta à Livio classe, & sacrificio, ut assolet, rité facto, Æmilius concilium advocavit. Ibi C. Livius (is enim est primus rogatus sententiam) *Neminem fidelius dare posse consilium*, dixit, *quam eum, qui id alteri suaderet, quod ipse si in eodem loco esset, facturus fuerit. Se in animo habuisse totâ classe Ephesum petere, & onerarias ducere multâ sabburrâ gravatas, atque eas in fauces portûs supprimere. & eo minoris momenti ea classtra esse, quod in fluminis modum, longum & angustum & vadosum ostium portus sit. Ita adempturum se maris usum hostibus fuisse, inutilemque classem facturum.*

INTERPRETATIO.

* *Naves Antiochi.*

NOTÆ.

id est, *insula Sami*.

† *Cum præfecto Epicrate Rhodiorum.*] Cave accipias Rhodiæ classis hunc præfectum fuisse: jam enim vidimus capite proximo præpositum ei classi fuisse Eudamum: sed hic *Epicrates* præfectus erat *Rhodiorum*, qui in duabus triremibus Cephallenîam versùs missus: ubi & Italicæ totidem sociorum parere jussæ.

‡ *Ad fretum Cephallenîæ.*] Angustum, opinor, mare intelligit, quo Cephallonia dirimitur à Zacyntho.

XV. Nulli ea placere sententia. Eumenes rex quæsivit, *Quid tandem ubi demersis navibus frænassent claustra navis, utrum liberâ suâ classe absessuri inde forent ad opem ferendam sociis terroremq; hostibus præbendum? an nihilominus tota classe portum obsessuri? Sive enim abscedant, cui dubium esse quin hostes extracturi demersas moles sint, & minore molimento aperturi portum quàm obstruatur? Sin autem manendum ibi nihilominus sit, quid attinere claudi portum? Quin contrà, illos tuissimo porto, opulentissimâ urbe fruentes, omnia Asiâ præbente, quieta æstiva acturos: Romanos aperto in mari fluctibus tempestatibusque objectos, omnium inopes in assidua statione futuros: ipsos magis alligatos impeditosque, ne quid eorum quæ agenda sint, possint agere, quàm ut hostes clausos habeant.* Eudamus præfectus Rhodiæ classis, magis eam sibi displicere sententiam ostendit, quàm ipse quid censeret, faciendum dixit. Epicrates Rhodius, omissâ in præsentia Ephesio, *Mittendum navium partem in Lyciam censuit: & Patara, caput gentis, in societatem adjungendam. in duas res magnas id usui fore & Rhodios pacatis contra insulam suam terris, totis viribus incumbere in unius belli, quod adversus Antiochum sit, curam posse: & eam classem, quæ in Lycia compararetur, intercludi, ne Polyxenidæ conjungatur.* Hæc maximè movit sententia. placuit tamen Regillum tota classe evehi ad portum Ephesi, ad inferendum hostibus terrorem.

Urb. cond. an. 563. Coss. Cornel Scipione, & C. Lælio Nepote

XVI. C. Livius cum duabus quinqueremibus Romanis, & quatuor quadriremibus Rhodiis, & duabus apertis Smyrnæis, in Lyciam est missus; Rhodum prius jussus adire, & omnia [1] cum iis communicare consilia. Civitates quas prætervectus est, [2] Miletus, Myndus, Halicarnassus, [3] Cnidus, [4] Cous, imperata enixè fecerunt. Rhodum ut est ventum, simul & ad quam rem missus esset, iis expositis, & consuluit eos. Approbantibus cunctis, & ad eam quam habebat classem, assumptis tribus quadriremibus navigat Patara. Primò secundus ventus ad ipsam urbem ferebat eos: sperabantque subito terrore aliquid moturos. posteaquam circumagente se vento fluctibus dubiis volvi cœptum est mare, pervenerunt quidem remis, ut tenerent terram: sed neque circa urbem tuta statio erat, nec ante hostium portus in salo stare poterant; aspero mari & nocte imminente. Prætervecti mœnia, portum [5] Phœnicunta, minus duûm mil-

NOTÆ

1. *Cum iis.*] Cum *Rhodiis*.

2. *Miletus.*] Urbs fuit Joniæ in Cariæ confinio, sex ferè passuum millibus ab ostio Mæandri, haud procul mari, inter Jasium & Myuntem: hodie *Melasso*.

3. *Cnidus.*] Cariæ sive Doridis in Asia Minori oppidum, quâ peninsula maximè ad occidentem excurrit versus Coum insulam: alii *Gnidum* scribunt, ab ea dictum vicinum promontorium: adhuc nomen servat, vulgò *Guido*: promontorium autem *Capo Crio*.

4. *Cous.*] Urbis nomen & insulæ in mari Carpathio sitæ, quæ Græcis *Cos* ad Cariæ oram, Apellis pictoris patria, rerum omnium ferax, triginta ferè millium passuum à Cnido. Paruit aliàs equitibus Rhodiis, nunc Turcis, à quibus tam insula quàm urbs *Stanco* dicitur, aut *Lango*.

5. *Phœnicunta.*] Oppidum Lyciæ ma-

Urb. cond. ab. 583. Coſſ. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

lium ſpatio inde diſtantem, petiêre, navibus à maritima vi tutum: ſed altæ rupes inſuper imminebant, quas celeriter oppidani aſſumptis regiis militibus quos in præſidio habebant, ceperunt. adverſus quos Livius, quamquam erant iniqua ac difficilia ad exitus loca; [6] Iſſæos auxiliares, & Smyrnæorum expeditos juvenes miſit. Ii, dum miſſilibus primò, & adverſus paucos levibus excurſionibus laceſſebatur magis quàm conſerebatur pugna, ſubſtinuerunt certamen. poſteaquàm plures ab urbe affluebant, & jam omnis multitudo effundebatur, timor inceſſit Livium, ne & auxiliares circumvenirentur, & navibus etiam ab terra periculum eſſet: ita non milites ſolùm, ſed etiam navales ſocios, remigum turbam, quibus quiſque poterat telis, armatos in prœlium eduxit. Tum quoque anceps pugna fuit; neque milites ſolùm aliquot, ſed L. Apuſtius tumultuario prœlio cecidit. poſtremò tamen fuſi fugatique ſunt Lycii, atque in urbem compulſi: & Romani cum haud incruenta victoria ad naves redierunt. Indein [7] Telmeſſicum profecti ſinum, qui latere uno Cariam, altero Lyciam contingit, omiſſa Patara ampliùs tentandi ſpe, Rhodii domum dimiſſi ſunt. Livius prætervectus Aſiam, in Græciam tranſmiſit, ut conventis Scipionibus (qui tum circa Theſſaliam erant) in Italiam trajiceret.

XVII. Æmilius poſteaquàm omiſſas in Lycia res, & Livium profectum in Italiam cognovit, quum ipſe ab Epheſo repulſus tempeſtate irrito incœpto Samum revertiſſet, turpe ratus, tentata fruſtra Patara eſſe, proficiſci eo torâ claſſe, & ſummâ vi aggredi urbem ſtatuit. Miletum & cæteram oram ſociorum prætervecti, [1] in Bargylietico ſinu exſcenſionem ad Jaſſum fecerunt. Urbem regium tenebat præſidium: agrum circà Romani hoſtiliter depopulati ſunt. Miſſis deinde qui per colloquia principum & magiſtratuum tentarent animos, poſteaquàm nihil in poteſtate ſua reſponderunt eſſe, ad urbem oppugnandam ducit. Erant Jaſſenſium exules cum Romanis: ii frequentes Rhodios orare inſtiterunt, *Ne urbem & vicinam*

NOTÆ.

ritimum & montem fuiſſe apparet, haud procul Antiphello è regione Doliches inſulæ.

6. *Iſſæos.*] Ab *Iſſa* Ciliciæ orientalis urbe & portu, in confinio Syriæ ad montis Amani fauces, potiùs quam ab Iſſa Illyriæ inſula dicti hi auxiliares: Iſſus autem nunc *Lajaſſo*, celebris hodie quoque portus in Caramania, unde & ſinus Iſſicus *Colfo di Lajazzo* Italis.

7. *Telmeſſicum ſinum.*] A boppido Lyciæ maritimo *Telmeſſo*, ſive *Telmiſſo*, inter *Patara* ad ortum, & Dædala ad occaſum ſito, nomen ſumpſit hic ſinus, itemque promontorium quod ibi in mare excurrit.

1. *Bargylietico ſinu.*] Præclarè ſic reſtitutum ab Geleuio hunc locum ait Gronovius ; cum ederetur, quemadmodum in veteribus libris eſt, *in Bargliam & Icoſon* : certè *Icoſium* Mauritaniæ urbs eſt, non Aſiæ minoris. Cogitabam num leviori mutatione legendum eſſet *in Bargyliam & Jaſſon*, quæ duæ ſunt vicinæ ac maritimæ urbes, ad eumdem ſinum. Verùm obſtat quòd ita-

sibi [2] *& cognatam innoxiam perire sinerent. Sibi exilii nullam aliam causam esse quam fidem erga Romanos. Eadem vi regiorum, qua ipsi pulsi sint, teneri eos qui in urbe maneant. omnium Iasensium unam mentem esse, ut servitutem regiam effugerent.* Rhodii moti [3] precibus, Eumene etiam rege assumpto, simul suas necessitudines commemorando, simul obsessæ regio præsidio urbis causam miserando, pervicerunt, ut oppugnatione absisteretur. Profecti inde pacatis cæteris, quum oram Asiæ legerent, [4] Loryma (portus adversus Rhodum est) pervenerunt. Ibi [5] in principiis sermo primò inter tribunos militum secretus oritur, deinde ad aures ipsius Æmilii pervenit, abduci classem ab Epheso, [2] ab suo bello: ut ab tergo liber relictus hostis, in tot propinquas sociorum urbes omnia impunè conari posset. Movere ea Æmilium: vocatosque Rhodios quum percunctatus esset, utrumnam Pataris universa classis in portu stare posset, quum respondissent, non posse; causam nactus omittendæ rei, Samum reducit naves. Urb. cond. ann. 563. Coss L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

XVIII. Per idem tempus Seleucus Antiochi filius, quum per omne hibernorum tempus exercitum [1] in Æolide continuisset partim sociis ferendo opem, partim quos in societatem pellicere non poterat depopulandis, transire in fines regni Eumenis, dum is procul ab domo cum Romanis & Rhodiis Lyciæ maritima oppugnaret, statuit. Ad Elæam primò infestis signis accessit: deinde omissa oppugnatione urbis, agros hostiliter depopulatus, ad caput arcemque regni Pergamum ducit oppugnandam. [2] Attalus primò stationibus ante urbem positis, & excursionibus equitum levisque armaturæ, magis lacessebat, quàm sustinebat hostem. postremò quum per levia certamina expertus, nulla parte virium se parem esse, intra mœnia se recepisset, obsideri urbs cœpta est. Eodem ferè tempore & Antiochus ab Apamea profectus, Sardibus primum, deinde, haud procul Seleuci castris, ad caput [3] Cayci amnis stativa habuit, cum magno exercitu mixto variis

INTERPRETATIO.

[2] *A vera & præcipua belli suscepti sede.*

NOTÆ.

tim ad Iasium facta excursio dicitur: unde quod præcedit ab eo diversum sit oportet.

2. *Et cognatam.*] Orti ab Athenienses erant Rhodii, non minus quam Jassenses, & reliqui Jones.

3. *Precibus.*] Jassensium exulum.

4. *Loryma.*] Ptolemæo aliisq; nota Cariæ seu Doridis potiùs urbs, Melæ *Larumna*, est in ora meridionali peninsulæ, in qua & Cnidus, respicitque latus occidentale insulæ Rhodi: hodie *Maxi*, auctore Nigro.

5. *In principiis.*] *Principia* quid sint in exercitu alibi explicui: nimirum loca, in quibus principes (secundus nempè ordo militum) & cum iis primarii duces.

1. *In Æolide.*] Asiæ minoris partem ad septentrionem Joniæ, Mysiæ ad meridiem sitam *Æolidem* vocaverunt finui Smyrnæo oppositam, in qua Phocæa, Cuma, Myrina: quam regionem Oresti posteri incoluerunt.

2. *Attalus.*] Eumenis frater, eo absente.

3. *Cayci amnis.*] Fluvius hic *Caycus* in extremis Mysiæ finibus prope Phrygiæ

Urb. cond. ann. 563. Coſſ. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

ex gentibus. Plurimùm terroris in Gallorum mercede conductis quatuor millibus erat. hos, paucis admixtis, ad pervaſtandum paſſim Pergamenum agrum miſit. Quæ poſteaquàm Samum ſunt nunciata, primò Eumenes avocatus domeſtico bello cum claſſe Elæam petit: inde quum præſto fuiſſent equites peditumque expediti: præſidio eorum tutus, priuſquàm hoſtes ſentirent aut moverentur, Pergamum contendit. ibi rurſus levia per excurſiones prœlia fieri cœpta; Eumene [a] ſummæ rei diſcrimen haud dubiè detrectante. Paucos poſt dies Romana Rhodiaque claſſis, ut regi opem ferrent, Elæam ab Samo venerunt. Quos ubi expoſuiſſe copias Elææ, & tot claſſes in unum convenìſſe portum, Antiocho allatum eſt; & ſub idem tempus audivit conſulem cum exercitu jam in Macedonia eſſe, parari que ad tranſitum Helleſponti opus eſſent: tempus veniſſe ratus, priuſquàm terra marique ſimul urgeretur, agendi de pace; tumulum quendam adverſus Elæam caſtris cepit. ibi peditum omnibus copiis relictis, cum equitatu (erant autem ſex millia equitum) in campos ſub ipſa Elææ mœnia deſcendit: miſſo caduceatore ad Æmilium, velle ſe de pace agere.

XIX. Æmilius Eumene à Pergamo accito, adhibitis & Rhodiis, concilium habuit. Rhodii haud aſpernati pacem: Eumenes *Nec honeſtum eſſe dicere, eo tempore de pace agi: nec exitum rei imponi poſſe. Qui enim,* inquit, *aut honeſtè incluſi mœnibus & obſeſſi leges pacis accipiemus? aut cui rata iſta pax erit, quam ſine conſule, non ex auctoritate ſenatus, injuſſu populi Romani peregerimus? Quæro enim, [1] pace per te facta, rediturusne ex templo in Italiam ſis, claſſem exercitumque deducturus? an expectaturus, quid de ea re conſuli placeat, quid ſenatus cenſeat, aut populus jubeat? Reſtat ergo, ut maneas in Aſia, & rurſus in hiberna copiæ reducæ, omiſſo bello, exhauriant commeatibus præbendis ſocios: deinde (ſi ita viſum ſit [2] iis penes quos poteſtas fuerit) inſtauremus novum de integro bellum. quod poſſumus ſi ex hoc impetu rerum nihil prolatando remittitur, ante hiemem Diis volentibus perfeciſſe.* Hæc ſententia vicit, reſponſumque Antiocho eſt, ante conſulis adventum de pace agi non poſſe. Antiochus pace nequicquam tentata, vaſtatis Elæenſium primum, deinde Pergamenorum agris, relicto ibi Seleuco filio, 3 Adramytteum, hoſtiliter itinere facto, petit: agrum opulen-

INTERPRETATIO.

a *Cùm* Eumenes *recuſaret decretoria pugna ſummam rerum in periculum dare:*

NOTÆ.

magnæ confinia Pergamum alluit, atque in ſinum Elaiticum ſe exonerat è regione Mitylenes, quæ caput Leſbi inſulæ: vocatur hodie *Girmaſti*, aliis *Chyai*.

1. *Pace per te facta.*] Alloquitur Æmilium Eumenes.

2. *Iis penes quos poteſtas fuerit.*] Conſuli ſcilicet L. Scipioni, aut Senatui populoque Romano.

3. *Adramytteum.*] *Adramyttium* Urbs fuit Myſiæ, imminens ſinui ſui nominis, quo dividitur vicinus tractus à Leſbo inſula: hodie *Landermiti*, Turcis *Endremi*.

tum, quem vocant 4 Thebes campum, carmine Homeri nobilitatum. neque alio ullo loco Asiæ major regiis militibus parta est præda. Eodem Adramyttenum, ut urbi præsidio essent, navibus circumvecti, Æmilius & Eumenes venerunt. Urb. cond. an. 563. Coss. L. Cornel Scipion. & C. Lælio Nepote.

XX. Per eosdem fortè dies Elæam ex Achaja mille peditos cum centum equitibus, Diophane omnibus his copiis præposito, accesserunt. quos egressos navibus obviam missis ab Attalo nocte Pergamum deduxerunt. Veterani omnes & periti belli erant, & ipse dux Philopœmenis, summi tum omnium Græcorum imperatoris discipulus. qui biduum simul ad quietem hominum equorumque, & ad visendas hostium stationes, quibus locis temporibusque accederent, reciperentque sese, sumpserunt. Ad radices ferè collis, in quo posita est urbs, regii succedebant. ita libera ab tergo populatio erat, nullo ab urbe, ne in stationes quidem qui procul jacularetur, excurrente. Postquàm semel compulsi metu se mœnibus incluserunt, contemptus eorum, & inde negligentia apud regios oritur; non stratos, non 1 infrænatos magna pars habebant equos. paucis ad arma & ordines relictis, dilapsi cæteri sparserant se toto passim campo: pars in juveniles lusus lasciviamque versi, pars vescentes sub umbra, quidam somno etiam strati. Hæc Diophanes ex alta urbe Pergamo contemplatus, arma suos capere, & ad portam præsto esse jubet: ipse Attalum adiit, & in animo sibi esse dixit, hostium stationem tentare. 2 Ægrè id permittente Attalo, quippe qui centum equitibus adversus trecentos, mille peditibus cum quatuor millibus pugnaturum cerneret, 3 porta egressus, haud procul stratione hostium occasionem opperiens consedit, & qui Pergami erant, amentiam magis quàm audaciam credere esse: & hostes pauliſper in eos versi, ut nihil moveri viderunt, nec ipsi quicquam ex solita negligentia, insuper etiam cludentes paucitatem, mutarunt. Diophanes quietos aliquandiu suos, velut ad spectaculum modò eductos, continuit: posteaquàm dilapsos ab ordinibus hostes vidit, peditibus quantùm accelerare possent, sequi jussis, ipse princeps inter equites cum turma sua quam posset effusissimis habenis, clamore ab omni simul pedite atque equite sublato, stationem hostium improviso invadit. Non homines solùm, sed equi etiam territi, quum vincula abrupissent, trepidationem & tumultum inter suos fecerunt: pauci stabant impavidi equi: eos ipsos non sternere, non infrænare, aut

NOTÆ.

4. *Thebes campum.*] Inter Adramyttium & Antandrum fuit jam tempore belli Trojani oppidum *Thebe* in Eetionis ditione, eversum ab Achille una cum Lyrnesso: nunc *Attramitis* vocari scribit Lydus.

1. *Infrænatos.*] Alibi plerumque *infrænati* dicuntur, qui frænis carent: contrà verò hoc loco sumuntur pro *frænabis*, quemadmodum paulò pòst *infrænare equum*, pro *frænare*.

2. *Ægrè id permittente Attalo.*] Sic in Regio quoque legitur: alii *ægrè id permittente Attalus*, forma loquendi magis Historicis familiari.

3. *Porta egressus.*] Diophanes.

Urb. cond. an. 563. Coss. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

ascendere facilè poterant; multò majorem quàm pro numero equitum terrorem Achæis inferentibus. Pedites verò ordinati & præparati spársos per negligentiam, & semisomnes propè adorti sunt: cædes passim fugacque per campos facta est. Diophanes secutus effusos quoad tutum fuit, magno Achæorum genti decore parto (spectaverant enim è mœnibus Pergami non viri modò, sed fœminæ etiam) in præsidium urbis rediit.

XXI. Postero die regiæ magis compositæ & ordinatæ stationes, quingentis passibus longiùs ab urbe posuerunt castra: & Achæi eodem fermè tempore atque in eundem locum processerunt. Per multas horas intenti utrinque, velut jam futurum impetum expectavere; posteaquàm haud procul occasu Solis redeundi in castra tempus erat, regii signis collatis abire agmine ad iter magis quàm ad pugnam composito cœpere. Quievit Diophanes, dum in conspectu erant. deinde eodem, quo pridie, impetu in postremum agmen incurrit: tantumque rursus pavoris ac tumultus incussit, ut quum terga cæderentur, nemo pugnandi causa restiterit: trepidantesque, & vix ordinem agminis servantes, in castra compulsi sunt. Hæc Achæorum audacia Seleucum ex agro Pergameno movere castra coegit. Antiochus posteaquàm Romanos & Eumenem ad tuendum Adramyttenum venisse audivit; eaquidem urbe abstinuit, depopulatus agros. [1] Peræam inde, coloniam Mitylenæorum expugnavit. [2] Cotton, & [3] Corylenus, 4 & Aprodisias, & 5 Crene, primo impetu captæ sunt. inde per Thyatira Sardeis rediit. Seleucus in maritima ora permanens[1], aliis terrori, aliis præsidio erat. Classis Romana cum Eumene Rhodiisque [6] Mitylenen primò, inde retrò, unde profecta erat, Elæam rediit. Inde Phocæam petentes, ad insulam [7] quam Bachium vocant, (imminet urbi Phocensium) appulerunt, & quibus antè ab-

NOTÆ.

1. *Peræam inde.*] Hæc *Præa* in Mysia fuit ad Æolidis confinia, nec ejus alibi facilè mentio.

2. *Cotton.*] Ignotum aliis oppidi nomen, ut & quæ sequuntur. Ea in Mysia sive Aeolide magnam partem fuisse credibile est, vel certè in Phrygia. An pro *Cotton* legendum *Colona*, quod oppidum in Mysia minori; an potiùs *Cotyaon*, in Phrygia magna?

3. *Et Corylenus.*] Falloc aut *Dorylaum* dicere voluit: quæ urbs fuit Phrygiæ magnæ ad fines Bithyniæ: nunc Leunclavio *Tzadurile*. Et scriptura regii Codicis ita flecti potest, ut fiat *Corilaum*.

4. *Et Aphrodisias.*] Nota quidem est urbs Cariæ *Aphrodisias*, non longe à Mæandro, quæ nunc *Apodisia* & *Stauropolis*, Italis *Sancta Croce*; sed utrum de hac intelligendus hic Livius, subdubito propter ejus tum ab Adramyttio & Pergamo, tum ab aliis ibidem memoratis dissantiam; & quòd inde Sardeis per Thyatira non eatur.

5. *Crene.*] In Phrygiæ magnæ versus Galatiam finibus, *Aulo Crene* vallis & mons legitur apud Plinium, unde Mæander exit. Verùm urbs à nostro intelligi videtur. Num *Priene* in Ionia, quæ patria Biantis? Certè in Regio ita scriptum hoc nomen, ut legi possit *Prinne*.

6. *Mitylenen primo.*] Lesbi insulæ urbs hæc princeps, ad ejus oram orientalem. Hodie *Metelin*: unde toti insulæ nomen.

7. *Quam Bachium vocant.*] Parva est insula in sinu Smyrnæo, Plinio *Bacchina*.

stinue-

ſtinuerant templis, ſignisque (egregiè autem exornata inſula erat) quum hoſtiliter diripuiſſent; [8] ad ipſam urbem tranſmiſerunt. eam [9] diviſis inter ſe partibus quum oppugnarent, & viderent, ſine operibus, armis, ſcalisque, capi non poſſe; miſſum ab Antiocho præſidium trium millium armatorum, quum intraſſet urbem extemplo oppugnatione omiſſa, claſſis ad inſulam ſe recepit: nihil aliud quam depopulato circa urbem hoſtium agro.

Urb. cond. an. 563. Coſſ. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

XXII. Inde placuit Eumenem domum dimitti, & præparare conſuli atque exercitui, quæ ad tranſitum Helleſponti opus eſſent: Romanam Rhodiamque claſſem redire Samum, atque ibi in ſtatione eſſe, ne Polyxenidas ab Epheſo moveret. Rex Elæam, Romani & Rhodii Samum redierunt. Ibi M. Æmilius frater prætoris deceſſit. Rhodii celebratis exequiis, adverſus claſſem quam fama erat, ex Syria venire, tredecim ſuis navibus & una Coa quinqueremi, altera Gnidia, Rhodum, ut ibi in ſtatione eſſent, profecti ſunt. Biduo antè quàm Eudamus cum claſſe à Samo veniret, tredecim à Rhodo naves cum Pamphilida præfecto advenſus eandem Syriacam claſſem miſſæ, aſſumptis navibus quatuor, quæ Cariæ præſidio erant, oppugnantibus regiis, [1] Dædala & quædam alia parva caſtella obſidione exemerunt. Eudamum confeſtim exire placuit. additæ huic quoque ſunt ad eam claſſem, quam habebat, ſex apertæ naves. Profectus quum quantum accelerare poterat, maturaſſet, [2] ad portum, quem Megiſten vocant, prægreſſos conſequitur. inde uno agmine 3 Phaſelidem quum venſſent; optimum viſum eſt ibi hoſtem operiri.

XXIII. In confinio Lyciæ & Pamphyliæ Phaſelis eſt: prominet penitus in altum, conſpiciturque prima terrarum Rhodum à Cilicia tenentibus, & procul navium præbet proſpectum. Eo maximè, ut [1] in obvio claſſi hoſtium eſſent, electus locus eſt. Cæterùm quod non providerunt, & loco gravi, & tempore anni (medium enim æſtatis erat) ad hoc inſolito odore ingruere morbi vulgò, maximè in remiges cæperunt. cujus peſtilentiæ metu profecti, quum prætervehcrentur Pamphylium ſinum, ad Eurymedontem amnem appulſa claſſe, audiunt [2] ab

NOTÆ.

8. *Ad ipſam urbem.*] *Phocæam.*

9. *Diviſis inter ſe partibus.*] Hinc Romani, inde Eumenes & Rhodii.

1. *Dædala.*] Nomen eſt oppidi maritimi & vicinorum montium in Lycia, ad occaſum Telmeſſi. Creditur à Dedalo ibi ſepulto inditum nomen: hodie *Urlie.*

2. *Ad portum quem Megiſten vocant.*] In ora Lyciæ *Megiſten* inſulam exiguam per antiphraſin ſic appellatam: Dolymeche vicinam, è regione Patarorum memorant Plin. & Ptol. hodie *Strongillo* appellari volunt.

3. *Phaſelidem cùm veniſſent.*] In extrema Lycia verſus Pamphyliam maritima urbs fuit *Phaſelus*, apud Tragum montem, à Mopſo Argivo, ut ferunt, condita, ubi Apollinis oraculum. Piratarum poſtea ſedes. Inde *Phaſelus* navigii genus.

1. *In obvio.*] Loco ſcilicet commodo, ut obviam hoſtibus irent. Regius unus habet, *uti obvii claſſi hoſtium eſſent.* Nec video cur damnaverit Gelen.

2. *Ab Aſpendiis.*] *Aſpendus*, ſive *Aſpendum* Pamphyliæ urbs ad Eurymedontem fluvium ab Argivis condita, ſexaginta

Urb. cond. an. 563. Coss. L. Cornel Scipione, & C. Lælio Nepote.

Aſpendiis 3 ad Sidam jam hoſtes eſſe. Tardiùs navigaverant regii, adverſo 4 tempore Eteſiarum, quod velut ſtatum 5 Favoniis ventis eſſet. Rhodiorum duæ & triginta quadriremes, quatuor triremes fuere. Regia claſſis ſeptem & triginta majoris formæ navium erat, in quibus a tres hepteres & quatuor hexeres habebat. præter has decem triremes erant. & alii adeſſe hoſtes ex ſpecula quadam cognovere. Utraque claſſis poſtero die luce prima, tanquam eo die pugnatura, è portu movit: & poſteaquam ſuperavere Rhodii promontorium, quod ab Sida prominet in altum; extemplo & conſpecti ab hoſtibus ſunt, & ipſi eos viderunt. Ab regio ſiniſtro cornu, quod ab alto objectum erat, Annibal, dextro Apollonius b purpuratorum unus præerat. & jam in frontem directas habebant naves. Rhodii longo agmine veniebant. prima prætoria navis Eudami erat: cogebat agmen Chariclitus: Pamphilidas mediæ claſſi præerat. Eudamus poſteaquàm hoſtium aciem inſtructam & paratam ad concurrendum vidit; & ipſe in altum evehitur, & deinceps, quæ ſequebantur, ſervantes ordinem in frontem dirigere jubet. Ea res primò tumultum præbuit. Nam nec ſic in altum evectus erat, ut ordo omnium navium ad terram explicari poſſet: & feſtinans ipſe præproperè cum quinque ſolis navibus Annibali occurrit. cæteri quia in frontem dirigere juſſi erant, non ſequebantur. Extremo agmini loci nihil ad terram relicti erat: trepidantibuſque iis inter ſe, jam in dextro cornu adverſus Annibalem pugnabatur.

5 6 10 15 20

XXIV. Sed momento temporis, & β navium virtus & uſus rei maritimæ terrorem omnem Rhodiis dempſit. nam & in altum celeriter evectæ naves,

INTERPRETATIO.

a *Tres ſeptiremes, ſeu naves, quæ ſeptem remorum ordinibus agebantur; & quatuor quæ ſex ordinibus conſtabant*, &c.

b *Unus è numero eorum, qui principem gratia locum habebant apud Antiochum.*

NOTÆ.

ſtadiis ab oſtio ejus amnis. Inde *Aſpendius cythariſta* inter adagia Græcorum, qui ſibi tantùm uni canebat, cytharam digitis duntaxat pulſans: quod ad eos trahitur qui omnia in commodum ſuum vertant.

Prodromi, venti ſunt, qui certo anni tempore ex alia atque alia parte cœli ſpirant, ut loquitur Gell. lib. 2. cap. 22. ἐτησίας dicti à nomine ἔτος, quòd annum ſignificat, quoniam ſingulis annis recurrunt.

3. *Ad Sidam jam hoſtes.*] *Sida*, ſeu *Side* urbs Pamphyliæ maritima, ejuſque provinciæ Metropolis, nunc *Chriſonda* Nigro, Moletio verò & Theveto *Scandalor*. *Tò jam*, quod reſpuit Perizonius, in noſtris legitur: neque eſt quòd mutetur *eſſe* in *iſſe*, cùm æque ſenſus conſtet; & *Tò eſſe* rem præſentem ſignificet.

4. *Tempore Eteſiarum.*] *Eteſia*, aliàs

5. *Favoniis ventis.*] Diximus ſtato anni tempore flare Eteſias: quòd autem *Favonios* ventos interpretatur noſter, ab occaſu ſpirantes ventos, Straboni adverſatur, qui li b. 3. *Euros* vocat ab ortu Solis flantes: ſed nimirùm modò ex hac, modò ex illa cœli regione ſpirant Eteſiæ per illa maria. Vide Plin. 37. 5.

6. *Ab regio ſiniſtro cornu.*] Ita noſtri. ſed tamen facilè in Gronovii ſententiam

locum poſt ſe quæque venienti ad terram dedere: & ſi qua concurrerat roſtro cum hoſtium navi, aut proram lacerabat, aut remos detergebat, aut libero inter ordines diſcurſu prætervecta, in puppim impetum dabat. Maximè exterruit hepteris regia à multò minore Rhodia nave uno ictu demerſa. Itaque jam haud dubiè dextrum cornu hoſtium in fugam inclinabat. Eudamum in alto, multitudine navium maximè Annibal, cæteris omnibus longè præſtantem, urgebat: & circumveniſſet, ni ſigno ſublato ex prætoria nave, (quo diſperſam claſſem in unum colligi mos erat) omnes quæ in dextro cornu vicerant naves, ad opem ferendam ſuis concurriſſent. tum & Annibal, quæque circa eum erant naves, capeſſunt fugam: nec inſequi Rhodii, ex magna parte ægris, & ob id celeriùs feſſis remigibus potuerunt. Quum in alto ubi ſubſtiterant, cibo reficerent vires, contemplatus Eudamus hoſtes claudas mirilaſque naves apertis navibus [1] remulco trahentes, viginti paulò ampliùs integras abſcedentes; è turri prætoriæ navis ſilentio facto, *Exurgite*, inquit, *& egregium ſpectaculum capeſſite oculis!* Conſurrexere omnes, [2] contemplatique trepidationem fugamque hoſtium; propè una voce exclamavere omnes, ut ſequerentur. Ipſius Eudami multis ictibus vulnerata navis erat. Pamphilidam & Chariclitum inſequi, quod putarent tutum, juſſit. Aliquandiu ſecuti ſunt: poſtcaquàm terræ appropinquabat Annibal, veriti ne includerentur vento in hoſtium ora, ad Eudamum revecti, heptereen captam, quæ primo concurſu icta erat, ægrè Phaſelidem pertraxerunt. inde Rhodum, non tam victoria læti, quàm alius alium accuſantes, quod quum potuiſſet, non omnis ſummerſa aut capta claſſis hoſtium foret, redierunt. Annibal ictus uno prœlio adverſo, ne tum quidem prætervehi Lyciam audebat, quum conjungi veteri regiæ claſſi quamprimùm cuperet. Et id ne ei facere liberum eſſet, Rhodii Charicliturn cum viginti navibus roſtratis ad Patara & Negiſten portum miſerunt. Eudamum cum ſeptem navibus maximis ex ea claſſe cui præfuerat, Samum redire ad Romanos juſſerunt: ut quantum conſilio, quantum auctoritate valeret, compelleret Romanos ad Patara oppugnanda.

Urb. cond. an. 563. Coſſ. L. Cornel. Scipione, & C. Lelio Nepote.

XXV. Magnam lætitiam Romanis jam priùs nuncius victoriæ, deinde adventus attulit Rhodiorum. & apparebat, [1] ſi ea cura Rhodiis dempta

NOTÆ.

jerim legentis, *ab regiis*, *ſiniſtro cornu*.

1. *Remulco trahentes.*] *Remulco trahi* dicuntur naves, quæ velis aguntur, quoties vento deſtituntæ aut aliàs laceræ, minoribus navigiis alligatæ remigum opera trahuntur. *Remulco* itaque videtur ablativus, cujus nominativus *remulcus*, actum illum trahendi navem ſignificat, ſed in uſu non eſt. Ex verbo minus uſitato, *remulcare*, vernaculus apud nos ſermo fecit, *remorquer*.

2. *Contemplatique trepidationem.*] Quidam *expugnationem*, unde Gron. *exſternationem* fecit.

1. *Si ea cura.*] Metus ſcilicet & ſolicitudo à Pataris urbe hoſtili, quæ in proximo continentis princeps.

Urb. cond. an. 563. Coss. L. Cornel. Scipione & C. Lælio Nepote.

esset, vacuos eos tuta ejus regionis maria præstituros. sed profecto Antiocho ab Sardibus, ne opprimerentur urbes maritimæ, abscedere custodia Ioniæ atque Æolidis prohibuerunt. Pamphilidam cum quatuor navibus tectis ad eam classem quæ circa Patara erat, miserunt. Antiochus non civitatum modò, quę circa se erant, contrahebat præsidia. sed 2 ad Prusiam 3 Bithynię regem miserat legatos literasque, quibus transitum in Asiam Romanorum increpabat: *Venire eos ad omnia regna tollenda, ut nullum usquam 4 orbis terrarum, nisi imperium Romanum esset. Philippum & Nabin expugnatos: se tertium peti. ut quisque proximus ab oppresso sit, per omnes, velut continens incendium, pervasurum. a Ab segregatum in Bithyniam fore, quando Eumenes in voluntariam servitutem concessisset.* His motum Prusiam literæ Scipionis consulis, sed magis ejus fratris Africani, ab suspicione tali averterunt. qui præter consuetudinem perpetuam populi Romani augendi omni honore regum sociorum majestatem, domesticis ipse exemplis Prusiam ad promerendam amicitiam suam compulit. *Regulos se acceptos in fidem in Hispania reges reliquisse. Masinissam non in patrio modo locatse regno, sed in Syphacis, à quo antè expulsus fuisset, regnum imposuisse: & esse eum non Africæ modo regum longè opulentissimum, sed toto in orbe terrarum civibus regum vel majestate vel viribus parem. Philippum & Nabin hostes & bello superatos ab T. Quintio, tamen in regno relictos. Philippo quidem anno priore etiam stipendium remissum & filium obsidem redditum: & quasdam civitates extra Macedoniam patientibus Romanis imperatoribus, recepisse eum. In eadem dignitate & Nabin futurum fuisse; nisi eum suus primo furor, deinde fraus Ætolorum abstulisset.* Maximè confirmatus est animus regis, postquàm ad eum C. Livius, qui prætor antè classi præfuerat, legatus ab Roma venit; & edocuit, quantò & spes victorię certior Romanis quàm Antiocho, & amicitia sanctior firmiorque apud Romanos futura esset.

XXVI. Antiochus postquàm à spe societatis Prusię decidit, Ephesum ab Sardibus est profectus ad classem, quę per aliquot menses instructa

INTERPRETATIO.

a *Quandoquidem Eumenes*, qui medius est inter ipsum Antiochum, & Prusiam, *ultrò servitutem Romanorum amplexus*

est 3 post se (Antiochum devictum) *iturus in Bithyniam*, Romanos adversus Prusiam ipsum.

NOTÆ.

2. *Ad Prusiam.*] Filius & successor erat Prusiæ Zielæ, qui mortuo Lysimacho Bithyniam occupaverat, atque à Gallis acie cæsus fuerat. Is Romanis addictus adeo fuit, ut sumpto pileo libertum se populi Romani diceret.

3. *Bithynia regem.*] Minoris Asiæ regio Thraciæ Europæ regioni opposita est *Bithynia*, Propontide intermedia & Bosphoro Thracio: hodie Turcis *Rursia*, & ex parte *Beczangil*.

4. *Orbis terrarum.*] Refer *ad imperium* ut nempe nulli per orbem terrarum imperent, vel orbis terrarum imperium obtineant, præter populum Romanum.

Urb cond. an. 563. Coss. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

ac parata fuerat, visendam: magis quia terrestribus copiis exercitum Romanum & duos Scipiones imperatores videbat sustineri non posse, quàm quòd res navalis ipsa per se aut tentata sibi unquam felicius, aut tunc magnæ & certæ fiduciæ esset. Erat tamen momentum in præsentia spei: quòd & magnam partem Rhodiæ classis circa Patara esse, & Eumenem regem cum omnibus navibus suis consuli obviam in Hellespontum profectum audierat. aliquid etiam inflabat animos classis Rodia, ad Samum per occasionem fraude præparatam absumpta. His fretus, Polyxenidâ cum classe ad tentandam omni modo certaminis fortunam misso, ipso copias ad Notium ducit: (id oppidum Colophonium mari imminens, abest à vetere Colophone duo fermè millia passuum) [1] & ipsam urbem suæ esse potestatis volebat; adeo propinquam Ephesо, ut nihil terrâ marive ageret, quod non subjectum oculis Colophoniorum, ac per eos notum exemplo Romanis esset: quos auditâ obsidione non dubitabat ad opem ferendam sociæ urbi classem à Samo moturos. eam occasionem Polyxenidæ ad rem gerendam fore. Igitur operibus oppugnare urbem aggressus, & [2] ad mare partibus duabus pariter munitionibus deductis, utrinque vineas & aggerem muro injunxit, & testudinibus arietes admovit. Quibus territi malis Colophonii oratores Samum ad L. Æmilium, fidem prætoris populique Romani implorantes, miserunt. Æmilium & Sami [a] segnis diu mora offendebat, nihil minus opinantem quàm Polyxenidam bis nequicquam ab se provocatum, potestatem pugnæ facturum esse: & turpe existimabat, Eumenis classem adjuvare consulem ad trajiciendas in Asiam legiones: de Colophonis obsessæ auxilio incertum finem habituro alligari. [3] Eudamus Rhodius, qui & tenuerat eum Samj, cupientem proficisci in Hellespontum, cunctique instare & dicere: *Quanto satius esse vel socios obsidione eximere, vel victam jam semel classem vincere iterum, totamque maris possessionem hosti eripere, quàm desertis sociis, tradità Antiocho Asiâ terrâ marique, in Hellespontum, ubi satis esset Eumenis classis,* [b] *ab sua parte belli discedere.*

INTERPRETATIO.

[a] *Ægrè ferebat Æmilius se otiosum Sami tandiu morari.*

[b] *Deserere stationem seu belli partem sibi mandatam.*

NOTÆ.

1. *Et ipsam urbem.*] Colophonem, opinor, aut certè Notium, coloniam scilicet veteris Colophonis, quæ urbs fuit Joniæ, hodie Italis *Altobasso*, secundùm Zatdum, aut *Belvedere* ex Nigro, medio fermè itinere inter Smyrnam & Ephesum ad quindecim milliaria, huic paulò propior, una ex septem urbibus, quæ Homeri natales sibi vindicabant.

2. *Ad mare partibus duabus*, &c.] Gallicè, *après avoir fait des retranchements, qui de deux côtés aboutissoient à la mer: il approcha du mur par des galleries de bois, & des terrasses de chaque côté; il fit approcher les beliers à couvert sous les planchers des machines couvertes de cuir, qu'on appelloit tortuës.*

3. *Eudamus Rhodius*] Hic Appiano *Eudorus* dicitur: is destinarat Æmilium

Urb. cond. an. 562. Coss. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

XXVII. Profecti ab Samo ad petendos commeatus, consumptis jam omnibus, Chium parabant trajicere. Id erat horreum Romanis: eoque omnes ex Italia missæ onerariæ dirigebant cursum. Circumvecti ab urbe [1] ad aversa insulæ, [objecta aquiloni, ad Chium & Erythras sunt) quum pararent trajicere, literis certior fit prætor, frumenti vim magnam Chium ex Italia venisse; vinum portantes naves tempestatibus retentas esse. Simul allatum est, Tejos regiæ classi benignè commeatus præbuisse: quinque millia [2] vasorum vini esse pollicitos. Teum ex medio cursu classem repentè avertit: aut [a] volentibus iis usurus commeatu parato hostibus, aut ipsos pro hostibus habitutus. Quum direxissent ad terram proras, quindecim fermè eis naves circa Myonnesum apparuerunt. quas primò ex classe regia prætor esse ratus, instituit sequi. Apparuit inde, piraticas [3] celoces & lembos esse. Chiorum maritimam oram depopulati, eum omnis generis præda revertentes, posteaquàm videre ex alto classem, in fugam [4] verterunt. & celeritate [5] superabant, levioribus & ad id fabrefactis navigiis, & propiores terræ erant. Itaque priusquàm appropinquaret classis, Myonnesum perfugerunt. Unde sc à portu ratus abstracturum naves, ignarus loci sequebatur prætor. Myonnesus promontorium [6] inter Teum Samumque est. Ipse collis est in modum metæ, in acutum cacumen à fundo satis lato fastigiatus: à continenti arctæ semitæ aditum habet: à mari exesæ fluctibus rupes claudunt; ita ut quibusdam locis superpendentia saxa plus in altum quam quæ in statione sunt naves, promineant. Circa ea appropinquare non ausæ naves, ne sub ictu superstantium in rupibus piratarum essent, diem trivêre. Tandem sub noctem vano incœpto quum abstitissent, Teum postero die accessere: & in portu qui ab tergo urbis est (Geræsticum ipsi appellant) navibus constitutis prætor ad

INTERPRETATIO.

a *Ut aut vinum paratum classi Antiochi acciperet à Teiis, si modo consentirent; aut Tejos ipsos tanquam hostes persequeretur.*

NOTÆ.

apud Samum: cùm reliqui omnes eum urgerent ad solvendum obsidionem Colophonis, aut ad hostium classem expugnandam.

1. *Ad aversa insulæ, objecta.*] Intellige Insulæ *Sami* partem aversam ab urbe Samo, quæ ad meridiem insulæ; unde aliæ ei aversa Aquilonem respiciunt. Æmilius itaque cum suis circumvectus est Samum insulam, & Chium, atque Erythras versus navigavit, urbes freto discretas, quarum illa Insulæ Chii caput, hæc in Joniæ peninsula.

2. *Vasorum vini.*] Argillacea forte vasa fuerunt.

3. *Celoces.*] Exigua erant navigia celeritatis eximiæ; unde & nomen: uno duntaxat remorum ordine agebantur.

4. *Verterunt.*] Pro *versi sunt*, vel se *converterunt*: Reg. & Corb. *reverterunt*, & forte melius, si forte inde priùs profecti piratæ.

5. *Superabant.*] Piratæ.

7. *Inter Teum Samumque.*] Num potiùs *inter Teum Lebedumque?*

depopulandum circa urbem agrum milites emiſit. Urb. cond. an. 563. Coſſ. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

XXVIII. Teji quum in oculis populatio eſſet, oratores cum inſulis & velamentis ad Romanum miſerunt. quibus [a] purgantibus civitatem omnis facti dictique hoſtilis adverſus Romanos, *& juviſſe eos commeatu claſſem hoſtium arguit, & quantum vini Polyxenidæ promiſiſſent.* [1] *quæ ſi eadem claſſi Romanæ darent, revocaturum ſe à populatione militem: ſin minus, pro hoſtibus eos habiturum.* Hoc tam triſte reſponſum quum retuliſſent legati, vocatur in concionem à magiſtratibus populus, ut quid agerent, conſultarent. Eo fortè Polyxenidas cum regia claſſe à Colophone proſectus poſteaquàm moviſſe à Samo Romanos audivit, & ad Myonneſum piratas perſecutos, Tejorum agrum depopulari, naves in Geræſtico portu ſtare; ipſe adverſus Myonneſum in inſula (Macrin nautici vocant) anchoras portu occulto jecit. inde ex propinquo explorans quid hoſtes agerent; primò in magna ſpe fuit; [2] quemadmodum Rhodiam claſſem ad Samum circumſeſſis ad exitum faucibus portus expugnaſſet, ſic & Romanam expugnaturum. nec eſt diſſimilis natura loci. Promontoriis coeuntibus inter ſe ita clauditur portus, ut vix duæ ſimul inde naves poſſint exire. Nocte occupare fauces Polyxenidas in animo habebat, & denis navibus ad promontoria ſtantibus, quæ ab utroque cornu in latera exeuntium navium pugnarent: ex cætera claſſe, ſicut ad Panormum fecerat, armatis in litora expoſitis, terrâ marique ſimul hoſtes opprimere. quod non vanum ei conſilium fuiſſet, ni quum Teji facturos ſe imperata promiſiſſent, ad accipiendos commeatus aptius viſum eſſet Romanis in eum portum, [3] qui ante urbem eſt, [4] claſſem tranſire. Dicitur & Eudamus Rhodius vitium alterius portus oſtendiſſe, quum fortè duæ naves in arcto oſtio implicitos remos fregiſſent. & inter alia id quoque movit prætorem, ut traduceret claſſem, quod ab terra periculum erat; haud procul inde Antiocho ſtativa habente.

XXIX. Traductâ claſſe ad urbem, [a] ignaris omnibus egreſſi milites nautæque ſunt, ad commeatus & vinum maximè dividendum in naves; quum medio fortè die agreſtis quidam ad prætorem adductus nunciat: alteram jam diem claſſem ſtare ad inſulam Macrin, & paulò antè

INTERPRETATIO.

a *Cùm negarent civitatem ſuam hoſtile quicquam contra Romanos aut feciſſe, aut dixiſſe, Æmilius coarguit.* &c.

a *Cùm omnes Romani ignorarent Polyxenida inſidiari.*

NOTÆ.

1. *Quæ ſi eadem.*] Intellige vaſa, ſeu dolia vini.

2. *Quemadmodum Rhodiam claſſem ... expugnaſſet.*] Supra cap. 11.

3. *Qui ante urbem eſt.*] Hic portus adverſus eſt à Geræſtico, qui ab tergo Myonneſi. Porrò verbum *eſt* ignorant ſcripti noſtri, & ſatis per ſe intelligitur.

4. *Claſſem tranſire.*] Sigon. mavult, *claſſe tranſire*, quod refertetur ad Romanos tranſeuntes. Sed *claſſem tranſire*, quod noſtri retinent, idem eſt ac, *ut tranſiret claſſis*: quod magis placet.

Urb. cond. an. 563. Coss. L. Cornel. Sulpitio, & C. Lælio. Nepote.

cilitatem, sed obsidionem etiam per totam hiemem tolerare, & obsidentes quinque ad ultimam inopiam adducere extrahendo tempus, & interim spem pacis per occasiones tentare. Nec Lysimachium tantùm hostibus tradidit post adversam navalem pugnam, sed etiam Colophonis obsidione absces-
sit, & Sardeis receptis se atque inde in Cappadociam ad Ariarathen, qui au- 9
xilia arcesserat, & quocumque alio poterat ad copias conrahendas, in
urum jam consilium, ut acie dimicaret intentus, misit. Regillus Æmi-
lius post victoriam navalem profectus Ephesum, [1] directis ante portum na-
vibus, quam confessionem concessit maris ultimam hosti expressisset, Chium
quo, ante navale proelium, cursum à Samo intenderat, navigat. ibi na- 10
ves in proelio quassatas quum refecisset, L. Æmilium Scaurum cum tri-
ginta navibus Hellespontum ad exercitum trajiciendum misit: [2] Rhodias
ante prandia & spoliis navalibus decoratas domum redire jubet. Rhodii impigrè præverterè, ad trajiciendasque copias consulis iere: atque eo
quoque functi officio, tum demum Rhodum redière. classis Romana ab 15
Chio Phoceam trajecit. in sinu maris, intimo posita haec urbs est, oblon-
gi forma, duum milliuum & quingentorum passuum spatium muros am-
plectitur: coit. deinde ex utraque parte in arctiorem velut cuneum. [3] Lam-
ptera ipsi appellant, mille & ducentos passus ibi latitudo patet: inde in alcum
lingua mille passuum excurrens medium ferè sinum velut nota distinguit, 20
ubi coli aret faucibus angustis, duos in utramque regionem versos portus
ampliss mos habet, qui in meridiem vergit, [a] Naustathmos abrè appellatur,
quia ingentem vim navium capit: alter propè ipsum Lamptera est.

XXXII. Hos portus amplissimos quum occupasset Romana classis, 25
priusquam scalis, aut operibus moenia aggrederetur, mittendos censuit
prætor qui primi pum magistratuum quæ animos tentarent, postquam ob-
stinatos vidit, duobus simul locis oppugnare est adortus. Altera pars in-
frequens ædificiis erat: templa Deûm aliquantum tenebant loci. eâ priùs
ariete admoto, quatere muros turresque cœpit. deinde quum eò multi- 30
tudo occurreret ad defendendum, alterâ quoque parte admotus aries, &
jam utrimque sternebantur muri... ad quorum casum quum impetum Ro-
mani, milites per ipsam stragem ruinarum facerant, alii scalis etiam

INTERPRETATIO.

a Est, *navalè*, seu *navium statio*.

NOTÆ.

1. *Directis ante portum navibus.*] Ea vetustissima, quâ designamus mos receptus quo victor in conspectu victi aciem instruit, ut victoriæ confessionem ab eo exprimat. Iacit quod lib. prox. narratur: *Ephesum hostem persecutus, ante ipsum portus acie instructa steterunt, postea, quàm confessionem victis fuis expressêrunt.* Vulgò perperam legitur, *direptis pro directis.*

2. *Rhodias.*] Regius liber, *quemadmodum Sigonianus, Rhodios &* .....

3. *Lamptera.*] Hoc vocabulo significatur *incurvatio* sive *cohærentia*, unde lignum na-

ascensum in muros tentarent: adeo obstinatè restiterunt oppidani, ut facilè appareret plus in armis & virtute, quàm in mœnibus auxilii esse. Urb. cond. an. 565. Coss. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.
coactis ergo periculo militum prætor, receptui canì jussit, ne objiceret incautos furentibus desperatione ac rabie. Dirempto prœlio, ne cura quidem ad quietem versi, sed undique omnes ad munienda & obmolienda quæ ruinis strata erant, concurrerunt. Huic operi intentis supervenit Q. Antonius, à prætore missus: qui castigatâ pertinaciâ eorum, *Majorem curam Romanis quàm illis ostenderet esse, ne in perniciem urbis pugnarent. si absistere furore vellent, potestatem iis dare eâdem conditione, quâ prius* [1] *C. Livii in fidem venissent, se tradendi.* Hæc quum audissent, quinque dierum spatio ad deliberandum sumpto tentatâ interim spe auxilii ab Antiocho, postcaquàm legati missi ad regem; nihil in eo esse præsidii, [a] retulerunt; tum portas aperuerunt, pacti ne quid hostile paterentur. Quum signa in urbem inferrentur, & pronunciasset prætor, parci se deditis velle; clamor undique est sublatus, *indignum facinus esse, Phocæenses nunquam fidos socios, semper infestos hostes, impunè eludere.* ab hac voce (velut signo à prætore dato) ad diripiendam urbem passim discurrerunt. Æmilius primò resistere & revocare, dicendo, captas, non deditas diripi urbes: & in his tamen arbitrium esse imperatoris, non militum. Postcaquam ira & avaricia imperio potentiora erant; præconibus per urbem missis, liberos omnes in forum adíre convenire jubet, ne violarentur: & in omnibus quæ ipsius potestatis fuerunt, fides constitit prætoris. Urbem agrosque & suas leges iis restituit: & quia jam hiems appetebat, Phocææ portus ad hibernandum classi delegit.

XXXIII. Per idem ferè tempus consuli transgresso [1] Æniarum Maronitarumque fines nunciatur, victam regiam classem ad Myonnesum, relictamque à præsidio Lysimachiam esse. Id multò [2] quam de navali victoria lætius fuit; utique postcaquàm eò venerunt, refertaque urbs omnium rerum commeatibus, velut in adventum exercitus præparatis, eos excepit. ubi inopiam ultimam, laboremque in obsidenda urbe sibi proposuerant: ibi paucos dies stativa habuere, ut impedimenta [3] ægrique consequerentur, qui passim per omnia Thraciæ castella fessi morbi ac longitudine viæ relicti erant. Receptis omnibus, ingressi iter per Chersonesum, Hellespontum perveniunt, ubi omnibus cura regis

INTERPRETATIO.

a Regias intulerant.

NOTÆ.

vigantibus datur.

1. *C. Livii in fidem venissent.*] Hic C. Livius prætor fuit 35. 24.

1. *Æniorum Maronitarumque.*] Ab Æno & Maronea Thraciæ urbibus dicti Æmii & Maronitæ.

2. *Quam de navali victoria.*] Intelligenuntium de navali victoria.

3. *Ægrique consequerentur.*] Id est, assequerentur exercitum, *afin que les bagage*

Urb. cond. an. 563. Coſſ. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

lium ſpatio inde diſtantem, petiêre, navibus à maritima vi tutum: ſed altæ rupes inſuper imminebant, quas celeriter oppidani aſſumptis regiis militibus quos in præſidio habebant, ceperunt. adverſus quos Livius, quamquam erant iniqua ac difficilia ad exitus loca; [6] Iſſæos auxiliares, & Smyrnæorum expeditos juvenes miſit. Ii, dum miſſilibus primò, & adverſus paucos levibus excurſionibus laceſſebatur magis quàm conſerebatur pugna, ſubſtinuerunt certamen. poſteaquàm plures ab urbe affluebant, & jam omnis multitudo effundebatur, timor inceſſit Livium, ne & auxiliares circumvenirentur, & navibus etiam ab terra periculum eſſet: ita non milites ſolùm, ſed etiam navales ſocios, remigum turbam, quibus quiſque poterat telis, armatos in prœlium eduxit. Tum quoque anceps pugna fuit; neque milites ſolùm aliquot, ſed L. Apuſtius tumultuario prœlio cecidit. poſtremò tamen fuſi fugatique ſunt Lycii, atque in urbem compulſi: & Romani cum haud incruenta victoria ad naves redierunt. Indein [7] Telmeſſicum profecti ſinum, qui latere uno Cariam, altero Lyciam contingit, omiſſa Patara ampliùs tentandi ſpe, Rhodii domum dimiſſi ſunt. Livius prætervectus Aſiam, in Græciam tranſmiſit, ut conventis Scipionibus (qui tum circa Theſſaliam erant) in Italiam trajiceret.

XVII. Æmilius poſteaquàm omiſſas in Lycia res, & Livium profectum in Italiam cognovit, quum ipſe ab Epheſo repulſus tempeſtate irrito incœpto Samum revertiſſet, turpe ratus, tentata fruſtra Patara eſſe, proficiſci eo totâ claſſe, & ſummâ vi aggredi urbem ſtatuit. Miletum & cæteram oram ſociorum prætervecti, [1] in Bargylietico ſinu exſcenſionem ad Jaſſum fecerunt. Urbem regium tenebat præſidium: agrum circà Romani hoſtiliter depopulati ſunt. Miſſis deinde qui per colloquia principum & magiſtratuum tentarent animos, poſteaquàm nihil in poteſtate ſua reſponderunt eſſe, ad urbem oppugnandam ducit. Erant Jaſſenſium exules cum Romanis: ii frequentes Rhodios orare inſtiterunt, *Ne urbem & vicinam*

NOTÆ.

ritimum & montem fuiſſe apparet, haud procul Antiphello è regione Doliches inſulæ.

6. *Iſſæos.*] Ab *Iſſa* Ciliciæ orientalis urbe & portu, in confinio Syriæ ad montis Amani fauces, potiùs quam ab Iſſa Illyriæ inſula dicti hi auxiliares: Iſſus autem nunc *Lajaſſo*, celebris hodie quoque portus in Caramania, unde & ſinus Iſſicus *Colfo di Lajazzo* Italis.

7. *Telmeſſicum ſinum.*] Ab oppido Lyciæ maritimo *Telmeſſo*, ſive *Telmiſſo*, inter *Patara* ad ortum, & Dædala ad occaſum ſito, nomen ſumpſit hic ſinus, itemque promontorium quod ibi in mare excurrit.

1. *Bargylietico ſinu.*] Præclarè ſic reſtitutum ab Gelenio hunc locum ait Gron. Sigonium ſecutus; cum ederetur, quemadmodum in veteribus libris eſt, *in Bargliam & Icoſon*: certè *Icoſium* Mauritaniæ urbs eſt, non Aſiæ minoris. Cogitabam num leviori mutatione legendum eſſet *in Bargyliam & Jaſſon*, quæ duæ ſunt vicinæ ac maritimæ urbes, ad eumdem ſinum. Verùm obſtat quòd ita-

sibi [2] *& cognatam innoxiam perire sinerent. Sibi exilii nullam aliam causam esse quam fidem erga Romanos. Eadem vi regiorum, qua ipsi pulsi sint, teneri eos qui in urbe maneant. omnium Iasſenſium unam mentem esse, ut ſervitutem regiam effugerent.* Rhodii moti [3] precibus, Eumene etiam rege aſſumpto, ſimul ſuas neceſſitudines commemorando, ſimul obſeſſæ regio præſidio urbis cauſam miſerando, pervicerunt, ut oppugnatione abſiſteretur. Profecti inde pacatis cæteris, quum oram Aſiæ legerent, [4] Loryma (portus adverſus Rhodum eſt) pervenerunt. Ibi [5] in principiis ſermo primò inter tribunos militum ſecretus oritur, deinde ad aures ipſius Æmilii pervenit, abduci claſſem ab Epheſo, [a] ab ſuo bello: ut ab tergo liber relictus hoſtis, in tot propinquas ſociorum urbes omnia impunè conari poſſet. Movere ea Æmilium: vocatoſque Rhodios quum percunctatus eſſet, utrumnam Pataris univerſa claſſis in portu ſtare poſſet, quum reſpondiſſent, non poſſe; cauſam nactus omittendæ rei, Samum reduxit naves.

Urb. cond. ann. 563. Coſſ. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

XVIII. Per idem tempus Seleucus Antiochi filius, quum per omne hibernorum tempus exercitum [1] in Æolide continuiſſet partim ſociis ferendo opem, partim quos in ſocietatem pellicere non poterat depopulandis, tranſire in fines regni Eumenis, dum is procul ab domo cum Romanis & Rhodiis Lyciæ maritimæ oppugnaret, ſtatuit. Ad Elæam primò infeſtis ſignis acceſſit: deinde omiſſa oppugnatione urbis, agros hoſtiliter depopulatus, ad caput arcemque regni Pergamum ducit oppugnandam. [a] Attalus primò ſtationibus ante urbem poſitis, & excurſionibus equitum leviſque armaturæ, magis laceſſebat, quàm ſuſtinebat hoſtem. poſtremò quum per levia certamina expertus, nulla parte virium ſe parem eſſe, intra mœnia ſe recepiſſet, obſideri urbs cœpta eſt. Eodem ferè tempore & Antiochus ab Apamea profectus, Sardibus primum, deinde, haud procul Seleuci caſtris, ad caput [3] Cayci amnis ſtativa habuit, cum magno exercitu mixto variis

INTERPRETATIO.

[a] *A vera & præcipua belli ſuſcepti ſede.*

NOTÆ.

tim ad Iaſſum facta exſcenſio dicitur: unde quod præcedit ab eo diverſum ſit oportet.

2. *Et cognatam.*] Orti ab Athenienſibus erant Rhodii, non minus quam Iaſſenſes, & reliqui Jones.

3. *Precibus.*] Iaſſenſium exulum.

4. *Loryma.*] Ptolemæo aliiſque nota Cariæ ſeu Doridis potiùs urbs, Melæ *Larumna*, eſt in ora meridionali peninſulæ, in qua & Cnidus, reſpicitque latus occidentale inſulæ Rhodi: hodie *Maxi*, auctore Nigro.

5. *In principiis.*] *Principia* quid ſint in exercitu alibi explicui: *nimirum* loca, in quibus principes (ſecundus nempè ordo militum) & cum iis primarii duces.

1. *In Æolide.*] Aſiæ minoris partem ad ſeptentrionem Joniæ, Myſiæ ad meridiem ſitam *Æolidem* vocaverunt ſinui Smyrnæo oppoſitam, in qua Phocæa, Cuma, Myrina: quam regionem Oreſtis poſteri incoluerunt.

2. *Attalus.*] Eumenis frater, eo abſente.

3. *Cayci amnis.*] Fluvius hic *Caycus* in extremis Myſiæ finibus prope Phrygiæ

Urb. cond. ann. 563. Coss. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

ex gentibus. Plurimùm terroris in Gallorum mercede conductis quatuor millibus erat. hos, paucis admixtis, ad pervastandum passim Pergamenum agrum misit. Quæ posteaquàm Samum sunt nunciata, primò Eumenes avocatus domestico bello cum classe Elæam petit: inde quum præsto fuissent equites peditumque expediti: præsidio eorum tutus, priusquàm hostes sentirent aut moverentur, Pergamum contendit. ibi rursus levia per excursiones prœlia fieri cœpta; Eumene [a] summæ rei discrimen haud dubiè detrectante. Paucos post dies Romana Rhodiaque classis, ut regi opem ferrent, Elæam ab Samo venerunt. Quos ubi expositis copias Elæa, & tot classes in unum convenisse portum, Antiocho allatum est; & sub idem tempus audivit consulem cum exercitu jam in Macedonia esse, pararique quæ ad transitum Hellesponti opus essent: tempus venisse ratus, priusquàm terra marique simul urgeretur, agendi de pace; tumultum quendam adversus Elæam castris cepit. ibi peditum omnibus copiis relictis, cum equitatu (erant autem sex millia equitum) in campos sub ipsa Elææ mœnia descendit: misso caduceatore ad Æmilium, velle se de pace agere.

XIX. Æmilius Eumene à Pergamo accito, adhibitis & Rhodiis, concilium habuit. Rhodii haud aspernati pacem: Eumenes *Nec honestum esse dicere, eo tempore de pace agi: nec exitum rei imponi posse. Qui enim,* inquit, *aut honestè inclusi mœnibus & obsessi leges pacis accipiemus? aut cui rata ista pax erit, quam sine consule, non ex auctoritate senatus, injussu populi Romani peregerimus? Quæro enim,* [1] *pace per te facta, rediturusne ex templo in Italiam sis, classem exercitumque deducturus? an expectaturus, quid de ea re consuli placeat, quid senatus censeat, aut populus jubeat? Restat ergo, ut maneas in Asia, & rursus in hiberna copiæ reductæ, omisso bello, exhauriant commeatibus præbendis socios: deinde (si ita visum sit* [2] *iis penes quos potestas fuerit) instauremus novum de integro bellum. quod possumus si ex hoc impetu rerum nihil prolatando remittitur, ante hiemem Diis volentibus perfecisse.* Hæc sententia vicit, respondumque Antiocho est, ante consulis adventum de pace agi non posse. Antiochus pace nequicquam tentata, vastatis Elæensium primum, deinde Pergamenorum agris, relicto ibi Seleuco filio, [3] Adramytteum, hostiliter itinere facto, petit: agrum opulen-

INTERPRETATIO.

a *Cùm* Eumenes *recusaret decretoria pugna summam rerum in periculum dare:*

NOTÆ.

magnæ confinia Pergamum alluit, atque, in sinum Elaiticum se exonerat è regione Mitylenes, quæ caput Lesbi insulæ: vocatur hodie *Girmastes*, aliis *Chyai*.

1. *Pace per te facta.*] Alloquitur Æmilium Eumenes.

2. *Is penes quos potestas fuerit.*] Consuli scilicet L. Scipioni, aut Senatui populoque Romano.

3. *Adramytteum.*] *Adramyttium* Vrbs fuit Mysiæ, imminens sinui sui nominis, quo dividitur vicinus tractus à Lesbo insula: hodie *Landermiti*, Turcis *Endromi*.

tum, quem vocant 4 Thebes campum, carmine Homeri nobilitatum. neque alio ullo loco Asiæ major regiis militibus parta est præda. Eodem Adramyteum, ut urbi præsidio essent, navibus circumvecti, Æmilius & Eumenes venerunt. Urb. cond. an. 563. Coss. L. Cornel Scipion. & C. Lælio Nepote.

XX. Per eosdem fortè dies Elæam ex Achaja mille pedites cum centum equitibus, Diophane omnibus his copiis præpositō, acceſſerunt. quos egressos navibus obviam missis ab Attalo nocte Pergamum deduxerunt. Veterani omnes & periti belli erant, & ipse dux Philopœmenis, summi tum omnium Græcorum imperatoris discipulus. qui biduum simul ad quietem hominum equorumque, & ad visendas hostium stationes, quibus locis temporibusque accederent, reciperentque sese, sumpserunt. Ad radices ferè collis, in quo posita est urbs, regii succedebant. ita libera ab tergo populatio erat, nullo ab urbe, ne in stationes quidem qui procul jacularetur, excurrente. Postquàm semel compulsi metu se mœnibus incluserunt, contemptus eorum, & inde negligentia apud regios oritur; non stratos, non infrænatos magna pars habebant equos. paucis ad arma & ordines relictis, dilapsi cæteri sparserant se toto passim campo: pars in juveniles lusus lasciviamque versi, pars vescentes sub umbra, quidam somno etiam strati. Hæc Diophanes ex alta urbe Pergamo contemplatus, arma suos capere, & ad portam præsto esse jubet: ipse Attalum adiit, & in animo sibi esse dixit, hostium stationem tentare. 2 Ægrè id permittente Attalo, quippe qui centum equitibus adversus trecentos, mille peditibus cum quatuor millibus pugnaturum cerneret, 3 porta egressus, haud procul stratione hostium occasionem opperiens consedit, & qui Pergami erant, amentiam magis quàm audaciam credere esse: & hostes paulisper in eos versi, ut nihil moveri viderunt, nec ipsi quicquam ex solita negligentia, insuper etiam eludentes paucitatem, mutarunt. Diophanes quietos aliquandiu suos, velut ad spectaculum modò eductos, continuit: posteaquàm dilapsos ab ordinibus hostes vidit, peditibus quantùm accelerare possent, sequi jussis, ipse princeps inter equites cum turma sua quam posset effusissimis habenis, clamore ab omni simul pedite atque equite sublato, stationem hostium improviso invadit. Non homines solùm, sed equi etiam territi, quum vincula abrupissent, trepidationem & tumultum inter suos fecerunt: pauci stabant impavidi equi: eos ipsos non sternere, non infrænare, aut

NOTÆ.

4. *Thebes campum.*] Inter Adramyttium & Antandrum fuit jam tempore belli Trojani oppidum *Thebe* in Eetionis ditione, eversum ab Achille una cum Lyrnesso: nunc *Atramaits* vocari scribit Lydus.

1. *Infrænatos.*] Alibi plerumque *infrænati* dicuntur, qui fræna habent: contrà verò hoc loco sumuntur pro *frænatis*, quemadmodum paulò pòst *infrænare equum*, pro *frænare*.

2. *Ægrè id permittente Attalo.*] Sic in Regio quoque legitur: alii *ægrè id permittente Attalo*, forma loquendi magis historicis familiari.

3. *Porta egressus.*] Diophanes.

Urb. cond. an. 563. Coss. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

ascendere facilè poterant; multò majorem quàm pro numero equitum, terrorem Achæis inferentibus. Pedites verò ordinati & præparati sparsos per negligentiam, & semisomnes propè adorti sunt: cædes passim fugaque per campos facta est. Diophanes secutus effusos quoad tutum fuit, magno Achæorum genti decore parto (spectaverant enim è mœnibus Pergami non viri modò, sed fœminæ etiam) in præsidium urbis rediit.

XXI. Postero die regiæ magis compositæ & ordinatæ stationes, quingentis passibus longiùs ab urbe posuerunt castra: & Achæi eodem fermè tempore atque in eundem locum processerunt. Per multas horas intenti utrinque, velut jam futurum impetum expectavere; posteaquàm haud procul occasu Solis redeundi in castra tempus erat, regii signis collatis abire agmine ad iter magis quàm ad pugnam composito cœpere. Quievit Diophanes, dum in conspectu erant. deinde eodem, quo pridie, impetu in postremum agmen incurrit: tantumque rursus pavoris ac tumultus incussit, ut quum terga cæderentur, nemo pugnandi causa restiterit: trepidantesque, & vix ordinem agminis servantes, in castra compulsi sunt. Hæc Achæorum audacia Seleucum ex agro Pergameno movere castra coegit. Antiochus posteaquàm Romanos & Eumenem adtuendum Adramytteum venisse audivit; ea quidem urbe abstinuit, depopulatus agros. [1] Peræam inde, coloniam Mitylenæorum expugnavit. [2] Cotton, & [3] Corylenus, [4] & Aprodisias, & [5] Crene, primo impetu captæ sunt. inde per Thyatira Sardeis rediit. Selecus in maritima ora permanens [6], aliis terrori, aliis præsidio erat. Classis Romana cum Eumene Rhodiisque [6] Mitylenen primò, inde retrò, unde profecta erat, Elæam rediit. Inde Phocæam petentes, ad insulam [7] quam Bachium vocant, (imminet urbi Phocensium) appulerunt, & quibus antè ab-

NOTÆ.

1. *Peræam inde.*] Hæc *Pereæ* in Mysia fuit ad Æolidis confinia, nec ejus alibi facilè mentio.

2. *Cotton.*] Ignotum aliis oppidi nomen, ut & quæ sequuntur. Ea in Mysia sive Aeolide magnam partem fuisse credibile est, vel certè in Phrygia. An pro *Cotton* legendum *Colona*, quod oppidum in Mysia minori; an potius *Cotyaon*, in Phrygia magna?

3. *Et Corylenus.*] Fallor aut *Dorylæum* dicere voluit: quæ urbs fuit Phrygiæ magnæ ad fines Bithyniæ: nunc Leunclavio *Tzadurile*. Et scriptura regii Codicis ita flecti potest, ut fiat *Corilæum*.

4. *Et Aphrodisias.*] Nota quidem est urbs Cariæ *Aphrodisias*, non longè à Mæandro, quæ nunc *Apodisia* & *Stenopolis*, Italis *Santa Croce*; sed utrum hæc intelligendus hic Livius, subdubito propter ejus tum ab Adramyttio & Pergamo, tum ab aliis ibidem memoratis diastantiam; & quòd inde Sardeis per Thyatira non eatur.

5. *Crene.*] In Phrygiæ magnæ versus Galatiam finibus, *Aulo Crene* vallis & mons legitur apud Plininm, unde Mæander exit. Verùm urbs à nostro intelligi videtur. Num *Priene* in Ionia, quæ patria Biantis? Certè in Regio ita scriptum hoc nomen, ut legi possit *Prinne*.

6. *Mitylenen primo.*] Lesbi insulæ urbs hæc princeps, ad ejus oram orientalem. Hodie *Metelin*: unde toti insulæ nomen.

7. *Quam Bachium vocant.*] Parva est insula in sinu Smyrnæo, Plinio *Bacchina*.

stinue-

ſtinuerant templis, ſignisque (egregiè autem exornata inſula erat) quum hoſtiliter diripuiſſent; [8] ad ipſum urbem tranſmiſerunt. eam [9] diviſis inter ſe partibus quum oppugnarent, & viderent, ſine operibus, armis, ſcalisque, capi non poſſe; miſſum ab Antiocho præſidium trium millium armatorum, quum intraſſet urbem, extemplo oppugnatione omiſſa, claſſis ad inſulam ſe recepit: nihil aliud quam depopulato circa urbem hoſtium agro. Liv. cond. an. 563. Coſſ. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

XXII. Inde placuit Eumenem domum dimitti, & præparare conſuli atque exercitui, quæ ad tranſitum Helleſponti opus eſſent: Romanam Rhodiamque claſſem redire Samum, atque ibi in ſtatione eſſe, ne Polyxenidas ab Epheſo moveret. Rex Elæam, Romani & Rhodii Samum redierunt. Ibi M. Æmilius frater prætoris deceſſit. Rhodii celebratis exequiis, adverſus claſſem quam fama erat, ex Syria venire, tredecim ſuis navibus & una Coa quinqueremi, altera Gnidia, Rhodum, ut ibi in ſtatione eſſent, profecti ſunt. Biduo antè quàm Eudamus cum claſſe à Samo veniret, tredecim à Rhodo naves cum Pamphilida præfecto adverſus eandem Syriacam claſſem miſſæ, aſſumptis navibus quatuor, quæ Cariæ præſidio erant, oppugnantibus regiis, [1] Dædala & quædam alia parva caſtella obſidione exemerunt. Eudamum confeſtim exire placuit. additæ huic quoque ſunt ad eam claſſem, quam habebat, ſex apertæ naves. Profectus quum quantum accelerare poterat, maturaſſet, [2] ad portum, quem Megiſten vocant, prægreſſos conſequitur. inde uno agmine [3] Phaſelidem quum veniſſent; optimum viſum eſt ibi hoſtem operiri.

XXIII. In confinio Lyciæ & Pamphyliæ Phaſelis eſt: prominet penitus in altum, conſpiciturque prima terrarum Rhodum à Cilicia petentibus, & procul navium præbet proſpectum. Eo maximè, ut [1] in obvio claſſi hoſtium eſſent, electus locus eſt. Cæterùm quod non providerunt, & loco gravi, & tempore anni (medium enim æſtatis erat) ad hoc inſolito odore ingruere morbi vulgò, maximè in remiges cæperunt. cujus peſtilentiæ metu profecti, quum prætervecherentur Pamphylium ſinum, ad Eurymedontem amnem appulſa claſſe, audiunt [2] ab

NOTÆ:

8. *Ad ipſum urbem.*] *Phocæam.*

9. *Diviſis inter ſe partibus.*] Hinc Romani, inde Eumenes & Rhodii.

1. *Dædala.*] Nomen eſt oppidi maritimi & vicinorum montium in Lycia, ad occaſum Telmeſſi. Creditur à Dædalo ibi ſepulto inditum nomen: hodie *Urlie*.

2. *Ad portum quem Megiſten vocant.*] In ora Lyciæ *Megiſten* inſulam exiguam per antiphraſin ſic appellatam: Dolychen vicinam, è regione Patarorum memorant Plin. & Ptol. hodie *Strongallo* appellari volunt.

3. *Phaſelidem cùm veniſſent.*] In extrema Lycia verſus Pamphyliam maritima urbs fuit *Phaſelus*, apud Tragum montem, à Mopſo Argivo, ut ferunt, condita, ubi Apollinis oraculum. Piraturam poſtea ſedes. Inde *Phaſelus* navigii genus.

1. *In obvio.*] Loco ſcilicet commodo, ut obviam hoſtibus irent. Regius unus habet, *uti obvii claſſi hoſtium eſſent*. Nec video cur damnaverit Gelen.

2. *Ab Aſpendiis.*] *Aſpendus*, ſive *Aſpendum* Pamphyliæ urbs ad Eurymedontem fluvium ab Argivis condita, ſexaginta

Urb. cond. an. 563. Coss. L. Cornel Scipione, & C. Lælio Nepote.

Aſpendiis 3 ad Sidam jam hoſtes eſſe. Tardiùs navigaverant regii, adverſo 4 tempore Eteſiarum, quod velut ſtatum 5 Favoniis ventis eſſet. Rhodiorum duæ & triginta quadriremes, quatuor triremes fuere. Regia claſſis ſeptem & triginta majoris formæ navium erat, in quibus 6 tres hepteres & quatuor hexeres habebat. præter has decem triremes erant. & alii adeſſe hoſtes ex ſpecula quadam cognovere. Utraque claſſis poſtero die luce prima, tanquam eo die pugnatura, è portu movit: & poſteaquam ſuperavere Rhodii promontorium, quod ab Sida prominet in altum; extemplo & conſpecti ab hoſtibus ſunt, & ipſi eos viderunt. Ab regio ſiniſtro cornu, quod ab alto objectum erat, Annibal, dextro Apollonius [b] purpuratorum unus præerat. & jam in frontem directas habebant naves. Rhodii longo agmine veniebant. prima prætoria navis Eudami erat: cogebat agmen Chariclitus: Pamphilidas mediæ claſſi præerat. Eudamus poſteaquàm hoſtium aciem inſtructam & paratam ad concurrendum vidit; & ipſe in altum evehitur, & deinceps, quæ ſequebantur, ſervantes ordinem in frontem dirigere jubet. Ea res primò tumultum præbuit. Nam nec ſic in altum evectus erat, ut ordo omnium navium ad terram explicari poſſet: & feſtinans ipſe præproperè cum quinque ſolis navibus Annibali occurrit. cæteri quia in frontem dirigere juſſi erant, non ſequebantur. Extremo agmini loci nihil ad terram relicti erat: trepidantibuſque iis inter ſe, jam in dextro cornu adverſus Annibalem pugnabatur.

XXIV. Sed momento temporis, & [a] navium virtus & uſus rei maritimæ terrorem omnem Rhodiis dempſit. nam & in altum celeriter evectæ naves,

5

6

10

15

20

INTERPRETATIO.

[a] *Tres ſeptiremes, ſeu naves, quæ ſeptem remorum ordinibus agebantur; & quatuor quæ ſex ordinibus conſtabant*, &c.

[b] *Unus è numero eorum, qui principem gratiæ locum habebant apud Antiochum.*

NOTÆ.

ſtadiis ab oſtio ejus amnis. Inde *Aſpendius cythariſta* inter adagia Græcorum, qui ſibi tantùm uni canebat, cytharam digitis duntaxat pulſans: quod ad eos trahitur qui omnia in commodum ſuum vertunt.

3. *Ad Sidam jam hoſtes.*] *Sida*, ſeu *Side* urbs Pamphyliæ maritima, ejuſque provinciæ Metropolis, nunc *Chriſſonda* Nigro, Moletio verò & Theveto *Scandalor*. *Tò jam*, quod reſpuit Perizonius, in noſtris legitur: neque eſt quòd mutetur *eſſe* in *iſſe*, cùm æquè ſenſus conſtet; & *Tò eſſe* rem præſentem ſignificet.

4. *Tempore Eteſiarum.*] *Eteſiæ*, aliàs *Prodromi*, venti ſunt, qui certo anni tempore ex alia atque alia parte cœli ſpirant, ut loquitur Gell. lib. 2. cap. 22. ἐτησίαι, dicti à nomine ἔτος, quòd annum ſignificat, quoniam ſingulis annis recurrunt.

4. *Favoniis ventis.*] Diximus ſtato anni tempore flare Eteſias: quòd autem *Favonios* ventos interpretatur noſter, ab occaſu ſpirantes ventos, Straboni adverſatur, qui li b. 3. *Euros* vocat ab ortu Solis ſtantes: ſed nimirùm modò ex hac, modò ex illa cœli regione ſpirant Eteſiæ per illa maria. Vide Plin. 37. 5.

6. *Ab regio ſiniſtro cornu.*] Ita noſtri. ſed tamen facilè in Gronovii ſententiam

locum poſt ſe quæque venienti ad terram dedere: & ſi qua concurreret ro-
ſtro cum hoſtium navi, aut proram lacerabat, aut remos detergebat, aut
libero inter ordines diſcurſu prætervecta, in puppim impetum dabat.
Maximè exterruit hepteris regia à multò minore Rhodia nave uno ictu
demerſa. Itaque jam haud dubiè dextrum cornu hoſtium in fugam incli-
nabat. Eudamum in alto, multitudine navium maximè Annibal, ex-
teris omnibus longè præſtantem, urgebat: & circumveniſſet, ni ſigno
ſublato ex prætoria nave, (quo diſperſam claſſem in unum colligi mos
erat) omnes quæ in dextro cornu vicerant naves, ad opem ferendam
ſuis concurriſſent. tum & Annibal, quæque circa eum erant naves, ca-
peſſunt fugam: nec inſequi Rhodii, ex magna parte ægris, & ob id ce-
leriùs feſſis remigibus potuerunt. Quum in alto ubi ſubſtiterant, cibo
reficerent vires, contemplatus Eudamus hoſtes claudas mutilaſque naves
apertis navibus [1] remulco trahentes, viginti paulò ampliùs integras ab-
ſcedentes; è turri prætoriæ navis ſilentio facto, *Exurgite*, inquit, *&
egregium ſpectaculum capeſſite oculis!* Conſurrexere omnes, [2] contemplatique trepidationem fugamque hoſtium; propè una voce exclamavere omnes, ut ſequerentur. Ipſius Eudami multis ictibus vulnerata navis erat. Pamphilidam & Chariclitum inſequi, quoad putarent tutum, juſſit. Aliquandiu ſecuti ſunt: poſteaquàm terræ appropinquabat Annibal, veriti ne includerentur vento in hoſtium ora, ad Eudamum revecti, hepterem captam, quæ primo concurſu icta erat, ægrè Phaſelidem pertraxerunt. inde Rhodum, non tam victoria læti, quàm alius alium accuſantes, quod quum poteriſſet, non omnis ſummerſa aut capta claſſis hoſtium foret, redierunt. Annibal ictus uno prœlio adverſo, ne tum quidem prætervehi Lyciam audebat, quum conjungi veteri regiæ claſſi quamprimùm cuperet. Et id ne ei facere liberum eſſet, Rhodii Chariclitum cum viginti navibus roſtratis ad Patara & Negiſten portum miſerunt. Eudamum cum ſeptem navibus maximis ex ea claſſe cui præfuerat, Samum redire ad Romanos juſſerunt: ut quantum conſilio, quantum auctoritate valeret, compelleret Romanos ad Patara oppugnanda.

Urb. cond. an. 563. Coſſ. L. Cornel. Scipione, & C. Lelio Nepote.

XXV. Magnam lætitiam Romanis jam priùs nuncius victoriæ, deinde adventus attulit Rhodiorum. & apparebat, [1] ſi ea cura Rhodiis dempta

NOTÆ.

jerim legentis, *ab regiis*, *ſiniſtro cornu*.

1. *Remulco trahentes.*] *Remulco trahi* dicuntur naves, quæ velis aguntur, quoties vento deſtituntur aut aliàs laceræ, minoribus navigiis alligatæ remigum opera trahuntur. *Remulco* itaque videtur ablativus, cujus nominativus *remulcus*, actum illum trahendi navem ſignificat, ſed in uſu non eſt. Ex verbo minus uſitato, *remulcare*, vernaculus apud nos ſermo fecit, *remorquer*.

2. *Contemplatique trepidationem.*] Quidam *expugnationem*, unde Gron. *exſternationem* fecit.

1. *Si ea cura.*] Metus ſcilicet & ſolicitudo à Pataris urbe hoſtili, quæ in proximo continentis prioccpe.

Urb. cond. an. 563. Coss. L. Cornel. Scipione & C. Lælio Nepote.

eſſet, vacuos eos tuta ejus regionis maria præſtituros. ſed profecto Antiocho ab Sardibus, ne opprimerentur urbes maritimæ, abſcedere cuſtodia Ioniæ atque Æolidis prohibuerunt. Pamphilidam cum quatuor navibus tectis ad eam claſſem quæ circa Patara erat, miſerunt. Antiochus non civitatum modò, quę circa ſe erant, contrahebat præſidia. ſed [2] ad Pruſiam 3 Bithynię regem miſerat legatos literaſque, quibus tranſitum in Aſiam Romanorum increpabat: *Venire eos ad omnia regna tollenda, ut nullum uſquam 4 orbis terrarum, niſi imperium Romanum eſſet. Philippum & Nabin expugnatos: ſe tertium peti. ut quiſque proximus ab oppreſo ſit, per omnes, velut continens incendium, pervaſurum. a Abſe gradum in Bithyniam fore, quando Eumenes in voluntariam ſervitutem conceſſiſſet.* His motum Pruſiam literæ Scipionis conſulis, ſed magis ejus fratris Africani, ab ſuſpicione tali averterunt. qui præter conſuetudinem perpetuam populi Romani augendi omni honore regum ſociorum majeſtatem, domeſticis ipſe exemplis Pruſiam ad promerendam amicitiam ſuam compulit. *Regulos ſe acceptos in fidem in Hiſpania reges reliquiſſe. Maſiniſſam non in patrio modo locaſſe regno, ſed in Syphacis, à quo antè expulſus fuiſſet, regnum impoſuiſſe: & eſſe eum non Africæ modo regum longè opulentiſſimum, ſed toto in orbe terrarum cuivis regum vel majeſtate vel viribus parem. Philippum & Nabin hoſtes & bello ſuperatos ab T. Quintio, tamen in regno relictos. Philippo quidem anno priore etiam ſtipendium remiſſum & filium obſidem redditum: & quaſdam civitates extra Macedoniam, patientibus Romanis imperatoribus, recepiſſe eum. In eadem dignitate & Nabin fuiſſe; niſi eum ſuus primo furor, deinde fraus Ætolorum abſumpſiſſet.* Maximò confirmatus eſt animus regis, poſtcaquàm ad eum C. Livius, qui prætor antè claſſi præfuerat, legatus ab Roma venit; & edocuit, quantò & ſpes victorię certior Romanis quàm Antiocho, & amicitia ſanctior firmiorque apud Romanos futura eſſet.

XXVI. Antiochus poſtcaquàm à ſpe ſocietatis Pruſię decidit, Epheſum ab Sardibus eſt profectus ad claſſem, quę per aliquot menſes inſtructa

INTERPRETATIO.

a *Quandoquidem Eumenes*, qui medius eſt inter ipſum Antiochum, & Pruſiam, *ultrò ſervitutem Romanorum amplexus* [3] poſt ſe (Antiochum devictum) *iros in Bithyniam*, Romanos adverſus Pruſiam ipſum.

NOTÆ.

2. *Ad Pruſiam.*] Filius & ſucceſſor erat Pruſias Zielæ, qui mortuo Lyſimacho Bithyniam occupaverat, atque à Gallis acie cæſus fuerat. Is Romanis addictus adeo fuit, ut ſumpto pileo libertum ſe populi Romani diceret.

3. *Bithyniæ regem.*] Minoris Aſiæ regio Thraciæ Europæ regioni oppoſita eſt *Bithyniæ*, Propontide intermedia & Boſphoro Thracio: hodie Turcis *Burſia*, & ex parte *Becſangil*.

4. *Orbis terrarum.*] Refer *ad imperium* ut nempe nulli per orbem terrarum imperent, vel orbis terrarum imperium obtineant, præter populum Romanum.

ac parata fuerat, visendam: magis quia terrestribus copiis exercitum Romanum & duos Scipiones imperatores videbat sistinere non posse, quàm quòd res navalis ipsa per se aut tentata sibi unquam feliciter, aut tunc magnæ & certæ fiduciæ esset. Erat tamen momentum in præsentia spei: quòd & magnam partem Rhodiæ classis circa Patara esse, & Eumenem regem cum omnibus navibus suis consuli obviam in Hellespontum profectum audierat. aliquid etiam inflabat animos classis Rodia, ad Samum per occasionem fraude præparatam absumpta. His fretus, Polyxenidâ cum classe ad tentandam omni modo certaminis fortunam misso, ipso copias ad Notium ducit: (id oppidum Colophonium mari imminens, abest à vetere Colophone duo fermè millia passuum) [1] & ipsam urbem suæ esse potestatis volebat; adeo propinquam Ephesо, ut nihil terrâ marive ageret, quod non subjectum oculis Colophoniorum, ac per eos notum exemplo Romanis esset: quos auditâ obsidione non dubitabat ad opem ferendam sociæ urbi classem à Samo moturos. eam occasionem Polyxenidæ ad rem gerendam fore. Igitur operibus oppugnare urbem aggressus, & [2] ad mare partibus duabus pariter munitionibus deductis, utrinque vineas & aggerem muro injunxit, & testudinibus arietes admovit. Quibus territi malis Colophonii oratores Samum ad L. Æmilium, fidem prætoris populique Romani implorantes, miserunt. Æmilium & Sami à segnis diu mora offendebat, nihil minus opinantem quàm Polyxenidam bis nequicquam ab se provocatum, potestatem pugnæ facturum esse: & turpe existimabat, Eumenis classem adjuvare consulem ad trajiciendas in Asiam legiones: de Colophonis obsessæ auxilio incertum finem habituro alligari. [3] Eudamus Rhodius, qui & tenuerat eum Sami, cupientem proficisci in Hellespontum, cunctique instare & dicere: *Quanto satius esse vel socios obsidione eximere, vel victam jam semel classem vincere iterum, totamque maris possessionem hosti eripere, quàm desertis sociis, traditâ Antiocho Asiâ terrâ marique, in Hellespontum, ubi satis esset Eumenis classis,* [b] *ab sua parte belli discedere.*

Urb. cond. an. 563. Coss. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

INTERPRETATIO.

[a] *Ægrè ferebat Æmilius se otiosum Sami tandiu morare.*

[b] *Deserere stationem seu belli partem sibi mandatam.*

NOTÆ.

1. *Et ipsam urbem.*] Colophonem, opinor, aut certè Notium, coloniam scilicet veteris Colophonis, quæ urbs fuit Joniæ, hodie Italis *Altobosco*, secundùm Zardum, aut *Belvedere* ex Nigro, medio fermè itinere inter Smyrnam & Ephesum ad quindecim milliaria, huic paulò propior, una ex septem urbibus, quæ Homeri natales sibi vindicabant.

2. *Ad mare partibus duabus*, &c.] Gallicè, *après avoir fait des retranchements, qui de deux costés aboutissoient à la mer: il approcha du mur par des galleries de bois, & des terrasses de chaque costé; il fit approcher les beliers à couvert sous les planchers des machines couvertes de cuir, qu'on appelloit tortuës.*

3. *Eudamus Rhodius.*] Hic Appiano *Eudorus* dicitur: is destinaverat Æmilium

Urb. cond. an. 563. Coſſ. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

XXVII. Profecti ab Samo ad petendos commeatus, conſumptis jam omnibus, Chium parabant trajicere. Id erat horreum Romanis: eoque omnes ex Italia miſſæ onerariæ dirigebant curſum. Circumvecti ab urbe [1] ad averſa inſulæ, [ſ] objecta aquiloni, ad Chium & Erythras ſunt) quum parare trajicere, literis certior fit prætor, frumenti vim magnam Chium ex Italia veniſſe; vinum portantes naves tempeſtatibus retentas eſſe. Simul allatum eſt, Tejos regiæ claſſi benignè commeatus præbuiſſe: quinque millia [2] vaſorum vini eſſe pollicitos. Teum ex medio curſu claſſem repentè avertit: aut [a] volentibus iis uſurus commeatu pararo hoſtibus, aut ipſos pro hoſtibus habiturus. Quum direxiſſent ad terram proras, quindecim fermè eis naves circa Myonneſum apparuerunt. quas primò ex claſſe regia prætor eſſe ratus, inſtitit ſequi. Apparuit inde, piraticas [3] celoces & lembos eſſe. Chiorum maritimam oram depopulati, cum omnis generis præda revertentes, poſteaquàm videre ex alto claſſem, in fugam [4] verterunt. & celeritate [5] ſuperabant, levioribus & ad id fabrefactis navigiis, & propiores terræ erant. Itaque priuſquàm appropinquaret claſſis, Myonneſum perfugerunt. Unde ſe à portu ratus abſtracturum naves, ignarus loci ſequebatur prætor. Myonneſus promontorium [6] inter Teum Samumque eſt. Ipſe collis eſt in modum metæ, in acutum cacumen à fundo ſatis lato faſtigiatus: à continenti arctæ ſemitæ aditum habet: à mari exeſæ fluctibus rupes claudunt; ita ut quibuſdam locis ſuperpendentia ſaxa plus in altum quam quæ in ſtatione ſunt naves, promineant. Circa ea appropinquare non auſæ naves, ne ſub ictu ſuperſtantium in rupibus piratarum eſſent, diem trivêre. Tandem ſub noctem vano incœpto quum abſtitiſſent, Teum poſtero die acceſſere: & in portu qui ab tergo urbis eſt (Geræſticum ipſi appellant) navibus conſtitutis prætor ad

INTERPRETATIO.

a *Ut aut vinum paratum claſſi Antiochi acciperet à Teiis, ſi modo conſentirent; aut Tejos ipſos tanquam hoſtes perſequeretur.*

NOTÆ.

apud Samum: cùm reliqui omnes eum urgerent ad ſolvendam obſidionem Colophonis, aut ad hoſtium claſſem expugnandam.

1. *Ad averſa inſulæ, objecta.*] Intellige Inſulæ *Sami* partem averſam ab urbe Samo, quæ ad meridiem inſulæ; unde quæ ei averſa Aquilonem reſpiciunt. Æmilius itaque cum ſuis circumvectus eſt Samum inſulam, & Chium, atque Erythras verſus navigavit, urbes freto diſcretas, quarum illa inſulæ Chii caput, hæc in Joniæ peninſula.

2. *Vaſorum vini.*] Argillacea fortè vaſa fuerunt.

3. *Celoces.*] Exigua erant navigia celeritatis eximiæ; unde & nomen: unoduntaxat remorum ordine agebantur.

4. *Verterunt.*] Pro *verſi ſunt*, vel ſe *converterunt*: Reg. & Corb. *vertebant*, & fortè melius, ſi fortè inde priùs profecti piratæ.

5. *Superabant.*] Piratæ.

7. *Inter Teum Samumque.*] Num potiùs *inter Teum Lebedumque?*

depopulandum circa urbem agrum milites emiſit. Urb. cond, an. 563. Coſſ. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

XXVIII. Teji quum in oculis populatio eſſet, oratores cum infulis & velamentis ad Romanum miſerunt. quibus [a] purgantibus civitatem omnis facti dictique hoſtilis adverſus Romanos, *& juviſſe eos commeatu claſſem hoſtium arguit, & quantum vini Polyxenidæ promiſiſſent.* [1] *quæ ſi eadem claſſi Romanæ darent, revocaturum ſe à populatione militem: ſin minus, pro hoſtibus eos habiturum.* Hoc tam triſte reſponſum quum retuliſſent legati, vocatur in concionem à magiſtratibus populus, ut quid agerent, conſultarent. Eo fortè Polyxenidas cum regia claſſe à Colophone profectus poſteaquàm moviſſe à Samo Romanos audivit, & ad Myonneſum piratas perſecutos, Tejorum agrum depopulari, naves in Geræſtico portu ſtare; ipſe adverſus Myonneſum in inſula (Macrin nautici vocant) anchoras portu occulto jecit. inde ex propinquo explorans quid hoſtes agerent; primò in magna ſpe fuit; [2] quemadmodum Rhodiam claſſem ad Samum circumſeſſis ad exitum faucibus portus expugnaſſet, ſic & Romanam expugnaturum. nec eſt diſſimilis natura loci. Promontoriis coeuntibus inter ſe ita clauditur portus, ut vix duæ ſimul inde naves poſſint exire. Nocte occupare fauces Polyxenidas in animo habebat, & denis navibus ad promontoria ſtantibus, quæ ab utroque cornu in latera exeuntium navium pugnarent: ex cætera claſſe, ſicut ad Panormum fecerat, armatis in litora expoſitis, terrâ marique ſimul hoſtes opprimere. quod non vanum ei conſilium fuiſſet, ni quum Teji facturos ſe imperata promiſiſſent, ad accipiendos commeatus aptius viſum eſſet Romanis in eum portum, [3] qui ante urbem eſt, [4] claſſem tranſire. Dicitur & Eudamus Rhodius vitium alterius portus oſtendiſſe, quum fortè duæ naves in arcto oſtio implicitos remos fregiſſent. & inter alia id quoque movit prætorem, ut traduceret claſſem, quod ab terra periculum erat; haud procul inde Antiocho ſtativa habente.

XXIX. Traductâ claſſe ad urbem, [a] ignaris omnibus egreſſi milites nautæque ſunt, ad commeatus & vinum maximè dividendum in naves; quum medio fortè diei agreſtis quidam ad prætorem adductus nunciat: alteram jam diem claſſem ſtare ad inſulam Macrin, & paulò antè

INTERPRETATIO.

a *Cùm negarent civitatem ſuam hoſtile quicquam contra Romanos aut feciſſe, aut dixiſſe, Æmilius coarguit.* &c.

a *Cùm omnes Romani ignorarent Polyxenidæ inſidias.*

NOTÆ.

1. *Quæ ſi eadem.*] Intellige vaſa, ſeu dolia vini.

2. *Quemadmodum Rhodiam claſſem ... expugnaſſet.*] Supra cap. 11.

3. *Qui ante urbem eſt.*] Hic portus diverſus eſt à Geræſtico, qui ab tergo Myonneſi. Porrò verbum *eſt* ignorant ſcripti noſtri, & ſatis per ſe intelligitur.

4. *Claſſem tranſire.*] Sigon. mavult, *claſſe tranſire*, quod referretur ad Romanos tranſeuntes. Sed *claſſem tranſire*, quod noſtri retinent, idem eſt ac, *ut tranſiret claſſis*: quod magis placet.

Urb. cond. an. 563. Coss. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

visas quasdam moveri tanquam ad profectionem naves. Re subitâ perculsus prætor, tubicines canere jubet, ut si qui per agros palati essent, redirent: tribunos in urbem mittit ad cogendos milites, nautasque in naves. Haud secus quàm in repentino incendio aut captâ urbe trepidatur: aliis in urbem currentibus ad suos revocandos, aliis ex urbe naves cursu repetentibus: incertisque clamoribus (quibus ipsis tubæ obstrepebant) turbatis imperiis, tandem [b] concursum ad naves est. Vix suam quisque noscere aut adire prætumultu poterat: trepidatumque cum periculo & in mari & in terra foret: [c] ni partibus divisis Æmilius cum prætoria nave primus è portu in altum evectus, excipiens insequentes suo quamque ordine [1] in frontem instruxisset: Eudamus Rhodiaque classis substitissent ad terram, ut & sine trepidatione conscenderent, & ut quæque parata esset, exiret navis. Ita & explicuere ordinem primæ in conspectu prætoris, & coactum agmen ab Rhodiis est, instructaque acies velut cerneret regios, in altum processit. inter Myonnesum & Corycum promontorium erant, quum hostem conspexère. Et regia classis, binis in ordinem navibus longo agmine veniens, & ipsa aciem adversam explicuit; tantùm lævo evecta cornu, ut amplecti & circumire dexterum cornu Romanorum posset. quod ubi Eudamus, qui cogebat agmen, vidit non posse exæquare ordinem Romanos, & [d] tantum non jam circumiri à dextro cornu; concitat naves, (& erant Rhodiæ naves longè omnium celerrimæ tota classe) æquatoque cornu, prætoriæ navi, in qua Polyxenidas erat, suam objecit.

XXX. Jam totis classibus simul ab omni parte pugna conserta erat. Ab Romanis octoginta naves pugnabant, ex quibus [1] Rhodiæ duæ & viginti erant. Hostium classis unde nonaginta navium fuit; & maximæ formæ naves tres hexeres habebat, duas hepteres. Robore navium, & virtute militum Romani [2] longè Rhodios præstabant: Rhodiæ naves agilitate & arte gubernatorum, & scientia remigum. Maximo ta-

INTERPRETATIO.

b *Ad naves redierunt* milites Romani. *portum assignasset: primusque extra portum*

c *Nisi Æmilius postquam suum cuique egressus, &c. mnnus mandasset, in diversas naves, &c. Vel postquam naves in exigua quasi corpora divisisset, & suum cuique locum intra*

d *Ferè, seu in eo esse ut jam jam circumiretur.*

NOTÆ.

1. *In frontem instruxisset.*] Gallicè, *il rangeatous les vaisseaux de front, à mesure qu'ils sortoient du port.*

1. *Rhodiæ duæ & viginti.*] Apud Appianum leguntur *quinque & viginti*. Sed in Livio videtur error ex notis numerorum, ut fit, ortus; quemadmodum Sigonius non improbabiliter arbitratur.

2. *Longè Rhodios præstabant.*] Legendum sine dubio *regios* ex priscis editionibus, quamvis reragentur scripti: comparatio enim instituitur Romanorum & Rhodiorum, qui ipsorum socii, cum regiis eorumdem hostibus, non Romanorum cum Rhodiis.

men hoſtibus terrori fuere, 3 quæ ignes præ ſe portabant: & quod unum iis ad Panormum circumventis ſaluti fuerat, id tum maximum momentum ad victoriam fuit. nam 4 metu ignis adverſi regiæ naves ne prora concurrerent, quum declinaſſent, neque ipſæ ferire roſtro hoſtem poterant, & obliquas ſe ipſæ ad ictus præbebant: & ſi qua concurrerat, obruebatur infuſo igni; magiſque ad incendium, quàm ad prœlium, trepidabant. Plurimum tamen, quæ ſolet, militum virtus in bello valuit. mediam namque aciem hoſtium Romani quum rupiſſent, circumvecti ab tergo, pugnantibus adverſus Rhodios regiis ſe objecêre: momentoque temporis & media acies Antiochi, & lævo in cornu circumventæ naves mergebantur. 5 Dextera pars integra, ſociorum magis clade quàm ſuo periculo terrebatur. cæterùm poſteaquàm alias circumventas, prætoriam navem Polyxenidæ relictis ſociis vela dantem 6 videre, ſublatis raptim dolonibus (& erat ſecundus petentibus Epheſum ventus) capeſſunt fugam: quadraginta duabus navibus in ea pugna amiſſis, quatum decem & tres captæ 7 in poteſtatem hoſtium venerunt, cæteræ incenſæ aut demerſæ. Romanorum duæ naves fractæ ſunt, vulneratæ aliquot. 8 Rhodia una capta, memorabili caſu. nam quum roſtro percuſſiſſet Sidoniam navem, anchora ictu ipſo excuſſa è nave ſua, unco dente velut manu ferreâ injectâ, alligavit alterius proram: inde tumultu injecto quum divellere ſe ab hoſte cupientes 9 inhiberent Rhodii, 10 tractum anchorale & implicitum remis, latus alterum deterſit, & debilitatam ea ipſa quæ icta cohæſerat, navim cepit. hoc maximè modò ad Myonneſum navali prœlio pugnatum eſt.

Urb. cond. an 563. Coſſ. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

XXXI. Quo territus Antiochus, quia poſſeſſione maris pulſus, longinqua tueri diffidebat ſe poſſe, præſidium ab Lyſimachia, ne opprimeretur ibi ab Romanis, deduci pravo, ut res ipſa poſtea docuit, conſilio juſſit. non enim tueri ſolùm Lyſimachiam à primo impetu Romanorum fa-

NOTÆ.

3. *Quæ ignes præ ſe portabant.*] Ex Rhodiarum numero, de quibus ſuprà cap. 11. Jam tum itaque in uſu *incendiaria naves*, Gallicè *le brulots*.

4. *Metu ignis adverſi.*] Vellem ex vetuſto codice hauſiſſet Gronovius *adverſas*: clarior enim eſſet ſenſus, ſi dicerentur regiæ naves declinaſſe *adverſas* (naves Rhodias) quæ ignem portabant. Nihil tamen vetat epitheton *adverſi* referri ad *ignem* ex adverſo illatum per incendiarias naves.

5. *Dextra pars integra.*] Dextrum cornu Antiochi.

6. *Videre.*] Nempe qui erant in dextro cornu Antiochi.

7. *In poteſtatem hoſtium.*] Romanorum vel Rhodiorum.

8. *Rhodia una capta.*] Et à Polyxenida Epheſum abducta ex Appiano.

9. *Inhiberent Rhodii.*] Remos ſcilicet ſiſterent.

10. *Tractum anchorale.*] Eſt *anchorale* ſubſtantivè dictum pro *fune anchorali* ſeu *anchora retinaculo*: anchora itaque excuſſa è navi Rhodia in hoſtilem Sidoniam, vel contra è Sidonia in Rhodiam alligavit proram Rhodiæ quæ cùm in puppem remigaret, funis ille tractus ab anchora inde religata, & magnâ parte delapſus, remiſque Rhodiæ navis implicitus ab uno latere eos deterſit: unde velut clauſa facta Rhodia navis facilè capta eſt ab hoſtili.

Liv. anno. 563. Coſ. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio. Nepote.

ciliorem, ſed obſidionem etiam per totam hiemem tolerare, & obſidentes quinque ad ultimam inopiam abdicere extrahendo tempus, & interim ſpem pacis per occaſiones tentare. Nec Lyſimachiam tantùm hoſtibus tradidit poſt adverſam navalem pugnam, ſed etiam Colophonis obſidione abſceſſit, & Sardeis recepit ſe atque inde in Cappadociam ad Ariaratheu, qui auxilia arceſſerat; & quocumque alio poterat ad copias contrahendas, in unum jam conſilium, ut acie dimicaret intentus, miſit. Regillus Æmilius poſt victoriam navalem profectus Epheſum, [1] directis antè portum navibus, quinis conſeſſionem, conceſſit maris ultimam hoſti expreſſiſſet, Chium quoque, ante navale proelium, curſum à Samo intenderat, navigat. ibi naves in proelio quaſſatas quum refeciſſet, L. Æmilium Scaurum cum triginta navibus Helleſpontum ad exercitum trajiciendum miſit: [2] Rhodias parte prædæ & ſpoliis navalibus decoratas domum redire jubet. Rhodii impigrè præverterè, ad trajiiciendaſque copias conſulis îêre: atque eo quoque functi officio, tum demum Rhodum redièro. claſſis Romana ab Chio Phocæam trajecit. in ſinu maris intimo poſita hæc urbs eſt, oblonga forma. duûm millium & quingentorum paſſuum ſpatium muros amplectitur: coit. deinde ex utraque parte in arctiorem velut cuneum. 3. Lamptera ipſi appellant, mille & ducentos paſſus ibi latitudo patet: inde in alcum lingua mille paſſuum excurrens medium fere ſinum velut nota diſtinguit, ubi coarctaret faucibus anguſtis, duos in utramque regionem verſos portus tutiſſimos habet. qui in meridiem vergit, [2] Nauſtathmos abire appellatur, quia ingentem vim navium capit: alter prope ipſum Lamptera eſt.

XXXII. Hos portus tutiſſimos quum occupaſſet Romana claſſis, priuſquam ſcalis, aut operibus mœnia aggrederetur, mittendos conſuit præter qui principum magiſtratuumque animos tentarent, poſtquam obſtinatos vidit, duobus ſimul locis oppugnare eſt adortus. Altera pars infrequens ædificiis erat: templa Deûm aliquantum tenebant loci. eâ priùs aricte admoto, quatere muros, turresque cœpit. deinde quum eò multitudo occurreret ad defendendum, alterâ quoque parte admotus aries, & jam utrimque ſternebantur muri. ad quorum caſum quum impetum Romani, milites per ipſum ſtragem ruinarum facerent, alii ſcalis etiam

INTERPRETATIO.

2 Eſt, *navali*, ſeu *navium ſtatio*.

NOTÆ.

1. *Diriſis ante portum navibus.*] Ea vera lectio, quâ deſignatur mos receptus apud victor. in conſpectu victi aciem inſtruit, ut victoriæ confeſſionem ab eo exprimat. Iacit quod lib. prox. narratur: *Epheſum hoſtem perſequutis, ante haſtium portus acie inſtructâ ſtetêrunt, ſpectan-*

dam confeſſionem victis faciè exſpectantes. Vulgò perperam legitur, *direptis* pro *diriſis*.

2. *Rhodias.*] Regius liber, quemadmodum Sigonianus, *Rhodios &c.*

3. *Lamptera.*] Hoc vocabulo ſignificatur *lacertus* ſive *ephippium*, unde lignum na-

ascensum in muros tentarent: adeo obstinatè restiterunt oppidani, ut facilè appareret plus in armis & virtute, quàm in mœnibus auxilii esse. coactus ergo periculo militum prætor, receptui canì jussit, ne objiceret incautos furentibus desperatione ac rabie. Dirempto prœlio, ne cura quidem ad quietem versi, sed undique omnes ad munienda & obmolienda quæ ruinis strata erant, concurrerunt. Huic operi intentis supervenit Q. Antonius, à prætore missus: qui castigatâ pertinaciâ eorum, *Majorem curam Romanis quàm illis ostenderet esse, ne in perniciem urbis pugnarent. si absistere furore vellent, potestatem iis dare æquissimæ conditione, quâ prius* [1] *C. Livii in fidem venissent, se tradendi.* Hæc quum audissent, quinque dierum spatio ad deliberandum sumpto tentatâ interim spe auxilii ab Antiocho, postea quàm legati missi ad regem; nihil in eo esse præsidii, [a] retulerunt; tum portas aperuerunt, pacti ne quid hostile paterentur. Quum signa in urbem inferrentur, & pronunciasset prætor, parci se deditis velle; clamor undique est sublatus, *indignum facinus esse, Phocæenses nunquam fidos socios, semper infestos hostes, insperatè eludere.* ab hac voce (velut signo à prætore dato) ad diripiendam urbem passim discurrerunt. Æmilius primò resistere & revocare, dicendo, captas, non deditas diripi urbes: & in his tamen arbitrium esse imperatoris, non militum. Postea quam ira & avaritia imperio potentiora erant; præconibus per urbem missis, liberos omnes in forum adire convenire jubet, ne violarentur: & in omnibus quæ ipsius potestatis fuerunt, fides constitit prætoris. Urbem agrosque & suas leges iis restituit: & quia jam hiems appetebat, Phocæ portus ad hibernandum classi delegit. Urb. cond. an. 565. Coss. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

XXXIII. Per idem ferè tempus consuli transgresso [1] Æniorum Maronitarumque fines nunciatur, victam regiam classem ad Myonnesum, relictamque à præsidio Lysimachiam esse. Id multò [2] quam de navali victoria lætius fuit; utique postea quàm eò venerunt, refertaque urbs omnium rerum commeatibus, velut in adventum exercitus præparatis, eos excepit. ubi inopiam ultimam, laboremque in obsidenda urbe sibi proposuerant: ibi paucos dies stativa habuere, ut impedimenta [3] ægrique consequerentur, qui passim per omnia Thraciæ castella fessi morbis ac longitudine viæ relicti erant. Receptis omnibus, ingressi iter per Chersonesum, Hellespontum pervenere. ubi omnibus cura regis

INTERPRETATIO.

[a] Regias intulerant.

NOTÆ.

vigantibus datur.

1. *C. Livii in fidem venissent.*] Hic C. Livius prætor fuit 35. 24.

1. *Æniorum Maronitarumque.*] Ab Æno & Maronea Thraciæ urbibus dicti Æmii & Maronitæ.

2. *Quam de navali victoria.*] Intelligunt nuntium de navali victoria.

3. *Ægrique consequerentur.*] Id est, subsequerentur exercitum, *afin que les bagages*

Urb. cond. an. 563. Coss. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

Eumenis ad trajiciendum præparatis, velut in pacata litora, nullo prohibente, aliis aliò delatis navibus, sine tumultu trajecere. Ea verò res Romanis auxit animos, 4 concessum sibi transire cernentibus in Asiam: a quam rem magni certaminis futuram crediderant. Stativa deinde ad Hellespontum aliquandiu habuerunt: quia dies fortè, 5 quibus ancilia moventur religiosi ad iter inciderant. iidem dies P. Scipionem 6 propiore etiam religione, quia Salius erat, disjunxerant ab exercitu; causaque & is ipse moræ erat, dum consequeretur. 5

XXXIV. Per eos fortè dies legatus ab Antiocho in castra venerat, Byzantius Heraclides; de pace afferens mandata: quam impetrabilem fore magnam ei spem attulit mora & cunctatio Romanorum: quos simul Asiam attigissent, effuso agmine ad castra regia ituros crediderat. Statuit tamen non prius adire consulem, quàm P. Scipionem: & ita mandatum ab rege erat. in eo maximam spem habebat, præterquàm quòd & magnitudo animi & satietas gloriæ, placabilem eum maximè faciebat. notumque erat gentibus, 1 qui victor ille in Hispania, qui deinde in Africa fuisset: etiam quòd filius ejus captus in potestate regis erat. Is ubi & quando, & quo casu captus sit, sicut pleraque alia, parum inter auctores constat. alii principio belli 2 è Chalcide Oreum petentem, circumventum ab regiis navibus tradunt: alii posteaquàm transitum in Asiam est, cùm 3 turba Fregellana missum exploratum ad regia castra, effuso obviàm equitatu quum reciperet sese, in eo tumultu 4 delapsum equo cum duobus equitibus oppressum, ita ad regem deductum esse. Illud satis constat, 5 si pax cum populo Romano maneret, hospitiumque privatim regi cum Scipionibus esset, neque liberaliùs neque beni-

INTERPRETATIO.

a *Quem transitum existimaverant non sine magno certamine obtineri posse.*

NOTÆ.

Les malades pussent joindre l'armée.

4. *Concessum sibi transire.*] Vulgò *concessum sibi transitum cernentibus:* sed scripti habent infinitivum, qui ab bonorum auctorum usu non abhorret. Cic. 7. Verr. *ipsis judicibus sine mea argumentatione eorum sectatum facere permittam.* Et Virg. 7. Æneid.

non dabitur regnis (esto) prohibere Latinis.

Denique Cic. de Nat. Deor. *beatos esse Deos sumpsisti. concedimus: beatum autem hac virtute neminem esse posse, id quoque damus, & libenter quidem.*

5. *Quibus ancilia moventur.*] Dies solennes intellige, quibus Romæ per urbem saltatione religiosâ deferri à Saliis Sacerdotibus solebant clypei sacri, quos *ancilia* vocabant,

6. *Propiore religione.*] Etsi omnibus Romanis sacri essent illi dies, magis tamen religiosi Saliis ipsis, quorum è numero P. Scipio.

1. *Qui victor ille.*] *Qui* pro *qualis* fuisset, &c.

2. *A Chalcide Oreum.*] Vel cùm à Chalcide Demetriadem navigaret, ut refert Appian.

3. *Turba Fregellana.*] Equitum scilicet sociorum ex urbe Volscorum, Fregellis.

4. *Delapsum equo.*] Probatur Gronovio hæc lectio ex Moguntino: plerique tamen habent, *delapso equo.*

5. *Si pax cum populo Romano maneret.*]

gniùs haberi, colique adoleſcentem, quam cultus eſt, potuiſſe. Ob hæc quum adventum P. Scipionis legatus expectaſſet, ubi is venit, conſulem adit, peritque ut mandata audiret. Urb. cond. aun. 563. Coſſ. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio.

XXXV. Advocato frequenti conſilio legati verba ſunt áuditâ. Is multis antè legationibus nequicquam ultro citroque miſſis, *Eam ipſam fiduciam impetrandi ſibi eſſe dixit, quod priores legati nihil impetraſſent. Smyrnam enim & Lampſacum, & [1] Alexandriam Troadem, & Lyſimachiam in Europa, jactatas in illis diſceptationibus eſſe. quarum Lyſimachia jam ceſſiſſe regem, ne quid in Europa habere eum dicerent: eas [2] quæ in Aſia ſint, civitates, tradere paratum eſſe: & ſi quas alias Romani quod ſuarum partium fuerint, vindicare ab imperio regio velint. impenſæ quoque in bellum factæ partem dimidiam regem præſtiturum populo Romano.* Hæ conditiones erant pacis. Reliqua oratio fuit, *ut memores rerum humanarum, & ſuæ fortunæ moderarentur, & aliam ne urgerent. Finirent Europæ imperium. id quoque immenſum eſſe. Parari ſingula acquirendo facilius poſſe, quàm univerſa teneri poſſe. quod ſi Aſiæ quoque partem aliquam abſtrahere velint, dummodo non dubiis regionibus ſiniant vinci ſuam temperantiam Romana cupiditate, pacis & concordiæ cauſa regem paſſurum.* Ea quæ legato magna ad pacem impetrandam videbantur, parva Romanis viſa; *Nam & impenſam quæ in bellum facta eſſet, omnem præſtare regem æquum cenſebant; cujus culpa bellum excitatum eſſet. &, non Ionia modo atque Æolide deduci debere præſidia regia, ſed, ſicut Græcia omni liberata eſſet, ita quæ in Aſia ſint, omnes liberari urbes. Id aliter fieri non poſſe, quàm ut [3] cis Taurum montem poſſeſſione Aſiæ Antiochus cedat.*

Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

XXXVI. Legatus poſteaquàm nihil æqui in conſilio impetrare ſe cenſebat; privatim (ſic enim imperatum erat) P. Scipionis tentare animum conatus, Omnium primum filium ei ſine pretio redditurum regem dixit: deinde ignarus & animi Scipionis & moris Romani, auri pondus ingens eſt pollicitus, & nomine tantùm regio excepto, ſocietatem omnis regni ſi per eum pacem impetraſſet. Ad ea Scipio: *Quod Romanos omnes, quod me ad quem miſſus es, ignoras minus miror: quum te fortunam ejus à quo venis, ignorare cernam. Lyſimachia tenenda erat, ne Cherſoneſum intraremus: aut ad Helleſpontum obſiſtendum, ne in Aſiam trajiceremus; ſi*

NOTÆ.

si Maneret & eſſet; pro *mansiſſet, & fuiſſet*.

1. *Alexandriam Troadem.*] Appiano eſt *Alexandria* ad Granicum, urbs Troadis ſive Phrygiæ maritima ad ſinum Adramyttenum inter Sigæum & Lectum promontoria, hodie Chriſtianis *Sancta Maria*, Turcis *Garaſia*, ſi Leunclavio fides.

2. *Quæ in Aſia ſint.*] In Aſia nempe propria, aut certè in citeriori minoris Aſiæ parte.

3. *Cis Taurum montem.*] Quemadmodum Alpium nomine comprehenditur magna pars montium Europæorum ita montium, qui per totam Aſiam ſparſi, generale nomen eſt *Taurus*. Proprie quidem *Taurus* dicitur, qui à Lycia verſus occaſum incipit, & Ciliciam à Septentrione ſuâ Aſia dividit, creditur que ad extremos Sericæ fines in ortum pertingere. Sed ex eo plures hinc inde velut rami ſurgunt, tum ad Boream, tum ad

Urb. cond. an. 563. Cos. L. Cornel. Scipion. & C. Lælio Nepote.

pacem tanquam ab ſollicitis de belli eventu petituri gratis. Conceſſo vero in Aſiam tranſitu, 1 *& non ſolum fræno, ſed etiam jugo accepto, quæ diſceptatio ex æquo, quem imperium patiendum ſit, relicta eſt? Ego ex munificentia regia maximum donum filium habebo:* 2 *aliis, Deos precor, ne unquam fortuna egeat mea: animus certè non egebit. Pro tanto in me munere gratum me eſſe in ſe ſentiet, ſi privatam gratiam pro private beneficio deſiderabit. publicè nec habebo quicquam ab illo, nec dabo. Quod in præſentia dare poſſim, fidele conſilium eſt. Abi nuncia meis verbis, bello abſiſtat: pacis conditionem nullam recuſet.* Nihil ea moverunt regem, 2 tutam fore belli aleam ratum, quando perinde ac victo jam ſibi leges dicerentur. omiſſa igitur in præſentia mentione pacis, totam curam in belli apparatum intendit.

XXXVII. Conſul omnibus præparatis ad propoſita exequenda, quum ex ſtativis moviſſet, 1 Dardanum primùm, 2 deinde Rhœteum, utraque civitate obviam effuſa, venit. 3 inde Ilium proceſſit, caſtriſque in campo, qui eſt ſubjectus mœnibus, poſitis, in urbem arcemque quum aſcendiſſet, ſacrificavit Minervæ præſidi arcis, & Ilienſibus in omni rerum verborumque honore ab ſe oriundos Romanos præferentibus, & Romanis lætis origine ſua, inde profecti 4 ſextis caſtris 5 ad caput Cayci amnis pervenerunt. Eò & Eumenes rex, conatus primò ab Helleſponto reducere claſſem in

INTERPRETATIO.

2 *Deos oro; ut numquam eo me redigat fortuna, ut aliis regis donis indigeam, animo certè nunquam indigebo illius munificentia.*

NOTÆ.

Auſtrum, varia pro variis regionibus nomina ſortiti.

1. *Et non ſolum fræno,*] Alludit Scipio ad apologum equi, relatum ab Ariſtotele 2. Rhetoricor. cujus & Plut. meminit; ita tamen ut pro *jugo* in ſeſſor ſubjiciatur, dicaturque non ſolum fræno, ſed etiam inſeſſore accepto non amplius de conditionibus, ſed de obſequio agendum.

2. *Tutam fore belli aleam ratum.*] Gall. *croyant qu'il n'y avoit rien à riſquer en faiſant la guerre, puiſque des preſent on luy impoſoit les loix de meſme que s'il eſtoit déja vaincu.*

3. *Dardanum.*] *Dardanum* ſive *Dardania* urbs fuit minoris Myſiæ, quæ poſtea regio in Helleſponti ferè nomen tranſiit, à Dardano rege Trojanorum primò condita dictaque, ad oram freti Helleſpontiaci Aſiaticam, inter Abydum & Rhœteum: hodiè *Dardanella* vocatur, quod nomen non modò ad oppoſitum huic in Europa caſtellum; ſed ad duas quoque arces ſinus Corinthiaci faucibus imminentes porrectum.

3. *Deinde Rhœteum.*] Oppidi & promontorii nomen in Troade, Sigæo ad Boream, nunc *Peſkina* Turcis, auctore Leuclavio.

3. *Inde Ilium.*] Ab Ilo Trojanorum Rege nomen habuit *Ilium*, ſicut à Troe Troja minoris Phrygiæ urbs inter oram Helleſponti & Idam montem: à Græcis everſa, ſed poſtea reſtituta, & aliquo apud Romanos in pretio ob Æneæ memoriam. Viſuntur adhuc ruinæ xiii. circiter milliari à litore maris, ſervantque nomen Trojæ.

4. *Sextis caſtris.*] Gallicè *dans ſix journées d'armée.* Quod tamen creditu difficile in tanta diſtantia.

5. *Ad caput Cayci.*] Fluvius eſt in Myſia, cujus origo in confinio majoris Phrygiæ, juxta Pergamum decurrens, & in ſinum Elaiticum ſeſe exonerans, ex adverſo Mitylenes: vulgò *Chiai*, vel ut alii volunt, *Germaſti*.

hiberna Elæam, adverſis deinde ventis quum aliquot diebus ſuperare 6 Urb. cond.
Lectum promontorium non potuiſſet, in terram egreſſus, ne deeſſet prin- an. 563.
cipiis rerum, 7 quâ proximum fuit, in caſtra Romana cum parvâ ma- Conſ. L.
nu contendit. Ex caſtris Pergamum remiſſus ad commeatus expediendos, Cornel Scipion. & C.
5 tradito frumento quibus juſſerat conſul, in eadem ſtativa rediit: inde Lælio Ne-
plurium dierum præparatis cibariis, conſilium erat ire ad hoſtem priuſ- pote.
quàm hiems opprimeret. Regia caſtra circa Thyatira erant: ibi quum
audiſſet Antiochus P. Scipionem ægrum Elæam delatum, legatos qui ſi-
lium ad eum reducerent, miſit. Non ſolum animo patrio gratum mu-
10 nus, ſed corpori quoque ſalubre gaudium fuit: ſatiatuſque tandem com-
plexu filii, *Renunciate*, inquit, *gratias regi me agere: referre gratiam*
adiam nunc non poſſe, quàm ut ſaluum, me antè in aciem deſcendat, quàm
8 *ut in caſtra me rediſſe audierit*. Quanquam ſeptuaginta millia peditum,
plus duodecim millia equitum animos interdum ad ipſum certaminis facie-
15 bant, morus tamen Antiochus tanti auctoritate viri, in quo ad incertos
belli eventus omnis fortunæ poſuerat ſubſidia, recepit ſe 9 tranſgreſſus
Phrygium amnem: 10 circaque Magneſiam, quæ ad Sipylum eſt, poſuit
caſtra. & ne, dum extrahere tempus vellet, munimenta Romani tenta-
rent; foſſam ſex cubitis altam, duodecim latam quum duxiſſet, extra du-
20 plex vallum foſſæ circumdedit: interiore libro murorum cum turribus crē-
bris objecit. unde facilè arceri tranſitu foſſæ hoſtis poſſet.

XXXVIII. Conſul circa Thyatira regens eſſe ratus, continuis itine-
ribus quinto die 1 ad Hyrcanum campum deſcendit. inde quum profec-
tum audiſſet, ſecutus veſtigia citra Phrygium amnem, quatuor millia
25 ab hoſte poſuit caſtra. Eò mille fermè equites (maxima pars Gallogræci
erant, & Dahæ quidam, aſiarumque gentium ſagittarii equites intermi-

NOTÆ.

6. *Lectum promontorium.*] In Troade hu- quamvis pes Lydiam & Æolidem ſtuat, Sic igitur caſtra Antiochi ad Thyatira cis
ius Sigæum & Aſſon promontoria fuit Hermum, & dextrâ ejus ripa fuerint:
Lectum, in quod Ida mons deſinit: Id qui Romanis à Cayco venientibus oppo-
Æolida & Troada diſterminabat teſte ſitus.
Plinio. Hodie *Scorpiano* vocatur Sophia-
no. 10. *Circaque Magneſiam, quæ ad Sipy-*
lum.] Hæc *Magneſia* Lydiæ urbs in confi-
7. *Quà proximum fuit.*] Gallicè *par le* nio Phrygiæ magnæ fuit ſub monte Sipy-
plus court chemin. lo, hodie *Magniſa* auctore Leunclavio,
diverſa ab ejuſdem nominis urbe Cariæ
8. *Ut in caſtra.*] Ut pro *ubi ſive cum*, ad Mæandrum, vulgò nunc *Mangneſia*:
Gallicè *après qu'il eut a l'ecart que je ſois de* diverſa quoque ab *Magneſia* Theſſaliæ
retour au camp. regione.

9. *Tranſgreſſus Phrygium amnem.*] Re- 1. *Ad Hyrcanum campum.*] Agrum,
fert Appianus Antiochum caſtra tranſtu- opinor, intelligit *Hircania* in Myſia ha-
liſſe circa montem Sipylum, & mu- bitari inter Caycum & Hermum fluvios:
rum permunitum copiis ſuis circumde- fortè idem quod Plinio *Hieracome*, cu-
diſſe, Phrygiumque fluvium hoſtibus jus incolæ *Hierocomitæ* lib. 5. cap. 25.
oppoſuiſſe quaſi pro munimento. Sed
quis ille *Phrygius amnis?* Hermum opi-
nor ſignificari, qui è Phrygia oritur,

Urb. cond. an. 563. Coll. L. Cornel. Scipione, & C. Læl. Nepote.

xti,) tumultuosè amne trajecto, instationes impetum fecerunt. Primò turbaverunt incompositos; deinde quum longius certamen fieret, Romanorum, ex propinquis castris facili subsidio, crescret numerus; regii fessi jam [a] & plures non sustinentes, recipere se conati, circa ripam amnis, priusquàm flumen ingrederentur, ab instantibus tergo aliquot interfecti sunt. [b] Biduum deinde silentium fuit; neutris transgredientibus amnem. tertio post die Romani simul omnes transgressi sunt: & duo millia fermè & quingentos passus ab hoste posuerunt castra. [c] Metantibus, & muniendo occupatis, tria millia delecta equitum peditumque regiorum, magnò terrore ac tumultu advenere. aliquantò pauciores in stationem erant, & tamen per se nullo à munimento castrorum milite avocato, & primò æquum prœlium sustinuere, & crescente certamine pepulerunt hostes; centum ex his occisis, centum fermè captis. Per quatriduum insequens, instructæ utrinque acies pro vallo stetere. quinto die Romani processere in medium campi. Antiochus nihil promovit signa, ita ut extremi minus mille pedes à vallo abessent.

XXXIX. Consul, posteaquàm detrectari certamen vidit, postero die in consilium advocavit, *Quid sibi faciendum esset, si Antiochus pugnandi copiam non faceret? Instare hiemem: aut sub pellibus habendos milites fore. aut si concedere in hiberna vellent, differendum esse in æstatem bellum.* Nullum unquam hostem Romani æquè contempserunt. conclamatum undique est, duceret extemplo, & utereturardore militum: qui tanquam non pugnandum cum tot millibus hostium, sed par numerus pecorum trucidandus esset, per fossas, per vallum castra invadere parati erant, si in prœlium hostis non exiret. [1] Cn. Domitius ad explorandum iter, & qua parte adiri vallum hostium posset, missus, posteaquàm omnia certa retulit, postero die propiùs castra admoveri placuit. tertio signa in medium campi prolata, & instrui acies cœpta est. Nec Antiochus ultra tergiversandum ratus, ne & suorum animos minueret detrectando certamen, & hostium spem augeret: & ipse copias eduxit, tantùm progressus à castris, ut dimicaturum appareret. Romana acies unius propè formæ fuit, & hominum, & armorum genere, duæ legiones Romanæ, [2] duæ socium ac Latini nominis erant: quina millia & quadringenos singulæ habebant. Ro-

INTERPRETATIO.

a *Et cùm resistere non possent pluribus.*
b *Quieverunt* utrique *per duos dies* à bellicis actibus.
c *Cùm Romani castra metarentur, &c.*

NOTÆ.

1. *Cn. Domitius.*] Plut. Apophtegm. *Cajum* nominat, scribitque eum à magno Scipione datum Lucio fratri, qui pro se ei hoc in bello adesset: ipse enim morbo laborabat.

2. *Duæ socium.*] Romanorum tantùm legiones erant, non sociorum: sed ita accipiendus est auctor, ut velit Latinos aliosque socios Romanis armis instructos numero Romanorum respondisse.

mani

mani mediam aciem, cornua Latini renuerunt: 3 haſtatorum primâ ſigna, deinde principum erant: triarii poſtremos claudebant. extra hanc, veluti juſtam aciem, à parte dextera conſul 4 Achæorum cetratis immixtos auxiliares Eumenis, tria millia fermè peditum, æquata fronte inſtruxit: ultra eos equitum minus tria millia oppoſuit. ex quibus Eumenis octingenti, reliquus omnis equitatus Romanus erat: extremos 5 Trallos & Cretenſes (quingentorum utrique numerum explebant) ſtatuit. Lævum cornu non videbatur egere talibus auxiliis, quia flumen ab ea parte ripæque deruptæ claudebant: quatuor tamen 6 inde turmæ equitum oppoſitæ. Hæc ſumma copiarum erat Romanis: & duo millia Macedonum Thracumque, qui voluntate ſecuti erant, 7 præſidio relicti ſunt caſtris. Sexdecim elephantos poſt triarios in ſubſidio locaverunt. nam præterquàm quòd multitudinem regiorum elephantorum (erant autem quatuor & quinquaginta) ſuſtinere non videbantur poſſe; ne pari quidem numero Indicis Africi reſtunt: ſive quia magnitudine (longè enim illi præſtant) ſive robore animorum vincuntur.

Urb. cond. an. 563. Coſſ. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

XL. Regia acies varia magis multis gentibus, diſſimilitudine armorum auxiliorumque erat. decem & ſex millia peditum more Macedonum armati fuere, 1 qui phalangitæ appellabantur. hæc media acies fuit in fronte in decem partes diviſa. Partes eas interpoſitis binis elephantis diſtinguebat: à fronte introrſus in duos & triginta ordines armatorum acies patebat. hoc & roboris in regiis copiis erat, & perinde quum alia ſpecie, tum 2 eminentibus tantùm inter armatos elephantis magnum terrorem præbebat. Ingentes ipſi erant. addebant ſpeciem frontalia, & criſtæ, & tergo impoſitæ

INTERPRETATIO.

ſimul in iis vallo muniendis occuparentur. 2 *Adeo eminentibus.*

NOTÆ.

3. *Haſtatorum primâ ſigna.*] De hoc, deque aliis duobus militiæ Romanæ ordinibus vide lib. 8. cap. 8.

4. *Achæorum Cetratis auxiliares Eumenis.*] Adjunctos ait Eumenis fœderati milites Achæis, qui Cetris ſeu peltis, id eſt, brevioribus clypeis lunatis armati.

5. *Trallos & Cretenſes.*] Scripti habent *Tralleis*: Appianus *Cretes* & *Trallianos* vocat. Sed noliter meliùs *Trallos*: quod nomen eſt gentis Illyricæ apud Steph. ut Sigon. obſervat, eo nomine Glareanum reprehendens, quòd *Triballos* legere maluerit. Sed fallor niſi *Trailos* vel *Tralles* pro *Triballis*, Stephanus dicit, ſive Theopompus apud Stephanum. *Triballorum* quippe nomen in Illyrici Thraciæque confinio omnibus notum. *Tralles*, nemini veterum auctorum cognitum niſi pro urbe Lydiæ, cujus nomen Græcis notius facilè Theopompum ejuſve exſcriptores in errorem inducere potuit.

6. *Inde.*] A lævo ſcilicet cornu.

7. *Præſidio relicti ſint.*] Refertur ad *duo millia*. Ita cap. ſequenti *ſimiliter bis armati duo millia Cappadocum ab Ariarathe miſſi rege*: ſic itaque *armati, miſſi, relicti*, intelliguntur milites Macedones, Tralles, Cappadoces ad duo millia: exulet igitur pronomen *bi*, antè nomen *præſidio* inſertum à Moguntinis contra fidem membranarum teſte Gron.

1. *Qui Phalangita.*] Milites, ex quibus conſtabat *phalanx* in militia Macedonica, *phalangitæ* dicebantur, quemadmodum in Romana *legionarii*, ex quibus legio.

Prb. cond. an. 563. Coss. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

turmes, tuentibusque superstantes, præter rectorem, quaterni armati. Ad latus dexterum phalangitarum mille & quingentos equites Gallogræcorum opposuit. his tria millia equitum loricatorum (2 cataphractos ipsi appellant) adjunxit. Addita his ala mille fermè equitum: 3 agema eam vocabant. 4 Medi erant lecti viri, & 5 ejusdem regionis mixti multarum gentium equites. contineris his grex sedecim elephantorum est oppositus in subsidiis: ab eadem parte paulùm producto cornu regia cohors erat: 6 Argyraspides à genere armorum appellabantur. 7 Dahæ deinde equites sagittarii mille & ducenti. tum Iovis armatura trium millium, pari fermè numero, pars Creticenses, 8 pars Tralles. duo millia & quingenti 9 Mysi sagittariis adjuncti erant. Extremum cornu claudebant quatuor millia mixti 10 Cyrtæi

NOTÆ.

2. *Cataphractos ipsi appellant.*] Ea voce Græci *bene munitos*, & *armis* velut *obseptos* significant: quo equitum genere usos Gallos constat, qui postea *Crupellarii* apud Tacit. 3. Annal. à Nazario in Panegyric. Constantini, & Ammiano Marcell. 16. histor. *Clibanarii* seù Persico, seu Græco vocabulo dicti: *qui teguminibus ferreis absconditos bellatores* vocat. Nazar. sic describit: *operimento ferri equi atque homines pariter obsepti. Superiùs omnibus tectis, equorum pectoribus demissa lorica, & crurum tenus pendens sine impedimento à gressus noxa vulneris vendicabat.*

3. *Agema.*] Græca hæc vox significat selectum equitum agmen quod regem præibat.

4. *Medi erant.*] E Media, quæ ingens superioris seu majoris Asiæ trans Tigrin regio, cui nomen à Medo Iasonis filio inditum volunt. Et finitimæ ab occasu Armenia major atque Assyria, ad ortum Parthia & Hyrcania, ad meridiem Susiana: à septentrione ad mare Caspium protendebatur, atque in plures provincias divisa: hodie sub Persis magna ex parte Sevan. Urbium caput *Ecbatana*, nunc *Tauris*.

5. *Ejusdem regionis mixti multarum gentium equites.*] Si ejusdem regionis, quomodo multarum gentium? ejusdem regionis nomine intelligit, ni fallor, provincias quæ ultra Euphratem & Tigrin Medis parerent, eodemque fermè habitu & moribus haud absimilibus utebantur, & nunc ex parte Antiocho subserant. Hæ quippe nationes Medorum nomine sæpè comprehensæ, ut apud Satyr. *epota-que flumina Medo pandente*, de exercitu Xerxis. & apud Lucan. *Aethereniis decurrant Medica Sufis agmina.*

6. *Argyraspides.*] Argenteis clypeis armati, cæteroque apparatu splendidiores, deducto ab Alexandri magni militia more ac nomine. Appianus hic equites facit, Diodorus in Alexandro pedites.

7. *Dahæ deinde equites.*] In veteribus libris *Daca*, & ab Appiano *Daci*, confusis nominibus Dahæum qui ad Caspium mare in Asia degebant, cum nomine Dacorum, Istri accolarum, in Europa, qui ante Aurelianum trans Danubium erant, ubi nunc Transylvania: ab eo translati cis Danubium in parte Mæsiarum, ubi *Servia*, & *Bulgaria* pars occidua.

8. *Pars Tralles.*] Parum refert *Tralles* fuerint Asiatici Antiocho subjecti, an *Triballi*, seu *Tralles* Illyrici Thraciæ proximi ab eo mercede conducti.

9. *Mysi sagittarii.*] E Mysia minoris Asiæ regione, quæ ex parte in ditione Antiochi. Dividebatur in majorem & minorem. Distinguendæ porro hæ Mysiæ Asiaticæ, ab Europæis ad Istri ripam dextram Mæsiis, superiore & inferiore, quas non pauci Mysias corruptè appellant, inque his fortè, quòd utrarumque incolæ ab eadem origine.

10. *Cyrtæi funditores.*] *Cyrtæorum* seu *Cyrtiorum* Asiatici populi nieminit Strabo lib. 11. eosque Caddusiis & Amardis finitimos facit, quæ gentes per Zagrum & Niphatem montes sparsæ, latrociniis

funditores [11] & Elymæi ſagittarii. Ab lævo cornu phalangitis adjuncti erant Gallogræci equites mille & quingenti, & ſimiliter his armati [12] duo millia Cappadocum [13] ab Ariarathe miſſi rege. Inde [14] auxiliares mixti omnium generum duo millia & ſeptingenti, & tria millia cataphractorum equitum, & mille alii equites, [15] regia ala levioribus tegumentis ſuis equorumque, alio haud diſſimili habitu: [16] Syri plerique erant Phrygibus & Lydis immixti. Ante hunc equitatum [17] falcatæ quadrigæ & [18] cameli, quos appellant dromadas: his inſidebant Arabes ſagittarii: [19] gladios habentes tenues, longos quaterna cubita, ut ex tanta altitudine contingere hoſtem poſſent. Inde alia mulctando par ei quæ in dextro cornu erat; [20] primi Tarentini deinde Gallogræcorum equitum duo millia & quingenti: inde [21] Neocretes mille, [22] & eodem armatu Cares & Cilices mille & quingenti, & totidem Tralles, & tria millia ceteratorum: Piſidæ erant, & Pamphylii & Lycii. tum Cyrtæorum & Elymæorum paria in dextro cornu locatis auxilia, & ſexdecim elephanti modico intervallo diſtantes.

Urb. cond. an. 563. Coſſ. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

XLI. Rex ipſe in dextero cornu erat. Seleucum filium & Anipatrum fratris filium in lævo præpoſuit: media acies tribus permiſſa, [1] Minioni &

NOTÆ.

infames erant in Mediæ Armeniæque tractu.

11. *Et Elymæi ſagittarii.*] *Elymæi*, qui ſacris literis *Elamitæ*, ab *Elima* urbe dicti, in parte occidentali Suſianæ Perſici imperii provinciæ fuere, inter Eulæum ac Tigrim fluvios: regio *Elymais*.

12. *Duo millia Cappadocum.*] Latè patens in minori Aſia fuit *Cappadocum* natio: inter Galatiam ad occaſum, atque Armeniam minorem ad ortum, à Tauro monte, ac Cilicia ad Pontum uſque Euxinum, niſi quòd ei poſt detracta ora maritima. Caput *Mazaca*, quæ poſt Cæſarea magna. Regio Turcis hodie *Amaſia*, magna ex parte.

13. *Ab Ariarathe.*] Plures fuere hoc nomine reges Cappadocum: hic de quo nunc agitur Quintus eo nomine à Pharnace primo rege 3. numeratur.

14. *Auxiliares mixti.*] Appiano ξένοι dicuntur, id eſt, peregrini ſeu alienigenæ.

15. *Regia ala.*] Amicorum ſcilicet, & ſodalium, ut ex Appiano liquet.

16. *Syri plerique.*] Syriam plerique cum Aſſyria confundunt. Vide 35. 13.

17. *Falcatæ quadrigæ.*] Hos curtus *Falcatos* (ferè ut hic noſter) deſcribit Curt. lib. 4. *ex ſummo temone haſtæ præfixæ ferro eminebant: utrinque à jugo ternos direxerant gladios: & inter radios rotarum plura ſpicula eminebant in adverſum. Alia deinde falces ſummis rotarum orbibus hærebant, & alia in terram demiſſæ, quicquid obviam concitatis equis ſuiſſet, amputarent.*

18. *Cameli quos appellant dromadas.*] *Dromades* Græcè à curſu vocantur. Camelorum genus, qui minoris ſtaturæ ſunt, ſed velociores cæteris.

19. *Gladios habentes tenues, longos quaterna cubita.*] Ejuſmodi enſes noſtris hominibus *ſplocs*, vel *ſplocades*: *cubita* autem in neutro, perinde ac maſculino.

20. *Primi Tarentini.*] Hujuſmodi equitum qui Tarentini dicti, binos ſinguli equos trahebant, meminit Ælian. in Tact. De his dictum etiam lib. 35.

21. *Neocretes mille.*] Novi nimirum ex Creta inſula milites.

22. *Et eodem armatu Cares.*] More ſcilicet Cretenſium armati milites ex Caria provincia minoris Aſiæ.

1. *Minioni & Zenxidi & Philippo magiſtro elephantorum.*] Pro *Minioni*, *Menedis* eſt apud Appianum, qui phalangi præpoſitum memorat Philippum Elephantarchen: lævi autem cornu equitibus Seleucum ſolùm præficit.

Urb. cond. an. 563. Coss. L. Cornel. Scipione & C. Lælio Nepote.

Zeuxidi, & Philippi magistro elephantorum. Nebula matutina, crescente die elevata in nubes caliginem dedit. humor inde ab Austro velut perfudit omnia. Quæ nihil admodum Romanis, eadem perincommoda regiis erant. nam & obscuritas lucis in acie modica Romanis non adimebat in omnes partes conspectum, & humor toto ferè gravi armatu nihil gladios aut pila hebetabat. Regii tam lata acie, ne ex medio quidem cornua sua circumspicere poterant; nedum extremi inter se conspicerentur: & humor, arcus fundasque, & jaculorum amenta, emollierat. Falcatæ quoque quadrigæ, quibus se perturbaturum hostium aciem Antiochus crediderat, in suos terrorem verterunt. armatæ autem in hunc maximè modum erant: cuspides circa temonem ab jugo decem cubita extantes, velut cornua habebant: quibus, quicquid obvium daretur, transfigerent. & in extremis jugis binæ circa eminebant falces; altera æquata jugo, altera inferior in terram devexa: illa, ut quicquid ab latere objiceretur, abscinderet: hæc, ut prolapsos subeuntesque contingeret. item ab axibus rotarum utrinque binæ eodem modo diversæ deligabantur falces. Sic armatas quadrigas, quia si in extremo aut in medio locatæ forent, per suos agendæ erant, in prima acie, ut antè dictum est, locaverat rex. Quod ubi Eumenes vidit, haud ignarus pugnæ, & quàm anceps esset auxilii genus, si quis pavorem magis equis injiceret, quàm justa adoriretur pugna: Cretenses sagittarios funditoresque & jaculatores equitum, non confertos, sed quàm maximè possent dispersos, excurrere jubet; simul omnibus partibus tela ingerere. Hæc velut procella, partim vulneribus missilium undique conjectorum, partim clamoribus dissonis, ita consternavit equos, ut repentè velut effræni passim incerto cursu ferrentur: quorum impetus & levis armatura, & expediti funditores, & velox Cretensis momento declinabant: & eques insequendo, tumultum ac pavorem equis camelisque & ipsis simul consternatis augebat, clamore & ab alia circumstantium turba multiplici adjecto. Ita medio inter duas acies campo exiguntur quadrigæ: amotoque inani ludibrio, tum demum ad justum prœlium, signo utrinque dato, concursum est.

XLII. Cæterum vana illa res veræ mox cladis causa fuit. auxilia enim subsidiaria, quæ proxima locata erant, pavore & consternatione quadrigarum territa, & ipsa in fugam versa, nudarunt omnia usque ad cataphractos equites. ad quos quum dissipatis subsidiis pervenisset equitatus Romanus, ne primum quidem impetum pars eo-

NOTÆ.

2. *Et humor toto ferè gravi armatu.*] Significat humorem Romanis, quorum totus ferè exercitus graviter armatis constabat, parùm obfuisse; multùm verò regiis attulisse incommodi, utpote levius armatis, & quorum pars magna sagittarii, funditoresque essent, aut jaculis uterentur, aut hastis amentatis, id est, loro seu habena religatis uterentur. Frontin. 4. Strategem. quod militum Antiochi arcus madentibus nervis inhabiles facti essent, causam assignat imbri

rum ſuſtinuerunt. alii fuſi ſunt, alii propter gravitatem tegumentorum armorumque oppreſſi ſunt. Totum deinde lævum cornu inclinavit; & turbatis auxiliaribus, qui inter equitem, & quos appellant phalangitas, erant; uſque ad mediam aciem terror pervenit. Ibi ſimul perturbati ordines, & impeditas intercurſu ſuorum uſus prælongarum haſtarum, (*ſariſſas* Macedones vocant) inculere ſigna Romanæ legiones, & pila in perturbatos conjecêre, ne interpoſiti quidem elephanti militem Romanum deterrebant, aſſuetum jam ab Africis bellis, & vitare impetum belluæ, & ex transverſo aut pilis inceſſere, aut ſi priùs ſubire poſſet, gladio nervos incidere. Jam media acies ferè omnis à fronte proſtrata erat, & ſubſidia circumita à tergo cædebantur: quum in parte alia fugam ſuorum, & propè jam ad ipſa caſtra clamorem paventium accepere. Namque Antiochus à dextro cornu, quum ibi fiducia fluminis nulla ſubſidia cerneret, præter quatuor turmas equitum, & eas dum applicant ſe ſuis, ripam nudantes, impetum in eam partem cum auxiliis & cataphracto equitatu facit. nec à fronte tantùm inſtabat, ſed circumito à flumine cornu, jam ab latere urgebat; donec fugati equites primùm, deinde proximi peditum effuſo curſu ad caſtra compulſi ſunt. Urb. cond. an. 563. Coſſ. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

XLIII. Præerat caſtris M. Æmilius tribunus militum, M. Lepidi filius, qui poſt annos paucos pontifex maximus factus eſt. Is quà fugam cernebat ſuorum, cum præſidio omni occurrit: & ſtare primò, deinde redire in pugnam jubebat; pavorem & turpem fugam increpans. Minæ exinde erant, in perniciem ſuam cæcos ruere, ni dicto parerent. poſtremò dat ſignum ſuis, ut primos fugientium cædant: turbam inſequentium ferro & vulneribus [a] in hoſtes redigant. Hic major timor minorem vicit. ancipiti coacti metu primo conſtiterunt, deinde & ipſi redierunt in pugnam, & Æmilius cum ſuo præſidio (erant autem duo millia virorum fortium) effuſè ſequenti regi acriter reſtitit: & Attalus Eumenis frater à dextro cornu, à quo lævum hoſtium primo impetu fugatum fuerat, ut ab ſiniſtro fugam ſuorum & tumultum circa caſtra vidit, in tempore cum ducentis equitibus advenit. Antiochus poſteaquam & eos quorum terga modò viderat, repetentes pugnam, & aliam & à caſtris & ex acie affluentu Sacro-viri, idem teſtatur Tac. 3. annal.

INTERPRETATIO.

a *Agant iterùm & cogant redire adverſus hoſtes.*

NOTÆ.

continuo, quo vexatus die ac noſte ſuerat exercitus: ideoque L. Scipionem ait ſuos exhortatum eſſe, ut poſtero, quamvis religioſo die, prœlium committeretur.

1. *Propter gravitatem tegumentorum.* De Crupellariis Gallorum, qui in exercitu, quos laminis ferreis adverſus pila & gladios reſilientibus, ait ſecuribus cæſos, furcis proſtratos, jacenteſque nullo ad reſurgendum niſu quaſi exanimes reſtitos. Gallicè *parce qu'il leur eſtoit impoſſible de ſe relever quelque effort qu'ils fiſſent.*

Urb. cond. an. 563. Coſſ. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

tem turbàm conſpexit; in fugam vertit equum. Ita utroque cornu victores Romani per acervos corporum (quos in media maximè acie cumulaverant, ubi & robur fortiſſimorum virorum & arma gravitate fugam impedierant) pergunt ad caſtra diripienda. equites primi omnium Eumenis, deinde & alius equitatus toto paſſim campo ſequuntur hoſtem, & poſtremos, 1 ut quoſque adepti ſunt, cædunt. Cæterùm fugientibus 2 major peſtis intermixtis quadrigis elephantiſque & camelis erat & ſua ipſorum turba: quum ſolutis ordinibus velut cæci ſuper alios alii ruentes, inceruſu belluarum obterrerentur. In caſtris quoque ingens & major propè quàm in acie cædes eſt edita. nam & b primorum fuga in caſtra maximè inclinavit, & hujus fiducia multitudinis, qui in præſidio erant, pertinaciùs pro vallo pugnarunt. retenti in portis valloque, quæ ſe impetu ipſo capturos crediderant Romani, poſteaquàm tandem perruperunt, ab ira graviorem ediderunt cædem.

XLIV. Ad quinquaginta millia peditum cæſa eâ die dicuntur: equitum quatuor millia. mille & quadringenti capti, & quindecim cum rectoribus elephanti. Romanorum aliquot vulnerati ſunt. ceciderunt 1 non plus trecenti pedites, quatuor & viginti equites. & de Eumenis exercitu quinque & viginti. Et illo quidem die victores direptis hoſtium caſtris cum magna præda in ſua reverterunt; poſtero die ſpoliabant cæſorum corpora, & a captivos contrahebant. Legati 2 ab Thyatira & 3 à Magneſia ad Sipylum ad dedendas urbes venerunt. Antiochus cum paucis fugiens in ipſo itinere pluribus congregantibus ſe, modicâ manu armatorum media fermè nocte 4 Sardeis conceſſit. inde quum audiſſet Seleucum filium &

INTERPRETATIO.

b *Qui primi fugerunt, hi, verſus ea-* *ſtra petierunt maxima ex parte.*
ſtra ſua præſertim delati fuerunt, ſeu ca- a *Congregabant captivos.*

NOTÆ.

1. *Ut quoſque adepti ſunt.*] Gallicè *à meſure qu'ils attrapoient les uns ou les autres.*

2. *Major peſtis intermixtis.*] Gallicè, *ce qui fut le plus funeſte aux fuyards; & qui en fit perir un plus grand nombre, fut l'embarras des chariots à quatre chevaux, des elephants, & des chameaux, & par leur propre foule.*

1, *Non plus trecenti pedites.*] Apud Appian. ex Romanis itidem quatuor & viginti equites, pedites treceuti, quos maximè Antiochus occidit: Emeais tantùm equites quindecim numerantur.

2. *Ab Thyatira.*] Plerumque neutro genere & plurali numero effertur hoc urbis nomen: ſed & muliebri genere & numero ſingulari aliquando profertur, ut teſtatur Steph.

3. *A Magneſia ad Sipylum.*] In Regio eſt & *Magneſia ab Sipylo*: in aliis & *à Magneſia & à Sipylo*: vult Gronovius legi *à Magneſia ſub Sipylo* ex Strabone, ubi hæc urbs Sipylo monti ſubjecta dicitur, qui mons Phlegræus ab Ariſtotele nominatur & Ceraunius à Plut. Hodie, teſte Joanne Lydo, *Cuſinas*: ſed num potiùs *Sipylum* urbis nomen: unde ut & à vicina Magneſia & à Thyatira legati venerint?

4. *Sardeis conceſſit.*] Lydiæ caput fuit jam à Cræſi temporibus, in latere Tmoli montis ex quo Paſtolus fluit, olim à Mæoniis Hyde vocitata, inter Mæandrum & Hermum: nunc *Sardis*.

quosdam amicorum 5 Apameam prægressos, & ipse quartâ vigiliâ cum conjuge ac filia petit Apameam; Zenoni tradita custodia urbis, Timone Lydiæ præposito. quibus spretis consensu oppidanorum & militum qui in arce erant, legati ad consulem missi sunt. Urb. cond. ann. 563. Coss. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

5. XLV. Sub idem ferè tempus & [1] ab Trallibus & [2] à Magnesia, quæ super Mæandrum est, & ab Epheso, legati ad dedendas urbes venerunt. Reliquerat Ephesum Polyxenidas auditâ pugnâ, & classe usque ad Patara Lyciæ pervectus, metu stationis Rhodiarum navium, quæ ad Megistèn erat, in terram egressus, cum paucis itinere pedestri Syriam petiit. Asiæ civitates in fidem consulis ditionemque populi Romani sese tradebant: Sardibus jam consul erat. eò & P. Scipio ab Elæa, cum primum pati laborem viæ potuit, venit. Sub idem ferè tempus caduceator ab Antiocho per P. Scipionem à consule petiit impetraviteque, ut oratores mittere liceret regi. Paucos post dies Zeuxis, qui præfectus Lydiæ fuerat & Antipater fratris filius, venerunt. hi priùs Eumene convento, quem propter vetera certamina aversum maximè à pace credebant esse, & placatiore eo & sua & regis spe invento, tum P. Scipionem, & per eum consulem adierunt: præbitoque iis petentibus frequenti concilio ad mandata edenda: *Non tam quid ipsi dicamus, habemus*, inquit Zeuxis, *quàm ut à vobis quæramus Romani, quo piaculo expiare errorem regis, pacem veniamque impetrare à victoribus possimus. Maximo semper animo victis regibus populisque ignoviistis. quanto id majore & placatiore animo decet vos facere in hac victoria quæ vos dominos orbis terrarum fecit? Positis jam adversus omnes mortales certaminibus, haud secus quàm Deos consulere & parcere vos generi humano oportet.* Jam antequam legati venirent, decretum erat, quid responderetur. respondere Africanum placuit. Is in hunc modum locutus fertur: *Romani ex iis quæ in Dubio immortalium potestate erant, ea habemus, quæ Dii dederunt. Animos qui nostræ mentis sunt, eosdem in omni fortuna gessimus, gerimusque: neque eos secundæ res extulerunt, nec adversæ minuerunt. ejus rei, ut alios omittam, Annibalem vestrum vobis dicem testem, nisi vos ipsos dare possem. Posteaquàm Hellespontum trajecimus, priusquàm castra regia, priusquàm aciem vidcremus, quum communis Mars & incertus belli eventus esset, de pace vobis agentibus, quas pares paribus ferebamus conditiones, easdem nunc victores victis ferimus. Europâ abstinete, Asiaque omni, quæ cis Taurum montem est, de-*

NOTÆ.

5. *Apameam prægressos.*] Plures sunt *Apameæ*: hæc Cibotos cognomine, id est, arca, in Phrygia Combusta seu meridionali erat, olim Celenæ, ad Marsyam amnem, qui Mæandro commiscetur, à Seleuco rege Syriæ primò condita: hodie *Apamis.*

1. *Ab Trallibus.*] Lydiæ sunt urbs *Tralles*, sive *Trallis* inter Caystrum & Mæandrum fluvios, hodie *Chora*.

2. *A Magnesia quæ super Mæandrum est.*] Jam diximus Cariæ urbem esse in minori Asia, Epheso ad orientem: est enim in Joniæ confinio, & vulgò *Magnesia* dicitur.

Urb. cond. an. 563. Coll. Co. Lr-nel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

cedite. Pro impensis deinde in bellum factis, ꝫ γ quindecim millia talentùm Euboicorum dabitis, quingenta præsentia, duo millia & quingenta, quum Senatus populusque Romanus pacem comprobaverint. millia deinde talentùm per duodecim annos. Eumeni quoque 4 reddi quadringenta talenta, & quod frumenti reliquum ex eo, quod patri debitum est, placet. Hæc quum pepigerimus facturos vos ut pro certo habeamus, erit quidem aliquod pignus, si obsides viginti nostro arbitratu dabitis: sed nusquam satis liquebit nobis, ibi pacem esse populo Romano, ubi Annibal erit. eum ante omnia deposcimus. 5 Thoantem quoque Ætolum, concitorem Ætolici belli, qui & illorum fidúciâ vos, & vestra illos in nos armavit, dedetis, & cum eo 6 Mnasimachum Acarnana, & Chalcidenses 7 Philonem & Eubulidam. In deteriore sua fortuna pacem faciet rex, quia serius facit, quàm facere potuit. Si nunc moratus fuerit, sciat, regum majestatem difficiliùs ab summo fastigio ad medium detrahi, quàm a mediis ad ima præcipitari. Cum his mandatis ab rege missi erant legati, ut omnem pacis conditionem acciperent. itaque Romam mitti legatos placuit. Consul in hiberna exercitum Magnesiam ad Mæandrum & Tralleis Ephesumque divisit. Ephesum ad consulem paucos post dies obsides ab rege adducti sunt: & legati qui Romam irent, venerunt. Eumenes quoque eodem tempore profectus est Romam, quo legati regis. secutæ eos sunt legationes omnium Asiæ populorum.

XLVI. Dum hæc in Asia geruntur, duo ferè sub idem tempus cum triumphi spe proconsules de provinciis Romam redierunt; Q. Minucius ex Liguribus, Manius Acilius ex Ætolia. Auditis utriusque rebus gestis, Minucio negatus trinmphus, Acilio magno consensu decretus: isque triumphans de rege Antiocho & Ætolis urbem est invectus. Prælata sunt in triumpho signa militaria ducenta triginta. & 1 argenti infecti tria millia pondo; signa 3 2 tetradrachmùm Atticùm centum tredecim millia: 3 cistophorùm ducenta quadraginta octo: vasa argentea cælata

NOTÆ.

3. *Quindecim millia talentùm Euboïcorum dabitis.*] *Talentum Euboïcum* ex Festo erat quatuor millium denariorum, seu drachmarum Atticarum, & sic tertiâ parte minus talento Attico. Si plenè per denarios numeres, talentum Euboïcum æquabit mille sexcentas libras nostrates: ita quindecim millia efficient vicies quater centena millia librarum Francicarum, *vint quatre millions*. Sed majorem quantitatem Senatus ab Antiocho postea exegit, ut videbimus lib. 38. cap. 38.

4. *Reddi quadringenta talenta.*] Euboïca an Attica, non exprimitur. Sed videlicet ea ejusdem generis cum superioribus fuisse credibile est. Fient ergo 640000. librarum nostratium.

5. *Thoantem quoque Ætolum.*] De hoc Ætolorum prætore suprà lib 35. cap. 12.

6. *Mnasimachum Acarnana.*] Videtur idem esse qui Mnesilochus lib. 36. c. 11.

7. *Philonem & Eubulidam.*] Hi Chalcidenses ut Romanis dederentur fœdere deinde comprehensum est. lib. 38. cap. 38.

1. *Argenti infecti tria millia pondo.*] Gall. *la valeur de* 108000. *liv. en lingots.*

2. *Tetradrachmùm Atticùm centum tredecim millia.*] Gallicè *la valeur de cent quatre vints, mille huit cens livres en pieces de quatre drachmes.*

3. *Cistophorùm ducenta quadraginta millia.*] Græcorum nummi argentei minoris

multa, magnique ponderis. Tulit & ſuppellectilem regiam argenteam ac veſtem magnificam: coronas aureas, dona ſociarum civitatum, quadraginta quinque: ſpolia omnis generis: captivos nobiles, Ætolos, & regios duces ſex & triginta duxit. Damocritus Ætolorum dux paucos ante dies quum è carcere nocte effugiſſet, in ripa Tiberis conſecutis cuſtodibus, priuſquàm comprehenderetur, gladio ſe transfixit. Milites tantùm, qui ſequerentur currum, defuerunt: alioqui magnificus & ſpectaculo, & fama rerum triumphus fuit. Hujus triumphi minuit lætitiam nuncius ex Hiſpania triſtis, advorſa pugna 4 in Vaſcetanis, ductu L. Æmilii proconſulis 5 apud oppidum Lyconem cum Luſitanis, ſex millia de exercitu Romano cecidiſſe. Cæteros paventes intra vallum compulſos, ægrè caſtra defendiſſe, & ad modum fugientium magnis itineribus in agrum Pacatum reductos. hæc ex Hiſpania nunciata. Ex Gallia legatos Placentinorum, & Urb. cond. an. 563. Coſſ. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

NOTÆ.

res erant hi *ciſtophori*, ex eo ſortiti appellationem quòd ſignati eſſent formâ κιστοφόρων, ſeu ciſtam ferentis: inſculptas enim habebant imagines eorum qui ciſtis inſuſa gerebant arcana ſacrorum myſticorum, quod fieri ſolitum in Cybeles myſteriis, Bacchi Orgiis, Cereris initiis, Iſidis ſacris, ut obſervat Turneb. lib. 3. adverſar. cap. 5. & 21. itemque lib. 16. cap. 4. Habebant autem hi nummi rationem ad denarium ſubſeſquiquartam, quatuor enim denarii ſeptem *ciſtophoros* cum ſemiſſe valent, quemadmodum ex Feſto idem Turnebus ratiocinatur. Scribit enim Feſtus *Talentum Euboicum*, nummo Græco, *ſeptem millium & quingentorum Ciſtophorûm* fuiſſe, Romano verò *quatuor millium denariorum*. Videtur itaque *ciſtophori* pretium concurrere cum quatuor noſtris aſſibus ac denariis tribus & quinta denarii parte. Quo poſito horum ducentorum quadraginta millium *ciſtophorûm* æſtimatio æquaret librarum Francicarum quinquaginta millia & ſexcentas. Scio rationem aliam ſequi Budæum lib. 4. de aſſe, qui præfecturarum Perlicarum ſub Dario tributa ex Herodoto computans Euboicum Talentum tribus tantum minis ac triente Talento Attico ceſſiſſe vult: & ſic 7500. *ciſtophori* reſponderent drachmis Atticis ſeu denariis Romanis 5067. ita ut his illi minores non multùm ultra quintam partem invenirentur: & pro hodiernis aſſibus noſtratibus octo, quibus denarios Romanos æquiparamus, *ciſtophori* ſeu drachmæ Euboicæ 6. aſſibus & 4. fermè denariis Turonenſibus viderentur æſtimandi. Verùm in enumeratione tributorum viginti provinciis impoſitorum apud Herodot. facilius, quàm in duobus apud Feſt. numeris irrepere mendum potuiſſe veriſimile eſt: & Feſti rotundior ratio.

4. *In Vaſcetanis.*] Quidam veteres habent *in-Vaſtetanis*. Fuere porrò in Hiſpania & *Baſtetani*, ſeu *Baſtitani* circa fontes Bætis, ſic dicti ab urbe primaria *Baſti*, nunc *Baëça*, in Andaluziæ orientalis & Caſtellæ novæ confinio: & *Vaccæi* inter Tagum ac Durium, nunc in regno Legionis; qui à Livio aut à Libraciis *Vaccetani* ſcribi potuerint. Præterea à *Veſci* Turdulorum in Bætica urbe apud Ptol. deduci poſſent *Veſcitani*, non multùm diverſo à *Vaſcetanis* nomine. Fuere quoque *Vecitani* Ilergetum populi à *Veſci* oppido, nunc *Vieſca* in Aragonia, quorum urbs Oſca. Sed huc penetraſſe Luſitanos, ut prælio cum illis conſigendum propè ſub Pyrenæis fuerit, nemini puto probari poſſe. Cùm itaque adverſus eos commiſſum hîc prælium meminerit, facilè adducor ut credam ſcribendum eſſe *Vaccetani*, à flumine Luſitaniæ, quod Plinio *Vacca*, Straboni *Vacua*, *Vacus* Ptol. vulgò nunc *Vouga*, cum ejuſdem nominis pago, inter Mondam ac Durium fluvios.

5. *Apud oppidum Lyconem.*] Jac. Del-

Trib. conc. ann. 563. Coss. L. Cornel. Scipione, & C. Lælio Nepote.

Cremonenſium L. Aunculejus prætor in ſenatum introduxit. iis querentibus inopiam colonorum, aliis belli caſibus, aliis morbo abſumptis, quoſdam tædio accolarum Gallorum reliquiſſe colonias; decrevit ſenatus, *Uti C. Lælius conſul, ſi ei videretur, ſex millia familiarum conſcriberet, quæ in eas colonias dividerentur: & ut L. Aunculeius prætor trium viros crearet ad eas colonos deducendos.*

XLVII. Creati M. Atilius Serranus, L. Valerius P. F. Flaccus, L. Valerius C. F. Tappus. Haud ita multo poſt quum jam conſularium comitiorum appeteret tempus, C. Lælius conſul ex Gallia Romam rediit. is non ſolùm ex facto abſente ſe Senatusconſulto in ſupplementum Cremonæ & Placentiæ colonos ſcripſit, ſed, ut novæ coloniæ duæ [1] in agrum, qui Bojorum fuiſſet, deducerentur, & retulit, & auctore eo Patres cenſuerunt. Eodem tempore [2] L. Æmilii prætoris literæ allatæ de navali pugna ad Myonneſum facta, & L. Scipionem conſulem exercitum in Aſiam trajeciſſe. Victoriæ navalis ergo in unum diem ſupplicatio decreta eſt: in alterum diem, quòd exercitus Romanus tum primùm in Aſia poſuiſſet caſtra, ut ea res proſpera & læta eveniret, vicenis majoribus hoſtiis in ſingulas ſupplicationes ſacrificare conſul eſt juſſus. Inde conſularia comitia magnâ contentione habita. M. Æmilius Lepidus petebat, adverſâ famâ hominum, quòd provinciam Siciliam petendi causa, non conſulto ſenatu ut ſibi id facere liceret, reliquiſſet. petebant cum eo M. Fulvius Nobilior, Cn. Manlius Vulſo, M. Valerius Meſſala. Fulvius [3] conſul unus creatur,

NOTÆ.

gado *Lyconi* exiſtimabat reſpondere oppidum Extremaduræ *Lobon* ad meridiem Emeritæ: quod quidem in Luſitania veteri, ſed procul a pugnæ hujus loco, ſive commiſſa fuerit in *Vaccæis*, ſive in *Baſtetanis* (quæ majorum populorum nomina ſunt) ſive *Vaccetanis* aut *Veſcitanis*, qui populi minores. Conjicerem *Lyconem* eſſe. Ptol. *Laconimurgi*, cui reſpondet *Francavilla* in regno Legionis circa Tormeſis fontes, oppidum olim Vettonum, qui & ipſi in Luſitaniæ parte: ſed Vettonum vocabulum à Vaſconis nimium diſſitat. Nam quod ad *Laconimurgi* attinet, *Laconem* quoque dictum ſuſpicor, & τὸ *murgi* nominis additamentum fuiſſe; quemadmodum *Briga*, quod Lingua Celtica pontem ſignificat, ut in Lacobriga, Segobriga; aut *eri* veſuris, quod Hiſpanis veteribus urbem deſignabat, ut adhuc Baſculis *iri*, unde *Elibri*, *Calaguris*, &c. Certè *Murgis* per ſe nomen urbis fuit in Bætica.

1. *In agrum qui Bojorum fuiſſet.*] Fuere hæ duæ coloniæ in Gallia ciſpadana. Et cum Placentia in agro Bojorum fuiſſe dicatur, ſequitur, ni fallor, minùs certò in ea regione poni à Cluverio & Sanſone *Anamanos*.

2. *L. Æmilii proconſulis.*] Sic legitur in manu exaratis: unde perperam emendavit Glar. *L. Æmilii prætoris*, eâ ratione adductus, quòd hic Æmilius non conſul, ſed prætor anteà fuiſſet. Verùm nonnunquam poſt præturam mittebantur cum imperio proconſulari. Sic apud Ciceronem lib. 1. de legibus, *Gellius ex prætura proconſul in Galliam miſſus eſt.* Quod Plutarchus in gratiam Æmilii factum indicat, cùm dicit miſſum eſſe ad bellum, non cum ſex faſcibus ſed lictoribus (tanquam Prætorem) ſed cum duodecim, quot conſulibus aſſignabantur.

3. *Conſul unus creatur.*] Primo ſcilicet comitiorum die.

4 quum cæteri centurias non expleſſent: is quoque poſtero die Cn. Manlium, 5 Lepido dejecto (nam Meſſala tacuit) collegam dixit. Prætores exinde facti, 6 duo Q. Fabii, Labeo & Pictor, (Flamen Quirinalis eo anno inauguratus fuerat) M. Sempronius Tuditanus, Sp. Poſthumius Albinus, L. Plautius Hypſæus, L. Bæbius Dives. Urb cond. an. 564. Coſſ. M. Fulvio Nob. & Cn. Manlio Vulſone

XLVIII. M. Fulvio Nobiliore, & Cn. Manlio Vulſone conſulibus, Valerius Antias auctor eſt, rumorem celebrem Romæ fuiſſe, & pænè pro certo habitum, recipiendi Scipionis adoleſcentis causa. Conſulem L. Scipionem, & cum eo P. Africanum in colloquium evocatos regis, & ipſos comprehenſos eſſe, & ducibus captis confeſtim ad caſtra Romana exercitum ductum, eaque expugnata, & deletas omnes copias Romanorum eſſe. Ob hæc Ætolos ſuſtuliſſe animos, & abnuiſſe imperata facere, principeſque eorum, in Macedoniam & in Dardanos, & in Thraciam, ad conducenda mercede auxilia, profectos. Hæc qui nunciarent Romam, A. Terentium Varronem, & M. Claudium Lepidum ab A. Cornelio prætore ex Ætolia miſſos eſſe. Subtexit deinde fabulæ huic, legatos Ætolos in Senatu inter cætera hoc quoque interrogatos eſſe: unde audiſſent imperatores Romanos in Aſia captos ab Antiocho rege, & exercitum deletum eſſe? Ætolos reſpondiſſe, ab ſuis legatis ſe, qui cum conſule fuerint, certiores factos. Rumoris hujus quia neminem alium auctorem habeo: neque affirmata res mea opinione ſic, nec pro vana prætermiſſa.

XLIX. Ætoli legati in ſenatum introducti, quum & cauſa eos ſua & fortuna hortaretur, ut confitendo ſeu ſuæ culpæ, ſeu errori veniam peterent ſupplices; orſi à beneficiis in populum Romanum, & propè exprobrantes virtutem ſuam in Philippi bello, & offenderunt aures inſolentia ſermonis: & eo, vetera & obliterata repetendo, rem adduxerunt, ut haud paulò plurium maleficiorum gentis, quàm beneficiorum memoria ſubiret animos Patrum; & quibus miſericordia opus erat, iram & odium irritarent. Interrogati ab uno ſenatore, permitterentne arbitrium de ſe populo Romano; deinde ab altero; habiturine eoſdem quos populus Romanus, ſocios & hoſtes eſſent; nihil ad ea reſpondentes, egredi templo juſſi ſunt. Conclamatum deinde ab univerſo ſenatu eſt. *Totos* a *adhuc Antiochi Ætolos*

INTERPRETATIO.

a *Ætolos adhuc omninò à partibus Antiochi ſtare: eorum animos ea ſola ſpe, quam in Antiocho ponerent, pendere.*

NOTÆ.

4. *Cùm cæteri centurias non expleſſent.*] Indicat neminem aliorum præter Fulvium centuriarum tuliſſe ſuffragia ad juſtum uſque numerum: dimidium ſcilicet, quod neceſſarium erat, ut quis conſul renunciaretur.

5. *Lepido dejecto.*] Dejici dicebatur candidatus, cùm minorem numerum ſuffragiorum ferebat, quàm competitor æmulus. Plura ergo ſuffragia, atque ad legitimum uſque numerum tulit nunc Manlius Volſo, atque ita conſul fuit.

6. *Duo Fabii.*] In antiquis editionibus legitur *Duo M. Fabii*, quod Spanhe-

Urb. cond. an. 564. Coss. M. Fulvio Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

esse, & ex unica ea spe pendere animos eorum. Itaque bellum b *cum haud dubiis hostibus gerendum perdomandosque feroces animos esse.* Etiam illa res accendit, quòd eo ipso tempore, quo pacem ab Romanis petebant, [1] Dolopiæ atque Athamaniæ bellum inferebant. Senatusconsultum in Manii Acilii sententiam, qui Antiochum Ætolosque devicerat, factum est, *Ut Ætoli eo die juberentur proficisci ab urbe, & intra quintum decimum diem Italiâ excedere.* A. Terentius Varro ad custodiendum iter eorum missus: denunciatumque, *Si qua deinde legatio ex Ætolis, nisi permissu imperatoris, qui eam provinciam obtineret, & cum legato Romano veniſſet Romam, pro hostibus omnes futuros.* Ita dimissi Ætoli.

L. De provinciis deinde consules retulerunt: sortiri eos Ætoliam & Asiam placuit. qui Asiam sortitus esset, exercitus ei quem L. Scipio haberet, est decretus, [1] & in eum [a] supplementum quatuor millia peditum Romanorum ducenti equites, & sociorum ac Latini nominis octo millia peditum & quadringenti equites: his copiis ut bellum cum Antiocho gereret. Alteri consuli exercitus, qui erat in Ætolia, est decretus; & ut in supplementum scriberet permissum, civium sociorumque eumdem numerum quem collega. naves quoque idem consul quæ priore anno paratæ erant, ornare jussus, ac ducere secum: nec cum Ætolis solùm bellum gerere, sed etiam [2] in Cephalleniam insulam trajicere. Mandatum eidem, si per commodum reipublicæ facere posset, ut ad comitia Romam rediret. nam præterquàm quòd magistratus annui subrogandi essent, censores quoque placere creari. si qua res [b] eum teneret, senatum certiorem faceret, se ad comitiorum tempus occurrere non posse. Ætolia M. Fulvio, Asia Cn. Manlio sorte evenit. Prætores deinde sortiti sunt, Sp. Postumius Albinus urbanam, & inter peregrinos, M. Sempronius Tuditanus Siciliam, Q. Fabius Pictor Flamen Quirinalis Sar-

INTERPRETATIO.

b *Ætolis, qui Romanorum hostes indubitati erant.*

a *Et quatuor millia peditum Romanorum ut supplerentur ille exercitus.*

b *Illum impediret ne discederet.*

NOTÆ.

mius ex usu numismatum corrigit, mutatâ literâ *M* in *N*, ut sint duo Numerii Fabii: de quo Fabiorum prænomine diximus ad primam Decadem. Igitur horum Prætorum alter fuit *Numerius Fabius Labeo*, alter *Numerius Fabius Pictor*, Flamen Quirinalis.

1. *Dolopia.*] Regio *Dolopum* in confinio Epiri ac Thessaliæ fuit. Urbs præcipua *Menelais*.

1. *Et in eum supplementum.*] Ita Scripti habent cum editis ante Sigonium, qui maluit ex veteri libro *& in ejus supplementum*: non tamen novum Livio illud aliud loquendi genus. Sic lib. 24. legitur, *duobus urbanis legionibus scripsit, supplementoque in alias lecto.*

2. *In Cephalleniam.*] Insula est Jonii maris ad occasum Peloponnesi inter Zacynthum ad meridiem, & oram Epiri ad boream: à Cephalo dicta Deionei Æolidæ filio, ubi Teleboæ. Urbem habet cognominem, & vetus nomen servat, in ditione Venetorum.

diniam, Q. Fabius Labeo classem, L. Plautius Hypsæus Hispaniam citeriorem, L. Bæbius Dives Hispaniam ulteriorem. Siciliæ legio una, & classis, quæ in ea provincia erat, decreta. & ut duas decumas frumenti novus prætor imperaret Siculis, earum alteram in Asiam, alteram in Ætoliam mitteret. Idem ab Sardis exigi, atque ad eosdem exercitus id frumentum, ad quos Siculum, deportari jussum. L. Bæbio supplementum in Hispaniam datum, mille Romani pedites, equites quinquaginta, & sex millia peditum Latini nominis, & ducenti equites. Plautio Hypsæo in Hispaniam citeriorem mille Romani dati sunt pedites, duo millia socium Latini nominis, & ducenti equites. cum his supplementis, ut singulas legiones [c] duæ Hispaniæ haberent. Prioris anni magistratibus, C. Lælio cum suo exercitu prorogatum in annum imperium est. prorogatum & P. Junio prætori in Etruria, cum eo exercitu qui in provincia esset; & M. Tuccio prætori in Bruttiis & Apulia. Urb. cond. an. 564. Coss. M. Fulv. Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

Ll. Priusquàm in provincias prætores irent, certamen inter P. Licinium pontificem maximum fuit, & Q. Fabium Pictorem Flaminem Quirinalem, quale patrum memoria inter L. Metellum & Postumium Albinum fuerat. Consulem illum cum C. Lutatio collega in Siciliam ad classem proficiscentem, ad sacra retinuerat Metellus pontifex maximus; prætorem hunc, ne in Sardiniam proficisceretur, P. Licinius tenuit, & in senatu & ad populum magnis contentionibus certatum est: & [1] imperia inhibita ultro citroque, & pignora capta, & mulctæ dictæ, & tribuni appellati, & provocatum ad populum est. Religio ad postremum vicit, ut dicto audiens esset flamen pontifici; & mulctæ ex jussu populi remissæ. Ita provincia erepta, prætorem magistratu abdicare se conantem, Patres auctoritate sua deterruerunt: & ut jus inter peregrinos diceret, decreverunt. Delectibus deinde intra paucos dies (neque enim multi milites legendi erant) perfectis, consules prætoresque in provincias proficiscuntur. Fama deinde de rebus in Asia gestis temerè vulgata sine auctore: & post dies paucos nuncii certi, literæque imperatoris Romam allatæ; quæ non tantùm gaudium ab recenti metu attulerunt (desierant enim victum in Ætolia metuere) [2] quam averterunt famam: quod incuntibus id bellum gravis hostis & suis viribus, & quod Annibalem rectorem militiæ haberet.

INTERPRETATIO.

c *Ut utraque Hispania, citerior & ulterior haberet legionem unam.*

NOTÆ.

1. *Imperia inhibita.*] Jam sæpiùs monuimus *inhibendi* verbum à nostro sumi non rarò pro eo quod est *adhibere*: & à prætore quidem potuisse mulctam dici & pignora capi jure magistratus nihil ambigam, si prætor urbanus fuisset. At huic Fabio Sardinia obtigerat: magistratus autem provinciales extra suam provinciam privati erant: an aliud in rep. aliud sub imperatoribus obtinuit?

2. *Quam averterunt famam.*] Rubenius conjicit *quam à vetere fama.*

visus fuerat. nihil tamen aut de consule mittendo in Asiam mutandum, aut minuendas eas copias censuerunt; metu 3 ne cum Gallis foret bellandum.

Urb. cond. an. 564. Coss. M. Fulv. Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

LII. Haud multò post M. Aurelius Cotta, legatus L. Scipionis, cum Antiochi regis legatis, & Eumenes rex Rhodiique Romam venerunt. Cotta in senatu primùm, deinde in concione jussu Patrum, quæ acta in Asia essent, exposuit. supplicatio inde in triduum decreta est, & quadraginta majores hostiæ immolari jussæ. Tum omnium primum Eumeni senatus datus est. Is quum breviter & egisset gratias Patribus, quod obsidione se ac fratrem exemissent, regnumque ab injuriis Antiochi vindicassent, & gratulatus esset, quòd mari terraque prosperè res gessissent; quodque regem Antiochum fusum fugatumque & exutum castris, priùs Europa, post & Asia, quæ eis Taurum montem est, expulissent; sua deinde merita malle eos [1] ex imperatoribus suis legatisque quàm se commemorante [2] cognoscere, dixit. Hæc approbantibus cunctis, jubentibusque dicere ipsum omissa in id verecundia, quid sibi à senatu populoque Romano tribui æquum censeret: propensiùs cumulatiusque, [a] si quo possit, prout ejus merita sint, senatum facturum: Ad ea rex: *Si ab aliis sibi præmiorum optio deferretur, libenter data modo facultate consulendi senatum Romanum, consilio amplissimi ordinis usurum fuisse, ne quid aut immoderatè cupisse, aut petisse parum modestè videri posset: verùm enimvero, quum ipsi daturi sint, multo magis munificentiam eorum in se fratresque suos, ipsorum arbitrii debere esse.* Nihil hac oratione ejus Patres conscripti deterriti sunt; quominus dicere ipsum juberent. & quum aliquandiu, hinc indulgentia, hinc modestia, inter permittentes invicem, non magis mutua, quam inexplicabili facilitate certatum esset, Eumenes templo excessit. Senatus in eadem perstare sententia, *ut absurdum esse diceret, ignorare regem quid sperans aut petens venerit. quæ 3 accommodata regno suo sint, ipsum optimè scire: Asiam longè meliùs, quàm senatum nosse. revocandum igitur & cogendum quæ vellet, quæque sentiret expromere,*

LIII. Reductus à prætore in templum rex, & dicere jussus: *Perseverassem*, inquit, *tacere, P. C. nisi Rhodiorum legationem mox vocaturos vos scirem: & illis auditis, mihi, necessitatem fore dicendi. Quæ quidem eo diffi-*

INTERPRETATIO.

a *Si qua ratione* Senatus *posset.*

NOTÆ.

3. *Ne cum Gallis foret bellandum.*] Gallos intellige Asiaticos seu Gallo-græcos.

1. *Ex imperatoribus legatisque suis.*] Nempe *Romanis.*

2. *Cognoscere.*] Gron. *Cognosce.*

3. *Accommodata suo regno sint.*] Vulgatum *quæ commoda suo regno sint*; aliter scripti & olim editi. Sic seq. lib. Liv. *pacis legos ut nimium accommodatas Antiocho*; & Cic. 3. ad famil. ep. 3. *te quoque confido ea esse facturum, quæ mihi intelliges maximè esse accommodata.*

cilior oratio erit, quod ea postulata eorum futura sunt, ut non solum nihil quod contra me sit, sed ne quod ad ipsos quidem proprie pertineat, petere videantur. Agent enim causam civitatum Græcarum, & liberari eas decent debere. quo impetrato, cui dubium est, quin & à nobis averfuri sint, non eas modo civitates, quæ liberabuntur, sed etiam veteres stipendiarias nostras; ipsi autem tanto obligatos beneficio, verbo socios, revera subjectos imperio & obnoxios habituri sint? Et (si Diis placet) quam has tantas opes affectabunt, dissimulabunt ulla parte id ad se pertinere: vos modo id decere, & conveniens esse antefactis, dicent. Hæc vos ne decipiat oratio, providendum vobis erit: neve non solùm inæqualiter alios nimiùm deprimatis ex sociis vestris, alios præter modum extollatis; sed etiam ne qui adversus vos arma tulerint, meliore statu sint, quàm socii & amici vestri. Quod ad me attinet, in aliis rebus [a] cessisse intra finem juris mei cuilibet videri malim, quàm nimis pertinaciter in obtinendo eo tetendisse? in certamine autem amicitiæ vestræ, benevolentiæ erga vos, honoris qui à vobis habebitur, minime æquo animo vinci possum. Hanc ego maximam hæreditatem à patre accepi, qui primus omnium Asiam Græciamque incolentium in amicitiam vestram venit, eamque perpetua & constanti fide ad extremum finem vitæ perduxit. nec animum duntaxat vobis bonum ac fidelem præstitit, sed omnibus interfuit bellis, quæ in Græcia gessistis; terrestribus navalibusque: omni genere commeatuum, ita ut nemo sociorum vestrorum æquari ulla parte posset, vos adjuvit. Postremo quum Bœotos ad societatem vestram hortaretur, in ipsa concione intermortuus, haud multo post expiravit. Hujus ego vestigia ingressus, voluntati quidem & studio in colendis vobis adjicere (etenim inexuperabilia hæc erant) nihil potui: rebus ipsis meritisque & impensis officiorum ut superare possem, fortuna, tempora, Antiochus, & bellum in Asia gestum præbuerunt materiam. [1] Rex Asiæ & partis Europæ Antiochus, [2] filiam suam in matrimonium mihi dabat: restituebat extemplo civitates quæ defecerant à nobis: spem magnam in posterum [3] amplificandi regni faciebat: si secum adversus vos bellum gessissem. Non gloriabor eo, quod nihil in vos deliquerim. illa potius, quæ vetustissima domus nostræ vobiscum amicitia digna sunt, referam. [4] Pedestribus navalibusque copiis, ut nemo vestrorum socio-

Urb. cond. an. 564. Coss. M Fulv. Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

INTERPRETATIO.

[a] *Aliquantum de eo quod mihi debitum est detraxisse*, seu *arctioribus finibus circumscripsisse jura mea.*

NOTÆ.

1. *Rex Asiæ & partis Europæ Antiochus.*] Id ita accipio, ut velit Eumenes Antiochum in magna parti Asiæ, & aliqua Europæ, in Thracia nempe, regnasse: alioqui etiamsi ingens esset in Asia minori & magna, etiam ultra Tigrin, Antiochi ditio, non tamen Asiæ rex dicendus fuisse videtur ab eo, qui & ipse in Asia minori regnaret.

2. *Filiam suam in matrimonium.*] Laodicen filiam Antiochus Eumeni obtulerat uxorem, si fœdere contra Romanos illigari voluisset.

3. *Amplificandi regni faciebat.*] Vetus Sigonii liber *ampliandi.*

4. *Terrestribus, navalibusque copiis.*]

Urb. cond. an. 564. Coss. M. Fulv. Nob. & Cn. Manlio Vulsonc.

rum me æquiparare posset, imperatores vestros adjuvi, commeatus terra marique suppeditavi: navalibus prœliis, quæ multis locis facta sunt, omnibus affui, nec labori meo, nec periculo usquam peperci. Quod miserrimum est in bello, obsidionem passus sum: Pergami inclusus cum discrimine ultimo simul vitæ regnique. Liberatus deinde obsidione, cum alia parte Antiochus, alia Selecus circa arcem regni mei castra haberent, relictis rebus meis tota classe ad Hellespontum L. Scipioni consuli vestro occurri, ut eum in transiciendo exercitu adjuvarem. Postquàm in Asiam exercitus vester est transgressus, nunquam à consule abscessi: nemo miles Romanus magis assidius in castris vestris fuit, quàm ego fratresque mei. nulla expeditio, nullum equestre prœlium sine me factum est. In acie ibi steti: eam partem sum tutatus, in qua me consul esse voluit. Non sum hoc dicturus, Patres Conscripti, Quis hoc bello meritis erga vos mecum comparari potest? Ego nulli omnium neque populorum, neque regum, quos in magno honore habetis, non ausim me comparare. 6 Masinissa hostis vobis antequàm socius fuit: nec in columi regno cum auxiliis suis, sed extorris, expulsus, amissis omnibus copiis, cum turma equitum in castra confugit vestra. tamen eum, quia in Africa adversus Syphacem & Carthaginienses fideliter atque impigrè vobiscum stetit, non in patrium solum regnum restituistis, sed adjecta opulentissima parte Syphacis regni, præpotentem inter Africæ reges fecistis. Quo tandem igitur nos præmio atque honore digni apud vos sumus, qui nunquam hostes, semper socii fuimus? Pater, ego, & fratresque mei non in Asia tantùm, sed etiam procul ab domo in Peloponneso, in Bœotia, in Ætolia, b Philippi, Antiochi, Ætolico bello, terra marique pro vobis arma tulimus. Quid ergo postulas? dicat aliquis. Ego, Patres Conscripti, quoniam dicere utique volentibus vobis parendum est; si vos ea mente ultra Tauri juga Antiochum emovistis, ut ipsi teneretis eas terras: nullos accolas, nec finitimos habere quàm vos malo; nec nullâ aliâre tutius stabiliusque regnum meum futurum spero. Sed si vobis decedere inde atque exercitus deducere in animo est, neminem digniorem esse ex sociis vestris, qui bello à vobis parta possideat, quàm me, dicere ausim. Æquum magnificum est liberare civitates servas. Ita opinor, si nihil hostile adversus vos fecerunt: sin autem Antiochi partis fuerint; quanto est vestra prudentia & æquitate dignus, so-

INTERPRETATIO.

b *In bello adversus Philippum, Antiochum, Ætolos.*

NOTÆ.

Interpretatio est Frobenii. Cæterùm in scriptis editisq; ante ipsum *pedestribus navalibusque*. Nam *pedestrium* nomine *terrestres* intelliguntur: ut l. 26 c. 51. *ipse pauc os dies, quibus morari Carthagine statuerat exercendis navalibus pedestribusq; copiis, assumsit.* Et Cornel. Nepos in Alcibiade.

Lacedæmonios eò nollet confligere classe, quòd pedestrib. copiis plus quàm navalibus valerêt.

5. *Arcem regni mei.* Pergamum ipsum.

6. *Masinissa hostis vobis antequam socius.* vide supra lib. 29 c. 29. & sequentibus.

7. *Fratresque mei.* Attalus, Philadelphus, & Athenæus fratres Eumenis.

ciis benemeritis, quàm hostibus vos consulere?

LIV. Grata oratio regis Patribus fuit. & facilè apparebat munificè omnia & propensò animo facturos. Interpositа Smyrnæorum brevis legatio est, quia non aderant [1] quidam Rhodiorum. Collaudatis egregiè Smyrnæis, quòd omnia ultima pati, quàm se regi tradere maluissent: introducti Rhodii sunt. quòrum princeps legationis expositis initiis amicitiæ cum populo Romano meritisque Rhodiorum Philippi prius, deinde Antiochi bello: *Nihil*, inquit, *nobis tota nostra actione, Patres Conscripti, neque difficilius, neque molestius est, quàm quod cum Eumene nobis disceptatio est: cum quo uno maxime regum, & privatum singulis, & quod magis nos movet, publicum civitati nostræ hospitium est. Cæterum non animi nostri, Patres Conscripti, nos, sed rerum natura quæ potentissima est, disjungit; ut nos liberi etiam aliorum libertatis causam agamus; reges serva omnia, & subjecta imperio suo esse velint. Utcumque tamen res se habet, magis verecundia nostra adversus regem nobis obstat, quàm ipsa disceptatio* [a] *aut nobis impedita est, aut vobis perplexam deliberationem præbitura videtur. Nam si aliter socio atque amico regi, & benemerito, hoc ipso in bello, de cujus præmiis agitur, bonos haberi nullus posset, nisi liberas civitates ei in servitutem traderetis: esset deliberatio anceps; ne aut regem amicum inhonoratum dimitteretis, aut decederetis instituto vestro, & gloriam Philippi bello partam nunc servitute tot civitatum deformaretis: sed ab hac necessitate aut gratiæ in amicum minuendæ, aut gloriæ vestræ, egregie vos fortuna vindicat. Est enim Deûm benignitate non gloriosa magis quàm dives victoria vestra: quæ vos facilè isto velut ære alieno exolvat. nam [2] & Lycaonia 3 & Phrygia utraque 4 & Pisidia omnis 5 & Chersonesus, quæque circumjacent Europæ, in vestra*

Urb. cond. ann. 564. Coss. M. Fulv. Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

INTERPRETATIO.

[a] *Quàm difficilis nobis hæc contentio ad explicandum, aut vobis ad decernendum.*

NOTÆ.

1. *Quidam Rhodiorum.*] Legatorum scilicet ab Rhodiis missorum, aliqui nondum ad curiam venerant.

2. *Et Lycaonia.*] Lacinia est Cappadociæ, *Lycaonia*, Isauriæ proxima, quæ ipsi ad occasum: ambæ inter Phrygiam magnam & Pisidiam. Urbs princeps *Iconium* hodie *Cogni*, præfecti Turcici sedes: unde & vicinæ hodie provinciæ nomen.

3. *Et Phrygia utraque.*] Duplex in Asia minori est *Phrygia: minor*, quæ *Hellespontia*, quòd Hellesponto proxima, itemque *Epictetos*, id est, *addititia*, nunc Turcis *Sarcum*; & *magna* sive *major*, quam postèa *Salutaram* & *Pacatianam* dixere, quæ ad ortum Galatia & Pisidiæ parte, ad meridiem Lycia & Caria ac Lydia, ad occasum Mysia majori, ad septentrionem Bithyniâ cingebatur. Hodie corrupto, ni fallor, nomine, meridiem versus *Brikia* dicitur; versus septentrionem, quâ Bithyniæ propior *Germian*.

4. *Et Pisidia omnis.*] Asiæ quoque minoris regio fuit. *Pisidia* inter Galatiam, Phrygiam magnam, Pamphyliam, Ciliciæ partem, & Lycaoniam: [urbes præcipuæ Antiochia Pisidiæ & Perge. Turcæ nunc ab urbe primaria vocant *Versacili*.

5. *Et Chersonesus.*] Indicat Chersonesum Thracicam, eique vicinum tractum in eadem Thracia, quæ Europæ regio.

Urb. cond. an. 564. Coſſ. M. Fulv. Nob. & Cn Manlio Vulſone.

ſint poteſtate. quarum una quælibet regi adjecta, multiplicare regnum Eumenis poteſt: omnes vero datæ, maximis eum regibus æquare. Licet ergo vobis & præmiis belli ditare ſocios, & non decedere inſtituto veſtro: & meminiſſe, quem titulum prætenderitis, prius adverſus Philippum, nunc adverſus Antiochum belli: quid feceritis Philippo victo, quid nunc à vobis, non magis quia feciſtis, quàm quia id vos facere decet, deſideretur atque expectetur. alia enim aliis & honeſta & probabilis eſt cauſa armorum. Illi agrum, hi vicos, hi oppida, hi portus oramque aliquam maris ut poſſideant. Vos nec cupiſtis hæc, antequàm haberetis: nec nunc, quem orbis terrarum in ditione veſtra ſit, cupere poteſtis. Pro dignitate & gloria apud omne genus hominum, quod veſtrum nomen imperiumque juxta ac Deos immortales jampridem intuetur, pugnaſtis. quæ paraſſe & quærere arduum fuit, neſcio an tueri difficilius ſit, [6] Gentis vetuſtiſſimæ nobiliſſimæque, vel fama rerum geſtarum, vel omni commendatione humanitatis doctrinæque tuendam ab ſervitio regio libertatem ſuſcepiſtis. hoc patrocinium receptæ in fidem & clientelam veſtram univerſæ perpetuum vos præſtare decet. Non quæ in ſolo modo antiquo ſunt, Græcæ magis urbes ſunt, quàm coloniæ earum, illinc [8] quondam profectæ in Aſiam. Nec terra mutata mutavit genus aut mores. certare pio certamine cujuslibet bonæ artis ac virtutis [9] auſi ſumus cum parentibus quæque civitas, & conditoribus ſuis. Adiſtis Græciæ, adiſtis Aſiæ urbes plerique. niſi quod longius à vobis abſumus, nulla vincimur alia re. Maſſilienſes, quos ſi natura inſita velut ingenio terræ vinci poſſet, jampridem efferaſſent tot indomitæ circumfuſæ gentes, in eo honore, in ea merito dignitate audimus apud vos eſſe, ac ſi medium umbilicum Græciæ incolerent. non enim ſonum modo linguæ, veſtitumque & habitum, ſed ante omnia [10] mores, & leges, & ingenium, ſincerum integrumque à contagione accolarum ſervarunt. Terminus eſt nunc imperii veſtri mons Taurus. quicquid intra eum cardinem eſt, nihil longinquum vobis [11] videri debet. quo arma veſtra pervenerunt, [12] eodem jus hinc profectum perveniat. Barbari quibus pro legibus ſemper dominorum imperia fuerunt, [b] quo gaudent reges habeant: Græci

[b] *Quem rem unam.*

INTERPRETATIO.

NOTÆ.

6. *Gentis vetuſtiſſimæ.*] *Græcorum* nimirum.

7. *In ſolo modo antiquo.*] In Græcia ſcilicet Europæa, quam Romani Achajam dixere.

8. *Quondam profectæ in Aſiam.*] Tres diſtinguuntur Græcorum in Aſiam migrationes, Jonica, Ædolica, & Dorica, quarum nomina maritimis Aſiæ minoris ad Ægæum mare regionibus impoſita.

9. *Auſi ſumus cum parentibus.*] Vult hic Rhodius legatus, & ſuos & reliquos Aſiaticos Græcos, atque eorum unamquamque civitatem, bonarum artium ſtudio certaſſe cum Europæis Græciæ civitatibus, à quibus originem ducerent.

10. *Mores & leges.*] Maſſilienſes veteris diſciplinæ ac legum tenaces, & frugalitatis ſtudioſi memorantur à Tacito in Agricola, aliiſque.

11. *Videri debet.*] Tan. Faber mavult, *videri decet.*

12. *Eodem jus hinc profectum perveniat.*]

ſuam fortunam, veſtros animos gerunt. Domeſticis quondam viribus etiam imperium amplectebantur; nunc 13 *imperium ubi eſt, ibi ut ſit perpetuum, optant. libertatem veſtris tueri armis ſatis habent, quoniam ſuis non poſſunt. Atenim quædam civitates cum Antiocho ſenſerunt. & aliæ prius cum Philippo & cum Pyrrho Tarentini. Ne alios populos enumerem, Carthago libera cum ſuis legibus eſt. Huic veſtro exemplo quantum debeatis, videte, Patres Conſcripti. inducetis in animum negare Eumenis cupiditati, quod juſtiſſimæ iræ veſtræ negaſtis. Rhodii & in hoc & in omnibus bellis, quæ in illa ora geſſiſtis, quam forti fideliquæ opera vos adjuverimus, veſtro judicio relinquimus. nunc in pace id conſilium afferimus, quod ſi comprobaritis, magnificentius vos victoria uſos eſſe, quam viciſſe, omnes exiſtimaturi ſint.* Urb. cond. an. 564. Coſſ. M. Fulv. Nob. & Cn. Manlio Vulſone.

LV. Apta magnitudini Romanæ oratio viſa eſt. Poſt Rhodios Antiochi legati vocati ſunt. ii vulgato petentium veniam more, errorem falſi regis, obteſtati ſunt Patres Conſcriptos, *ut ſuæ potius clementiæ, quàm regis culpæ, qui ſatis ſuperque pœnarum dediſſet, memores conſulerent. poſtremo pacem datam à L. Scipione imperatore, quibus legibus dediſſet, confirmarent auctoritate ſua.* Et ſenatus eam pacem ſervandam cenſuit, & paucos poſt dies populus juſſit. fœdus in Capitolio cum Antipatro principe legationis, & eodem fratris filio regis Antiochi, eſt ictum. Audiæ deinde & aliæ legationes ex Aſia ſunt. quibus omnibus datum eſt reſponſum, *Decem legatos more majorum ſenatum miſſurum ad res Aſiæ diſceptandas, componendaſque. Summam tamen hanc fore, ut eis Taurum montem quæ intra regni Antiochi fines fuiſſent, Eumeni attribuerentur; præter Lyciam Cariamque uſque ad Mæandrum amnem. ea civitatis Rhodiorum eſſent. Cæteræ civitates Aſiæ, quæ Attali ſtipendiariæ fuiſſent, eædem Eumeni vectigal penderent: quæ vectigales Antiochi fuiſſent, eæ liberæ atque immunes eſſent.* Decem legatos hos decreverunt, Q. Minucium Ruſum, L. Furium Purpurionem, Q. Minucium Thermum, App. Claudium Neronem, Cn. Cornelium Merulam, M. Junium Brutum, L. Aurunculejum, [1] L. Æmilium Paulum, P. Cornelium Lentulum, P. Ælium Tuberonem.

LVI. [2] His, quæ præſentis diſceptationis eſſent, libera mandata de ſumma rerum ſenatus conſtituit: *Lycaoniam omnem & Phrygiam utranq;* [1] *&*

INTERPRETATIO.

[2] *His permiſſum eſt librum arbitrium, ſive in præſenti dijudicari poſſent* ac *terminarum rerum, quæ nonniſi à præſentibus*, nari.

NOTÆ.

Hinc, id eſt, Roma, unde libertas Græcorum in Europa.

13. *Imperium ubi eſt.*] Romæ, quod per Græcam adulationem, verè tamen dictum.

1. *L. Æmilium Paulum.*] Hic non Lucii in Hiſpania proconſulis, ſed Marcii filius, cujus mentio anno 549.

1. *Et Myſiam.*] Fuit *Myſia* mi notis Aſiæ regio duplex: *major* inter Phrygiam & mare Ægæum, ubi Pergamus, quæ nunc *Burſa*, pars Natoliæ ſtrictè ſumptæ; alia *minor* ad Helleſpontum, quæ & minor Phrygia, ubi Lampſacus, & quæ

Urb. cond. an. 564. Coss. Mutuv. Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

Mysiam , regias sylvas , & Lydiæ Ioniaque , extra ea oppida quæ liberâ fuissent , quo die cum rege Antiocho pugnatum est , & nominatim Magnesiam ad Sipylum ,[2] *& Cariam , quæ Hydrela appellatur , agrumque Hydrelatenum ad Phrygiam vergentem , & castella vicosque ad Mæandrum amnem , & oppida , nisi quæ libera ante bellum fuissent ;*[3] *Telmissum item nominatim & castra Telmissum , præter agrum qui Ptolemæi Telmissii fuisset : hæc omnia quæ suprà scripta sunt , regi Eumeni iussa dari . Rhodiis Lycia data , extra eundem Telmissum , & castra Telmissum , & agrum qui Ptolemæi Telmissii fuisset : hæc & ab Eumene & ab Rhodiis excepta . Ea quoque his pars data Cariæ , quæ propior Rhodum insulam trans Mæandrum amnem est , oppida , vici , castella , agri , qui ad Pisidiam vergunt : nisi quæ eorum oppida in libertate fuissent , pridie quàm cum Antiocho rege in Asia pugnatum est .* Pro his quum gratias egissent Rhodii , 4 de Solis urbe , quæ in Cilicia est , egerunt. *Argis & illos , sicut sese , oriundos esse . ab ea germanitate fraternam sibi cum iis charitatem esse . Petere hoc extraordinarium munus , ut eam civitatem ex servitute regia eximerent.* Vocati sunt regis Antiochi legati , actumque cum iis est : nec quicquam impetratum ,[5] testante fœdera Antipatro : adversus quæ ab Rhodiis non Solos , sed Ciliciam peti , & juga Tauri transcendi . Revocatis in senatum Rhodiis , quum quantopere tenderet legatus regius exposuissent Patres , adjecerunt ; *Si utique eam rem ad civitatis suæ dignitatem pertinere censerent Rhodii , senatum omni modo expugnaturum pertinaciam legatorum .* Tum verò impensiùs , quàm antè Rhodii gratias egerunt , cessuroque se potiùs arrogantiæ Antipatri , quam causam turbandæ pacis præbituros , dixerunt. ita nihil de Solis mutatum est.

LVII. Per eos dies , quibus hæc gesta sunt , legati Massilienſium nunciaverunt , L. Bæbium prætorem , in provinciam Hispaniam proficiscentem , ab Liguribus circumventum , magna parte comitum cæsa , vulneratum ipsum cum paucis , sine lictoribus Massiliam perfugisse , & intra triduum expirasse . Senatus , ea re audita , decrevit , uti P. Junius Brutus , qui prætor in Etruria esset , provincia exercituque traditis uni cui videretur ex legatis , ipse in ulteriorem Hispaniam proficisceretur , eaque ei provincia esset .

NOT .

nunc *Sarcum* .

2. *Et Cariam quæ Hydrela appellatur .*] *Hydrelitas* nominat Plinius in conventu Laodiceno : fuit autem *Laodicea* urbs Cariæ in confinio Lydiæ & Phrygiæ magnæ ad Lycum fluvium , qui mox in Mæandrum delabitur .

3. *Telmissum .*] Vrbs Lyciæ maritima *Telmissus* , seu *Telmessus* , ad promontorium ejusdem nominis , medio itinere inter Dædala & Patara fuit , diversa ab *Termesso* Carbaliæ seu Pisidiæ urbe .

4. *De Solis urbe .*] *Soli* , alias *Soloe* ; urbs fuit maritima Ciliciæ campestris ad Zephyrium promontorium inter ostia Cydni , ad quem Tarsus , & Latini , ad cujus ostium Pompejopolis . Tradutis eò postea piratis , quos Pompejus devicerat , à barbariè populi ex plurium nationum colluvie coacti , *solœcisare* dicti sunt qui minùs congruè loquuntur : unde *solœcismi* nominis origo . Hodie vicus *Pala Soli* dictus .

5. *Testante fœdera Antipatro .*] Allega-

Huc Senatusconsultum, literæque à Sp. Postumio prætore in Etruriam missæ sunt. profectusque in Hispaniam est P. Junius proprætor. In qua provincia prius aliquanto, quam successor venisset L. Æmilius Paulus, qui posteà regem Persea magnâ glorià vicit, quum priore anno haud prosperè rem gessisset; tumultuario exercitu collecto, signis collatis cum Lusitanis pugnavit. Fusi fugatique sunt hostes. cæsa decem & octo millia armatorum, tria millia trecenti capti, & castra expugnata. Hujus victoriæ fama tranquilliores in Hispania res fecit. Eodem anno ante diem tertium Calendas Januarias, Bononiam Latinam coloniam, ex Senatusconsulto L. Valerius Flaccus, M. Atilius Serranus, L. Valerius Tappus triumviri deduxerunt. tria millia hominum sunt deducta, equitibus septuagena jugera, cæteris colonis quinquagena sunt data. Ager captus de Gallis Bojis fuerat: [1] Galli Tuscos expulerant. Eodem anno censuram multi & clari viri petierunt. quæ res tanquam in se parum magni certaminis causam haberet, aliam contentionem multò majorem excitavit. Petebant T. Quintius Flamininus, P. Cornelius Cn. F. Scipio, L. Valerius Flaccus, M. Porcius Cato, M. Claudius Marcellus, Manius Acilius Glabrio, qui Antiochum ad Thermopylas Ætolosque devicerat. in hunc maximè, quòd multa congiaria habuerat, quibus magnam partem hominum obligarat, favor populi se inclinabat. Id quum ægrè paterentur tot nobiles; novum sibi hominem [a] tantùm præferri; P. Sempronius Gracchus, & C. Sempronius Rutilus, tribuni plebis, ei diem dixerunt, quod pecuniæ regiæ, prædæque aliquantum captæ in Antiochi castris, neque in triumpho tulisset, neque in ærarium detulisset. Varia testimonia legatorum tribunorumque militum erant. M. Cato ante alios testes consuluit, cujus auctoritatem perpetuo tenore vitæ partam, [2] toga candida elevabat. Is testis, quæ vasa aurea atque argentea captis castris inter aliam prædam regiam vidisset, ea se in triumpho negabat vidisse. Postremò in hujus maximè invidiam desistere se petitione Glabrio dixit; quando quod taciti indignarentur nobiles homines, id æquè novus competitor [3] inæstimabili perjurio inceſſeret.

Urb. cond. an 564. Coss. M. Fulvio Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

INTERPRETATIO.

[a] *Adeo antiponi*, ut solus certò videretur Censor futurus.

NOTÆ.

bat nempe Antipater legatus Antiochi fœdus cum Romanis ictum, quo relinquebantur Antiocho quæcumque trans Taurum montem, atque ita Cilicia tota, in qua Soli.

1. *Galli Tuscos expulerant.*] Vide lib. 5. cap. 33.

2. *Toga candidâ elevabat.*] Minuebatur nempe ejus auctoritas & fides, quod inter candidatos & ejusdem dignitatis competitores esset.

3. *Inæstimabili perjurio.*] Non placet hoc epitheton Gronovio, qui idcirco subdit *inexpiabili*, aut *intestabili*, Plinii

Urb. cond. an. 564. Coss. M. Fulvio Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

LVIII. Centum millium mulcta irrogata erat. bis de ea certatum est. tertiò, quum de petitione destitisset reus: nec populus de mulcta suffragium ferre voluit, & tribuni eo negotio destiterunt. Censores T. Quintius Flamininus, & M. Claudius Marcellus creati. Per eosdem dies L. Æmilio Regillo, qui classe præfectum Antiochi regis devicerat, extra urbem in æde Apollinis quum senatus datus esset, auditis rebus gestis ejus, quantis cum classibus hostium dimicasset, quot inde naves demersisset aut cepisset, magno consensu Patrum triumphus navalis est decretus. Triumphavit Calendis Februariis. in eo triumpho undequinquaginta coronæ aureæ translatæ sunt: pecunia nequaquam tanta pro specie regii triumphi: 2 tetradrachma Attica triginta quatuor millia septingenta: 3 Cistophorûm centum triginta unum millia trecenta. Supplicationes deinde fuerunt ex Senatusconsulto, quòd L. Æmilius Paulus in Hispania prosperè rem gessisset. Haud ita multò pòst L. Scipio ad urbem venit. qui, 4 ne cognomine fratri cederet, Asiaticum se appellari voluit. & in senatu, & in concione de rebus ab se gestis disseruit. Erant qui famâ id majus bellum, quàm difficultate rei fuisse interpretarentur; uno memorabili prœlio debellatum 5 gloriamque ejus victoriæ præfloratam ad Thermopylas esse. 6 Cæterum verè æstimanti, Ætolicum magis ad Thermopylas bellum, quàm regium fuit. *Quota enim parte virium suarum ibi dimicavit Antiochus? in Asia totius Asiæ steterunt vires; 7 ab ultimis Orientis omnium gentium contractis auxiliis.*

LIX. Meritò ergo & Diis immortalibus, quantus maximus po-

NOTÆ.

præsertim auctoritate, qui lib. 30. cap. 2. *magicam* dicit *inestimabilem, irritam, inanem esse*. Vide tamen an non respiciat Livius ad mulctam, quâ dignum innuerat Glabrio perjurium Catonis: tritum enim crimina apud Romanos, Atheniensium exemplo, certâ pecuniâ æstimari, & ferè quanti actor juraſſet. Exemplum habes ltatim in mulctâ centum millium Glabrioni irrogatâ, sed à populo remissâ.

1. *M. Claudius Marcellus.*] Is Marcelli quinquies Consulis filius fuisse dicitur à Plut. in Quintii vita.

2. *Tetradrachma Attica triginta quatuor millia septingenta.*] Nostra pecuniâ fierent quinquaginta septem millia & ducentæ quinquaginta quinque libræ. Est enim, ut diximus, tetradrachmum quatuor drachmarum seu denariorum pondus.

3. *Cistophorum centum triginta unum millia trecenta.*] Hæc summa libras nostras reddiderit fermè 31010. aut paulò ampliùs.

4. *Ne cognomine fratri cederet.*] Petav. aliique, seu manu, seu typis exarati ante Aldum, *cognomini fratris*, eodem sensu.

5. *Gloriamque ejus victoria præfloratam.*] Vult Mognat. *defloratam*; quod Gronovius recipit auctore Plin. in Panegyr. *Summumque illud purpura decus nonnisi præceptum præfloratumque transmittere.* Itemque è Gellio 14. 1. *& futurum gaudii fructum spes tibi jam præfloraverit.* Nam *defloratdi* verbo usa tantùm sequior ætas.

6. *Cæterùm verè æstimanti.*] Hic *cæterùm* particula est adversativa, sumitur pro *attamen, verumtamen*.

7. *Ab ultimis orientis partibus omnium gentium contractis auxiliis.*] Voce illâ *partibus*, eodem sensu nimirum pro *regionibus*, Ciceronem usum esse Gronovius probat.

erat, habitus eſt honos, quòd ingentem victoriam facilem etiam feciſſent; & imperatori triumphus eſt decretus. Triumphavit [2] menſe intercalario pridie Calendas Martias. qui triumphus ſpectaculo oculorum major, quàm Africani fratris ejus fuit; recordatione rerum, & æſtimatione periculi certaminiſque, non magis comparandus, [2] quàm ſi imperatorem imperatori, aut Antiochum ducem Annibali conferres. Tulit in triumpho ſigna militaria ducenta triginta quatuor: oppidorum ſimulachra centum triginta quatuor: eburneos dentes mille ducentos viginti: aureas coronas ducentas viginti quatuor: [3] argenti pondo centum triginta ſeptem millia quadringenta viginti: [4] tetradrachmûm Atticorum ducenta viginti quatuor millia. [5] Ciſtophorûm trecenta triginta unum millia, & ſeptuaginta: [6] nummos aureos Philippeos centum quadraginta millia: [7] vaſorum argenteorum (omnia cælata erant) mille pondo, & quadringenta viginti quatuor: [8] aureorum mille pondo viginti quatuor: & duces regii, præfecti, & purpurati duo & triginta ante currum ducti. [9] Militibus [1] quiniviceni denarii dati: duplex centurioni: triplex equiti. & ſtipendium militare, & frumentum duplex. poſt triumphum datum. prœlio in Aſia facto duplex dederat. Triumphavit anno fere poſtequàm conſulatu abiit.

Urb. cond. an. 564. Coſſ. M. Fulvio Nob. & Cn. Manlio Vulſone.

LX. Eodem ferè tempore, & Cn. Manlius conſul in Aſiam, & Q. Fabius Labeo prætor ad claſſem venit. Cæterùm conſuli non decrat [1] cum Gallis belli materia. mare pacatum erat, devicto Antiocho. Cogitanti itaque Fabio, cui rei potiſſimum inſiſteret, ne otioſam provinciam habuiſſe videri

NOTÆ.

1. *Menſe intercalario.*] Nempe Februario: ſiquidem hic jam uſus apud Romanos unum diem intercalandi, non menſem integrum, ut primis temporibus.

2. *Quàm ſi imperatorem imperatori.*] Indicatur diſcrimen inter duos fratres, quorum Lucius Publio longè impar.

3. *Argenti pondo centum triginta ſeptem millia.*] Gall. *la valeur de quatre millions neuf cens trente deux mille livres en lingots d'argent.*

4. *Tetradrachmûm Atticorum ducenta viginti quatuor millia.*] Computatâ drachmâ pro denario, qui fermè octo aſſibus noſtris reſpondet, fient trecenta quinquaginta octo millia & quadringenta libræ.

5. *Ciſtophorûm trecenta triginta unum millia & ſeptuaginta.*] Sunt nimirum pecuniâ noſtrâ circiter ſeptuaginta millia cum ſexcentis octoginta libris.

6. *Nummos aureos Philippeos centum quadraginta quatuor millia.*] Si æſtimentur hi nummi tredecim libris cum dimidia, conficientur decies centena nongenta quadraginta quatuor millia librarum: *dix-neuf cens quarante mille livres.*

7. *Vaſorum argenteorum mille pondo, & quadringenta viginti quatuor.*] Nobis argentum illud efficeret ſummam 51300. librarum Francicarum præter manus pretium.

8. *Aureorum (vaſorum) mille pondo viginti quatuor.*] Auri hujus pretium argenteâ pecuniâ noſtrâ æſtimatum aſcenderet ad libras 573440.

9. *Militibus quiniviceni denarii dati.*] Gallicâ hodiernâ æſtimatione decem libræ.

1. *Cum Gallis.*] Aſiaticis.

Urb. cond. an. 564. Coss. M. Fulvio Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

posset: optimum visum est, 2 in Cretam insulam trajicere. 3 Cydoniatæ bellum 4 adversus Gortynios 5 Gnossiosque gerebant, & captivorum Romanorum atque Italici generis magnus numerus in servitute esse per totam insulam dicebatur. Classe ab Epheso profectus, quum primùm Cretæ litus attigit, nuncios circa civitates misit, ut armis absisterent, captivosque in suis quæque urbibus agrisque conquisitos reducerent; & legatos mitterent ad se, cum quibus de rebus ad Cretenses pariter Romanosque pertinentibus ageret. Nihil magnopere ea Cretenses moverunt, captivos, præter Gortynios, nulli reddiderunt. Valerius Antias ad quatuor millia captivorum, quia belli minas timuerunt, ex tota insula reddita scripsit: eamque causam Fabio quum rem nullam aliam gessisset, navalis triumphi impetrandi ab senatu fuisse. A Creta Ephesum Fabius rediit: inde tribus navibus in Thraciæ oram missis, ab Æno & Maronia præsidia Antiochi deduci jussit; ut in libertate eæ civitates essent.

NOTÆ.

2. *In Cretam.*] Insula è majoribus Mediterranei maris, centum urbibus aliquando frequentata, nunc *Candia* ab urbe principe.

3. *Cydoniatæ.*] *Cydon*, sive *Cydonia* urbs fuit Cretæ in ora boreali, hodie *Canea*.

4. *Adversus Gortynios.*] *Gortyna*, urbs Cretæ mediterraneæ, nomen retinet in pago *Gurtina* adhuc dicto: In meditullio ferè insulæ sub Ida monte, qui hodie *Sfaccia*.

5. *Gnossiosque.*] *Gnosos*, sive *Gnossus* urbs quondam Cretæ primaria, in vicum quoque abiit, qui vulgò *Ginosa*, non procul Gortyna. Ibi labyrinthus fuit Dædali opus.

FINIS LIBRI XXXVII.

TITI

TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM LIBER XXXVIII.

EPITOME EJUSDEM LIBRI.

MARCUS Fulvius conſul in Epiro Ambracienſes obſeſſos, per deditionem accepit: Cephaleniam ſubegit, Ætolis perdomitis pacem dedit. Cn. Manlius conſul collega ejus Gallogræcos, Toliſtobogios, Tectoſagos, & Trocmos, qui Brenno duce in Aſiam tranſierant, quum ſoli citra Taurum montem non parerent, vicit. Eorum origo, & quemadmodum ea loca quæ tenent, occupaverint, refertur. Exemplum quoque virtutis & pudicitiæ in fœmina traditur. nam quum Orgiagontis regis Gallogræcorum uxor captiva eſſet, centurionem cuſtodem, qui ei vim intulerat, occidit. Luſtrum à cenſoribus conditum eſt. cenſa ſunt civium capita ducenta quinquaginta octo millia, & trecenta viginti octo. Cum Ariarathe rege Cappadociæ amicitia juncta eſt. Cn. Manlius, contradicentibus decem legatis, ex quorum conſilio fœdus cum Antiocho conſcripſerat, de Gallogræcis, acta pro ſe cauſa in ſenatu triumphavit. Scipio Africanus, die ei dicta, ut quidam ajunt, à Q. Petillio tribuno plebis, ut quidam à Nævio, quod præda ex Antiocho capta ærarium fraudaſſet; poſteaquàm is dies venit, evocatus in Roſtra: Hac die, inquit, Quirites, Carthaginem vici: & proſequente populo Capitolium aſcendit. Inde ne amplius tribuniciis injuriis vexaretur, in voluntarium exilium Liternum conceſſit: incertum ibi an Romæ defunctus. nam ejus monumentum utrobique fuit. Scipio Aſiaticus frater Africani, eodem peculatus crimine accuſatus, damnatuſque, quum in vincula & carcerem duceretur; Tib. Sempronius Gracchus, tribunus plebis, qui anteà Scipionibus inimicus erat, interceſſit: & ob id beneficium Africani filiam duxit. Cum prætor quæſtores in bona ejus publicè poſſidenda miſiſſet; non modo in iis ullum veſtigium pecuniæ regiæ apparuit, ſed nequaquam tantum redactum, quantæ ſummæ erat damnatus. Collatam à cognatis & amicis innumerabilem pecuniam accipere noluit: quæ neceſſaria ei erant ad cultum, redempta.

I. DUM in Asia bellum geritur, hic in Ætolis quidem quietè res fuerant: principio à gente Athamanum orta. Athamania ea tempestate, pulso Amynandro, sub præfectis Philippi regio tenebatur præsidio: qui superbo atque immodico in regio desiderium Amynandri fecerant. Exulanti tum Amynandro in Ætolia literis suorum, indicantium statum Athamaniæ, spes recuperandi regni facta est: remissique ab eo nunciant principibus Ætoliæ, (id enim caput Athamaniæ erat) si popularium animos satis perspectos haberent, impetrato ab Ætolis auxilio in Athamaniam se venturum cum delectis Ætolorum, quod concilium esset gentis, & Nicandro prætore, quos ubi ad omnia paratos esse vidit, certiores subinde facit, quo die cum exercitu Athamaniam ingressurus esset. Quatuor primò fuere conjurati adversus Macedonum præsidium. Hi senos sibi adjutores ad rem gerendam assumpserunt: deinde paucitate partim freti, quæ celandæ rei quàm agendæ aptior erat, partem priori numerum adjecerunt. Ita duo & quinquaginta facti, quadrifariam se divisêre: pars una Heracleam; altera Tetraphyliam petit, ubi custodia regiæ pecuniæ esse solita erat; tertia Theudoriam; quarta Argithæam. Ita inter omnes convenit, ut primo quieti, velut ad privatam rem agendam venissent, in foro obverlarentur: die certa multitudinem omnem convocarent ad præsidia Macedonum arcibus expellenda. Ubi ea dies advenit, & Amynander cum mille Ætolis in finibus erat: ex composito quatuor simul locis præsidia Macedonum expulsa, literaque in alias urbes passim dimissæ, ut vindicarent sese ab imperanti dominatione Philippi, & restituerent in patrium ac legitimum regnum. Undique Macedones expelluntur. 3 Thejum oppidum, literis à Zenone præfecto præsidii interceptis, & arce ab regiis occupata, paucos dies obsidentibus restituit: deinde id quoque traditum Amynandro est, & omnis Athamania in potestate erat, præter Athenæum castellum, finibus Macedoniæ subjectum.

Urb. cond. an. 564. Coss. M. Fulv. Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

II. Philippus audita defectione Athamaniæ, cum sex millibus armatorum profectus, ingenti celeritate Gomphos pervenit. ibi relicta majore parte exercitus (neque enim ad tanta itinera sufficisse) cum duobus millibus 1 Athenæum, quod unum à præsidio suo retentum fuc-

NOTÆ.

1. *Argithæam.*] In meridionali Athamaniæ parte, quæ ad Ætoliam vergit, fuit *Argithea*, & reliquæ tres Athamanum urbes, quæ hoc capite numerantur, *Heraclea*, *Tetraphylia*, *Theudoria*.

2. *Pars una Heracleam.*] Sigon. putat hanc *Heracleam* esse Acarnaniæ, cujus meminit Strabo; & coloniam Lacedæmoniorum fuisse scribit. Verum, licet Acarnaniæ proxima fuerit Athamania, non tamen ejus pars fuisse videtur: unde facilè addúcor, ut Athamaniæm hanc *Heracleam* ab Acarnaniensi diversam existimem.

3. *Thejum.*] Alias *Teum* oppidum in boreali Athamaniæ regione Pindum versus fuit.

1. *Athenæum.*] Athamaniæ castellum

rat, pervenit. inde proximis tentatis, quum facilè animadvertisset cætera hostilia esse, Gomphos regressus, omnibus copiis simul in Athamaniam rediit. Zenonem inde cum mille peditibus præmissum [2] Ethopiam occupare jubet, opportune Argithea imminentem: quem ubi teneri à suis locum vidit, ipse circa templum Jovis Acrari posuit castra. ibi unum diem fœda tempestate retentus, postero die ducere ad Argitheam intendit. Euntibus extemplo apparuere Athamanes, in tumulos imminentes viæ discurrentes. ad quorum conspectum constitere prima signa, totoque agmine pavor & trepidatio erat: & prosè quisque, quidnam futurum esset, cogitare, si in valles subjectas rupibus agmen foret demissum. Hæc tumultuatio regem cupientem, si se sequerentur, raptim evadere angustias, revocare primos, & eadem qua venerat via referre coegit signa. Athamanes primo ex intervallo quieti sequebantur: posteaquàm Ætoli se conjunxerunt, hos, ut ab tergo agmini instarent, reliquerunt: ipsi à lateribus se circumfuderunt. quidam per notos calles breviore via prægressi, transitus insedere: tantumque tumultus Macedonibus est injectum, ut fugæ magis effusæ, quàm itineris ordinati modo, multis armis virisque relictis, flumen trajecerint. hic finis sequendi fuit. Inde turbò Macedones Gomphos, & à Gomphis in Macedoniam redierunt. Athamanes Ætolique Ethopiam ad Zenonem ac mille Macedonas opprimendos, undique concurrerunt. Macedones parum loco freti, ab Ethopia in altiorem deruptioremque undique tumulum concessere. quo pluribus locis aditu invento, expulere eos Athamanes: dispersosque & per invias atque ignotas rupes iter fugæ non expedientes partim, ceperunt, partim interfecerunt: multi pavore in derupta præcipitati; perpauci cum Zenone ad regem evaserunt. postero die per inducias sepeliendi cæsos potestas facta est. Urb. cond. an. 564. Coss. M. Fulv. Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

III. Amynander recuperato regno legatos Romam ad senatum, & ad Scipiones in Asiam, Ephesi post magnum cum Antiocho prœlium morantes, misit. Pacem petebat, excusabatque sese, quòd per Ætolos recuperasset paternum regnum. Philippum inculpabat. Ætoli ex Athamania in [1] Amphilochos profecti sunt, & majoris partis voluntate in jus ditionemque totam redegerunt gentem. Amphilochia recepta (nam fuerat quondam Ætolorum) eadem ipse [2] in Aperantiam transcenderunt: ea quoque magna ex parte sine certamine in ditionem venit. Dolopes nunquam Ætolorum fuerant: Philippi erant. hi primùm ad arma concurrerunt: cæterum posteaquàm Amphilochos cum Ætolis esse, fugam

NOTÆ.

In confinio Dryopum & Perrhœborum. Acarnanas, ad occasum Agræorum & Athamanum sitos. Aperantiorum nomen fortiti ab Antiphilo Athamaniæ erat inter paulocho Acarnanis fratre, Amphiarai Athenæum & Argitheam.

1. *In Amphilochos profecti sunt.* Populi Epiri orientalis Epiri inter Molossos & Ætoli regionis.

2. *In Aperantiam transcenderunt.* Epirotæ Aperantes Molossis ad or-

Urb. cond. an. 564. Coss. M. Fulv. Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

que ex Athamania Philippi, & eædem præsidii ejus accepere, & ipsi à Philippo ad Ætolos deficiunt. Quibus circumjectis gentibus, jam undique se à Macedonibus tutos credentibus esse Ætolis, fama affertur, Antiochum in Asia victum ab Romanis. nec ita multo post legati ab Roma rediere, sine spe pacis: Fulviumque consulem nunciantes jam cum exercitu trajecisse. His territi, priùs ab Rhodo & Athenis legationibus excitis, ut per auctoritatem civitatum earum suæ preces nuper repudiatæ faciliorem aditum ad senatum haberent; principes gentis ad tentandum ultimam spem Romam miserunt: nihil ne bellum haberent; 3 priusquàm penè in conspectu hostis erat, præmeditati. Jam M. Fulvius Apolloniam exercitu trajecto, cum Epirotarum principibus consultabat, unde bellum inciperet. Epirotis 4 Ambraciam placebat aggredi: quæ tum contribuerat se Ætolis. *sive ad tuendam eam venirent Ætoli, apertos circa campos ad dimicandum esse: sive detrectarent certamen, oppugnationem fore haud difficilem, nam & copiam in propinquo materiæ ad aggeres excitandos, & cætera opera esse: & 5 Acethontem navigabilem amnem opportunum ad comportanda quæ usui sint, præter ipsa mania fluere: & æstatem aptam rei gerendæ adesse.* his persuaserunt, ut per Epirum diceret.

IV. Consuli ad Ambraciam advenienti, magni operis oppugnatio visa est. Ambracia tumulo aspero subjecta, 1 Peranthon incolæ vocant. urbs, qua murus vergit in campos & flumen, occidentem, arx, quæ posita in tumulo est, orientem spectat. amnis Aretho ex Acarnania fluens cadit in sinum maris; ab nomine propinquæ urbis 2 Ambracium appellatum. præterquàm quòd hinc amnis munit, hinc tumuli, muro quoque firmo septa erat; patente in circuitu paulò ampliùs tria millia passuum. Fulvius bina à campo castra mo-

NOTÆ.

tum, Athamaniæ ad occasum, quam Achelois à fontibus mediam secat.

3. *Priusquàm penè in conspectu hostis erat.*] Cum ita scriptum sit in omnibus libris, frustra Sigon. quasi ex mente Livii legendum putat *nihil ne bellum haberent priùs* (*nam penè in conspectu hostis erat*) *præmeditati*. Satis enim patet absque mutatione mens auctoris: vult quippe Aetolos, qui omnino impares bello Romano erant, nullam adhibuisse curam ut bellum averterent: nec priùs de pace consilianda cogitasse, quam M. Fulvius consul in Epirum cum exercitu trajecisset, ac propè in conspectu esset.

4. *Ambraciam placebat aggredi.*] Epirii in Molossia urbs, quâ fluvius Arachtus in sinum influit, qui ab ea urbe Ambracius: Pyrrhi alias regia ex Plutarcho: hodie *Ambrachia*, non procul urbe quæ vulgò *Larta*.

5. *Et Acethontem.*] An, ut quibusdam videtur, idem sit *Arethon* cum *Arachto*, vulgò *Spagnamuriß*, non usquequaque certum. Sanè si ex Acarnania fluit, ut paulò post testatur Livius, longè diversus erat ab *Arachto*, cujus fontes sub Pindo monte in Macedoniæ occiduæ confinio.

1. *Peranthon incola vocant.*] Tumuli sive collis urbi Ambraciæ imminentis nomen.

2. *Ambracium appellatum.*] Sinus Ambracius ab Ambracia, in intimo ejus recessu sita, nomen accepit; cujus ostium inter Actium & Nicopolin urbes: nunc *Golfo di Larta* Italis, sive *Golfo della Prevesa*, à Nicopoli quæ nunc *Prevesa*.

dico inter se distantia intervallo, unum castellum loco edito contra arcem objecit. ea omnia vallo ac fossâ ita jungere parat, ne exitus inclusis ab urbe, neve aditus foris ad auxilia intromittenda esset. Ad famam oppugnationis Ambraciæ 3 Stratum jam edicto Nicandri prætoris convenerant Ætoli. Inde primò copiis omnibus ad prohibendam obsidionem venire in animo fuerat. deinde, posteaquam urbem jam magnâ ex parte operibus septam viderunt, Epirotarum trans flumen loco plano castra posita esse; dividere copias 4 placuit. cum mille expeditis Eupolemus Ambraciam profectus, per nondum commissa inter se munimenta urbem intravit. Nicandro cum cætera manu primo Epirotarum castra nocte aggredi consilium fuerat; haud facili ab Romanis auxilio, quia flumen intererat. deinde periculosum inceptum ratus, ne qua sentirent Romani, & regressus inde in totum non esset; deterritus ab consilio, ad depopulandam Acarnaniam iter convertit. Urb. cond. an. 564. Coss. M. Fulvio Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

V. Consul jam munimentis, quibus sepienda urbs erat, jam operibus, quæ admovere muris parabat, perfectis, quinque simul locis mœnia est aggressus. tria paribus intervallis faciliore aditu à campo 1 adversus Pyrrheum, quod vocant, admovit: unum è regione Æsculapii, unum adversus arcem. Arietibus muros quatiebat; 2 asseribus falcatis detergebat pinnas. Oppidanos primò, & ad speciem, & ad ictus mœnium cum terribili sonitu editos, pavor ac trepidatio cepit. deinde ut præter spem stare muros viderunt; collectis rursus animis, a in arietes tollenonibus libramenta plumbi aut saxorum, stipitesve robustos incutiebant, falces anchoris ferreis injectis, in interiorem partem muri trahentes asserem, perfringebant: ad hoc eruptionibus & nocturnis in custodias operum, & diurnis in stationes ultrò terrorem inferebant. In hoc statu res ad Ambraciam quum essent, jam Ætoli à populatione Acarnaniæ Stratum redierant. inde Nicander Prætor spem nactus, solvendæ incepto forti obsidionis, Nicodamum quemdam cum Ætolis quingentis Ambraciam intromittit. noctem certam, tempusque etiam noctis constituit, quo & illi ab urbe opera hostium, quæ adversus Pyrrheum erant, aggrederentur, & ipse ad castra Romana ter-

INTERPRETATIO.

a *Plumbi librati aut saxorum trabiumve pondere incusso degravatum arietem deorsum impellebant.*

NOTÆ.

3. *Stratum jam edicto.*] *Stratus* urbs Acarnaniæ ad dextram Acheloi, quo interfluente dividitur ab Ætolia; videtur eo tempore primæ in Epiro dignationis fuisse: *Strato* adhuc appellatur in Geographicis tabulis.

4. *Placuit.*] Supple Ætolis.

1. *Adversus Pyrrheum.*] Nomen loci inulti ad muros Ambraciæ.

2. *Asseribus falcatis.*] Gallicè, *il abattoit les crenaux & les défenses des murailles avec des poutres armées de faulx.*

Urb. cond. an. 564. Coſ. M. Fulvio Nob. & Cn. Manlio Vulſone.

rorem faceret, poſſe ratus, 3 ancipiti tumultu, noctis augente pavorem, memorabilem rem gori. Et Nicodamus interpeſtâ nocte, quum alias cuſtodias fefelliſſet, per alias impetu conſtanti erupiſſet, 4 ſuperato brachio in urbem penetrat: animique aliquantum ad omnia audenda & ſpei obſeſſis adjecit. b Ecſimul conſtructa nox venit, ex compoſito repente opera eſt aggreſſus. Id inceptum conatu, quàm effectu gravius fuit. quia nulla ab exteriore parte vis admota eſt: ſeu metu deterrito prætore Ætolorum, ſeu quia potiùs viſum eſt Amphilochis opem ferre nuper receptis: quos Perſeus Philippi filius miſſus ad Dolopiam Amphilochoſque recipiendos, ſummâ vi oppugnabat.

VI. Tribus locis, ſicut antè dictum eſt, ad Pyrrhæum opera Romana erant: quæ omnia ſimul, ſed nec apparatu, nec vi ſimili, Ætoli aggreſſi ſunt. alii cum ardentibus facibus, alii ſtuppam picemque: & malleolos ferentes, totâ colluentes flammis acie, advenere: multos primo impetu cuſtodes oppreſſerunt. deinde poſteaquàm clamor tumultuſque in caſtra eſt perlatus, datumque à conſule ſignum, arma capiunt, & omnibus portis ad opem ferendam effunduntur. Uno in loco ferro ignique geſta res eſt. à duobus irrito incœpto, quum tentaſſent magis quàm iniiſſent certamen, Ætoli abſceſſerunt. Atrox pugna in unum inclinaverat locum. ibi diverſis partibus duo duces Eupolemus & Nicodamus pugnantes hortabantur & propè certâ fovebant ſpe, jam Nicandrum ex compoſito affore, & tergà hoſtium invaſurum. Hæc res aliquandiu animos pugnantium ſuſtinuit. cæterùm poſteaquàm nullum ex compoſito ſignum à ſuis accipiebant, & creſcere numerum hoſtium cernebant; deſtituti ſegniùs inſtare: poſtremò remiſſâ, jam vix tuto recepta, fugientes in urbem compelluntur; parte operum incenſâ, & pluribus aliquanto, quàm ipſi ceciderant, interfectis. quòd ſi ex compoſito acta res fuiſſet, haud dubium erat expugnari una utique parte opera cum magna cæde hoſtium potuiſſe. Ambracienſes, quique intus erant Ætoli, non ab ejus ſolùm noctis incœpto receſſere, ſed in reliquum quoque tempus, velut proditi à ſuis, ſegniores ad peri-

INTERPRETATIO.

b *Et ſtatim atque advenit nox, de qua* [illegible] *erat, hic* Romanorum *munitiones ſubitò inter Nicandrum & Nicodamum conve-* [illegible] *aggreſſus eſt.*

NOTÆ.

3. *Ancipiti tumultu.*] Gallicè, *en les ceſpitibus cruddque extruxit brachia terrâ. attaquant de deux coſtez à meſme temps.*

4. *Superato brachio.*] *Brachii* nomine intelligitur pars valli, quæ ſinuatur in brachii ſeu cubiti modum. Ejus munitionis deſcriptionem habet Lucanus his verbis:

fonteſque & pabula campi,
amplexus ſoſſâ, denſa tollentia pinnas

1. *Et malleolos ferentes.*] *Malleolus* ruſticis eſt novus palmes innatus prioris anni flagello ſive ſarmento, ſic dictus, quòd in ea parte quâ deciditur ex veteri ſarmento, ita prominet, ut utrumque mallei præbeat ſpeciem, auctore Iſidoro. *Malleolorum* autem *militarium* duplex genus eſt: ſimplices alii & rudes,

culi erant. Jam nemo eruptionibus, ut antè, in stationes hostium, sed dispositi per muros & turres ex toto pugnabant. Ob. cond. an. 564. Coss. M. Pulv. Nob. & Cn. Manlio Vulson.

VII. Perseus ubi adesse Ærolos audivit; omissâ obsidione urbis, quam oppugnabat, depopulatus tantùm agros, Amphilochiâ excessit, atque in Macedoniam recessit. Et Ærolos inde avocavit populatio maritimæ oræ. Pleuratus Illyriorum rex cum sexaginta lembis Corinthium sinum invectus, adjunctis Achæorum, quæ Patris erant, navibus, maritima Ætoliæ vastabat. adversus quos mille Ætoli missi, quacumque se classis circumegerat per litorum amfractus brevioribus semitis occurrebant. Et Romani ad Ambraciam pluribus locis quatiendo urlecibus muros, [1] aliquantum urbis nudaverant. nec tamen penetrare in urbem poterant. Nam & pari celeritate novus pro diruto murus objiciebatur, & armati ruinis superstantes, instar munimenti erant. Itaque quum apertâ vi parum procederet consuli res, cuniculum occultum, [2] vineis antè contecto loco, agere instituit. & aliquandiu, quum dies noctesque in opere essent, non solùm sub terra fodientes, sed egerentes etiam humum, [3] fefellere hostem. [4] Cumulus repentè terræ eminens, index operis oppidanis fuit. pavidique ne jam subrutis imbris facta in urbem via esset; fossam intra murum è regione ejus operis, quod vineis contectum erat, ducere instituunt. cujus ubi ad tantam altitudinem, quantæ esse solum infimum cuniculi poterat, pervenerunt, silentio facto, pluribus locis aure admotâ, sonitum fodientium captabant. Quem ubi acceperant, aperitur rectam in cuniculum viam. nec fuit magni operis momento enim ad inane, [5] suspenso furculis ab hostibus muro, pervenerunt. ibi [a] omissis operibus, quum è fossâ in cuniculum patèret iter, primò ipsis ferramentis, quibus in opere usi erant; dein celeriter ar-

INTERPRETATIO.

a Cùm utrunque opus, hinc fossa Ambracienſium, inde cuniculus Romanorum inter ſe conjungi cœpiſſent.

NOTÆ.

qui à Nonio Marcello ſic deſcribuntur: *Manipuli Spartei pice contecti, qui incenſi aut in muros, aut in teſtudines jaciuntur.* Alterum genus Herodian. lib 8. faces tradit fuiſſe pariter pice & reſina oblitas, & in extremo ſagittæ mucronem habentes, quæ cùm acceſſæ deferrentur, inſixæ & inhærentes machinis, facilè eas comburebant.

1. *Aliquantum urbis nudaverant.*] Gallicè, *ils avoient fait une grande breſche en abattant une partie des murailles.*

2. *Vineis antè contecto loco.*] Gallicè, *il reſolut de faire une mine après avoir dreſſé une galerie ou traverſe pour couvrir l'en droit où il vouloit faire travailler.*

3. *Fefellere hoſtem.*] Gallicè, *les Romains ne furent point découverts ny en travaillant à la mine; ny meſme en viuidant la terre, juſqu'à ce qu'enfin les aſſiegez s'en apperceurent, voyant tout à coup un grand monceau de terre formé des vuidanges de la mine.*

4. *Cumulus repentè terræ.*] Sigonius ex veteri libro legit; *Tumulus repentè terra eminens.*

5. *Suſpenſo furculis.*] Gelenio placebat: *ſuſpenſo ſulturis ab hoſtibus muro:* ſed in copicibus penè omnibus ſcriptum eſt *furculis*; quod firmat Giron. ex l. 1. c. 35.

Urb. cond. an. 564. Coss. M. Fulv. Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

mati etiam subeuntes, occultam sub terra ediderunt pugnam. Segnior deinde ea facta est, [b] intersepientibus cuniculum, ubi vellent, nunc ciliciis prætentis, nunc foribus raptim objectis. Nova etiam haud magni operis adversus eos qui in cuniculo erant, excogitata res est. dolium à fundo pertusum, quâ fistula modica inseri posset, & fistulam ferream operculumque dolii ferreum, & ipsum pluribus locis perforatum fecerunt. hoc tenui pluma complerunt dolium: ore in cuniculum verso posuerunt. Per operculi foramina, prælongæ hastæ, quas sarissas vocant, ad sum movendos hostes eminebant. scintillam levem ignis inditam plumæ, folle fabrili ad caput fistulæ imposito, flando accenderunt. inde non solùm magna vis fumi, sed acrior etiam fœdo quodam nidore ex adustâ pluma quum totum cuniculum compleret, vix durare quisquam intus poterat.

VIII. Quum in hoc statu res ad Ambraciam esset; legati ab Ætolis Phineas & Damoteles, cum liberis mandatis, decreto gentis, ad consulem venerunt. nam prætor eorum quum alia parte Ambraciam oppugnari cerneret, alia infestam oram navibus hostium esse, alia Amphilochos Dolopiamque à Macedonibus vastari; nec Ætolos simul ad tria diversa bella occurrantes sufficere: convocato concilio, [1] Ætolos principes, quid agendum esset, consuluit. Omnium eò sententiæ decurrerunt, *Ut pax, si posset, æquis; si minùs, tolerandis conditionibus peteretur.* [2] *Antiochi fiduciâ bellum susceptum, Antiocho terrâ marique superato, & propè extra orbem terræ ultra juga Tauri exacto, quam spem esse sustinendi belli? Phaneas & Damoteles, quod è re Ætolorum, ut in tali casu, fideque sua esse censerent, agerent. Quod enim sibi consilium, aut cujus rei electionem à fortuna relictam?* Cum his mandatis legati missi, *orare consulem, ut parceret urbi, miseretur gentis quondam sociæ; nolle dicere injuriis, miseriis certè coactæ insanire.* 3 *Non plus mali meritos Ætolos Antiochi bello, quàm boni antè, quum adversus Philippum bellatum sit, fecisse. nec tum largè gratiam relatam sibi, nec nunc*

INTERPRETATIO.

[b] *Cùm cuniculum intercluderent obsessi, atque à fossa per ipsos ducta sejungerent, tam obtendendo velamenta pilis caprarum contexta, tum januas properanter appendendo.*

[2] *Cùm non aliter bellum susceptum esset ab Ætolis, quàm ob spem in Antiochi auxiliis & potentia positam.*

NOTÆ.

1. *Ætolos principes.*] Displicet Gronovio illud *Ætolos*: & verò inutilis è proximo ejus vocis repetitio, cùm non alios eâ de re consulere potuerit Ætolorum Prætor quam gentis suæ principes.

2. *Fideque sua esse censerent.*] Repetetur superiori commate *quod è re Ætolorum, & ex fide sua.*

3. *Non plus mali.*] Aetolos ajebant legati & benè & malè de Romanis meritos esse diversis temporibus: & siquidem aliquantum mali nuper fecissent, cum sociis essent Antiochi bellum gerentis adversus Romanos: non minùs benè se antea gessisse, quo tempore sociis fuerant Romanorum adversus Philippum: unde cùm Romani ob egregiè navatam in Philippum operam non nimium Aeto-

lum o-

immodice pœnam injungi debere. Ad ea consul respondit: *Magis sæpè quàm verè unquam, Ætolos pacem petere. imitaverintur Antiochum in petenda pace, quem in bellum traxissent. Non paucis urbibus eum, de quarum libertate certatum sit,* 4 *sed omni Asia cis Taurum montem, opimo regno excessisse. Ætolos nisi inermes, de pace agentes non auditurum se. arma illis priùs, equosque omnes tradendos esse, deinde* 5 *mille talentûm argenti populo Romano dandum: cujus summæ dimidium præsens numeraretur, si pacem habere vellent. Ad ea adjecturum etiam in fœdus esse, ut eosdem, quos populus Romanus, amicos atque hostes habeant.* Urb. cond. an. 563. Coss. M. Fulvio Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

IX. Adversus quæ legati, & quia gravia erant, & quia suorum [1] animos indomitos ac mutabiles noverant; nullo reddito responso, domum regressi sunt, ut etiam atque etiam, quid agendum esset, re integrâ prætorem & principes consulerent. Clamore & jurgio excepti, quòd rem traherent, qualemcumque pacem referre jussi, quum redirent Ambraciam, Acarnanum insidiis prope viam positis, quibuscum bellum erat, circumventi [2] Tyrrheum custodiendi deducuntur. Hæc mora injecta est paci. Quum jam Athenienſium Rhodiorumq; legati, qui ad deprecandum pro his venerant, apud consulem essent, Amynander quoque Athamanum rex fide acceptâ venerat in castra Romana; magis pro Ambracia, ubi majorem partem temporis exulaverat, quàm pro Ætolis solicitus. per hos certior factus consul de casu legatorum, adduci eos à Tyrrheo jussit, quorum post adventum agi cœptum est de pace. Amynander, quod sui maximè operis erat, impigrè agebat, ut Ambracienses compelleret ad deditionem. id quum per colloquia principum succedens muris parùm proficeret, postremò consulis permissu ingressus urbem, partim consilio, partim precibus evicit, ut permitterent se Romanis. Et Ætolos C. Valerius Lævini filius, qui cum eâ gente primùm amicitiam pepigerat, consulis frater, matre genitus eâdem, egregiè adjuvit. Ambracienses priùs pacti, ut Ætolorum auxiliares sine fraude emitterent, aperuerunt portas. 3 dein *ut quinquenta Euboica darent talen-*

NOTÆ.

lis gratificati essent, æquum non esse ut eosdem Romani ob consociata cum Antiocho arma nimiùm sævirent.

4. *Omni Asia cis Taurum.*] De conditionibus datæ Antiocho pacis dictum lib. superiori cap. 45. dicetur, & cap. 38. hujus libri.

5. *Mille talentûm argenti.*] An potiùs *mille talenta?* Nostrâ pecuniâ essent vicies centena & quadraginta millia librarum Francicarum: *deux millions quatre cens mille livres.*

1. *Animos indomitos ac mutabiles.*] Ita scripti omnes libri, longè meliùs quàm editi, in quibus ex nescio cujus correctione *indomitos & immutabiles*, contra quam sententia exigit.

2. *Tyrrheum custodiendi deducuntur.*] *Tyrrheum* sive *Thyrrium*. oppidum erat Acarnaniæ mediterraneum, æquali viti spatio dissitum ab Achelois ripis, & Jonii maris litoribus.

3. *Dein ut quinquenta Euboica darent talenta.*] Hæc & sequentia pertinent ad conditiones pacis Ætolis dictas à Consule. Porrò *Euboica* hæc *talenta* Atticis minora fuisse, ita ut singulis decederent tres unciæ cum triente ait ex Herodoto

Urb. cond. an 564. Coss. M. Fulvio Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

ta: ex quibus ducenta præsentia, trecenta per annos sex pensionibus æquis: captivos perfugasque redderent Romanis, & urbem ne quam formulæ sui juris facerent, quæ post id tempus, quo T. Quintius trajecisset in Græciam, aut vi capta ab Romanis esset, aut voluntate in amicitiam venisset. Cephallenia insula ut extra jus fœderis esset. Hæc quanquam spe ipsorum aliquantò leviora erant; perentibus Ætolis, ut ad concilium referrent, permissum est. Parva disceptatio de urbibus tenuit. quæ quum sui juris aliquando fuissent, avelli velut à corpore suo ægrè patiebantur. ad unum tamen omnes accipi pacem jusserunt. Ambraciensesque coronam auream consuli [1] centum & quinquaginta pondo dederunt: signa ænea marmoreaque, & tabulæ pictæ, quibus ornatior Ambracia (quia regia ibi Pyrrhi fuerat) quàm cæteræ regionis ejus urbes erant, sublata omnia, avectaque. nihil præterea tactum, violatumve.

X. Profectus ab Ambracia consul in mediterranea Ætoliæ, [1] ad Argos Amphilochicum (viginti duo millia ab Ambracia abest) castra posuit. eò tandem legati Ætoli mirante consule [2] quod morarentur, venerunt. Inde, postea quam approbasse pacem concilium Ætolorum accepit, jussis proficisci Romam ad senatum, permissoque, ut Athenienses & Rhodii deprecatores irent, datâ qui simul cum iis proficiscerentur, C. Valerio fratre, ipse in Cephalleniam trajecit. Præoccupatas aures animosque principum

NOTÆ.

Budæus, ut lib. 37. cap. 46. est annotatum. Talentum igitur Euboicum hoc posito quinque millium sexcentarum & septem circiter drachmarum, redderet nostræ pecuniæ libras fermè 2266. cum assibus 16. sic quingenta ejusmodi talenta efficerent nobis decies centenà trecenta triginta tria millia cum nongentis libris, 1333900. Feitus tamen (quem in cistophorûm pretio sequuti antea sumus) *Euboicum talentum* quatuor duntaxat drachmarum Atticarum millibus æstimat, id est, libris Francicis 1700.

4. *Urbem ne quam formulæ.*] Marcellus Donat. *formulæ* nomine intelligit actionem, quæ à Jurisconsultis definitur, jus persequendi in judicio quod sibi debetur: sed hæ actiones inter privatos ejusdem ditionis locum habent, magis quàm inter diversos populos. Turneb. *formulam* dici ait non propriè quidem actionem, sive certam verborum conceptionem, quâ quid in jure petitur: sed inde traduci *formulæ* nomen ad conventa quibus civitatum jurisdictio ac ditio lege fœderum comprehenditur. Ego autem jam antè monui *formulam* usurpari pro dispositione seu ordinatione provinciarum, quâ cujusque fines designantur: quod ex Plinio imprimis confirmari potest lib. 3. cap. 4. ubi de Narbonensi provincia loquens, ait: *adjecit formulæ Galbæ imperator ex Inalpinis Avanticos atque Ebrodantios*: & passim apud Justinianum *formulæ* sive typi, τύποι, hoc sensu accipiuntur, ut forma Jurisdictionis, forma provinciæ, forma censualis, forma agrorum. Nos Gallicè dicimus, *les gouvernemens, les ressorts, les départemens.*

5. *Centum quinquaginta pondo.*] Solùm auri hujus pondus æstimaretur nunc octuagies & quadringentis librarum millibus.

1. *Ad Argos Amphilochicum.*] *Argos Amphilochicum*, diversum à Peloponnesiaco, Epiri urbs, Amphilochiæ regionis caput, inter Achelohm ad ortum, & Ambracium sinum ad occasum, nunc in tabulis Epiri *Anfilocha*: occupata fuerat hæc regio ab Ætolis.

2. *Quod morarentur.*] Placebat Gro-

Romæ 3 crimipibus Philippi invenerunt: qui per legatos, per literas, Dolopas, Amphilochosque & Athamaniam erepetas sibi querens, præsidiaque sua, postremò etiam filium Persea ex Amphilochis pulsum, averterat senatum ab audiendis precibus eorum. Rhodii tamen & Athenienses cum silentio auditi sunt. Athenensis legatus 4 Leon, Iceseæ filius, eloquentia etiam dicitur movisse: qui vulgatâ similitudine, *mari tranquillo, quod ventis concitarctur, æquiparando multitudinem Ætolorum*, usus, *quamdiu in fide Romanæ societatis mansissent, insita gentis tranquillitate quiesse eos ajebat: postcaquam flare ab Asia 5 Thoas & Dicæarchus, ab Europa Menetas & Damocritus cæpissent; tum illam tempestatem coortam, quæ ad Antiochum eos, sicuti in scopulum, intulisset.*

Urb. cond. an. 564. Coss. M. Fulvio Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

XI. Diu jactati Ætoli, tandem ut conditiones pacis convenirent, effecerunt. Fuerunt autem hæ: *Imperium majestatemque populi Romani gens Ætolorum conservato sine dolo malo. Ne quem exercitum, qui adversus socios amicosque eorum ducetur, per fines suos transire sinito: neve ullâ ope juvato. Hostes eosdem habeto, quos populus Romanus; armaque in eos ferto, bellum pariter gerito: perfugas, fugitivos captivosque reddito Romanis sociisque; præterquàm si qui capti, quum domos redissent, iterum capti sunt: aut si qui eo tempore ex iis capti sunt, qui tum hostes erant Romanis, quum inter præsidia Romana Ætoli essent. Aliorum qui comparebunt, intra dies centum Corcyræorum magistratibus sine dolo malo tradantur. qui non comparebunt, quando quisque eorum primùm inventus fuerit, reddatur. obsides quadraginta arbitratu consulis Romani dato: ne minores duodecim annorum, neu majores quadraginta. Obses ne esto prætor, præfectus equitum, scriba publicus: neu quis, qui antè obses fuerit apud Romanos. Cephallenia extra pacis leges esto.* De pecuniæ summa, quam penderent, pensionibusque ejus, nihil ex eo quod cum consule convenerat, mutatum. Pro argento si aurum dare mallent, darent, convenit; 2 dum pro argenteis decem

NOTÆ.

novii conjectura scripsisse Livium putantis: *mirante consule quid morarentur*.

3. *Criminibus Philippi.*] *Crimina* dicit pro criminationibus, seu accusationibus Philippi adversus Ætolos.

4. *Leon Iceseæ filius.*] Hic Atheniensium legatus *Damis* à Polybio legat. 28. dicitur, ut notat amicus noster, dum viveret Henricus Valesius.

5. *Thoas & Dicæarchus.*] De *Thoante* sæpiùs dictum lib. 35. capitibus scilicet 12. 32. 42. 45. *De Dicæarcho* ejus fratre, eòdem lib. 35. c. 12. & lib. 36. cap. 18. de *Menete* Epirota Naupacti præfecto lib. 36. cap. 28. de *Damocrito* Prætore Ætolorum lib. 31. cap. 32. lib. 35. cap. 12. 25. & 33. tandem. lib. 37. cap. 36.

1. *Majestatemque populi Romani gens Ætolorum.*] Formula est fœderum inter inæquales, ut Cic. scribit in Orat. pro Cornel. Balbo: *adjunctum illud etiam est, quod non est in omnibus fœderibus, majestatem populi Romani comiter conservent. Id habet hanc vim, ut sit ille in fœdere inferior. Nam cum alterius populi majestas conservari jubetur, de altero jubetur: certè ille populus in superiori conditione causaque ponitur, cujus majestas fœderis sanctione defenditur.*

2. *Dum pro argenteis decem aureus unus valeret.*] Apud veteres decupla fuit plerumque argenti ad aurum proportio: noli tamen aureum Romanum, (qui (si Plinio fides) vix ante annos septem

Urb. cond. an. 564. Coss. M. Fulvio Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

aureus unus valeret. *Quæ urbes, qui agri, qui homines Ætolorum juris aliquando fuerunt; qui eorum L. Quintio, Cn. Domitio consulibus, postve eos consules armis subacti, aut voluntate in ditionem populi Romani venerunt; ne quem eorum Ætoli recepisse velint. Oceniadæ cum urbe agrisque Acarnanum sunto.* His legibus fœdus ictum cum Ætolis est.

5

XII. Eadem non astare solùm, sed etiam iisdem propè diebus, quibus hæc à M. Fulvio consule in Ætolia gesta sunt; consul alter Cn. Manlius 1 in Gallogræcia bellum gessit, quod nunc ordiri pergam. Vere primo 2 Ephesum consul venit, acceptisque copiis à L. Scipione, & exercitu lustrato, concionem apud milites habuit. quâ, *collaudatâ virtute eorum, quod cum Antiocho uno prælio debellassent; adhortatus eos ad novum cum Gallis suscipiendum bellum, qui & auxiliis Antiochum juvissent: & adeo indomita haberent ingenia, ut nequicquam Antiochus cenotus ultra juga Tauri montis esset, nisi frangerentur opes Gallorum*: de se quoque pauca, nec falsa, nec immodica, adjecit. Læti cum frequenti assensu consulem audiverunt: partem virium Antiochi fuisse Gallos credentes: rege superato, nullum momentum in solis per se Gallorum copiis fore. Eumenem haud tempore abesse (Romæ tunc erat) credere consul, gnarum locorum hominumque, & cujus interesset frangi Gallorum opes. 3 Attalum igitur fratrem ejus arcessit à Pergamo, hortatusque ad capessendum secum bellum, pollicentem suam suorumque operam, 4 domum ad comparandum dimittit. Paucos post dies profecto ab Epheso consule ad Magnesiam occurrit Atta-

10

15

20

NOTÆ.

cudi cœperat) cum decem drachmis comparare: nam ex maximè probabilibus Villalpandi, & aliorum rationibus, pondus duarum drachmarum ac trimidiæ hoc tempore aureus æquabat: & prout aurum desiccatum nunc apud nos æstimatur libras Francicas quatuordecim superaret. Accipiendus itaque hic locus de Græca pecunia, ut nempe auri talentum pro decem talentis argenti æstimaret.

1 *In Gallo-græcia bellum.*] Gallo-græci sive Galatæ e Gallia nostra per Græciam Thraciamque victoriis in Asiam minorem delati, sedes in Phrygiæ finibus fixerant, ac de suo nomine provinciam appellaverant *Galatiam* sive *Gallo-græciam*, quod inter Græcos aut in regionibus ubi Græci sermonis usus, agerent. Hodie Turcis tractus ille dicitur *Gelas* corrupto Galatiæ nomine.

2 *Ephesum consul venit.*] Joniæ caput *Ephesus*, creditur ab Amazonibus condita. Ea urbs Dianæ templo celebrata, quod enim è septem orbis miraculis habitum est, Adhuc *Efeso* circa ostia Caystri, 40. fermè milliaribus à Smyrna, meridiem versus, portum habet non incommodum cum arce: diversa à *Figena* oppido, quo nomine eam à Turcis dominantibus vocari vult Sophianus.

3 *Attalum igitur fratrem ejus.*] Attali primi Pergamenorum regis filius natu minor, hic Attalus Philadelphi cognomen meruit: Eumeni enim fratri posteà successit, cujus filium Attalum III. ab illo postpositum ut degenerem, ipse nihilominus hæredem posteà fuit itait, ejusdem insidiis de medio sublatus.

4 *Domum ad comparandum.*] Vulgatæ editiones *ad comparandum copias*: sed has *copias* ignorant membranæ: & Livius aliàs quo que dicit *tempus ad comparandum habere*: & Cornel. Nepos *tempora ad comparandum data*: Cicero ipse pro Plancio eâdem loquendi formâ utitur: *ut nec si cogitasset quidem quispiam, daretur spatium comparandi*, nullo nomine addito quo res comparanda significetur. Subin-

Urb. cond. an. 564. Coss. M. Fulv. Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

tas cum mille peditibus, equitibus ducentis: Athenæo fratre jusso cum cæteris copiis subsequi: commendata iis custodia Pergami, quos fratri regnoque fidos credebat. Consul collaudato juvene, cum omnibus copiis ad Mæandrum progressus, castra posuit, quia vado superari amnis non poterat; & contrahendæ naves erant ad exercitum trajiciendum. Transgressi Mæandrum, 5 ad Hieran Comen pervenerunt.

XIII. Fanum ibi augustum Apollinis & oraculum: a sortes vocibus haud inconditis dare vates dicuntur. Hinc alteris castris ad Harpasum flumen ventum est: quo legati 2 ab Alabandis venerunt, ut castellum quod ab ipsis nuper desciisset, aut auctoritate aut armis cogeret jura antiqua pati. Eodem & Athenæus Eumenis & Attali frater cum Cretensi Leuso, & Corrago Macedone venit. mille pedites mixtarum gentium, & trecentos equites secum adduxerunt. Consul tribuno militum misso cum modica manu, castellum vi receptum Alabandensibus reddit. ipse nihil via digressus, 3 ad Antiochiam 4 super Mæandrum amnem posuit castra. Hujus amnis fontes 5 Celænis oriuntur. Celænæ urbs, caput quondam Phrygiæ fuit. migratum inde haud procul veteribus Celænis: novæque urbi Apameæ nomen indicum; ab Apamea sorore Seleuci regis. Et Marsyas

INTERPRETATIO.

a *Ferunt Sacerdotes ejus loci responsa dûmeo qua jactæ sortes videntur significare carminibus non inconcinnis secundo*.

NOTÆ.

telligi potest, vel *ad se*, vel ad *necessaria*, aut *ad alias res comparandum*.

5. *Ad Hieram Comen*.] Pagus est Cariæ; nomen significat sacrum vicum, seu castellum.

1. *Ad Harpasum flumen*.] Ad eum sita fuit *Harpasa* urbs Cariæ: juxta quam cautes stabat horrenda, uno digito mobilis, eadem si toto corpore impellatur, resistens, auctore Plinio lib. 2. capit. 96.

2. *Ab Alabandis*.] *Alabanda* urbs etiam Cariæ fuit in Asia minori, haud procul Magnesia ad Mæandrum: hodie Turcis *Eblebanda*, teste Leunclavio.

3. *Ad Antiochiam super Mæandrum*.] Inter tot Asiæ urbes, quibus Seleucus Nicator Syriæ rex in Antiochi patris memoriam nomen imposuit: Hæc in Caria fuit, sita ad Mæandrum fluvium, infra Laodiceam & supra Mastaura, Turcis vulgò *Tachiali*, ex Miræo.

4. *Super Mæandrum*.] Sinuosum hunc Phrygiæ, Cariæ, & Joniæ fluvium Strabo refert, cum prorutis agrorum limitibus fines mutare solitus esset, in jus à confinibus vocatum, mulctamque ab eo exigi, quæ sumeretur ex portoriis seu vectigalibus portoriorum. Ab eo non modò *zyri* quilibet, sed etiam figuratè vafra & obliqua consilia velut proverbio *Mæandri* appellantur: hodie dicitur *Madre*.

5. *Celænis oriuntur*.] Solino hæc in parte convenit cum Livio: ille etenim cap. 43. *ex arce*, inquit, *Celænarum Mæander amnis caput tollit*. *Celænæ* autem urbs fuit magnæ Phrygiæ primaria: eam obscuravit *Apamea Cibotus*: *Celænarum* quippe cives transtulit Antiochus Soter in hanc urbem, cui à matre *Apamea* nomen, filia Artabazi, quæ nuptum data fuerat Seleuco Nicatori, teste Strabone. Supra eik palus ex qua Mæandrum & Marsyam scaturire ajunt, quem ad locum referunt Apollinis & Marsyæ certamen: hodie *Apamia* à Turcis appellatur.

Urb. cond. an. 564. Coss. M. Fulv. Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

amnis haud procul à Mæandri fontibus oriens, in Mæandrum cadit. Famaque ita tenet, Celænis Marsyam cum Apolline tibiarum cantu certasse. Mæander ex arce summa Celænarum ortus, media urbe decurrens, per Caras primùm, deinde Jonas, in sinum maris editur, qui inter Prienem & Miletum est. Ad Antiochiam in castra consulis Seleucus Antiochi filius ex fœdere icto cum Scipione ad frumentum exercitui dandum venit. Parva disceptatio de Attali auxiliaribus orta est: quod Romano tantùm militi pactum Antiochum, ut daretur frumentum Seleucus dicebat. Discussa ea quoque est constantia consulis, qui dimisso tribuno edixit, ne Romani milites acciperent, priusquam Attali auxilia accepissent. Inde [6] ad Gordiutichos, quod vocant, processum est. ex eo loco [7] ad Tabas tertiis castris perventum. in finibus Pisidarum posita est urbs, in ea parte quæ vergit ad Pamphylium mare. Integris viribus regionis ejus, feroces ad bellandum habebat viros. Tum quoque equites, in agmen Romanum eruptione facta, haud modicè primo impetu turbavere: deinde ut apparuit, nec numero se nec virtute pares esse, in urbem compulsi, veniam erroris petebant; dedere urbem parati. [8] quinque & viginti talenta argenti, [9] & decem millia medimnûm tritici imperata. ita in deditionem accepti.

XIV. Tertio inde die ad [1] Chaum amnem perventum: inde profecti, Erizam urbem primo impetu ceperunt. Ad Thabusion castellum immiens flumini Indo ventum est. cui fecerat nomen Indus, ab elephante dejectus. [2] Haud procul à Cibyra aberant: nec legatio ulla [3] à Moagete, tyranno civitatis ejus, homine ad omnia infido atque importuno, veniebat. Ad tentandum ejus animum C. Helvium cum quatuor millibus peditum & quingentis equitibus consul præmittit. huic agmini fines ingredienti legati occurrerunt; nunciantes, paratum esse tyrannum imperata facere. orabant, ut pacatus fines iniret, cohiberetque à populatione agri militem. & [4] in coronam auream quindecim talenta afferebant. Helvius

NOTÆ.

6. *Ad Gordiutichos.*] Urbs fuit Phrygiæ condita à Gordio filio Midæ, ut Steph. est auctor, & nomen ipsum *Gordii murum* significat.

7. *Ad Tabas.*] Hæ *Tabæ* in Phrygiæ combustæ, Pisidiæ & Galatiæ confinio. Stephanus *Tabas* dictas scribit à petris, in quibus constructæ sunt. Cæterum *Tabas* Lydiæ adscribit, aitque hanc urbem à Marsya conditam, ut & Cibyram ab ejus fratre.

8. *Quinque & viginti talenta argenti.*] Gallicè, *soixante mille livres.*

9. *Decem millia medimnum.*] Gallicè, *dix mille mines de blé mesure de Paris.*

1. *Chaum amnem.*] Hic *Chaus*, & hic *Indus* nullius nominis amnes sunt, Geographis ignoti: nec majoris famæ *Eriza* urbs & *Thabusion* castellum. Id solùm hinc patet ea loca in confinio fuisse Phrygiæ magnæ, Pisidiæ & Galatiæ.

2. *Haud procul à Cibyra.*] Fuit hæc urbs in Phrygiæ parte meridionali, quam combustam dixere, ad Lyciæ confinia. *Burus* hodie, Leunclavio teste: aliàs est à *Cibyra* maritima quæ in confinio Pamphyliæ & Ciliciæ.

3. *à Moagete tyranno.*] Cibyram testatur Strabo semper, ante hæc tempora, tyrannis paruisse, quorum ultimus fuit hic Moagetes.

4 *In coronam auream.*] Melius ex

integros à populatione agros ſervaturum pollicitus, ire ad conſulem legatos juſſit, quibus eadem referentibus, conſul: *Neque Romani*, inquit, *bonæ voluntatis ullum ſignum erga nos tyranni habemus: & ipſum talem eſſe inter omnes conſtat; ut de pœna ejus magis quàm de amicitia nobis cogitandum ſit.* Perturbati hac voce legati, nihil aliud petere, quam ut coronam acciperet: veniendique ad eum poteſtatem tyranno, & copiam loquendi ac purgandi ſe faceret. Permiſſu conſulis poſtero die in caſtra tyranni venit; veſtitus comitatuſque vix ad privati modicè locupletis habitum, & oratio fuit ſummiſſa & infracta; extenuantis opes ſuas, urbiumque ſuæ ditionis egeſtatem querentis. Erant autem ſub eo, præter Cibyram, Syleum, & quæ Alimne appellatur. ex his, ut ſe ſuoſque ſpoliaret, quinque & viginti talenta ſe confecturum, prope ut diffidens pollicebatur. *Enimvero*, inquit conſul, *ferri jam ludificatio non poteſt. Parum eſt, non erubuiſſe abſentem, cùm per legatos fruſtrareris nos, niſi præſens quoque in eadem impudentia perſiſtas. Quinque & viginti talenta tyrannidem tuam exhaurient? Quingenta ergo talenta niſi triduo numeras; populationem in agris, obſidionem in urbe ſpecta.* Hac denunciatione concerritus; perſtare tamen in pertinaci ſimulatione inopiæ. & paulatim illiberali adjectione, nunc per cavillationem, nunc precibus & ſimulatis lachrymis, ad 7 centum talenta eſt perductus. adjecta decem millia medimnûm frumenti. Hæc omnia intra ſex dies acta.

Urb. cond. an. 564. Coſſ. M. Ful. Nob. & Cn. Manlio Vulſone.

XV. A Cibyra 1 per agros Sindenſium exercitus ductus, tranſgreſſuſque 2 Caularem amnem, poſuit caſtra. Poſtero die eſt 3 præter Caralitin paludem agmen ductum. 4 ad Mandropolin manſerunt. inde progredientibus 5 ad Lagon proximam urbem, metu incolæ fugerunt.

NOTÆ.

Thuanæo codice Jac. Gron. *in corona aurea:* nam corona aurea quindecim talentorum oblata eſt conſuli jam facta non quindecim talenta ad eam conficiendam. ut conſtat ex Polybio legationum excerpto 30.

5. *Syleum.*] Phrygiæ quoque oppidum eſt *Sylæum*, ad amnem Orgam, quæ ab Apamea Peteniſſum Galatiæ itur.

6. *Et quæ Alimne appellatur.*] Loci nomen in Phrygia magna.

7. *Centum talenta.*] Noſtra pecunia fierent librarum Francicarum ducenta & quadraginta millia.

1. *Per agros Sindenſium.*] Piſidiæ urbs mediterranea erat *Sinda*, quæ & *Amblada*: neque à Cibyra admodum diſtans, auctore Strabone. Itaque rectè, ut puto, Sigon. correxit, cùm anteà *Sidenſium* legeretur, quaſi à *Sida*, quæ urbs Pamphyliæ maritima, longiùs paulò à Vulſonis itinere.

2. *Caularem amnem.*] *Cataraction* fluvium legimus in Piſidia è Tauro monte, qui per urbem ejus provinciæ Pergen in Pamphyliam ſinumque Attalicum labitur. *Caularem* non facilè extra Livium inveneris.

3. *Præter Caralitin paludem.*] Hujus paludis meminit Strabo, qui non longè ab Iconio ponit, quod eſt Lycaoniæ caput.

4. *Ad Mandropolin.*] Urbem hoc nomine in Phrygia magna Steph. agnoſcit, ideoque Sigon. hîc *ad Mandropolin* legendum ſuſpicatur, etſi apud Livium legatur *ad Mandropum*, ſeu *Mandrapyum*, cujus ignotus eſt ſitus.

5. *Ad Lagon.*] Incognitus quoque hic locus.

Urb. cond. an. 564. Coss. M. Fulv. Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

Vacuum hominibus, & refertum rerum omnium copia oppidum diripuerunt. inde [6] ab Lysis fluminis fonte, postero die [7] ad Cobulatum amnem progressi. [8] Temessenses eo tempore [8] Isiondensium arcem urbe capta oppugnabant: inclusi quum alia spes auxilii nulla esset; legatos ad consulem orantes opem miserunt. cum conjugibus ac liberis in arce inclusos se mortem in dies aut ferro aut fame patiendam expectare. Volenti consuli causa in Pamphyliam divertendi, oblata est. adveniens obsidione Isiondenses exemit. [9] Termesso pacem dedit, [10] quinquaginta talentis argenti acceptis. item Aspendiis, cæterisque Pamphyliæ populis. Ex Pamphylia rediens [11] ad flumen Taurum primo die, postero [12] ad Xylinen (quam vocant) Comen posuit castra. Profectus inde contenentibus itineribus, [13] ad Cormasam urbem pervenit. [14] Darsa proxima urbs erat. eam metu incolarum desertam, plenam omnium rerum copia invenit. Progredienti præter paludes, legati ab [15] Lysinoe dedentes civitatem venerunt. Inde [16] in agrum Sagalassenum, uberem fertilemque omni genere frugum; ventum est. Colunt Pisidæ, longè optimi bello regionis ejus. quum ea res animos facit, tum agri fœcunditas & multitudo hominum, & situs inter paucas munitæ urbis. Consul, quia nulla legatio ad finem præsto fuerat, prædatum in agros misit. tum demum fracta pertinacia est, ut ferri agique res suas viderunt. Le-

NOTÆ.

6. *Ab Lysis fluminis fonte.*] Ita membranæ. Glar. emendavit *Lyci*, & Curtius Marsyam *Lyci* quoque nomine appellari testatur, ubi extra munimenta Celænarum se evolvit.

7. *Ad Cobulatum amnem.*] Polybio in Fragmento 31. dicitur *Colobatus*. Atque ita legendum apud Livium censet Fulvius Ursinus.

8. *Isiondensium.*] Fulv. Ursinus *Isidensium* legit auctoritate Stephani Byzantii, apud quem *Isindus* sive *Isinda* urbs est Joniæ. Sed Polybius Ἰσιὸν πόλιν appellat, quem secutus fuo more Livius. Fallor aut *Pisinda* est Ptolemæi, urbs Pamphyliæ in *Carbalia*, haud procul Termesso septentrionem versus: nam Jonia procul hinc distat. Qui legendum putabant *Hyziensium*, non advertebant *Hyriam* Ciliciæ Trachææ, quæ sola huc pertinere posset, si fortè etiam posset, tunc temporis in Seleuciæ nomen transisse.

9. *Termesso pacem dedit.*] *Termessus*, sive *Termissus*, urbs fuit Pamphyliæ, in ejus parte boreali, quam Carbaliam Ptolemæus, Plinius Gebaliam dixit; Strabo, Stephanus, Eustathius Pisidiæ adscribunt.

10. *Quinquaginta talentis.*] Gallicè, *six vints mille livres*.

11. *Ad flumen Taurum.*] *Taurum* montem hoc tractu facilè reperias, flumen nihil ignotum.

12. *Ad Xylinen Comen.*] Pisidiæ locus: nomen Græcum significat pagum lignеum.

13. *Ad Cormasam.*] Sub Tauro fuit hoc Pisidiæ oppidum.

14. *Darsa proxima urbs.*] In eadem Pisidia, ad fines Lyciæ & Phrygiæ magnæ.

15. *Lysinoe.*] Aliàs *Lysinia*, sub Tauro monte in Pisidia quoque, versus Australis Phrygiæ fines.

16. *In agrum Sagalassenum.*] *Sagalassus* ab Arriano & Stephano, quemadmodum & à Livio in Pisidiâ locatur; ab Ptolemæo in Lycia, perperam, ni fallor. *Sagalessos* vocat Plinius, & Pisidiæ tribuit. *Selgessus* est Strabonis, ad montem Masicytum.

gatis

gatis missis pacti [17] quinquaginta talentis, & viginti millibus [18] medimnum tritici, viginti hordei, pacem impetraverunt. Progressus inde [19] ad Obrimæ fontes, ad vicum, quem [20] Aporidos comen vocant, posuit castra. Eo Seleucus ab Apamea postero die venit. Ægros inde & inutilia impedimenta quum Apameam dimisisset, ducibus itinerum ab Seleuco acceptis, profectus eo die in [21] Metropolitanum campum, postero die [22] Dinias Phrygiæ processit. [23] Inde Synnada venit: metu omnibus circà oppidis desertis. quorum jam præda grave agmen trahens, vix quinque millium die toto itinere perfecto, [24] ad Beudos, quod vetus appellant, pervenit; ab Anabura inde, & altero die [25] ad Alandri fontes, tertio ad Abbassum posuit castra. ibi plures dies stativa habuit: quia perventum erat [26] ad Tolistobogiorum fines.

Urb. cond. ann. 564. Coss. M. Fulv. Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

§

XVI. [1] Hi Galli magna hominum vis, seu inopia agri, seu prædæ minis postea Livius in Tolistobogiis meminit.

NOTÆ.

17. *Quinquaginta talentis.*] Centum viginti librarum nostratium millibus.

18. *Medimnum.*] Mensuræ Græcæ genus, quæ dimidium ferè sextarium Parisiensem capit.

19. *Ad Obrimæ fontes.*] Phrygiæ magnæ amnis *Obrima* in Mæandrum sub Apamea Ciboto se exonerat.

20. *Aporidos Comen.*] Videtur hoc nomen vicum significare perplexi ac difficilis transitûs.

21. *Metropolitanum campum.*] Ab urbe *Metropoli* dictum. Sunt autem plures eo nomine urbes; hæc in Phrygia magna fuit haud procul Mæandro, circa fines Pisidiæ & Galatiæ.

22. *Dinias Phrygiæ.*] Non longè à Galatiæ confinio fuit hoc Phrygiæ oppidum: fortè à *Dinia* Gallicæ Narbonensis nomen mutuata.

23. *Inde Synnada.*] Phrygiæ quoque urbs est è primariis *Synnada*; unde marmor Synnadicum: non procul Hypsopido, pugna inter Alexandri duces & successores claro.

24. *Ad Beudos, quod vetus appellant.*] Quidam Codices habent *Beundos*; sed *Beudos* tuentur Glar. & Sigon. ex Ptolemæo.

25. *Ad Alandri fontes.*] Vulgò legebatur, *ad Mandri fontes*: unde Glar. fecerat *Mæandri*, quod stare non potest; sic enim regressus esset Manlius Vulso ad loca quæ jam transierat, non progressus. Rectè Sigon. restituit *Alandri*, cujus situs

26. *Ad Tolistobogiorum fines.*] Galatarum, sive Gallo-græcorum, qui è Gallia nostra in Asiam profecti, tres erant gentes præcipuæ. *Tectosages*, *Trocmi*, & *Tolistobogii*: quos Appianus & Steph. *Tolistoboios* appellant; fortè quasi ex Tolosatibus & Bojis mixtos: nisi malis detorto nomine ex Sermone Illyriorum, inter quos diu habitaverant hi Galli, dictos esse quasi *Tolosates Dii* seu divinos. Est enim illorum lingua *Bogs* idem quod Deus. Strabo tamen *Tolistobogos* & *Trocmos* à Ducibus suis nomen habuisse scripsit.

1. *Hi Galli.*] Hosce Gallos verisimile est progeniem fuisse eorum, qui Tarquinii Prisci temporibus in Germaniam Sigoveso duce transgressi fuerant, qua de re dictum ad lib. 5. cap. 34. Hinc facilis in Illyricum Græciamq; transitus fuit, quàm perpopulati, in Thraciam sese effuderunt, atque inde trajecerunt in Asiam. Has Gallorum expeditiones narrant Polybius lib. 2. Strabo lib. præsertim 12. Justin. lib. 24. cap. 4. & seqq. lib. item 25. cap. 1. & 2. Pausanias in Phocicis, Dexippus in collectaneis Scaligeri, Suidas in voce Τολιστοι: ex quibus constat subactas ab iis Asiaticas eis Taurum gentes, aut tributum pendere coactas; ipsos verò in parte Phrygiæ inter Bithynos & Cappadociam sedes fixisse.

Urb. cond. an. 564. Coss. M. Fulv. Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

ſpe, nullam gentem per quas iturі eſſent, parem armis rati, [2] Brenno duce in Dardanos pervenerunt. ibi ſeditio orta, & ad viginti millia hominum cum [3] Leonorio [4] ac Lutario Regulis ſeceſſione facta à Brenno, in Thraciam iter averterunt. ubi cum reſiſtentibus pugnando, pacem pactionibus ſtipendium imponendo, Byzantium quum perveniſſent, aliquandiu oram Propontidis vectigalem habendo, regionis ejus urbes obtinuerunt. Cupido inde eos in Aſiam tranſeundi, audientes ex propinquo quanta ubertas terræ ejus eſſet, cepit. & Lyſimachia fraude capta, Cherſoneſoque omni armis poſſeſſa, ad Helleſpontum deſcenderunt. Ibi verò exiguo diviſis freto cernentibus Aſiam, multò magis animi ad tranſeundum accenſi; nunciosque ad Antipatrum præfectum ejus oræ de tranſitu mittebant. quæ res quum lentiùs ſpe ipſorum traheretur, alia rurſus nova inter Regulos orta ſeditio eſt. Leonorius retro, unde venerat, cum majore parte hominum repetit Byzantium: Lutarius, Macedonibus per ſpeciem legationis ab Antipatro ad ſpeculandum miſſis, duas tectas naves, & tres lembos adimit. his alios atque alios dies noctesque tranſvehendo, intra paucos dies omnes copias trajecit. Haud ita multò pòſt Leonorius, [5] adjuvante Nicomede Bithyniæ rege, [6] à Byzantio tranſmiſit. Coeunt deinde in unum rurſus Galli, & auxilia Nicomedi dant, [7] adverſus Zybœam, partem tenentem Bithyniæ, gerenti bellum. Atque eorum maximè

NOTÆ.

2. *Brenno duce.*] Plures fuere hoc nomine Duces Gallorum: is ſanè diverſus ſit oportet ab eo, quo duce capta à Senonibus Roma ante annos fermè ducentos.

3. *Leonorio.*] Scripti & olim editi habent *Lomnorio*; Sed Straboni Λεοννόριος eſt, Memnoni apud Photium Λεωνόριος: & manet adhuc inter nobiles Gallos *Leonorii nomen*. Sic vidimus hoc quoque ſæculo inter alios *Leonorium d'Eſtampes* Archiepiſcopum Remenſem. Eſtque hoc vocabulum diverſum à Germanorum *Leonhartо*, quod nos in Leonardum inflectimus.

4. *Ac Lutario Regulis.*] Legitur & apud Cæſarem *Luterius* Cadurcorum dux: videturque ab origine Gallicum eſſe nomen, ex antiqua migratione Gallorum in Germaniam illatum: ubi deinde duriori aſpiratione Chlotarii vocabulum qui Agathiæ Λωθάριος & Λευθάρις unde & Caroli Magni nepos aliique ſucceſſores, ſoni Teutonici aſperitate ad priſtinum Galliciſmum mollita, *Lotharii* dicti; ſic ex *Litavicis* Gallis, (cujus appellationis Cæſar. Ædiuum Ducem memorat lib. 7.) ortum apud Germanos *Chlodovici* nomen, & nobis reddita *Ludovici* felix nomenclatura.

5. *Adjuvante Nicomede.*] Zypœtæ Thracis, qui diſſidentibus inter ſe Alexandri ſucceſſoribus, Lyſimacho præfertim bellis variè diſtracto, Bithyniam occupaverat, duo filii fuere, hic *Nicomedes* I. cognomento Magnus, & Zybœas ſive Zypœtes, qui cum fratre ejuſque filio majori Ziela de regno contendit.

6. *A Byzantio.*] *Byzantium* Thraciæ nota urbs ad Boſporum, è regione Chalcedonis, à Byzante Spartano condita; poſteà mirum in modum aucta à Conſtantino, qui caput orientalis imperii eſſe voluit, *ſub Conſtantinopolis* & novæ Romæ appellatione. Nunc Turcis decuttato nomine *Stambol*.

7. *Adverſus Zybœam.*] Mogunt. Codex habet *Zybœtam*: Diodoro Siculo Ζιβοίτης vocatur. Memnoni verò Ζιπαίτης quem Thraciæ Thyniæque imperaſſe ait. Hic frater erat Nicomedis, ut paulo antè dictum.

opera devictus Zybœa est, Bithyniaque omnis in ditionem Nicomedis concessit. Profecti ex Bithynia in Asiam processerunt. non plus ex viginti millibus hominum quàm decem armata erant: tamen tantum terroris omnibus, quæ eis Taurum incolunt, gentibus injecerunt; ut quas adissent, quasque non adissent, pariter ultimæ propinquis imperio parerent. Postremò quum tres essent gentes, Tolistobogii, Trocmi, Tectosagi: in tres partes, qua cuique populorum suorum vectigalis Asia esset, divisserunt. 8 Trocmis Hellesponti ora data: Tolistobogii Æolida atque Joniam, 9 Tectosagi mediterranea Asiæ sortiti sunt. & stipendium tota eis Taurum Asia exigebant. Sedem autem ipsi 10 circa Halyn flumen cepere-runt. tantusque terror eorum nominis erat, multitudine etiam magna sobole aucta, ut Syriæ quoque ad postremum reges stipendium dare non abnuerent. Primus Asiam incolentium abnuit 11 Attalus, pater regis Eumenis: audacique incœpto præter omnium opinionem affuit fortuna: & signis collatis superior fuit. non tamen ita infregit animos eorum, ut absisterent imperio. Eædem opes usque ad bellum Antiochi cum Romanis mansserunt. tum quoque pulso Antiocho, magnam spem habuerunt; quia procul mari incolerent, Romanum exercitum ad se non perventurum. Urb. cond. an. 564. Coss. M. Fulv. Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

XVII. Cum hoc hoste tam terribili omnibus regionis ejus, quia bellum gerendum erat, pro concione milites maximè in hunc modum allocutus est consul: *Non me præterit, milites, omnium, quæ Asiam colunt, gentium Gallos fama belli præstare. Inter mansuetum genus hominum ferox natio pervagata bello prope orbem terrarum, sedem cepit. Procera corpora, promissæ & rutilatæ comæ, vasta scuta, prælongi gladii: ad hoc cantus incboantium prælium, & ululatus & tripudia, & quatientium scuta in patrium quendam morem horrendus armorum crepitus: omnia de industria composita ad terrorem. Sed hæc, quibus insolita atque insuetа sunt, Græci & Phryges & Cares timeant: Romanis & Gallici tumultus assuetis, etiam vanitates*

NOTÆ.

8. *Trocmis Hellespontiora.*] Si hæ Galatarum gentes initio in ora habitarunt, certè non diuturna earum ibi commoratio fuit; neque hoc vult Livius; sed has ipsis regiones assignatas quæ cuique genti deberent tributum.

9. *Tectosagi mediterranea Asiæ.*] Horum nomen à patria seu natali regione deductum constat, quòd à Galliæ Celticæ parte, quæ post Narbonensis dicta, in Asiam intulere. Hæ tres Galliæ in Asia nationes à Tetrarchis regebantur, singulis gentibus in quatuor populos divisis, ut duodecim omnino Tetrarchiæ essent, quemadmodum Strabo testatur. Sic & priscis temporibus regebantur circa Padum Tusci, antequàm in mediam Italiam à Gallis compellerentur.

10. *Circa Halin.*] Flumen est Phrygiæ, Asiam minorem dividens in orientalem & occidentalem; nunc vulgò *Lali*.

11. *Attalus, pater Regis Eumenis.*] Hic Attalus se regem Pergami primus dixit, Attalo natus Philetæri eunuchi fratre, qui Pergamum invaserat contra Lysimachum.

1. *Gallici tumultus assuetis.*] Cum dandi & auferendi casu, aut etiam cum accusativo & præpositione *ad*, vel *in*, lego *assueti* vocabulum: an cum genitivo

Urb. cond. an. 564. Coss. M. Fulv. Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

notæ sunt. 2 *Semel primo congressu ad Alliam olim fuderunt majores nostros: ex eo tempore per ducentos jam annos pecorum in modum consternatos cædunt, fugantque. & plures quoque de Gallis triumphi, quàm de toto orbe terrarum acti sunt. Jam usu hoc cognitum est; si primum impetum, quem fervido ingenio & cæca ira effundunt, sustinueris; fluunt sudore & lassitudine membra, labant armæ: mollia corpora, molles ubi ira consedit animos, sol, pulvis, sitis, ut ferrum non admoveas, posternunt. Non legionibus legiones eorum solùm experti sumus, sed vir unus cum viro congrediendo, T. Manlius, M. Valerius, quantum Gallicam rabiem vincerent Romana virtus, docuerunt. Jam M. Manlius unus agmine scandentes in Capitolium Gallos detrusit. & illis majoribus nostris cum haud dubiis Gallis in terra sua genitis res erat. Hi jam degeneres sunt; mixti, & Gallo-græci verè, quod appellantur. Sicut in frugibus pecudibusque, non tantum semina ad servandam indolem valent, quantum terræ proprietas cœlique, sub quo aluntur, mutat. Macedones, qui Alexandriam in Ægypto, qui Seleuciam ac Babyloniam, quique alias sparsas per orbem terrarum colonias habent; in Syros, Parthos, Ægyptios degenerarunt. Massilia, inter Gallos sita, traxit aliquantum ab accolis animorum: Tarentinis quid ex Spartana dura illa & horrida disciplina mansit? 3 Generosius in sua quicquid sede gignitur, insitum alienæ terræ, in id quo alitur, natura vertente se, degenerat. Phrygas igitur Gallicis onoratos armis, sicut in acie Antiochi cecidistis, victos victores cædetis. Magis id vereor, ne parum in se gloriæ quam ne nimium belli sit. 4 Attalus cos rex sæpè fudit, fugavitque. Nolite existimare, belluas tantum recens captas feritatem illam silvestrem primo servare, deinde, quum diu manibus humanis alantur, mitescere, in hominum feritate mulcenda non eandem naturam esse. Eosdem ue hos creditis esse, qui patres eorum avique fuerunt? 5 extorres inopes*

NOTÆ.

Liv. hoc loco, non alibi facilè usurpatum. Fallor, nisi *assuetis* hic absolute dicitur, & illa *Gallici tumultus*, ad *vanitates*, referenda: ut velit *Gallici tumultus vanitates* Romanis jam *assuetis* notas esse.

2. *Semel primo congressu.*] Apparet Manlii Consulis, aut ipsius Livii Gallis infensi vanitas, unicam Gallorum de Romanis ad Alliam amnem victoriam agnoscentis; & tum captæ atque incensæ urbis obliti, tum exsorum sæpius exercituum ducumque: sed mirum non est causæ suæ ad confirmandos militum animos favere Vulsonem.

3. *Generosius in sua quidquid sede gignitur.*] Sigon. & post eum Gronov. legunt *quidquide*. Si tamen *quidquid* retineamus, subintelligi poterit verbum substantivum, ut sit *generosius est quidquid in sua sede gignitur* & supplendum in voce *insitum* quæ sequitur: significat enim *quidquid*, vel *quod insitum est alienæ terræ*.

4. *Attalus eos rex sæpè fudit.*] A Prusia Bithyno Galatarum copias, cum ad Hellespontum usque Bithyniam popularentur, male habitos refert Polyb. sub finem lib. 5. At idem Attalum scribit bello adversus Antiochum auxiliaribus Gallis Tectosagis usum è Thracia usque adscitis.

5. *Extorres inopia agrorum.*] Hoc quidem ipse Livius de iis narrat, qui Tarquiniorum ætate è Gallia in Germaniam transgressi fuerant: sed qui ex Illyrico & Pannonia per Græciam in Asiam populabundi, esse insuederant, magis erit ut victoriarum aut certè præ-

agrorum profecti domo per aſperrimam Illyrici oram; Pæoniam inde & Thraciam, pugnando cum ferociſſimis gentibus, emenſi, has terras ceperunt. Diuatos eos tot malis exaſperatoſque accepit terra, quæ copia rerum omnium ſaginavet. uberrimo agro, mitiſſimo cœlo, clementibus accolarum ingeniis, omnis illa, cum qua venerant, manſuefacta eſt feritas. Vobis, mehercule, Martis viris cavenda ac fugienda quamprimum amœnitas eſt Aſiæ. tantùm hæ peregrinæ voluptates ad extinguendum vigorem animorum poſſunt: tantum contagio diſciplinæ morisque accolarum valet. Hoc tamen feliciter evenit, quod ſicut vim adverſus vos nequaquam, ita famam apud Græcos pæne illi antiquæ obtinent, cum qua venerunt. bellique gloriam victores eandem inter ſocios habebitis, quam ſi ſervantes antiquum ſpecimen animorum Gallos viciſſetis. Urb. cond. an. 564. Coſſ. M. Fulv. Nob. & Cn. Manlio Vulſon.

XVIII. Concione dimiſſâ, miſſiſque ad Epoſſognatum legatis, qui unus ex Regulis & in Eumenis amicitia manſerat, & negaverat Antiocho adverſus Romanos auxilia, caſtra movit. primo die [1] ad Alandrum flumen, poſteroad vicum, quem vocant Tyſcon, ventum. Eò legati Oroandenſium quum veniſſent amicitiam petentes, ducenta talenta iis ſunt imperata: precantibuſque ut domum renunciarent, poteſtas facta. Ducere inde exercitum conſul ad Plitendum: deinde [2] ad Alyattos caſtra poſita. Eò miſſi ad Epoſſognatum redierunt, & legati cum illis reguli orantes, ne Tectoſagis bellum inferrent. ipſum in eam gentem iturum Epoſſognatum: perſuaſurumque ut imperata faciant. Data venia Regulo. duci inde exercitus per Axylon (quam vocant) terram cœptus. Ab re nomen habet. non ligni modo quicquam, ſed ne ſpinas quidem, aut ullum aliud alimentum ferat ignis. Fimo bubulo pro lignis uruntur. [2] Ad Cuballum Gallograeciæ caſtellum caſtra habentibus Romanis, apparuere cum magno tumultu hoſtium equites. nec turbarunt tantùm ſtationes Romanas repentè invecti, ſed quoſdam etiam occiderunt. qui tumultus quum in caſtra perlatus eſſet, effuſos repentè omnibus portis equitatus Romanus fudit, fugavitque Gallos, & aliquot fugientes occidit. Inde conſul, ut qui jam ad hoſtes perventum cerneret, explorato deinde & cum cura coacto agmine procedebat. continentibus itineribus quum [4] ad Sangarium flumen perveniſſet, pon-

NOTÆ.

dæ cupiditate, quàm agrorum inopia, patrias ſedes reliquerint.

1. *Ad Alandrum flumen.*] Hujus amnis, & ſequentium locorum Geographis ignotus magnâ ex parte ſitus, ut hæc videri poſſint vici potiùs fuiſſe quam oppida.

2. *Ad Alyattos caſtra.*] Nominat Stephan. Αλυττα, pro loco, ſeu villa Bithyniæ: à Ptol. in Phrygia majori nominatur *Alydda*: ſed hæc ambo longiùs paulò à finibus Galatiæ.

3. *Ad Cuballum.*] Vide num idem ſit cum *Cybella* ſeu *Cybala* Phrygiæ magnæ, cujus apud Apollodorum & Feſtum mentio: an potiùs aliud ejuſdem nominis oppidum in Galatia ad Gallum amnem.

4. *Ad Sangarium flumen.*] *Sangarius*, qui & *Sagaris* poëtis, ad Sangiam vicum ortus ex Dindymis montibus in confinio Toliſtobogiorum & Phrygiæ magnæ: per hanc in occaſum fluit, inde ad ortum ſinuatur, & Galatiam petit, unde iterum verſus in occiden-

Urb. cond. an. 564. Coss. M. Fulvio Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

tem, quia vado nusquam tranſitus erat, facere inſtituit. Sangarius ex Adoreo monte per Phrygiam fluens, miſcetur ad Bithyniam 5 Thymbri fluvio. inde major jam geminatis aquis per Bithyniam fertur, & 6 in Propontidem ſe ſe effundit; non tamen tam magnitudine memorabilis, quàm quod piſcium aceolis ingentem vim præbet. Tranſgreſſis ponte perfecto flumen, præter ripam euntibus 7 Galli Matris Magnæ 8 à Peſſinunte occurrere cum inſignibus ſuis, vaticinantes fanatico carmine, Deam Romanis viam belli & victoriam dare, imperumque ejus regionis. Accipere ſe omen quum dixiſſet conſul; caſtra eo ipſo loco poſuit. poſtero die 9 ad Gordium pervenit. Id haud magnum quidem oppidum eſt, ſed à pluſquàm mediterraneum celebre & frequens emporium. 10 tria maria pari fermè diſtantia intervallo habet: Helleſpontum, ad Sinopem, & alterius oræ litora, qua Cilices maritimi colunt. unitarum magnarumq; præterea gentium fines contingit, quarum commercium in eum maximè locum mutui uſus contraxere. id tum deſertum fugà incolarum oppidum, refertum idem copiâ rerum omnium invenerunt. Ibi ſtativa habentibus legati ab Epoſſognato venerunt, nunciantes, *Profectum eum ad* 11 *Regulos Gallorum, nihil æquè impetraſſe; ex campeſtribus vicis agriſque frequentes demigrare, & cum coniugibus ac liberis que ferre atque*

5 10 15

INTERPRETATIO.

a *Celebre emporium, ultrà quàm conſueverunt loca procul à mari ſita.*

NOTÆ.

tem, per Bithyniam in Maryandinum Ponti Euxini ſinum decurrit: nunc *Sancari*, tètte Leunclàvio, & Belloaio, Nigro *Zagari*.

5. *Tymbri fluvio.*] Aliàs legitur, *Thymbreti*: Strabo & Steph. aliique Græci Ου̃μβρα appellant, *Themòrogius* Plinio. Videtur is eſſe qui è regione Dadaſtanæ Sangarium auget.

6. *In Propontidem.*] Imo in Pontum ipſum, teſtibus Arriano lib. 1. & Euſtathio in Dionyſ.

7. *Galli Matris magnæ.*] Nomen eſt Sacerdotum Cybeles, imitatione Atyes exſectorum: qui ſic à Gallo fluvio dicti: ex illorum numero, teſte Suida, miſſi ad Cn. hunc Coſ. ab Attide & Batacco primariis Sacerdotibus Matris Deûm.

8. *A Peſſinonte.*] Troemorum huc caput Ptol. quanquam Strabo Tectoſagis tribuere videtur ad Gallum amnem ſita urbs, quà in Sangarium effunditur, nunc *Poſſene*. Inde Mater Idæa Romam delata, ſeu potiùs lapis Cybeles nomine Saturnus. lib. 19. cap. 11. & 14.

9. *Ad Gordium.*] *Gordius*, five *Gordium* aut *Gordicum* ad Sangarium, Phrygiæ magnæ quondam caput, à Gordio Bubulco qui ad Phrygiæ regnum mero caſu evectus: à quo *Gordius nodus*, inplicitis ad currus temonem loris nexus, quem Alexander cùm ſolvere non poſſet, ad implendam oraculi fidem abſcidit. Gordii filius, alterutſque Gordii pater, Midas fabulis notus: poſt à Toliſtobogis occupata regio eſt, quibus adjuncti Voturi & Ambitui, teſte Plinio lib. 5. cap. 32.

10. *Tria maria.*] Ad occidentem Ægeum cum Helleſponto & Propontide: ad ſeptentrionem Pontum Euxinum, quà *Sinope* (hodie *Sinab*) Paphlagoniæ, ad meridiem, Pamphylium & Ciliciam.

11. *Ad Regulos Gallorum.*] Vide ſuprà cap. 16. n. 9.

agere poſſent, præſe agentes portantesque, [12] *Olympum montem petere, ut inde armis locorumque ſitu ſeſe tueantur.* Certiora poſtea [1] Oenoandenſium legati attulerunt. *Toliſtobogiorum civitatem Olympum montem cepiſſe: diverſos Tectoſagos alium montem, qui Magaba dicatur, petiſſe. Trocmos, conjugibus ac liberis apud Tectoſagos depoſitis, armatorum agmine Toliſtobogiis ſtatuiſſe auxilium ferre.* Erant autem tunc trium populorum Reguli Ortiagon & Combolomarus, & Gaulotus. Iis hæc maximè belli ratio ſumendi fuerat, quòd quum montes editiſſimos ejus regionis tenerent, convectis omnibus, quæ ad uſum quamvis longi temporis ſufficerent, tædio ſe fatigaturos hoſtes cenſebant. *Nam neque auſuros per tam ardua atque iniqua loca ſubire eos: & ſi conarentur, vel parvâ manu prohiberi ac deturbari poſſe. nec quietos in radicibus gelidorum montium ſedentes, frigus, aut inopiam laturos.* Et quum ipſa altitudo locorum eos tueretur, foſſam quoque & alia munimenta verticibus iis, quos inſederant, circumjecere. Minima apparatus miſſilium telorum cura fuit: quod ſaxa affatim præbiturum aſperitatem ipſam locorum credebant.

Urb. cond. an. 564. Coſſ. M. Fulvio Nob. & Cn. Manlio Vulſone.

XX. Conſul, quia non cominus pugnam, ſed procul locis oppugnandis futuram præceperat animo, ingentem vim pilorum, [1] velitariam haſtarum, ſagittarum, glandiſque & modicorum, qui funda mitti poſſint, lapidum paraverat. inſtructuſque miſſilium apparatu, ad Olympum montem ducit: & à quinque fermè millibus locat caſtra. Poſtero die cum quadringentis equitibus, & Attalo progreſſum eum ad naturam montis, ſitumque Gallicorum caſtrorum viſendum, equites hoſtium, duplex numerus, effuſi caſtris in fugam averterunt. occiſi quoque pauci fugientium, vulnerati plures. Tertio die cum omnibus ad loca exploranda profectus, quia nemo hoſtium extra munimenta proceſſit, tuto circumvectus montem animadvertit meridiana regione terrenos, & placidè acclivos ad quendam finem colles eſſe; ad ſeptentrionem arduas & rectas prope rupes, atque omnibus fermè aliis inviis, itinera tria eſſe; unum medio monte, qua terrena erant: duo difficilia [2] ab hiberno ſolis ortu, & ab æſtivo occaſu.

NOTÆ.

12. *Olympum montem petere.*] Cùm plures ſint montes Olympi nomine, Galatici non meminit Geographia vulgatis, ut nec Magabarum. Mentio amborum apud Appianum & Florum. Sed memoratur *Olympus* in Myſia, quem nunc petiſſe Galatas Toliſtobojos Appianus ſcribit in Syriacis: à Turcis appellatur *Anatolidag*, id eſt, mons Natolicus, vel *Keſchisdag*, hoceſt, mons Sacerdotum.

1. *Oenoandenſium legati.*] *Oenoanda* in Carbaliæ parte quæ Lyciæ adſcribitur, ad radices Tauri ſita urbs: Strab. *Oenandros*.

1. *Velitarium haſtarum.*] Leviores erant hæ haſtæ, utpote ad jaculandum comparatæ. Haſtile ex Polybio duos digitos longum, digiti craſſitie præfixo ferro dodrantali, in gracile ſpiculum tenuato, ut primo jactu inflecteretur. *Velitari* hac ut & manipulari haſta major graviorque erat *amentata*, quæ amento ſeu habenâ circa medium ligabatur, ut inſerto digito torqueretur majore impetu.

2. *Ab hiberno ſolis ortu.*] Oppoſitæ ſunt cœli regiones, ortus & occaſus: utra-

Urb. cond. an. 564. Coss. M. Fulv. Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

Hæc contemplatus eo die ſub ipſis radicibus poſuit caſtra. poſtero die ſacrificio facto, quum primis hoſtiis litaſſet, trifariam exercitum diviſum ducere ad hoſtem pergit. ipſe cum maximâ parte copiarum, quâ æquiſſimum aditum præbebat mons, aſcendit. L. Manlium fratrem ab hiberno ortu, quoad loca patiantur, & tutò poſſit, ſubire jubet. ſi qua periculoſa & prærupta occurrant, non pugnare cum iniquitate locorum, neque inexſuperabilibus vim afferre: ſed obliquo monte ad ſe declinare, & ſuo agmini conjungi. C. Helvium cum tertia parte circumire ſenſim per infima montis, deinde ab æſtivo occaſu erigere agmen. & Attali auxilia trifariam æquo numero diviſit: ſecum eſſe ipſum juvenem juſſit. equitatum cum elephantis in proximâ tumulis planicie reliquit. Edictum præfectis, ut intenti quid ubique geratur, animadvertant: opemque ferre, quo poſtulent res, properent.

XXI. Galli duobus lateribus ſatis fidentes invia eſſe, ab eâ parte, quæ in meridiem vergeret, ut armis clauderent viam, quatuor fermè millia armatorum ad tumulum imminentem viæ, minus mille paſſuum à caſtris occupandum mittunt: eo ſe rati velut caſtello iter impedituros. Quod ubi Romani viderunt, expediunt ſeſe ad pugnam. ante ſigna modico intervallo velites eunt, & ab Attalo Cretenſes ſagittarii, & funditores & Tralli Thraces: ſigna peditum ut per arduum leni gradu ducuntur, ita præ ſe habentium ſcuta, ut miſſilia tanedm vitarent, pede collato non viderentur pugnaturi. Miſſilibus ex intervallo loci prœlium commiſſum eſt; primò par, Gallos loco adjuvante, Romanos varietate & copiâ telorum. Procedente certamine nihil jam æqui erat. ſcuta longa, cæterum adamplitudinem corporum parum lata, & ea ipſa plana, malè tegebant Gallos. Nec jam tela habebant, præter gladios: quorum, quum manum hoſtis non conſereret, nullus uſus erat. Saxis, nec modicis, ut quæ non præparaſſent, ſed quod cuique temerè trepidanti ad manum veniſſet, ut inſueri, nec arte, nec viribus adjuvantes ictum, utebantur ſagittis, glande, jaculis incanti, ab omni parte configebantur: nec quid agerent, irâ & pavore obcœcatis animis, cernebant: & erant deprehenſi genere pugnæ, in quod minimè apti ſunt. Nam quemadmodum cominus, ubi invicem pati ac inferre vulnera licet, accendit ira animos eorum; ita ubi ex occulto & procul levibus telis vulnerantur, nec quo ruant cœco impetu, habent; velut feræ transfixæ in ſuos temerè incurrunt. Detegebat vulnera eorum, quod nudi pugnant, & ſunt fuſa & candida corpora, ut quæ nunquam niſi in pugna nudentur: ita & plus ſanguinis è multa carne funde-

NOTÆ.

que regio pro ratione ſolis inter oppoſitos tropicos meantis variè ſpectatur. Et rectâ quidem cenſetur oriens & occidens circa æquinoctialem, hiberaus autem ortus & occaſus verſus tropicum Capricorni, æſtivus verſus tropicum Cancri.

batur,

batur, & fœdiores patebant plagæ, & candor corporum magis sanguine atro maculabatur. Sed non tam patentibus plagis moventur. interdum infectâ cute, ubi latior, quàm altior plaga est etiam gloriosiùs se pugnare putant. Iidem, quum aculeus sagittæ aut glandis abditæ introrsus tenui vulnere in speciem urit, & [1] scrutantes quæ vellant, telum non sequitur; tum in rabiem & pudorem tam parvæ perimentis pestis versi, prosternunt corpora humi, sic ut passim procumberent. Alii ruentes in hostem, undique configebantur: & quum cominus venerant, gladiis à velicibus trucidabantur. Hic miles trepidalem parmam habet: & in dextera hastas, quibus eminùs utitur. gladio Hispanienſi est cinctus. quod si pede collato pugnandum est, translatis in lævam hastis, stringit gladium. Pauci supererant jam Gallorum, qui posteaquàm ab levi armaturâ superatos se viderunt, & instare legionum signa, effusâ fugâ castra repetunt; pavoris & tumultûs jam plena: ubi fœminæ puerique, & alia imbellis turba permixta esset. Romanos victores deserti fugâ hostium acceperunt tumuli. Urb. cond. an. 564. Coss. M. Fulvio Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

XXII. Sub idem tempus L. Manlius & C. Helvius, quum, quoad viam colles obliqui dederunt, ascendissent; posteaquàm ad invia ventum est, flexere iter in partem montis, quæ una habebat iter: & sequi consulis agmen modico intervallo, velut ex composito, cœperunt; quod primò optimum factu fuisset, in id necessitate ipsa compulsi. Subsidia enim in talibus iniquitatibus locorum maximo sæpè usui fuerunt: ut primis fortè deturbatis, secundi & tegant pulsos, & integri pugnam excipiant. Consul, posteaquàm ad tumulos ab levi armatura captos prima signa legionum pervenerunt; respirare & conquiescere paulisper militem jubet: simul strata per tumulos corpora Gallorum ostentat: *Et quum levis armatura tale præsidium ediderit, quid ab legionibus, quid ab justis armis, quid ab animis fortissimorum militum expectari? Castra illis capienda esse, in quæ compulsus ab levi armaturâ hostis trepidet.* præcedere tamen jubet levem armaturam: quæ, quum staret agmen, colligendis per tumulos telis, ut missilia sufficerent, haud segne id ipsum tempus consumpserat. Jam castris appropinquabant: & Galli, ne parùm se munimenta sua tegerent, armati pro vallo constiterant. obruti deinde omni genere telorum, quum quò plures ac densiores erant, eò minùs vani quicquam intercideret teli: intra vallum momento temporis compelluntur, stationibus tantùm firmis ad ipsos aditus portarum relictis. In multitudinem compulsam in castra vis ingens missilium telorum conjiciebatur: & vulnerari multos, clamor permixtus

INTERPRETATIO.

[a] *Pelle dissectâ & perforatâ.*

NOTÆ.

1. *Scrutantes quæ vellant.*] Lege, *quæ avellant*, ex Jac. Perizonii emendatione

Urb. cond. an. 564. Coſſ. M. Fulvio Nob. & Cn. Manlio Vulſone.

mulierum atque puerorum ploratibus ſignificabat. In eos qui portas ſtatîonibus ſuis clauſerant, legionum anteſignani pila conjecerunt. hi verò non vulnerabantur: ſed tranſverberatis ſcutis plerique inter ſe conſerti hærebant: nec diutiùs impetum Romanorum ſuſtinuerunt.

XXIII. Patentibus jam portis, priuſquàm irrumperent victores, fuga è caſtris Gallorum in omnes partes facta eſt. ruunt cœci per vias, per invia: nulla præcipitia ſaxa, nullæ rupes, obſtant: nihil præter hoſtem metuunt. Itaque plerique præcipites per vaſtam altitudinem prolapſi ac debilitati exanimantur. conſul caſtris captis [1] direptione prædaque abſtinet. militem ſequi pro ſe quemque & inſtare, & perculſis pavorem addere, jubet. Supervenit & alterum cum L. Manlio agmen, nec eos caſtra intrare ſinit. protinus ad perſequendos hoſtes mittit. & ipſe paulò pòſt, tradita captivorum cuſtodia tribunis militum, ſequitur: debellatum ratus, ſi in illo pavore quamplurimi cæſi forent aut capti. Egreſſo conſule, C. Helvius cum tertio agmine advenit. nec continere ſuos à direptione caſtrorum valuit: prædaque eorum, iniquiſſima ſorte, qui pugnæ non interfuerant, facta eſt. Equites diu igitari, & pugnæ & victoriæ ſuorum, ſteterunt. deinde & ipſi, quantum equi in colles ſubire poterant: ſparſos fuga Gallos circa radices montis conſectati cecidêre, aut cepêre. Numerus interfectorum haud facilè iniri potuit, quia latè inter omnes anfractus montium fugaque & cædes fuit: & magna pars rupibus inviis in profundæ altitudinis convalles delapſa eſt: pars in ſylvis vepribuſque occiſa. Claudius, qui bis pugnatum in Olympo monte ſcribit, ad quadraginta millia hominum cæſa, auctor eſt. Valerius Antias, qui magis immodicus in numero augendo eſſe ſolet, non plus decem millia. Numerus captivorum, haud dubiè millia quadraginta explevit; quia omnis generis ætatiſque turbam ſecum traxerant; demigrantium magis quàm in bellum euntium modo. Conſul armis hoſtium in uno conceptis cumulo, cæteram prædam conferre omnes juſſit: & aut vendidit quod ejus in publicum rèdigendum erat: aut cum cura, ut quàm æquiſſima eſſet, per milites diviſit. Laudati quoque pro concione omnes ſunt, donatique pro merito quiſque. ante omnes Attalus, ſummo cæterorum aſſenſu: nam ſingularis ejus juvenis quum virtus & induſtria in omnibus laboribus, periculiſque, tum modeſtia etiam fuerat.

XXIV. Supererat bellum integrum cum Tectoſagis. Ad eos profectus conſul, tertiis caſtris [1] Ancyram, nobilem in illis locis urbem, perve-

NOTÆ.

1. *Direptione prædâque abſtinet; militem ſequi*, &c.] Nihil hic difficultatis, ſi ita interpungas. *Conſul caſtris captis, direptione prædâque abſtinet militem. ſequi pro ſe quemque*, &c. *juſſit*.

1. *Ancyram.*] Non modò Tectoſagum, ſed totius Galatiæ caput *Ancyra* verſus Paphlagoniæ confinia: *Angori* nunc vel *Enguri* Turcis.

nit: unde hostes paulò plus decem millia aberant. Ubi quum stativa essent, facinus memorabile à captivâ factum est. 2 Ortiagontis reguli uxor forma eximia custodiebatur inter plures captivos, cui custodiæ centurio præerat: & libidinis & avaritiæ militaris. Is primò ejus animum tentavit, quam quum abhorrentem à voluntario videret stupro: corpori, 3 quod servum fortuna erat, vim fecit. Deinde ad leniendam indignitatem injuriæ, spem reditus ad suos mulieri facit. & ne eam quidem, ut amans, gratuitam; certo auri pondere pactus. ne quem conscium suorum haberet, ipsi permittit, ut quem vellet, unum ex captivis nuncium ad suos mitteret. Locum prope flumen constituit: 4 quo duo, nec plus, necessarii captivæ cum auro venirent nocte insequenti, ad eam accipiendam. Fortè ipsius mulieris servus inter captivos ejusdem custodiæ erat. hunc nuncium primis tenebris extra stationes centurio educit. Nocte insequenti & duo necessarii mulieris ad constitutum locum, & centurio cum captiva venit. ubi quum aurum ostenderent, quod summam talenti Attici (tanti enim pepigerat) expleret: mulier lingua sua, stringerent ferrum, & centurionem pensantem aurum occiderent, imperavit. Jugulati præcisum caput, ipsa involutum veste ferrens, ad virum Ortiagontem, qui ab Olympo domum refugerat, venit. quem priusquàm complecteretur, caput centurionis ante pedes ejus abjecit: mirantique cujusnam id caput esset hominis, aut quod id facinus haudquaquam muliebre esset; & injuriam corporis, & ultionem violatæ per vim pudicitiæ confessa viro est: aliaque (ut traditur) sanctitate & gravitate vitæ, hujus matronalis facinoris decus ad ultimum conservavit.

Urb. cond. an. 564. Coss. M. Fulvio Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

XXV. Ad Ancyram, in stativa, Tectosagum oratores ad consulem venerunt; petentes, ne antè ab Ancyra castra moveret, quàm colloquium cum suis regibus esset. nullas conditiones pacis iis non bello fore potiores. Tempus in posterum diem constituitur: locusque qui maximè medius inter castra Gallorum & Ancyram est visus. Quo quum consul ad tempus cum præsidio quingentorum equitum venisset, nec ullo Gallorum ibi viso, regressus in castra esset: oratores iidem redeunt, excusantes religione objecti venire reges non posse. principes gentis, per quos æquè res transigi posset, venturos. Consul se quoque Attalum missurum dixit. Ad hoc colloquium utrinque ventum est. trecentos equites Attalus præsidii causâ quum adduxisset, 1 jactæ sunt eo pacis

NOTÆ.

2. *Ortiagontis reguli uxor.*] *Chiomara* nomen habuit hæc *Ortiagontis reguli uxor*, auctore Plut. in lib de Virtut. mulierum cap. 23. ejusque meminit Valer. Maxim. lib. 6. cap. 1.

3. *Quod servum fortuna erat.*] Placet ut Gronovio, ita mihi quoque: *quod servum fortunam fecerat.*

4. *Quòd duo nec plus.*] In melioribus scriptum est, *quo duo ne plus*.

1. *Jactæ sunt pacis conditiones.*] Sic scripti plerique meliores notæ: & *jactæ* idem est ac *jactatæ* seu ventilatæ: præstatque lectioni quam profert ex quibusdam libris Sigon. *iactæ* quod non convenit, nec multò magis placet quod ipse

Urb. cond. an. 564. Coſſ. M. Fulvio Nob. & Cn. Manlio Vulſone.

conditiones. Finis rei quia abſentibus ducibus imponi non poterat; convenit, uti conſul regeſque eo loco poſtero die congrederentur. Fruſtratio Gallorum eò ſpectabat: primùm, ut tererent tempus, donec [2] res ſuas cum quibus periclitari nolebant, cum conjugibus ac liberis trans Halyn flumen trajicerent: deinde quod ipſi conſuli parum cauto adverſus colloquii fraudem inſidiabantur. Mille ad eam rem ex omni numero audaciæ expertæ delegerunt equites. & ſucceſſiſſet fraudi, ni pro jure gentium, cujus violandi conſilium initum erat, ſteriſſet fortuna. Pabulatores lignatoreſque Romani in eam partem, in qua colloquium futurum erat, ducti ſunt: tutius id futurum tribunis ratis, quia conſulis præſidium & ipſum pro ſtatione habituri erant; hoſti oppoſitum ſuam tamen alteram ſtationem propiùs caſtra ſexcentorum equitum poſuerunt. Conſul affirmante Attalo, venturos reges & tranſigi rem poſſe, profectus è caſtris, quum eodem quo anteà præſidio equitum, quinque millia ferè proceſſiſſet, nec multùm à conſtituto loco abeſſet; repentè concitatis equis cum impetu hoſtili videt Gallos venientes. conſtituit agmen, & expedire tela animoſque equitibus juſſis, primò conſtanter initium pugnæ accepit, nec ceſſit; dein, quum prægravaret multitudo, cedere ſenſim, nihil confuſis turmarum ordinibus, cœpit. poſtremò quum jam plus in mora periculi quàm in ordinibus conſervandis præſidii eſſet, omnes paſſim in fugam effuſi ſunt. tum verò inſtare diſſipatis Galli, & cædere: magnaque pars oppreſſa foret, ni ſtatio pabulatorum ſexcenti equites occurriſſent. Ii procul clamore pavido ſuorum exaudito, quum tela equoſque expediſſent: integri profligatam pugnam acceperunt. Itaque verſa extemplo fortuna eſt, verſus in victores à victis terror, & primo impetu fuſi Galli ſunt, & ex agris concurrebant pabulatores, & undique obvius hoſtis Gallis erat: ut ne fugam quidem facilem aut tutam haberent: quia recentibus equis Romani feſſos ſequebantur. Pauci ergo effugerunt: captus eſt nemo: major multò pars per fidem violati colloqui pœnas morte luerunt: Romani ardentibus ira animis, poſtero die omnibus copiis ad hoſtem perveniunt.

XXVI. Biduum natura montis per ſeipſum exploranda, ne quid ignoti eſſet, abſumpſit conſul. tertio die quum auſpicio operam dediſſet, deinde immolaſſet, in quatuor partes diviſas copias educit: duas ut medio monte duceret, duas ab lateribus ut adverſus cornua Gallorum erigeret. Hoſtium quod roboris erat, Teſtoſagi & Trocmi mediam tenebant aciem, millia

NOTÆ.

ſubſtituit, *dicta*: ſignificatur enim potiùs leges pacis propoſitas & agitatas fuiſſe, quàm datas acceptaſque: nec ita conditiones *icere* Latinè dicitur, opinor, ut *fœdus icere*.

2. *Res ſuas cum quibus periclitari nolebant.*] Retinenda meo judicio, hic præpoſitio, quam rejicit Gron. licèt enim rectè dicatur quis periclitari capite, vel pecuniâ: aliud tamen eſt *periclitari rebus*.

hominum quinquaginta. equitatum (quia equorum nullus inter inæquales ripes usus erat) ad pedes deductum, decem millia hominum, ab dextro locaverunt cornu. [1] Ariarathis Cappadocis [2] & Morzi auxiliares in lævo quatuor fermè millium numerum explebant. Consul, sicut in Olympo monte prima in acie locata levi armatura, telorum omnis generis ut æquè magna vis ad manum esset, curavit. Ubi appropinquarunt, omnia eadem utrinque quæ fuerant in priore prœlio, erant: præter animos & victoribus ab re secunda auctos, & hostibus fractos: quia etsi non ipsi victi erant, suæ gentis hominum cladem pro sua ducebant. itaque à paribus initiis cœpta res, eundem exitum habuit. Velut nubes levium telorum conjecta obruit aciem Gallorum. nec aut procurrere quisquam ab ordinibus suis, ne nudarent undique corpus ad ictus, audebant: & stantes quò densiores erant, hoc plura, [3] velut destinatum petentibus, vulnera accipiebant. Consul jam per se turbatis si legionum signa ostendisset, versuros extemplo in fugam omnes ratus, receptis inter ordines velitibus, & alia turba auxiliorum, aciem promovit.

Urb. cond. an. 564. Coss. M. Fulv. Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

XXVII. Galli, & memoria Toliſtobogiorum cladis territi, & inhærentia corporibus gerentes tela, fessique & stando & vulneribus, ne primum quidem impetum & clamorem Romanorum tulerunt. Fuga ad castra inclinavit: sed pauci intra munimenta sese recepere: pars major dextra lævaque [a] prælati, qua quemque impetus tulit, fugerunt. victores usque ad castra secuti, ceciderunt terga: deinde in castris cupiditate prædæ hæserunt, nec sequebatur quisquam. In cornibus Galli diutiùs steterunt, quia seriùs ad eos perventum est. Cæterùm ne primum quidem conjectum telorum tulerunt. Consul, qui ingressos in castra ab direptione abstrahere non poterat; eos qui in cornibus fuerant, protinus ad sequendos hostes misit. per aliquantum spatium secuti, non plus tamen octo millia hominum in fuga (nam pugna nulla fuit) ceciderunt: reliqui flumen Halyn trajecerunt. Romanorum magna pars ea nocte in hostium castris mansit. cæteros in sua castra reduxit. Postero die captivos prædamque

INTERPRETATIO.

[a] Gallo-græci castra sua *prætergressi*.

NOTÆ.

aliud *periclitari cum rebus*: illud significat periculum rerum amittendarum, hoc verò rerum secum perituratum.

1. *Ariarathis Cappadocis*.] Hic Ariarathes quintus eo nomine in Cappadocia regnavit, Ariarathe & Stratonice Antiochi, Syriæ regis filia natus: Antiochidem Antiochi magni filiam uxorem duxit, atque ob socerum Romanorum primùm hostis fuit, deinde socius.

2. *Et Morzi auxiliares*.] Legendum *Morzis*: fuit enim *Morzes* rex Paphlagoniæ, & *Morzis auxiliares* sunt Paphlagones. Id probat Sigon. ex Strab. lib. 12. qui tradit ejus regiam *Gangra*, ipsiusque regnum pervenisse ad Dejotarum Philadelphum Castoris filium, qui postremus fuerit Paphlagoniæ regum.

3. *Velut destinatum petentibus*.] Hic *destinatum* idem est ac *scopus*, ut explicat *Turn.* sed Gronov. putat excidisse præpositionem *ad*, ut sit, *velut ad destinatum*

Urb. cond. an. 564. Coss. M. Fulv. Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

recensuit: quæ tanta fuit, quantam avidissima rapiendi gens, quum eis montem Taurum omnia armis per multos tenuisset annos, coacervare potuit. Galli ex dissipata passim fuga, in unum locum congregati, magna pars saucii aut inermes, nudati omnibus rebus oratores de pace ad consulem miserunt. Eos Manlius Ephesum venire jussit. ipse (jam enim medium autumni erat) locis gelidis propinquitate Tauri montis excedere properans victorem exercitum in hiberna maritimæ oræ reduxit.

XXVIII. Dum hæc in Asia geruntur, in cæteris provinciis tranquillæ res fuerunt. Censores Romæ T. Quintius Flamininus, & M. Claudius Marcellus [a] senatum perlegerunt. princeps in senatu tertium lectus P. Scipio Africanus, [b] quatuor soli præteriti sunt, nemo curuli usus honore. & in equitatu recensendo mitis admodum censura fuit. [c] Substructionem super Æquimælium in Capitolio, & viam silice sternendam à porta Capena ad Martis locaverunt. [1] Campani, ubi censerentur, senatum consuluerunt. decretum, uti Romæ censerentur. Aquæ ingentes eo anno fuerunt. Tiberis duodecies campum Martium planaque urbis inundavit. Ab Cn. Manlio consule bello in Asia cum Gallis perfecto, alter consul M. Fulvius perdomitis Ætolis, quum trajecisset in Cephaleniam, circa civitates insulæ missit percunctatum, utrum se dedere Romanis, an belli fortunam experiri mallent? Metus ad omnes valuit, ne deditionem recusarent. obsides inde imperatos pro viribus inopis populi [2] vicenos Nesiocæ, Cranii, Pallenses, &

INTERPRETATIO.

[a] *Recensuerunt ac suppleverunt senatum & primum inter Senatores locum continuarunt P. Scipioni Africano, qui jam bis Senatus Princeps lectus fuerat.*

[b] *Quatuor tantùm prætermissi sunt in recitandis Senatorum nominibus, atque ita Senatu moti.*

[c] *Locaverunt Censores construendum à fundamentis ædificium in area, in qua Sp. Ætalii domus fuerat in monte Capitolino, &c.*

NOTÆ.

petentibus (Romanis) *vulnera accipiebant*: quo magis perspicua fit Livii sententia.

1. *Campani ubi censerentur.*] *Capua* in præfecturam redacta bello Punico 2. ita ut nullum corpus civitatis remaneret lib. 26. cap. 16. Incolæ ἀτὸ βίας erant. Cùm itaque nullum Magistratum proprium haberent, nec Censores, quibus nomina darent, Romæ nunc censeri jubentur.

2. *Vicenos Nesiotas Cranii.*] Legebatur antèa: *Vicenos autem Cranonii*: loco particulæ *autem* subjecit Sigon. *Nesiotas*, & pro *Cranonii*, qui in Thessalia, scripsit *Cranii*: ut quatuor populi sive oppida Cephaleniæ insulæ commemorarentur: fuit quippe Cephalenia insula Tetrapolis, quæ aliàs *Samos* vel *Same*, ut Strabo notat lib. 10. quinquam in ea suo tempore duo tantùm exigua extitisse oppida tradit *Proneson & Cranios*. *Samos* autem vix superfuisse vestigia. Sed Steph. Cephali quatuor liberos, Proneum, Samum, Pelæum, & Cranium totidem ejus insulæ urbibus nomina dedisse observat in voce Κρανίον. Quibus sic positis legendum videtur *Nesiotas*, potius quam *Nesiotæ*, quod nomen insulanos in genere significat.

3 Samæi dederunt. Inſperata pax Cephalleniæ affulſerat: quum repentè una civitas, incertum quam ob cauſam, Samæi deſciverunt. Quia opportuno loco urbs poſita eſſet, timuiſſe ſe ajebant, ne demigrare cogerentur ab Romanis. cæterùm ipſine ſibi eum finxerint metum, & timore vano quietem exuerint, an jactata ſermonibus res apud Romanos perlata ad eos ſit, nihil comperti eſt, niſi quod, datis jam obſidibus, repentè portas clauſerunt: & ne ſuorum quidem precibus (miſerat enim ſub muros conſul ad tentandam miſericordiam parentum popularium-que) deſiſtere ab incœpto voluerunt. Oppugnari deinde, poſtcaquàm nihil pacati reſpondebatur, cœpta urbs eſt. apparatum omnem tormentorum machinarumque tranſvectum ab Ambraciæ oppugnatione habebat: & opera quæ facienda erant, impigrè milites perfecerunt. duobus igitur locis admoti arietes quatiebant muros. Urb. cond. an. 564. Coſſ. M. Ful. Nob. & Cn. Manlio Vulſone.

XXIX. Nec ab Samæis quicquam, quo aut opera aut hoſtis arceri poſſet, prætermiſſum eſt. duabus tamen maximè reſiſtebant rebus: una, interiorem ſemper juxta validum pro diruptо novum obſtruentes murum: altera, eruptionibus ſubitis, nunc in opera hoſtium, nunc in ſtationes: & plerumque iis prœliis ſuperiores erant. Una ad coercendos inventa haud magna memoratu res eſt. centum funditores ab Ægio & Patris & Dymis acciti. A pueris ii more quodam gentis, ſaxis globuloſis, quibus fermè arenæ immixtis ſtrata litora ſunt, funda mare apertum inceſſentes, exercebantur. itaque longiùs certiſque, & validiore ictu quàm Balearis funditor, eo telo uſi ſunt. & eſt non ſimplicis habenæ, ut Balearica aliarumque gentium funda: [1] ſed triplex ſcutale crebris futuris duratum, ne fluxa habena volutetur in jactu glans, ſed librata quum ſederit, velut nervo miſſa excutiatur. coronas modici circuli magno ex intervallo loci aſſueti trajicere, non capita ſolùm hoſtium vulnerabant, ſed quem locum deſtinaſſent oris. Eæ fundæ cohibuerunt, ne tam crebrò, neve tam audacter erumperent: adeò ut precarentur ex muris Achæos, ut parumper abſcederent: & ſe cum Ro-

NOTÆ.

3. *Samæi.*] Incolas indicat *Samos*, ſive *Sami*; quod nomen oppidi Cephalleniæ, ad Septentrionem inſulæ poſiti veſtas Ithacam: ex Strab. qui juxta anguſtias in ſinu ponit *Cranios* & *Pallenſes*. Adhuc tria hæc oppida ſuo ævo habuiſſe Cephallenian Plinius notat lib. 4. cap. 12. ubi & Samen memorat, tanquam inſulam à Cephalenia diverſam.

1. *Sed triplex ſcutale.*] Diverſam oſtendit Achæorum fundam ab ea, quæ utebantur Baleares; quod Balearica ſimplici, & una contineret habena: Achaïca verò habenam haberet triplicem reticulatam, quæ *ſcutale* diceretur, quòd loris conſtaret: eſt enim Græcis σκυτὸς, idem quòd pellis: quanquam ſunt qui *ſcutale* in neutro genere pro corio ſumant, ex quo ſcuta conficerentur. Marcello Donato videtur *ſcutale* eſſe media pars fundæ ex triplici loro coriaceo, ſeu ex triplici tela funiculove ad ſcuti formam, id eſt, orbicularem & in longum protenſum, quæ crebris futuris durata eſſet, ne fluxa habena & cum ea glans in jactu volutaretur. *Vide* Cœlii Rhodigi lib. 14. c. 7.

Urb. cond. an. 564. Coss. M. Fulv. Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

manis stationibus pugnantes quiete spectarent. Quatuor menses obsidionem Same sustinuit, quum ex paucis quotidie aliqui eorum caderent, aut vulnerarentur, & qui superarent, fessi & corporibus & animis essent; Romani nocte per arcem, quam Cyatidem vocant (nam urbs in mare devexa, in occidentem vergit) muro superato in forum pervenerunt. Samæi posteaquàm captam urbis partem ab hostibus senserunt, cum conjugibus ac liberis in majorem refugerunt arcem. inde postero die dediti, direpta urbe, sub corona omnes venierunt.

XXX. Consul compositis rebus Cephallenîæ, præsidio Samæ imposito, in Peloponnesum, jamdiu arcessentibus Ægiensibus maximè ac Lacedæmoniis, trajecit. Ægium à principio Achaici concilii semper conventus gentis indicti sunt; seu dignitati urbis id, seu loci opportunitati datum est. hunc morem Philopœmen eo primùm anno labefactare conatus, legem parabat ferre, ut in omnibus civitatibus quæ Achaici concilii essent, invicem conventus agerentur. & sub adventum consulis [1] Damiurgis civitatum, qui summus est magistratus, Ægium euocantibus, Philopœmen (prætor tum erat) Argos conventum edixit. quo cum appareret omnes ferè conventuros, consul quoque quanquam Ægiensium favebat causæ, Argos venit; [a] ubi quum disceptatio fuisset; & rem inclinatam cerneret, incœpto destitit. Lacedæmonii deinde eum in sua certamina averterunt. Sollicitam eam civitatem exules maximè habebant. quorum magna pars in maritimis Laconicæ oræ castellis, quæ omnis adempta erat, habitabant. id ægrè patientes Lacedæmonii, [2] ut aliquem liberum ad mare haberent aditum, si quando Romam, aliove quo mitterent legatos, simulque ut emporium & receptaculum peregrinis mercibus ad necessarios usus esset; nocte adorti vicum maritimum [3] nomine Lan, improviso occupavere. Vicani, quique ibi exules habitabant, primò inopinata re territi sunt: deinde sub lucem congregati, levi certamine expulerunt Lacedæmonios. terror tamen omnem maritimam oram pervasit: legatosque communiter, & castella omnia vicique & exules quibus ibi domicilia erant, ad Achæos miserunt.

XXXI. Philopœmen prætor, jàm inde ab initio exulum causę &

INTERPRETATIO.

a *Cùm Argis disceptatum esset* de loco Achaici conventus; Mc Fulvius Consul *videns eò plerosque propendere, ut per vices in cunctis fœderis Achaici urbibus celebraretur concilium, non amplius cogitavit* de causa Ægiensium fovenda.

NOTÆ.

1. *Damiurgis.*] *Damiurgi* Doricè vocantur, qui res & negotia publica civitatis administrant, iis similes qui ab Athenienſibus dicuntur *Demarchi*, quos Latini Tribunos appellant. Δημιοργοὶ nominat Dialectus communis.

2. *Ut aliquem liberum,*] Legè ex membranis, *ut aliquâ liberum.*

3. *Nomine Lan.*] Oppidum sive pagus fuit maritimus in Laconia Peloponne-

ami-

amicus, & auctor, ſemper Achæis minuendi opes & auctoritatem Lacedæmoniorum, concilium querentibus dedit. decretumque eo referente factum eſt, *Quum in fidem Achæorum tutelamque T. Quintius & Romani Laconicæ oræ caſtella & vicos tradidiſſent, & quum abſtinere his exfœdere Lacedæmonii deberent, Las vicus oppugnatus eſſet, cædeſque ibi facta; qui ejus rei auctores affineſque eſſent, niſi dederentur Achæis, violatum videri fœdus.* Ad expoſcendos eos legati extemplo Lacedæmonem miſſi ſunt. Id imperium adeo ſuperbum & indignum Lacedæmoniis viſum eſt; ut ſi antiqua civitatis fortuna eſſet, haud dubiè arma extemplo capturi fuerint. maximè autem conſternavit eos metus, ſi ſemel primis imperiis obediendo jugum accepiſſent, ne id quod jamdiu moliretur, Philopœmen exulibus Lacedæmonem traderet. Furentes igitur ira, triginta hominibus ex factione, cum qua conſiliorum aliqua ſocietas Philopœmeni atque exulibus erat, interfectis, decreverunt renunciandam ſocietatem Achæis: legatoſque extemplo Cephalleniam mittendos, qui conſuli M. Fulvio, quique Romanis Lacedæmonem dederent: orarentque eum, ut veniret in Peloponneſum ad urbem Lacedæmonem in fidem ditionemque populi Romani accipiendam. Urb. cond. an. 564. Coſſ. M. Fulv. Nob. & Cn. Manlio Vulſone.

XXXII. Id ubi legati ad Achæos retulerunt; omnium civitatum quæ ejus concilii erant, conſenſu, bellum Lacedæmoniis indictum eſt. ne extemplo gereretur, hiems impediit. Incurſionibus tamen parvis latrocinii magis quàm belli modo, non terra tantùm, ſed etiam navibus à mari fines eorum vaſtati. Hic tumultus conſulem in Peloponneſum adduxit; juſſuque ejus Elin concilio indicto, Lacedæmonii ad diſceptandum accîti. Magna ibi non diſceptatio modò, ſed etiam altercatio fuit. cui conſul quum alia, ſatis ambitioſè partem utranque fovendo, incerta reſpondiſſet; una denunciatione, ut bello abſtinerent, donec Romam legatos ad ſenatum miſiſſent, finem impoſuit. Utrinque legatio miſſa Romam eſt. exules quoque Lacedæmoniorum ſuam caulam legationemque Achæis injunxerunt. Diophanes & Lycortas Megalopolitani ambo principes legationis Achæorum fuerunt. qui diſſidentes in republica, tum quoque minimè inter ſe convenientes orationes habuerunt. Diophanes ſenatui diſceptationem omnium rerum permittebat; eos optimè controverſias inter Achæos ac Lacedæmonios finituros eſſe. Lycortas ex præceptis Philopœmenis poſtulabat, ut Achæis ex fœdere ac legibus ſuis quæ decreſſent, agere liceret: libertatemque ſibi illibatam, cujus ipſi auctores eſſent, præſtarent. Magnę auctoritatis apud Romanos tum gens Achęorum erat: novari tamen nihil de Lacedęmoniis placebat. cęterùm reſ-

NOTÆ.

ſi regione, deducto vocabulo per contractionem à nomine λαΐς, quod lapidem ſonat. Fuit autem *Las* ad ſinum Laconicum Spartæ ad meridiem, inter Gythium & Teutronen.

Urb. cond. an. 564. Coss. M. Fulv. Nob. & Cn. Manlio Vulsone.

ponsum ita perplexum fuit a ut & Achæi sibi de Lacedæmone permissum acciperent: & Lacedemonii non omnia concessa iis interpretarentur, hac potestate immodicè Achæi ac superbè usi sunt.

XXXIII. Philopœmeni continuatur magistratus, qui veris initio exercitu indicto castra in finibus Lacedæmoniorum posuit, legatos deinde misit ad deposcendos auctores defectionis: & civitatem in pace futuram, si id fecissent, pollicens, & illos nihil indicta causa passuros. Silentium præ metu cæterorum fuit, quos nominatim depoposcerat, ipsi se ituros professi sunt, fide accepta ab legatis, vim absturam, donec causam dixissent. jerunt alii etiam illustres viri, a & advocati privatis, & quia pertinere causam eorum ad rempublicam censebant. Nunquam alias exules Lacedæmoniorum Achæi secum adduxerant in fines: quia nihil æquè alienaturum animos civitatis videbatur. tunc exercitus totius propè antesignani exules erant. Ii venientibus Lacedemoniis ad portam castrorum agmine facto occurrerunt. & primò lacessere jurgiis: deinde altercationem orta, eum accenderentur iræ, ferocissimi exulum imperum in Lacedemonios fecerunt. quum illi Deos & fidem legatorum testarentur, & legati & præter summoveret turbas, & protegeret Lacedemonios, vinculaque jam quosdam inficientes arcerer: crescebat tumultu concita turba. Et ad Achæi ad spectaculum primò concurrerunt. deinde vociferantibus exulibus quæ passi forent, & oratibus opem, affirmantibusque simul, *Nunquam talem occasionem habituros, si eam prætermisissent: fœdus,* 1 *quod in Capitolio, quod* 2 *Olympiæ,* 3 *quod in arce Athenis sacratum fuisset, irritum per illos esse: priusquàm alio de integro fœdere obligarentur, noxios puniendos esse*; accensa his vocibus multitudo ad vocem unius, qui ut ferirent, inclamavit, saxa conjecit: atque ita septemdecim, quibus vincula per tumultum injecta erant, interfecti sunt: sexaginta tres postero die comprehensi, à quibus precor vim arcuerat, non quia salvos vellet, sed quia perire causa indicta nolebat, objecti multitudini iratæ, quum aversis auribus pauca locuti essent, damnati omnes: & tradi tiis sunt ad supplicium.

XXXIV. Hoc metu injecto Lacedemoniis, imperatum primum, ut muros dirnerent: deinde ut omnes externi auxiliares, qui mercede apud tyrannos militassent, terra Laconica excederent. cum, uti quæ fervitia tyranni liberassent (ea magna multitudo erat) ante diem certam abirent. qui

INTERPRETATIO.

a *Ut hinc Achæi interpretarentur ressissum ponsum Senatus Romani, quasi omnis potestas eis data esset bellandi in Lacedæmonios: contrà verò Lacedæmonii existimarent minùs in se Achæis permissum

ibi manſiſſent, eos prehendendi, vendendi, abducendi Achæis jus eſſet. Lycurgi leges, moreſque abrogarent. Achæorum aſſueſcerent legibus, inſtitutiſque. ita unius eos corporis fore, & de omnibus rebus faciliùs conſenſuros. Nihil obedientiùs fecerunt, quàm ut muros diruerent: nec ægriùs paſſi ſunt quàm exules reduci. Decretum Tegeæ in concilio communi Achæorum de reſtituendis iis factum eſt. [2] a mentione illata, externos auxiliares dimiſſos, & Lacedæmoniis adſcriptos (ita enim vocabant, qui à tyrannis liberati erant) urbe exceſſiſſe, in agros dilapſos, priuſquam dimitteretur exercitus: ire prætorem cum expeditis, & comprehendere id genus hominum, & vendere jure prædæ placuit. Multi comprehenſi venierunt. [1] porticus ex ea pecunia Megalopoli permiſſu Achæorum refecta eſt: quam Lacedæmonii diruerant. [2] Et ager Belbinites, quem injuria tyranni Lacedæmoniorum poſſederant, [3] reſtitutus eidem civitati, ex decreto vetere Achæorum: quod factum erat [4] Philippo Amyntæ filio regnante. Per hæc, velut enervata civitas Lacedæmoniorum, diu Achæis obnoxia fuit. nulla tamen res tanto erat damno, quàm diſciplina Lycurgi, [5] cui per ſeptingentos annos aſſueverant, ſublata.

Urb. cond. an. 564. Coſſ. M. Fulv. Nob. & Cn. Manlio Vulſone.

XXXV. A Concilio, ubi [1] apud conſulem inter Achæos Lacedæmoniſque diſceptatum eſt, M. Fulvius, quia jam in exitu annus erat, comitiorum cauſa profectus Romam, creavit conſules M. Valerium Meſſalam, & C. Livium Salinatorem; quum M. Æmilium Lepidum inimicum eo quoque anno petentem dejeciſſet. Prætores inde creati Q. Marcius Philippus, M. Claudius Marcellus, C. Sterninius, C. Atinius, P. Claudius.

INTERPRETATIO.

Cùm eſſet nunciatum Achæis externiis adſcriptos, ſervos nempè qui manumiſſi, qui Lacedæmone mercede conducti, miſſi fuerant à tyrannis) urbe exiſſe, & militaverant, dimiſſos fuiſſe à Lacedæmoniis, antequàm auxiliares dimiſſi eſſent, diſpermiſit, novoſque cives veteribus Lacedæmoniis eſſe per agros.

NOTÆ.

1. *Porticus ex ea pecunia.*] Aliàs *portam ex ea pecunia.*

2. *Et ager Belbinites.*] Dictus à *Belbina* oppido Laconiæ in Peloponneſo ad Eurotam fluvium, Sellaſiæ ad occaſum.

3. *Reſtitutus eidem civitati.*] Intellige Megalopoli.

4. *Philippo Amyntæ filio regnante.*] Is pater Alexandri Magni, regnavit circa annum urbis 400. id eſt, ante annos fere inde 170.

5. *Cui per ſeptingentos annos aſſueverant.*] Hunc numerum meliores codices habent, & confirmat Glar. ex Eutropio: eundem Cicero notat Oratione pro L. Flacco circa finem. Floruit autem Lycurgus ſeverè illius diſciplinæ Spartanis auctor, circa tempora Sardanapali, centum octo annis ante Olympiadis hæc autem contigerunt definente ferme Olympiade 148.

1. *Apud conſulem.*] Antè ſcriptum erat, *a conſule*: & melius, ni fallor. Eſt enim diſceptare non minus judicis, quam partium, ut apud noſtrum lib. 5. *diſceptare controverſiam*: & apud Tullium pro Milone: *Et iſte eſt prapoſitus quæſtioni qui hæc rite ſapienterque diſceptet.*

Urb. cond. an. 565. Coss. M. Valer. Messala, & C. Livio Salinatore.

Pulcher, L. Manlius Acidinus. Comitiis perfectis, consulem M. Fulvium in provinciam ad exercitum redire placuit. eique & collegæ Cn. Manlio imperium in annum prorogatum est. Eo anno in ædem Herculis signum Dei ipsius, ex decem virorum responso, & sejuges in Capitolio aurati à P. Cornelio positi. consulem dedisse, inscriptum est. Et duodecim clypea ærata ab ædilibus curulibus, P. Claudio & Ser. Sulpicio Galba, sunt posita ex pecunia, quam frumentarios ob annonam compressam damnarunt. & ædilis plebis Q. Fulvius Flaccus duo signa aurata, uno reo damnato (nam separatim accusaverant) posuit. Collega ejus A. Cæcilius neminem condemnavit. Ludi Romani ter, Plebeji quinquies toti instaurati. Marcus Valerius Messala inde, & C. Livius Salinator consulatum idibus Martiis quum iniissent, de republica deque provinciis & exercitibus senatum consuluerunt. De Ætolia & Asia nihil mutarum est. Consulibus, alteri 3 Pisæ cum Liguribus, alteri Gallia provincia decreta est. comparare inter se, aut sortiri jussi, & novos exercitus, binas legiones scribere, & ut sociis Latini nominis quina dena millia peditum imperarent, & mille ducentos equites. Messalæ Ligures, Salinatori obtigit Gallia. Prætores inde sortiti sunt. Marco Claudio urbana, Publio Claudio peregrina jurisdictio evenit. Q. Marcius Siciliam, C. Stertinius Sardiniam, L. Manlius Hispaniam citeriorem, C. Atinius ulteriorem est sortitus.

XXXVI. De exercitibus ita placuit: è Gallia legiones, quæ sub C. Lælio fuerant, ad M. Tuccium proprætorem in Bruttios traduci; &, qui in Sicilia esset, dimitti exercitum; & classem, quæ ibi esset, Romam reducere M. Sempronium proprætorem. Hispaniis legiones singulæ, quæ tum in iis provinciis erant, decretæ: & ut terna millia peditum, ducenos equites ambo prætores in supplementum sociis imperarent, secumque transportarent. Priusquàm in provincias novi magistratus proficiscerentur, supplicatio in triduum 1 pro collegio decemvirorum imperata fuit in omnibus compitis: quod luce inter horam tertiam fermè & quartam tenebræ obortæ fuerant. & novendiale sacrificium indictum est, quòd in Aventino lapidibus pluisset. Campani, quum eos ex senatusconsulto, quod priore anno factum erat, censores Romæ censeri coegissent (nam antèa incertum fuerat, ubi censerentur) petierunt, ut sibi cives Romanas ducere uxores liceret; & si qui priùs duxissent, ut habere eas; & ante eam diem nati, uti justi sibi liberi hæredesque essent: utraque res impetrata. De Formianis Fundanisque municipibus,

NOTÆ.

2. *Frumentarios ob compressam annonam.*] Damnati non immeritò avari, vel potiùs infatiabiles hi mercatores frugum, quod lucri privati causa annonam flagellassent, atque ad victum necessaria inclusa habuissent, quò cariùs populo venderent.

3. *Pisæ cum Liguribus.*] *Pisa* urbs in Tuscia, sed Ligurię proxima.

1. *Pro collegio decemvirorum.*] Imò pro arbitrio, vel è sententia collegii.

& Arpinatibus, C. Valerius Tappus tribunus plebis, promulgavit: uti iis suffragii latio (nam antè sine suffragio habuerant civitatem) esset. Huic rogationi quatuor tribuni plebis, quia non ex auctoritate senatûs ferretur, quum intercederent, edocti, populi esse, non senatûs jus, suffragium quibus velit, impartiri; destiterunt incœpto: Rogatio perlata est, ut in Æmiliâ tribu Formiani & Fundani; in Corneliâ Arpinates ferrent. atque in his tribubus tum primùm ex Valerio plebiscito censi sunt. M. Claudius Marcellus censor, sorte superato T. Quintio, lustrum condidit. censa civium capita ducenta quinquaginta octo millia, trecenta octo. Lustro perfecto, consules in provincias profecti sunt. Urb. cond. an. 565 Coss. M. Valer. Messala, & C. Livius Salinator.

XXXVII. Hieme eâ quâ hæc Romæ gesta sunt, ad Cn. Manlium consulem primùm, deinde pro consule, hibernantem in Asia, legationes undique ex omnibus civitatibus gentibusque, quæ cis Taurum montem incolunt, conveniebant: & ut clarior nobiliorque victoria Romanis de rege Antiocho fuit, quàm de Gallis; ita latior sociis erat de Gallis quàm de Antiocho. Tolerabilior regia servitus fuerat, quàm feritas immanium barbarorum, incertusque in dies terror; quo velut tempestas eos populantes inferret. itaque ut quibus libertas Antiocho pulso, pax Gallis domitis, data esset; non gratulatum modò venerant, sed coronas etiam aureas pro suis quæque facultatibus attulerant. & ab Antiocho legati, & ab ipsis Gallis, ut pacis leges dicerentur; & ab Ariarathe rege Cappadocum venerunt, ad veniam petendam, luendamque pecuniâ noxam, quòd auxiliis Antiochum juvisset. Ei [1] ducenta talenta argenti sunt imperata. Gallis responsum, quum Eumenes rex venisset, tum daturum iis leges. civitatum legationes cum benignis responsis, lætiores etiam quàm venerant, dimissæ. Antiochi legati pecuniam in Pamphyliam, frumentumque ex pacto cum L. Scipione fœdere jussi advehere, eò se cum exercitu venturum. Principio deinde veris lustrato exercitu profectus, die octavo Apameam venit. ibi triduum stativis habitis, tertiis rursus ab Apamea castris in Pamphyliam, quo pecuniam frumentumque regios convehere jusserat, pervenit. [2] mille & quinquaginta talenta argenti accepta Apameam deportantur. frumentum exercitui dividitur. Inde [3] ad Pergam ducit: quæ una in iis locis regio tenebatur præsidio. Appropinquanti præfectus præsidii obvius fuit, triginta dierum tempus petens, ut regem Antiochum de urbe tradendâ consuleret. dato tempore, ad eam diem præsidio decessum est. à Perga L. Manlio fratre cum quatuor millibus mili-

NOTÆ.

1. *Ducenta talenta.*] Nobis essent quadringenta octoginta millia librarum Francicarum. 480000. l.

2. *Mille & quinquaginta argenti.*] Scribe, *duo millia & quinquaginta*, ex Polybio & Livio lib. 37. cap. 45. Gallicè *la valeur de cinq millions de livres*.

3. *Ad Pergam ducit.*] *Perga* sive *Perge* Pamphyliæ fuit urbs ad Cestrium fluvium: hodie *Pirgi*.

Vrb. cond. an. 565. Coſſ. M. Valer. Meſſalâ, & C. Liv. Salinatore.

tum Oenoanda ad reliquum pecuniæ ex eo quòd pepigerant exigendum miſſo, ipſe quia Eumenem regem & decem legatos ab Româ Epheſum veniſſe audierat, juſſis ſequi Antiochi legatis, Apameam exercitum reduxit.

XXXVIII. Ibi ex decem legatorum ſententia fœdus in hæc verba ferè cum Antiocho conſcriptum eſt. *Amicitia Regi Antiocho cum populo Romano his legibus & conditionibus eſto. Ne quem exercitum, qui cum populo Romano ſociiſque bellum geſturus erit, rex per fines regni ſui, eorumve qui ſub ditione ejus erunt, tranſire ſinito: neu commeatu, non quâ aliâ ope juvato. Idem Romani ſociique Antiocho, & is qui ſub imperio ejus erunt, præſtent. Belli gerendi jus Antiocho ne eſto cum iis qui inſulas colunt, neve in Europam tranſeundi. Excedito urbibus, agris, vicis, caſtellis eis Taurum montem uſque a ad Halyn amnem, & a valle Tauri uſque ad juga qua in Lycaoniam vergit. ne qua arma efferto ex iis oppidis, agris, caſtelliſque, quibus excedat. ſi qua extulit, * quæ quoque oportebit, rectè reſtituito. Ne militem, neu quem alium ex regno Eumenis recipito. Si qui earum urbium cives b qua regno abſcedunt cum rege Antiocho, intraque fines ejus regni ſunt, Apameam omnes ante diem certam redeant. Qui ex regno Antiochi apud Romanos ſociiſque ſunt, iis jus abeundi manendique eſto. Servos, ſeu fugitivos, ſeu bello captos, ſeu qui liber captus aut tranſfuga erit, reddito Romanis ſociiſque. Elephantos tradito omnes, neque alios parato. Tradito & naves longas armamentaque earum: neve plures 3 quàm decem naves actuarias (nulla pluſ-*

INTERPRETATIO.

a *Ea reſtituat bonâ fide in eo loco quò unaquæque earum verum reſtituenda erit.*

b *Quæ auferuntur Antiochoregi.*

NOTÆ.

1. *Ad Halyn amnem.*] Procul hinc *Tanais*, qui Europam ab Aſia ſejungit, atque Mœotidem paludem influit. Rectè itaque opinor Gron. poſt Badæum ex Strab. lib. 6. *Halyn* legit, contra vulgatam lectionem, *ad Tanaim*.

2. *A valle Tauri uſque ad juga quâ in Lycaoniam vergit.*] Cùm per totam ferè Aſiam Taurus mons aſſurgat, difficile dictu eſt quæ ſit hæc *vallis Tauri*. Quia tamen Pamphyliâ excedere videmus Antiochi præſidia, fallor aut eo nomine hic intelligitur plana regio, quæ Tauri velut brachiis circumſcripta à Pamphylio mari in Mauri um & Lycaoniam protenditur: rita ut in Aſia minori ſolam Antiocho Ciliciam relictam fuiſſe appareat.

3. *Quàm decem naves actuarias.*] Diſſentit hic Polyb. in fragmentis à noſtro, & Appian. Etenim Polybius cum T. Livio naves longas Antiocho ademptas attcum velis & inſtrumentis, cujus rei nonmeminit Appianus. Rurſus hic cataphractas duodecim Antiocho ait conceſſas, quibus uti poſſet bello in ſubditos movendo, has decem tantùm numerat Polybius; pro cataphractis autem totidem actuarias. Livius dicit: cui in hoc quoque convenit cum Polybio, quòd actuariam quæ triginta remis ageretur negat fuiſſe permiſſam. bellum aliis inferentiſ: cùm. Appianus ſcribat bellantem eum pluribus. (quàm duodecim. cataphractis) uti per leges fœderis potuiſſe. Quamobrem ohm certum ſit in his Livium auctore Polybio maximè uſum, Gronov. eos ita conciliari poſſe putat, ſi apud noſtrum legamus: *tradito & naves, &c.*

quàm triginta remis agatur) habeto: neve monerem ex belli causa, quod ipse illaturus erit. Neve navigato 4 citra Calycadnum, neve Sarpedonem, promontoria: extra quam si qua navis pecuniam, stipendium, aut legatos, aut obsides portabit. Milites mercede conducendi ex iis gentibus, quæ sub ditione populi Romani sunt, Antiocho regi jus ne esto. ne voluntarios quidem recipiendi. Rhodiorum sociorumve quæ ædes ædificiaque intra fines regni Antiochi sunt, quo jure ante bellum fuerunt, eo Rhodiorum sociorumve sunto. Si quæ pecuniæ debentur, earum exactio esto. Si quid ablatum est, id conquirendi, cognoscendi, repetendique jus itemesto. Si quas urbes, quas tradi oportet, ii tenent, quibus Antiochus dedit, ex iis præsidia deducito: utique rectè tradantur, curato. Argenti probi 5 duodecim millia Attica talenta dato intra duodecim annos pensionibus æquis. 6 Talentum ne minùs pondo octoginta Romanis ponderibus pendat, & tritici quingenta quadraginta millia modium. 7 Eumeni regi talenta trecenta quinquaginta intra quinquennium dato: & pro frumento quod æstimatione fiat, 8 talenta centum viginti septem. Obsides Romanis viginti da-

Urb. cond. an. 565. Coss. M. Val. Messala, & C. Liv. Salinatore.

NOTÆ.

ges, armamentaque eorum: neve plures quàm decem naves, actuariam nullam, quæ triginta remis agatur habeto: neve monerem ex bellicausa quod ipse illaturus erit. Ut sensus fit, coactum Antiochum maximam navium partem tradere, ita ut nonnisi decem constratas, (quæ longarum numero sunt,) retineret ad regni scilicet præsidium, subditosque in obsequio continendos. Quòd si bellum ab iis lacesseretur quibuscum jus bellandi ei relictum à Romanis erat, tum etiam pluribus ei ad eos propulsandos uti liceret. Ad inferendum autem ultrò bellum ne unicam quidem actuariam habere triginta remorum, quod ex consequendi propulsandi belli causâ non veteretur.

4. *Citra Calycadnum.*] Hoc fluvio separatur Cilicia Aspera, quæ ad occidentem est, à Campestri, quæ ad ortum. Ad ejus ostia promontoria duo sunt: alterum *Calycadni* nomine, ad levam & ortum: alterum à dextra atque occasum versus, nomine *Sarpedon*.

5. *Duodecim millia Attica talenta.*] Imò, inquit Gron. *Atticùm talentùm:* respondetque hæc pecunia viginti octo millionibus nostris, & octingentis librarum millibus.

6. *Talentum ne minùs pondo octoginta Romanis ponderibus pendat.*] Sexagìnta minæ Atticæ, quæ sex drachmarum millia continent, talentum Atticum conficiunt. At cum drachmæ Atticæ Romanis ferè denariis responderent: denarii autem sex & nonaginta libram absolverent, qui pro centenis numerabantur, quemadmodum drachmæ: mirum est nunc pro sexaginta libris, sive pondo, octoginta in talento numerari. Verùm veteris talenti & antiquarum drachmarum, quæ ante Solonem ponderosiores fuerant, rationem habuisse videntur Romani in his pacis cum Antiocho legibus, quo eam bellicam mulctam quartâ parte augerent: sic imperati sex fermè supra triginta millionem.

7. *Eumeni regi talenta trecenta quinquaginta.*] Efficit hæc summa libras notrates 840000.

8. *Talenta centum viginti septem.*] Id est, monetâ nostr. 3048000. libræ, Imensis ejusmodi belli sumptibus, & gravi tributo exhaustus Antiochus, avidusque parandæ pecuniæ in Elymæos protectus est, templum ibi opulentissimum spoliaturus; sive Dianæ, ut Polyb. in excerptis Vales. scribit: seu Jovis, ut Justin. 32. 2o. seu potiùs Beli, ut Strabo. Verùm ab accolis repulsus est, aut etiam cum exercitu delectus.

Urb. cond. an. 565. Coss. M. Valer. Meſſalâ, & C. Liv. Salinatore.

to: & triennio mutato, ne minores octonum denum annorum, neu majores quinum quadragenum. Si qui ſociorum populi Romani ultrò bellum inferent Antiocho, vim vi arcendi jus eſto: dum ne quam urbem aut belli jure teneat, aut in amicitiam accipiat. Controverſias inter ſe jure ac judicio diſceptanto; aut ſi utriuſque placebit, bello. 9 De Annibale Pœno, 10 & Ætolo Thoante, & Mnaſimacho Acarnane, & Chalcidenſibus, Eubulida & Philone, dedendis in hoc quoque fœdere aſcriptum eſt. & ſi quid poſteà addi, demi, mutarive placuiſſet, ut id ſalvo fœdere fieret.

XXXIX. 7 Conſul juravit in hoc fœdus: ab rege qui exigerent jusjurandum, profecti Q. Minucius Thermus, & L. Manlius qui tum fortè ab Oenoandis rediit: & Q. Fabio Labeoni, qui claſſi præerat, ſcripſit, ut Patara exemplo proficiſceretur: quæque ibi naves regiæ eſſent, concideret, cremaretque. Profectus ab Epheſo quinquaginta tectas naves aut concidit, aut incendit. 1 Telmeſſum eâdem expeditione (territis ſibi to adventu claſſis oppidanis) recepit. Ex Lycia protinùs, juſſis ab Epheſo ſequi, qui ibi relicti erant, per inſulas in Græciam trajecit. Athenis paucos moratus dies, dum Pyræum ab Epheſo naves venirent, totam inde claſſem in Italiam reduxit. Cn. Manlius, quum inter cætera, quæ accipienda ab Antiocho erant, elephantos quoque accepiſſet, donoque Eumeni omnes dediſſet: deinde cauſas civitatum, multis inter novas res turbatis, cognovit. Et Ariarathes rex, parte dimidiâ pecuniæ imperatæ, Eumenis beneficio, 2 cui deſponderat pereos dies filiam, remiſsâ, in amicitiam eſt accepeus. Civitatum autem cognitis cauſis, decem legati aliam aliarum fecerunt conditionem. Quæ ſtipendiariæ regi Antiocho fuerant, & eum populo Romano ſenſerant iis, immunitatem dederunt: quæ partium Antiochi fuerant, aut ſtipendiariæ Attali regis, eas omnes vectigal pendere Eumeni juſſerunt. nominatim

NOTÆ.

Diodorus expilaſſe quidem templum narrat, ſed brevi Diis pœnas dediſſe. His haud abſimile de filio ejus Epiphane alii tradunt, ut lib. 41. videbimus. Magnum verò à ſodalibus, quos temulentus in convivio pulſaverat, occiſum narrat Aurel. Victor. Mortem ejus, ut minus compertam prætermiſerunt & Titus noſter & Appianus.

9. *De Annibale Pœno.*] Annibal ut Africâ exceſſerit, atque ad Antiochum confugerit, vidimus lib. 33. cap. 48. & lib. 34. cap 60. Is ab Antiocho monitus in Cretam fugit, ubi cùm ſe invidioſum ob nimias opes eſſe comperiſſet, amphoras plumbo repletas in templo Dianæ depoſuit, tanquam fortunæ ſuæ præſidia: ſicque minùs ſolicitâ de ſe civitate, ut quæ theſauros ejus apud ſe fidei certiſſima pignora teneret, ad Pruſiam contendit, auro ſuo in ſtatuis quas ſecum portabat infuſo, ne conſpectæ opes vitæ nocerent, ut Juſtinus teſtatur 32. 4. poſt Cornel. Nepotem, & Plut.

10. *Et Ætolo Thoante*, &c.] De his lib. 37. cap. 45.

1. *Telmeſſum.*] Maritima fuit Lyciæ urbs *Telmeſſus* inter Dædala & Patara, ad promontorium ſui nominis: *Telmiſſus* Strabonis.

2. *Cui deſponderat paſſos dies filiam.*] Stratonice Ariarathis V. Cappadociæ regis filia, Secundo regi Pergameno nupſit: deinde Attalo ejus fratri.

præ-

præterea Colophoniis 3 qui in Notio habitant, & Cymæis, 4 & Milesiis immunitatem concesserunt. Clazomeniis super immunitatem & 5 Drymusam insulam dono dederunt: & Milesiis, quem sacrum appellant, agrum restituerunt: & Iliensibus Rhœteum 6 & Gergithum addiderunt; non tam ob recentia ulla merita, quàm 7 originum memoria. eadem & Dardanum liberandi causa fuit. Chios quoque, & Smyrnæos, & Erythræos, pro singulari fide quam eo bello præstiterant, & agro donarunt, & in omni præcipuo honore habuerunt. Phocæensibus & ager, quem ante bellum habuerunt redditus, & ut legibus antiquis uterentur, permissum. Rhodiis affirmata, quæ data priore decreto erant. Lycia & Caria datæ usque ad Mæandrum amnem, 8 præter Telmissum. Regi Eumeni Chersonneſum in Europa, & Lysimachiam, castella, vicos, agros, quibus finibus tenuerat Antiochus, adjecerunt: in Asia 9 Phrygiam utramque: alteram ad Hellespontum, majorem alteram vocant: & Mysiam, quam Prusias rex ademerat, ei restituerunt: & Lycaoniam, 10 & Mysiada, & Lydiam, & nominatim urbes, Tralles, atque Ephesum & Telmissum. De Pamphylia disceptatum inter Eumenem & Antiochi legatos quum esset, quia pars ejus citra, pars ultra Taurum est; integra res ad senatum rejicitur.

Urb. cond. an. 565. Coss. M. Valer. Messalâ & M. Liv. Salinatore.

XL. His fœderibus decretisque datis, Manlius cum decem legatis omnique exercitu ad Hellespontum profectus; evocatis eò regulis Gallorum, leges, quibus pacem cum Eumene servarent, dixit, denunciavitque, ut morem vagandi cum armis finirent, agrorumque suorum terminis se continerent. Contractis deinde ex omni orâ navibus, & Eumenis etiam classe 1 per

NOTÆ.

3. *Qui in Notio habitant.*] *Notium* oppidum est Joniæ, juxta Colophonem, ad Jonicum sinum.

4. *Et Milesiis.*] Badius Ascensius id nominis huc invexit, quod ex Mogunti-nâ editione vulgò acceptum; cùm aliis legeretur *Miloseuio*: verior lectio est *Mylasenis*, ut ex Polybio discimus: & *Mylasa, ortum*, sive *Mylassa*, olim Cariæ regia, urbs fuit maritima, ad sinum Jasicum: hodie *Messi*, vel ut alii volunt, *Melasso*.

5. *Drymusam insulam.*] Exigua est insula sinûs Smyrnæi juxta Clazomenas Joniæ urbem.

6. *Et Gergithum.*] Oppidum fuit Mysiæ minoris, quæ postea Hellespontus, Abydo ad ortum, quemadmodum Rhœteum.

7. *Originum memoria.*] Romanos à Trojanis ortos tritum est: Troadis autem urbes fuere Ilium & Dardanum.

8. *Præter Telmissum.*] *Telmissum* five *Telmessum* oppidum Cariæ fuit, unum è sex Halicarnasso contributis ab Alexandro Magno, ut notat Plin. lib. 5. cap. 29. diversum à Telmisso Lyciæ.

9 *Phrygiam utramque.*] Minorem, quæ & Troas, ad meridiem minoris Mysiæ (cum qua sæpiùs confunditur) & Majorem.

10. *Et Mysiada.*] *Mylias* urbis nomen est & regionis: urbs in Pamphylia fuit, ejusque regione Carbalia inter Cestrium & Eurymedontem fluvios: hodie, ut ajunt, *Milia*: Regio verò pars prius fuerat meridionalis magnæ Phrygiæ, sed Lyciæ deinde adscripta.

1. *Per Athenæum.*] Eumenis II. regis Pergameni fratrem natu minimum, qui cum eo conjunctissimè vixit, natus Attalo I. Pergami rege ex Apolloniade Cyzicenâ muliere plebejâ.

Urb. cond. an. 565. Coss. M. Lepidus, M. Messala, & M. Livius Salinator.

Athenæum fratrem regis ab Elæa adducta, copias omnes in Europam trajecit. inde [2] per Chersonesum modicis itineribus, grave prædâ omnis generis agmen trahens, Lysimachiæ stativa habuit: ut quàm maximè recentibus & integris jumentis Thraciam, per quam iter vulgò horrebant, ingrederetur. Quo profectus est ab Lysimachia die: [3] ad amnem Melana, quem vocant; inde postero die Cypsela pervenit. à Cypselis via decem millium ferè sylvestris, angusta, confragosa excipiebat. propter cujus difficultatem itineris in duas partes divisus exercitus, & præcedere unâ justâ, altera magno intervallo cogere agmen, media impedimenta interposuit: plaustra cum pecunia publica erant, pretiosisque aliâ præda. Itaque quum per saltum iret, Thracum decem haud ampliùs millia ex quatuor populis, [4] Astii, [5] & Cæni, & [6] Maduateni, & [7] Cœletæ, [8] ad ipsas angustias viam circumsederunt. Opinio erat, non sine Philippi regis Macedonum fraude id factum. eum scisse non aliâ quàm per Thraciam reditturos Romanos, & quantam pecuniam secum portarent. In primo agmine imperator erat, solicitus propter iniquitatem locorum. Thraces nihil se moverunt, donec armati transirent. posteaquàm primos superasse angustias viderunt, postremos nondum appropinquantes, impedimenta & farcinas invadunt. cæsisque custodibus, partim ea quæ in plaustris erant, diripere, partim sub oneribus jumenta abstrahere. Unde posteaquàm clamor primùm ad eos qui jam ingressi saltum sequebantur, deinde eriam ad primum agmen est perlatus, utrinque in medium concurritur, & inordinatum simul pluribus locis prœlium conseritur. Thracas prædâ ipsâ impeditos oneribus, & plerosque (ut ad rapiendum manus vacuas haberent) inermes, ad cædem præbet; Romanos iniquitas locorum, barbaris per calles notos incursantibus, & latentibus interdum per cavas valles, prodebat. ipsa etiam onera plaustraque, ut fors tulit, his aut illis incommodè objecta pugnantibus impedimento sunt: alibi prædo, ali-

NOTÆ.

2. *Per Chersonesum.*] Thracicam scilicet. Chersonesi enim nomen generale est, peninsulam significans.

3. *Ad amnem Melana.*] *Melas* non amnis fluvii nomen est, quod nigrum sonat. Hic per Thraciam in sinum Melanem ad Cardiam urbem influens, ad potandum Xerxis exercitum non sufficiisse memoratur ab Herodoto. Nardo hodie *La Mera*, Bellonio *Larissa*.

4. *Astii.*] Ab his *Astica* regiuncula *Astoram* Thraciæ populorum meminit Strabo lib. 7. qui eam gentem supra Byzantium ponit, eique *Calyben* urbem attribuit, quæ Ptolemæo *Calybia*.

5. *Et Cæni.*] Ab his *Cænica* regio Thraciæ, sub Rhodope.

6. *Maduateni.*] Nam potiùs *Madytæni*, à Madyto seu Madytis urbe, Chersonesi Thraciæ metropoli, quæ nunc *Mayton*.

7. *Cœletæ.*] His quoque nomen dedit *Cœlos*, sive *Cœla* urbs ad Chersonesi ejusdem oram occidentalem, juxta Alopeconnesum insulam, ubi Lacedæmonii ab Atheniensibus navali pugna superati cladem haud modicam acceperunt.

8. *Ad ipsas angustias.*] Intelligit, opinor, Chersonesi Isthmum, qui inter Lysimachiam & Cardiam.

bi prædæ vindex cadit. Prout locus iniquus æquusve his aut illis, prout animus pugnantium est, prout numerus (alii enim pluribus quam ipsi erant, alii paucioribus occurrerant) varia pugnæ fortuna est. multi utrinque cadunt. Iam nox appetebat, quum prœlio excedunt Thraces; non fuga vulnerum, aut mortis, sed quia satis prædæ habebant. Urb. cond. an. 565. Coss. M. Valer. Messala, & M. Liv. Salinatore.

XLI. Romanorum primum agmen extra saltum [1] circa templum Bendidium castra loco aperto posuit: pars altera ad custodiam impedimentorum medio in saltu, duplici circumdata vallo, mansit. Postero die priùs explorato saltu quàm moverent, primis se conjungunt. In eo prœlio, quum & impedimentorum pars de calonum, & milites aliquot, quum passim toto propè saltu pugnaretur, cecidissent; plurimum Q. Minucii Thermi morte damni est acceptum, fortis ac strenui viri. Eo die [2] ad Hebrum flumen perventum est. inde Æniorum fines præter Apollinis, [3] Zerynthium quem vocant incolæ, templum, superant. Aliæ angustiæ [4] circa Tempyra excipiunt, (hoc loco nomen est) nec minùs confragosæ, quàm priores; sed quia nihil sylvestre circà est, ne latebras quidem ad insidiandum præbent. Huc ad eamdem spem prædæ [5] Thrausi (gens & ipsa Thracum) convenêre: sed quia nudæ valles procul ut conspicerentur angustias obsidentes, efficiebant; minùs terroris tumultusque fuit apud Romanos. quippe etsi in quo loco, prœlio tamen justo, acie aperta, collatis signis dimicandum erat. Conferti subeuntes cum clamore, impetu facto primùm expulere loco hostes; deinde avertêre fuga inde cædesque suis ipsos impedientibus angustiis, fieri cœpta est. Romani victores ad vicum Maronitarum (6 Saren appellant) posuerunt castra. postero die patenti itinere Priaticus campus eos excepit, triduumque ibi frumentum accipientes mansêrunt; partim ex agris,

NOTÆ.

1. *Circa templum Bendidium.*] Templum fuit Dianæ, quæ lingua Thracum *Bendis* appellabatur, auctore Hesychio: unde & ejus feriæ Athenienſibus *Bendidia* dicta. Apparet autem fuisse circa Doriscum, haud procul Hebro flumine.

2. *Ad Hebrum.*] *Hebrus* Plinio, Ptol. *Ebrus* absque aspiratione, flavius est Thraciæ proprie dictæ, per Philippopolim (quæ priùs Eumolpias, eademque Poneropolis) per Uscudamam (quæ post Adrianopolis, perque Vernim (quæ deinde Trajanopolis) ac Dymen, seu Doriscum in Ægæum mare se evolvens, inter Ænum ad lævam & Zerynthum ad dextram è regione Samothraces insulæ: hodie *Marixa* Mercatori & Nigro.

3. *Zerynthium quem vocant incolæ.*] *Zerinthus* urbs fuit Thracica, ubi Apollinis templum, auctore Livio, hoc loco: antrum Hecates, sive Dianæ vocatur à Lycophrone.

4. *Circa Tempyra.*] Fortè idem locus quem *Imparæ*, seu *Imparim* alii vocant; in Bistonia Thraciæ regione.

5. *Thrausi.*] Thracum gens fuit, à quibus Drosica, ni fallor, præfectura apud Ptol. Fortè & Doriscus locus apud Plin. diversi à *Thraustis* Stephani, qui eos alio nomine *Agathyrsos* fuisse appellatos testatur. Constat autem ex Ptol. *Agathyrsos* Scythicam fuisse nationem.

6. *Saren appellant.*] Pagi nomen est in agro Maronæ, ubi & Priaticus campus: fortè à redimendis captivis sic nomen natus.

(Vid. cond. an. 565. Coss. M. Valer. Messala, & M. Liv. Salinatore.

Maronitarum, conferentibus ipsis, partim ex navibus suis, quæ cum omnis generis commeatu sequebantur. Ab stativis, [7] diei via Apolloniam fuit. hinc per Abderitarum agrum [8] Neapolim perventum est. Hoc omne per Græcorum colonias pacatum iter fuit. reliquum inde per medios Thracas dies noctesque, & si non infestum, suspectum tamen, donec in Macedoniam pervenerunt. Mitiores Thracas idem exercitus, quum à Scipione eadem via duceretur, habuerat: nullam ob aliam causam, quàm quòd prædæ minus, quod peteretur, fuerat. Quanquam tum quoque Claudius auctor est, ad quindecim millia Thracum, præcedenti ad explorandà loca agmen Mutini Numidæ occurrisse. quadringentos equites fuisse Numidas, paucos elephantos. Mutinis filium per medios hostes cum centum quinquaginta delectis equitibus perrupisse. eumdem mox, quum jam Mutines in medio elephantis collocatis, in cornua equitibus dispositis, manum cum hoste conseruisset, terrorem ab tergo præbuisse. atque inde turbatos equestri velut procella hostes, ad peditum agmen non accessisse. Cn. Manlius per Macedoniam in Thessaliam exercitum traduxit. inde per Epirum Apolloniam quum perveniset; nondum adeo hiberno contempto mari, ut trajicere auderet, Apolloniæ hibernavit.

XLII. Exitu propè anni M. Valerius consul ex Liguribus ad magistratus subrogandos Romam venit: nulla memorabili in provincia re gesta, ut ea probabilis moræ causa esset, quòd solito seriùs ad comitia venisset. Comitia consulibus rogandis fuerunt ante diem duodecimum Calendas Martias. creati M. Æmilius Lepidus, C. Flaminius. Postero die prætores facti, App. Claudius Pulcher, Ser. Sulpicius Galba, Q. Terentius Culleo, L. Terentius Massaliota, Q. Fulvius Flaccus, M. Furius Crassipes. comitiis perfectis, quas provincias prætoribus esse placeret, retulit ad senatum consul. decreverunt duas Romæ juris dicendi causa, duas extra Italiam, Siciliam & Sardiniam: duas in Italia, Tarentum & Galliam. & extemplo, priusquàm inirent magistratum, sortiri jussi. Ser. Sulpicius urbanam, Q. Terentius peregrinam est sortitus, L. Terentius Siciliam, Q. Fulvius Sardiniam, App. Claudius Tarentum, M. Furius Galliam. Eo anno L. Minucius Myrtilus, & L. Manlius, quòd legatos Carthaginienses pulsasse dicebantur, jussu M. Claudii prætoris urbis [1] per fœciales traditi sunt legatis, & Carthaginem avecti. In Liguribus

NOTÆ.

7. *Diei via Apolloniam.*] Hæc *Apollonia* Thraciæ inter Maroneam & Abderam sita, alia fuit ab ea quæ ad Pontum Euxinum in ipsa Thracia, aliisque pluribus ejusdem nominis urbibus, tum in Macedonia, tum alibi.

8. *Neapolin perventum est.*] Hæc *Neapolis* maritima fuit urbs Edonidis Macedonicæ provinciæ, aliàs Thraciæ, ad Strymonium sinum, inter ostia Nessi & Strymonis fluviorum. Hodie *Christopoli* Nigro & Sophiano.

1. *Per fœciales traditi sunt.*] Egregium observati à Romanis gentium juris exemplum, præsertim erga Carthaginienses populi Romani jam tributarios.

magni belli, & gliſcentis in dies magis, fama erat. itaque conſulibus novis, quo die de provinciis & de republica retulerunt, ſenatus utrique Ligures provinciam decrevit. Huic ſenatuſconſulto Lepidus conſul intercedebat, *indignum eſſe prædicans, conſules ambo in valles Ligurum includi. M. Fulvium & Cn. Manlium biennium jam, alterum in Europa, alterum in Aſia, velut pro Philippo atque Antiocho ſubſtitutos regnare. ſi exercitus in his terris eſſe placeat, conſules iis potiùs quàm privatos præeſſe oportere. Vagari eos cum belli terrore per nationes quibus bellum indictum non ſit, pacem pretio venditantes. ſi eas provincias exercitibus obtinere opus eſſet; ſicut Manlio, L. Scipioni conſulibus M. Fulvius & Cn. Manlius ſucceſſiſſent conſules; ita Fulvio Manlioque C. Livius, & M. Valerius conſules, debuiſſe ſuccedere. nunc certè perfecto Ætolico bello, recepta ab Antiocho Aſia, devictis Gallis, aut conſules ad exercitus conſulares mitti, aut reportari legiones inde, reddique tandem reipublicæ debere.* Senatus, his auditis, in ſententia perſeveravit, ut conſulibus ambobus Ligures provincia eſſet: Manlium Fulviumque decedere de provinciis, & exercitus inde deducere, ac redire Romam, placuit. Urb. cond. an. 565. Coſſ. M. Valer. Meſſala, & M. Liv. Salinator.

XLIII. Inimicitiæ inter M. Fulvium & M. Æmilium conſulem erant: & ſuper cætera Æmilius, ſeriùs biennio ſe conſulem factum M. Fulvii opera ducebat. itaque ad invidiam ei faciendam, legatos Ambracienſes, in ſenatum, [a] ſubornatos criminibus, introduxit. *Quiſibi quum in pace eſſent, imperataque à prioribus conſulibus feciſſent, & eadem præſtare obedienter M. Fulvio parati eſſent, bellum illatum queſti; agros primùm depopulatos, terrorem direptionis & cædis urbi injectum, ut eo metu claudere cogerentur portas. Obſeſſos deinde, & oppugnatos ſe, & [b] omnia exempla belli edita in ſe, cædibus, incendiis, ruinis, direptione urbis: conjuges, liberos in ſervitium abſtractos: bona adempta: & quod ſe ante omnia moveat, templa tota urbe ſpoliata ornamentis. ſimulacra Deum, [1] Deos imo ipſos, convulſos ex ſedibus ſuis, ablatos eſſe: parietes poſſeſque nudatos. Quos adoreut, ad quos precentur & ſupplicent, [2] Ambracienſibus non ſupereſſe.* Hæc quærentes, interrogando criminoſè ex compoſito conſul ad plura, velut non ſua ſponte dicenda, oliciebat. Moris Patribus, alter con-

INTERPRETATIO.

a *Criminationibus inſtructis.* b *Cuncta belli mala adverſum ſe commiſſa eſſe.*

NOTÆ.

1. *Deos imò ipſos.*] Sic rectè ſcripti & editi veteres: poſtea ſcripſere *Deos demum ipſos*: quaſi particula *imò* nonniſi initio membri uſurparetur: cùm tamen l. 26. cap. 40. legatur apud noſtrum, *maneant imò*, *inquit Marcellus*, &c. & lib. 35. c. 49. *nihil imò tam alienum rebus veſtris eſt.*

2. *Ambracienſibus non ſupereſſe.*] Immiſſa eſt negatio à Sigon. In ſcriptis unoductu habetur: *parietes poſſeſque nudatos, quos adorent, ad quos precentur & ſupplicent, Ambracienſibus ſupereſſe.* Illa autem, *ad quos precentur*, ſignificant *verſus quos, circa quos preces fundere poſſint.* raptis ſcilicet Deorum ſimulacris, nihil præter parietes in templis ſupereſſe

Urb. cond. an. 565. Coss. M. Valer. Messala, & M. Liv. Salinatore.

sul C. Flaminius M. Fulvii causam excepit: qui *veterem & obsoletam viam ingressos Ambracienses* dixit. *Sic M. Marcellum à Syracusanis, sic Q. Fulvium à Campanis accusatos. quin eadem opera T. Quintium à Philippo rege, Man. Acilium & L. Scipionem ab Antiocho, C. Manlium à Gallis, ipsum Fulvium ab Ætolis & Cephallenia populis accusari paterentur. Ambraciam oppugnatam & captam, & signa inde ornamentaque ablata, & cætera facta, quæ captis urbibus soleant, negaturum aut me pro M. Fulvio, aut ipsum M. Fulvium censetis, Patres Conscripti: qui ob has res gestas triumphum à vobis postulaturus sit; Ambraciam captam, signaque, quæ ablata crimnantur, & cætera spolia ejus urbis ante currum laturus, & fixurus in postibus suis? Nihil est, quod se ab Ætolis separent. eadem Ambracienssum & Ætolorum causa est. Itaque collega meus, vel in alia causa inimicitias exerceat; vel si in hac utique mavult, retineat Ambracienses suos in adventum M. Fulvii. Ego nec de Ambraciensibus, nec de Ætolis decerni quicquam absente M. Fulvio patiar.*

XLIV. Quum Æmilius callidam malitiam inimici, velut omnibus notam insimularet, & tempus eum morando extracturum diceret, ne consule inimico Romam rediret; certamine consulum biduum absumptum est, nec præsente Flaminio decerni quicquam videbatur posse. Captata occasio est, quum æger fortè Flaminius abesset. & referente Æmilio senatusconsultum factum est, *Ut Ambraciensibus omnes suæ res redderentur: in libertate essent, ac legibus suis uterentur: portoria, quæ vellent, terra marique caperent, dum eorum immunes Romani ac socii Latini nominis essent. Signa, aliaque ornamenta, quæ quererentur ex ædibus sacris sublata esse; de iis quum M. Fulvius Romam revertisset, placere ad collegium pontificum referri, & quod ii censuissent, fieri.* Neque his contentus consul fuit, sed postea per infrequentiam adjecit senatusconsulto, Ambraciam non videri vi captam esse. Supplicatio inde ex decemvirorum decreto pro valetudine populi fuit per triduum: quia gravis pestilentia urbem atque agros vastabat. Latinæ inde fuerunt. Quibus religionibus liberati consules, & delecta perfecto (novis enim uterque maluit uti militibus) in provinciam profecti sunt: vetereſque omnes dimiserunt. Post consulum profectionem Cn. Manlius proconsul Romam venit, cui quum ab Ser. Sulpicio prætore senatus ad ædem Bellonæ datus esset, & ipse commemoratis rebus ab se gestis postulasset, ut ob eas Diis immortalibus honos haberetur sibiq; triumphanti urbem invehi liceret; contradixerunt pars major decem legatorum, qui cum eo fuerant, & ante alios L. Furius Purpureo, & L. Æmilius Paullus.

NOTÆ.

3. *Et fixurus in postibus suis.*] Hic emptoribus refigere, aut tollere: Romanis mos, ut victores spoliis hostium postes ædium suarum ornarent: quæ ne alienatis quidem ædibus licebat.

1. *Latina inde fuerunt.*] Feriæ nimirùm.

XLV. *Legatos ſeſe Cn. Manlio datos pacis cum Antiocho faciendæ cauſa, fœderiſque & legum, quæ cum L. Scipione inchoatæ fuiſſent, perficiendarum. Cn. Manlium fumma ope tetendiſſe, ut eam pacem turbaret, & Antiochum, ſi ſui poteſtatem feciſſet, inſidiis exciperet: ſed illum cognita fraude conſulis, quum ſæpè colloquiis petitis captatus eſſet, non congreſſum modo, ſed conſpectum etiam ejus vitaſſe. Cupientem tranſire Taurum, ægrè omnium legatorum precibus, ne carminibus Sibyllæ prædictam ſuperantibus terminos fatales cladem experiri vellet, retentum. admoviſſe tamen exercitum, & prope ipſis jugis* [1] *ad divortia aquarum caſtra poſuiſſe. Quum nullam ibi cauſam belli inveniret, quieſcentibus regiis,* [2] *circumegiſſe exercitum ad Gallogræcos: cui nationi non ex ſenatus auctoritate, non populi juſſu bellum illatum. quod quem unquam de ſua ſententia facere auſum? Antiochi, Philippi, Annibalis & Pœnorum recentiſſima bella eſſe. de omnibus his conſultum ſenatum, populum juſſiſſe, ſæpe legatos ante miſſos, res repetitas: poſtremo qui bellum indicerent miſſos. Quid eorum, Cn. Manli, factum eſt, ut iſtud publicum populi Romani bellum, & non tuum privatum latrocinium dicamus? At eo ipſo contentus fuiſti. rectò itinere duxiſti exercitum ad eos, quos tibi hoſtes deſumpſeras: an & per omnes anfractus viarum, quum ad bivia conſiſteres, ut quo flexiſſet agmen Attalus Eumenis frater, eo conſul mercenarius, cum exercitu Romano ſequereris, Piſidiæ Lycaoniæque & Phrygiæ receſſus omnes atque angulos peragraſti, ſtipem à tyrannis caſtellaniſque deviis colligens? Quid enim tibi cum Oenoandis? quid cum aliis æque innoxiis populis? Bellum autem ipſum, cujus nomine triumphum petis, quomodo geſſiſti? Loco æquo, tempore tuo pugnaſti? Tu vero recte, ut Diis immortalibus bonos habeatur, poſtulas: primum, quod pro teritate imperatoris, nullo jure gentium bellum inferentis, pœnas luere exercitum noluerunt: deinde, quod belluas, non hoſtes nobis objecerunt.*

Urb. cond. ann. 565. Coſſ. M. Valer. Meſſala, & M. Liv. Salinatore.

XLVI. *Nolito nomen tantum exiſtimare mixtum eſſe Gallogræcorum, multo ante & corpora & animi mixti ac vitiati ſunt. Anſi illi Galli eſſent, cum quibus millies vario eventu in Italia pugnatum eſt,* [a] *quantum in imperatore noſtro fuit, nuncius illinc rediſſet? Bis cum iis pugnatum eſt, bis loco iniquo ſubiit, in valle inferiore pedibus pæne hoſtium aciem ſubjecit; ut ſi non tela ex ſuperiore loco mitterent, ſed corpora ſua nuda injicerent, obruere nos potuerint. Quid igitur incidit? magna fortuna populi Romani eſt, magnum*

INTERPRETATIO.

a *Quæ fuit Manlii Romani ducis imprudentia aut ſocordia, ita vitii eſſemus ut ne nuncius quidem cladis fuerit ſuperfuturus.*

NOTÆ.

1. *Ad divortia aquarum.*] Juga montium intellige: unde in diverſa fluunt aquæ perennes; ſub jugis enim ferè fluminum fontes.

2. *Circumegiſſe exercitum ad Gallogræcos.*] Nulla ſanè idonea cauſa huic Manlio Vulſoni fuit ſuſcipiendi adverſus Galatas belli; quia nec Romano more indictum eſt, nec ſcitum fuerat per legatos repetitis, auctoritate Patrum,

Urb. cond. an. 565. Coss. M. Valer. Messala, & M. Liv. Salinatore.

& terribile nomen. Recentiruina Annibalis, Philippi, Antiochi, prope attoniti erant, 1 *tantæ corporum moles. Fundis fugitiſque in fugam conſternati ſunt: gladius in acie cruentatus non eſt Gallico bello:* 2 *velut avium examina, ad crepitum primum miſſilium avolavere. At hercule, nos iidem (* b *admonente fortuna, quid ſi hoſtem habuiſſemus, caſurum fuiſſet) quum redeuntes in latrunculos Thracas incidiſſemus, caſi, fugati, exuti impedimentis ſumus. Q. Mucius Thermus, in quo haud paulo plus damni factum eſt, quàm ſi Cn. Manlius, cujus temeritate ea clades inciderat, periſſet, cum multis viris fortibus cecidit: exercitus ſpolia regis Antiochi referens, trifariam diſſipatus; alibi primum, alibi poſtremum agmen, alibi impedimenta. inter vepres in latebris ferarum noctem unam delituit. Pro his triumphus petitur? Si nihil in Thracia cladis ignominiæque foret acceptum, de quibus hoſtibus triumphum peteres? de iis, ut opinor, quos tibi hoſtes ſenatus, aut populus Romanus dediſſet. Sic huic L. Scipioni, ſic illi Manio Acilio de rege Antiocho, ſic paulo ante T. Quintio de rege Philippo, ſic P. Africano de Annibale, & Pœnis, & Syphace, triumphus datus:* 3 *& minima illa, quum jam ſenatus cenſuiſſet bellum, quæſita tamen ſunt, quibus nunciandum eſſet; ipſis utique regibus nunciaretur, an ſatis eſſet ad præſidium aliquod nunciari? Vultis ergo hæc omnia pollui & confundi? tolli fecialia jura? nullos eſſe feciales? fiat (pace Deum dixerim) jactura religionis: oblivio Deorum capiat pectora veſtra. Num ſenatum quoque de bello conſuli non placet? non ad populum ferri, velint, jubeantne cum Gallis bellum, geri? Modo certe conſules Græciam atque Aſiam volebant: tamen perſeverantibus vobis Ligures provinciam decernere, dicta audientes fuerunt: merito ergo à vobis proſpere bello geſto triumphum petent, quibus auctoribus geſſerunt.*

XLVII. Talis oratio Furii & Æmilii fuit. Manlium in hunc maximè modum reſpondiſſe accepimus: *Tribuni plebis anteà ſolebant triumphum poſtulantibus adverſari, Patres Conſcripti. Quibus ego gratiam habeo, quod ſeu mihi, ſeu magnitudini rerum geſtarum hoc dederunt, ut non ſolùm ſilentio comprobarent honorem meum, ſed referre etiam, ſi opus eſſet, viderentur pa-*

INTERPRETATIO.

a *Quare oſtendit fortuna quantum nobis timendum fuiſſet à Galatia, ſi nobis cum* fortibus, atque ad prœlium, ut par erat, comparatis *hoſtibus res fuiſſet*, & qui verè pro hoſtibus ſe geſſiſſent.

NOTÆ.

ac juſſu populi miſſis Fecialibus, aliiſque quæ mox cap. ſequenti exaggerantur.

1. *Tantæ corporum moles.*] Galli ſcilicet Aſiatici, quamvis ingenti corporum mole præditi, obſtupefacti tamen erant fama nominis Romani.

2. *Velut avium examina.*] Sigon. ex veteri libro mavult *Apium examina:* quia nempè examina propriè apum dicuntur. Adjicit exemplum ex lib. 4. *ſumone victi, velut examen apum, inermi cedetis hoſti.*

3. *Et minima ..... quæſita tamen ſunt.*] Non ſufficiebat ſi Senatus & populus bellum cenſuiſſent, illud quoque inquirebatur à Fecialibus, cui vel quibus, & ubi bellum denunciandum eſſet, rati

vati eſſe. Ex decem legatis, ſi Diis placet, quod concilium diſpenſandæ co-
honeſtandæque victoriæ imperatoribus majores dederunt noſtri, adverſarios
habeo. L. Furius, L. Æmilius currum triumphalem me conſcendere prohi-
bent, coronam inſignem capiti detrahunt. quos ego, ſi tribuni me trium-
phare prohiberent, teſtes citaturus fui rerum à me geſtarum. Nullius equi-
dem invideo honori, Patres Conſcripti. Vos tribunos plebei nuper, viros
fortes ac ſtrenuos, impedientes Q. Fabii Labeonis triumphum, auctoritate
veſtra deterruiſtis. triumphavit, quem non bellum injuſtum geſſiſſe, ſed hoſtem omnino non vidiſſe, inimici jactabant. Ego, qui cum centum millibus ferociſſimorum hoſtium ſignis collatis toties pugnavi, qui plus quadraginta millia hominum cepi, aut occidi, qui bina caſtra eorum expugnavi, qui citra juga Tauri omnia pacatiora, quam terra Italia eſt, veliqui: non triumpho modo fraudor, ſed cauſam apud vos, Patres Conſcripti, accuſantibus meis ipſe legatis dico. Duplex eorum, ut animadverteriſtis, Patres conſcripti, accuſatio fuit: nam nec gerendum mihi fuiſſe bellum cum Gallis, & geſtum temerè atque imprudenter, dixerunt. non erant Galli hoſtes, ſed tu eos pacatos imperata facientes violaſti. Non ſum poſtulaturus à vobis, Patres Conſcripti, ut quæ communiter de immanitate gentis Gallorum, de inſeſtiſſimo odio in nomen Romanorum ſcitis; ea de illis quoque, qui has terras incolunt, exiſtimetis. Gallos remota univerſæ gentis infamia atque invidia, per ſeipſos æſtimate. Utinam rex Eumenes, utinam Aſiæ civitates omnes adeſſent, & illos potiùs querentes, quàm me accuſantem audiretis. Mittite agedum legatos circa omnes Aſiæ urbes, & quærite utrum à græviori ſervitute, Anciocho ultra Tauri juga emoto, an Gallis ſubactis, liberati? quoties agri eorum vaſtati ſint, quoties prædæ abactæ, referant: quum vix redimendi captivos copia eſſet, [1] & mactatas humanas hoſtias immolatoſque liberos ſuos audirent. [2] Stipendium ſcitote pependiſſe ſocios veſtros Gallis: & nunc liberatos per vos regio imperio, fuiſſe penſuros, ſi à me foret ceſſatum.

Urb. cond. an. 565. Coſſ. M. Valer. Meſſala, & C. Liv. Salinatore.

XLVIII. *Quo longiùs Antiochus emotus eſſet, hoc impotentiùs in Aſia Galli dominarentur: & quicquid eſt terrarum citra Tauri juga Gallorum imperio, non veſtro adjeciſſetis. Atenim* [1] *ſunt quidem iſta vera etiam* [2] *Del-*

NOTÆ.

ut lib. 33. cap. 46.

1. *Et mactatas humanas hoſtias.*] Hoc nomine Galli apud Cæſarem alioſq; auctores malè audierant: ſed nihil erat quod Romani hac in parte majores noſtros incuſarent; cùm ipſi (ut immanem Gladiatorum per ludum lanienam, nec minùs inpiam religionem taceamus, qua inſolitos hominum partus necabant, quoties vel digito uno aberraſſet à ſeipſa natura) Gallum & Gallam, Græcum & Græcam placandis Idolis ſuis vivos in foro defodere conſuviſſent.

2. *Stipendium ſcitote pependiſſe ſocios veſtros Gallis.*] Hoc quidem certũ Gallogræcis tributum diù pependiſſe finitimos per Aſiam Reges ac populos qua de re ſupra.

1. *Sunt quidem iſta vera.*] Scripti meliùs, ni fallor: *atenim ſunt hæc ita: verum etiam Delphos* &c.

2. *Delphos*, &c. *Galli ſpoliaverunt.*] Juſtinus quidem lib. 24. cap. 8. id negare videtur, ut & Pauſanias & Valer. Maxim. & Diod. Siculus, qui Bren-

Urb. cond. an. 565. Coll. M. Valer. Meſſala, & C. Livio Saliſ. natore.

pbos quondam commune humani generis oraculum, urbilicum orbis terrarum, Galli ſpoliaverunt: nec ideo populus Romanus his bellum indixit ac intulit. Equidem aliquid intereſſe reor inter id tempus quo manduria in jure ac ditione veſtra Græcia atque Aſia erat, ad curandum animadverten-dumque quid in his terris fieret: & hoc, quo finem imperii Romani Taurum montem ſtatuiſtis, quo libertatem immunitatemve civitatibus datis, quo aliis ſines adjicitis, alias agro mulctatis, aliis vectigal imponitis: regna augetis, minuitis, donatis, adimitis: curæ veſtræ cenſeris eſſe, ut pacem terra marique habeant. An niſi præſidia deduxiſſes Antiochus, quæ quieta in ſuis arcibus erant, non putareris liberatam aſiam? Si Gallorum exercitus effuſi vagarentur, rata dona veſtra, quæ dediſti regi Eumeni, rata libertas civitatibus eſſet? Sed quid ego hæc ita argumentor, tanquam non acceperim, ſed fecerim hoſtes Gallos? Te L. Scipio appello, cujus ego nihil, ſuccedens in vicem imperii tui, virtutem felicitatemque pariter non fruſtra ab Diis immortalibus precatus ſum, te P. Scipio, qui legati jus, collegæ majeſtatem, & apud fratrem conſulem & apud exercitum habuiſti, ſciatiſne in exercitu Antiochi Gallorum legiones fuiſſe? videritis in acie eos, in cornu utroque (id enim robur is eſſe videbatur) locatos? pugnaverintis, ut cum hoſtibus juſtis? ceciderit is? ſpolia eorum retuleritis? Atqui cum Antiocho, non cum Gallis bellum his ſenatus decreverat, & populus juſſerat: ſed ſimul, ut opinor, cum his decreverant juſſerantque, qui intra ejus præſidia fuiſſent: ex quibus, præter Antiochum, cum quo pacem pepigerat Scipio, & cum quo nominatim fœdus ut fieret, mandaveratis, omnes hoſtes erant, qui pro Antiocho arma adverſus nos tulerunt. In qua cauſa quum Galli ante omnes fuiſſent, & reguli quidam & tyranni, ego tamen & cum aliis pro dignitate imperii veſtri coactis luere peccata ſua, pacem pepigi, & Gallorum animos, ſi poſſent mitigari à feritate inſita, tentavi: & poſteaquam indomitos atque implacabiles cernebam, tum demum vi atque armis coercendos ratus ſum. Nunc quoniam ſuſcepti belli purgatum eſt crimen, geſti reddenda eſt ratio. In quo conſiderem equidem cauſæ meæ, etiamſi non apud Romanum, ſed apud Carthaginienſem ſenatum agerem; ubi in crucem tolli Imperatores dicuntur, ſi proſpero eventu, pravo conſilio rem geſſerunt. Sed ego in ea civitate, quæ ideo omnibus rebus incipiendis gerend ſque Deos adhibet, quia nullius calumniæ ſubjicit ea quæ Dii comprobaverunt, & in ſolemnibus verbis habet, quum ſupplicationem aut triumphum decernit; Quod benè ac feliciter rempublicam adminiſtraritis ſi vollem, ſi grave, ac ſuperbum exiſtimarem virtute gloriari; pro felicitate mea exercituſque mei,

NOTÆ.

num ibi vulneratum veneno vitam finiconſidere: & Strabo lib. 4. à Tectoſagibus viſſe memorant, ejuſque exercitum partim ſpolia Delphici oraculi Toloſam avecta ferro, partim tempeſtate & panico terro- narrat: unde *aurum Toloſanum* in proverre interiiſſe. Polybius tamen lib. 4. num bium abierit: quod & ipſe Juſtinus ſibi 46. multos ſuperfuiſſe ait, qui circa By- contrarius fatetur lib. 32 cap. 3. zantium conſtiterunt, ibique imperium

quod tantam nationem ſine ulla militum jactura devicimus, poſtulatrem, ut Diis immortalibus bonos haberetur, & ipſe triumphans in Capitolium aſcenderem, unde votis ritè nuncupatis profectus ſum; negaretis hoc mihi cum Diis immortalibus? Iniquo enim loco dimicavi.

Urb. cond. an. 565. Coſſ. M. Valer. Meſſala, & C. Liv. Salinatore.

5 XLIX. *Die igitur, quo æquiore potuerim dimicare? Quum montem hoſtes cepiſſent; loco munito ſe tenerent? nempe eundum ad hoſtes erat, ſi vincere vellem. Quid ſi urbem ea loco haberent, & mœnibus ſe tenerent? nempe oppugnandi erant. Quid? ad Thermopylas æquone loco Min. Acilius cum rege Antiocho pugnavit? Quid? Philippum non eodem modo ſuper Aoum*
10 *ammem juga tenentem montium T. Quintius dejecit? Equidem adhuc qualem animum ſibi fingant, aut vobis videri velint hoſtem fuiſſe, non invenio. Si degenerem & emollitum amœnitate Aſiæ, quid periculi vel iniquo loco ſubeuntibus fuit: ſi timendum & feritate animorum & robore corporum, huic-*
15 *ne tantæ victoriæ triumphum negatis? Cæca invidia eſt, Patres Conſcripti, nec quidquam aliud ſcit quàm* [1] *detrectare virtutes, corrumpere honores ac præmia earum. Mihi, quaſo, ita ignoſcatis, Patres Conſcripti ſi longiorem orationem non cupiditas gloriandi de me, ſed neceſſaria criminum defenſio*
20 *fecit. An etiam per Thraciam ſaltus patentes, qui anguſti erant, & plana ex arduis, & culta ex ſylveſtribus facere potui, & præſtare, necubi notis ſibi latebris delitescerent latrones Thraces, ne quid ſarcinarum raperetur, ne quod jumentum ex tanto agmine abſtraheretur, ne quis vulneraretur, ne ex*
25 *vulnere vir fortis ac ſtrenuus Q. Minucius moreretur? In hoc caſu, quo infeliciter incidit ut talem civem amitteremus, hærent. Quod ſaltu iniquo, loco alieno, quum adortus hoſtis nos eſſet, duæ ſimul acies primi & noviſſimi agminis hærentem ad impedimenta noſtra exercitum barbarorum circum-*
30 *venerunt, quod multa millia ipſo die, plura multò poſt dies paucos occiderint & ceperunt; hoc ſi ipſi taceuerint, vos ſcituros, quum teſtis orationis meæ totus exercitus ſit, non credunt. Si gladium in Aſia non ſtrinxiſſem, ſi hoſtem non vidiſſem; tamen triumphum in Thracia duobus prœliis meruerem. Sed*
jam dictum ſatis eſt. quin, pro eo, quod pluribus verbis vos, quàm volui, fatigavi, veniam à vobis petitam impetratamque velim, Patres Conſcripti.

L. [2] Plus crimina eo die, quàm defenſio, valuiſſent, ni altercationem in ſerum perduxiſſent. dimittitur ſenatus in ea opinione, ut negaturus

INTERPRETATIO.

[2] *Viciſſent eo die criminationes, & accuſatio defenſioni præponderaſſet.*

NOTÆ.

1. *Detrectare virtutes.*] Minùs frequens, locutio pro *detrahere de virtutibus*; ſed ubi *detrectandi* verbum, (quod plerumque ſignificat *recuſare*) pro frequentativo vel *detrahere* accipitur, ut ſignificet *obtrectare* aut etiam *vituperare*. Sic Tac. ſive quis alius auctor Dialogi de clariis orat. *non detrectat ſenio nimia antiquos oratores, convictus ne minem ſequentium laudare, auſus eſt*. Ovid. l. 1. de Remed. amoris. *Ingenium magni livor detrectat Homeri. quemadmodum* Juv. 4. Triſt. Eleg. ult. *& qui detractat præſentia livor.*

Urb. cond. an. 565. Coſſ. M. Valer. Meſſala, & M. Liv. Salinatore.

triumphum fuiſſe videretur. Poſtero die & cognati amicique Cn. Manlii ſummis opibus annixi ſunt, & auctoritas ſeniorum valuit, negantium, exemplum proditum memoriæ eſſe, ut imperator, qui perduellibus deviſtis, confecta provincia, exercitum reportaſſet, ſine curru & laurea privatus, inhonoratuſque, urbem iniret. hic pudor malignitatem vicit, triumphumque frequentes decreverunt. Oppreſſit deinde mentionem memoriamque omnem contentionis hujus, majus & cum majore & clariore viro certamen orum. P. Scipioni Africano (ut Valerius Antias auctor eſt) duo Q. Petillii diem dixerunt. id, prout cujuſque ingenium erat, interpretabantur. Alii non tribunos plebis, ſed univerſam civitatem, quæ id poſſet, incuſabant. *Duas maximas orbis terrarum urbes ingratas uno prope tempore in principes inventas, Romam ingratiorem: ſi quidem victa Carthago victum Annibalem in exilium expuliſſet; Roma victrix victorem Africanum expellat.* Alii, *Neminem unum civem tantum eminere debere, ut legibus interrogari non poſſit:* b *nihil tam æquandæ libertatis eſſe, quàm potentiſſimum quemque poſſe dicere cauſam. Quid autem tuto cuiquam nedum* 1 *ſummam rempublicam permitti, ſi ratio non ſit reddenda: qui jus æquum pati non poſſit, in eum vim haud injuſtam eſſe.* Hæc agitata ſermonibus, donec dies dicendæ cauſæ venit. nec alius anteà quiſquam, nec ille ipſe Scipio conſul cenſorve majore omnis generis hominum frequentia, quàm reus illo die in forum eſt deductus. Juſſus dicere cauſam, ſine ulla criminum mentione, orationem adeo magnificam de rebus ab ſe geſtis eſt exorſus, ut ſatis conſtaret, neminem unquam neque meliùs, neque veriùs laudatum eſſe. Dicebantur enim ab eodem animo ingenioque, à quo geſta erant: & aurium faſtidium aberat, quia pro periculo, non in gloriam referebantur.

LI. Tribuni plebis vetera luxuriæ 2 crimina Syracuſanorum hibernorum, 2 & Locris Pleminianum tumultum, quum ad fidem præſentium criminum retuliſſent; ſuſpicionibus magis, quàm argumentis pecuniæ captæ reum accuſarunt. 3 *Filium captum ſine pretio redditum, omnibuſque aliis rebus Scipionem, tanquam in ejus unius manu pax Romana bellumque eſſet, ab Antiocho cultum. Dictatorem eum conſuli, non legatum in pro-*

INTERPRETATIO.

b *Nihil eſſe convenientius ad libertatem æqualiter* inter omnes cives, *quàm ſi potentiſſimi* trahi poſſint in judicium, *& cogantur cauſam dicere.* *differendam*

NOTÆ.

1. *Summam rempublicam permitti.*] Sic habent ſcripti, nec novum Latinè loquentibus *ſumma reſpublica*, pro. *ſumma reipublicæ*; & *ſumma res* pro *ſumma rerum*: ita noſter, ita Cicero, Cæſar, Cornel. Nepos, laudati à Gronovio: quin & ejus generis eſſe videtur illud Virgilii 2. Aeneid. *quo res ſumma loco, Panthu?*

1 *Crimina Syracuſanorum hibernorum.*] Vide lib. 29. cap. 19. ſub finem, & cap. 20, & 22.

2. *Et Locris Pleminianum tumultum.*] De quo lib. 29. cap. 16. & ſeq.

3. *Filium captum ſine pretio redditum.*] Ut dictum eſt lib. 36. cap. 31.

vincia fuisse : nec ad aliam rem eò profectum, quàm ut id quod Hispaniæ, Galliæ, Siciliæ, Africæ jampridem persuasum esset, hoc Græciæ Asiæque & omnibus ad Orientem versus regibus gentibusque appareret ; unum hominem caput columenque imperii Romani esse : sub umbra Scipionis civitatem dominam orbis terrarum latere : nutus ejus pro decretis Patrum, pro populi jussis esse. infamiâ intactum, invidiâ quâ possunt, urgent. Orationibus in noctem perductis, [a] prodicta dies est. ubi ea venit, tribuni in Rostris primâ luce consederunt. Citatus reus, magno agmine amicorum clientiumque per mediam concionem ad Rostra subiit. silentioque facto, *Hoc*, inquit, *die, tribuni plebis, vosque Quirites, cum Annibale & Carthaginiensibus signis collatis in Africa bene ac feliciter pugnavi. Itaque quum hodie litibus & jurgiis superfederi æquum sit, ego hinc exemplo in Capitolium ad Jovem optimum maximum, Junonemque & Minervam, cæterosque Deos, qui Capitolio atque arci præsident, salutandos ibo : hisque gratias agam, quod mihi & hoc ipso die, & sæpè aliàs egregiè reipublicæ gerendæ mentem facultatemque dederunt :* [b] *Vestrùm quoque quibus commodum est ; ite mecum, Quirites, & orate Deos, ut mei similes principes habeatis. ita, si ab annis septendecim ad senectutem semper vos atatem meam honoribus vestris anteisslis, ego vestros honores rebus gerendis præcesso.* 4 Ab Rostris in Capitolium ascendit : simul se universa concio avertit, & secuta Scipionem est. adeo, ut postremò scribæ viatoresque tribunos relinquerent, nec cum iis præter servilem comitatum, & præconem, qui reum ex Rostris citabat, quisquam esset. Scipio non in Capitolio modò, sed per totam urbem omnia templa Deûm cum populo Romano circumiit. Celebratior is propè dies favore hominum & æstimatione veræ magnitudinis ejus fuit, quàm quò triumphans de Syphace rege & Carthaginiensibus urbem est invectus. Urb. cond. an. 565. Cos. M. Valer. Messala & M. Liv. Salinatore.

LII. Hic speciosus ultimus dies P. Scipioni illuxit. post quem, quum invidiam & certamina cum tribunis prospiceret, die longiore prodictâ, [a] in Liternino concessit ; certo consilio ne ad causam dicendam adesset. Major animus & natura erat, ac majori fortunæ assuetus, quàm ut reus esse sciret, & summittere se in humilitatem causam dicentium. Ubi dies venit, citarique absens est cœptus, L. Scipio [1] morbum causam esse cur

INTERPRETATIO.

a *Dilata est actio in alium diem.*
b *Illi è vobis quibus vacabit*, &c.
a *Abiit* (P. Scipio) *in prædium suum apud Liternum, seu Linternum* Campaniæ oppidum maritimum. Vide cap. 55. & 56.

NOTÆ.

4. *Ab Rostris in Capitolium.*] Narratur hoc Scipionis factum confidentiæ plenum à Valerio Maximo, Plutarcho, & aliis.

1. *Morbum causam esse cur abesset.*] Vetus hæc lectio, quam Latinam esse nemo negaverit. Gelen. malebat *morbum causæ esse*, &c. quod Cæsari consentaneum est, qui 3. de bell. civil. *non illi*, inquit, *pancitatem nostrorum militum*,

Urb. cond. an. 565. Goll. M. Valer. Meſſala, & M. Liv. Salinatore.

abeſſet, excuſabat. quam excuſationem quum tribuni qui diem dixerant, non acciperent, & ab eadem ſuperbia non venire ad cauſam dicendam arguerent, qua judicium & tribunos plebis & concionem reliquiſſet; & quibus jus de ſe dicendæ ſententiæ & libertatem ademiſſet, his comitatus, velut capros trahens, triumphum de populo Romano egiſſet, ſeceſſionemque eo die in Capitolium à tribunis plebis feciſſet: *Habetis ergo temeritatis illius mercedem. quo duce & auctore nos reliquiſtis, ab eo ipſi relicti eſtis. & tantum animorum in dies nobis decreſcit, ut ad quem antè annis ſeptendecim, exercitum & claſſem habentem tribunos plebis ædilemque in Siciliam mittere auſi ſumus, qui prehenderent eum, & Romam reducerent; ad eum privatum ex villa ſua extrahendum ad cauſam dicendam mittere nos audeamus?* Tribuni plebis appellati ab L. Scipione ita decreverunt, *Si morbi causâ excuſaretur, ſibi placere accipi eam cauſam, diemque à collegis prodici.* Tribunus plebis eo tempore a Tib. Sempronius Gracchus erat, cui inimicitiæ cum P. Scipione intercedebant. is, quum veruiſſet nomen ſuum decreto collegarum adſcribi, triſtioremque omnes ſententiam exſpectarent, ita decrevit: *Quum L. Scipio excuſet morbum eſſe cauſam fratri, ſatis id ſibi videri. Se P. Scipionem, priuſquàm Romam rediſſet, accuſari non paſſurum. tum quoque, ſi ſe appellet, auxilio ei futurum, ne cauſam dicat. Ad id faſtigium rebus geſtis honoribus populi Romani, P. Scipionem Deorum hominumque conſenſu perveniſſe, ut ſub Roſtris reum ſtare & præbere aures adoleſcentium conviciis, populo Romano magis deforme, quàm ipſi ſit.*

LIII. Adjecit decreto indignationem: *Sub pedibus veſtris ſtabit, tribuni, domitor ille Africæ Scipio? ideo quatuor nobiliſſimos duces Pœnorum in Hiſpania, quatuor exercitus fudit, fugavitque: ideo Syphacem cepit, Annibalem devicit, Carthaginem veſtigalem nobis fecit, Antiochum (recepit enim fratrem conſortem huſus gloriæ L. Scipio) ultra Tauri juga emovit, ut duobus Petilliis ſuccumberet, vos de P. Africano palmam peteretis? Nulliſne meritis ſuis, nullis veſtris honoribus unquam in arcem tutam, & velut ſanctam clari viri pervenient: ubi ſi non venerabilis, inviolata ſaltem ſenectus eorum confidat?* Movit & decretum, & adjecta oratio non cæteros modò, ſed ipſos etiam accuſatores: &, deliberaturos ſe quid ſui juris & officii eſſet, dixerunt. Senatus deinde concilio plebis dimiſſo, haberi eſt cœptus. ibi gratiæ ingentes ab univerſo ordine, præcipuè à conſularibus ſenioribuſque Tib. Graccho actæ ſunt; quod rempublicam privatis ſimultatibus potiorem habuiſſet. & Petillii vexati ſunt probris, quòd ſplendere aliena invidia voluiſſent: & ſpolia ex Africani trium pho peterent. Silentium deinde de Africano fuit. vitam Li-

NOTÆ.

non iniquitatem legi, &c. cauſa feciſſe cogitabant.

a. *Tib. Sempronius Gracchus.* Præcipuum hoc inimici hominis de Scipione judicium ſimul ac teſtimonium narrat Plut.

terni egit, ſine deſiderio urbis. Morientem rure, eo ipſo loco ſepeliri ſe juſſiſſe ferunt, monumentumque ibi ædificari, [1] ne funus ſibi in ingrata patria fieret. Vir memorabilis, bellicis tamen magis quàm pacis artibus. Memorabilior prima pars vitæ, quàm poſtrema fuit: quia in juventa bella aſſiduè geſta; cum ſenecta res quoque deflorere; nec præbita eſt materia ingenio. Quid ad primum conſulatum ſecundus, etiam ſi cenſuram adjicias? quid Aſiatica legatio; & valetudine adverſâ Antiocho, & filii caſu deformata, & poſt reditum neceſſitate aut ſubeundi judicii, aut ſimul cum patria deferendi? Punici tamen belli perperàm; quo nullum neque majus neque periculoſius Romani geſſere; unus præcipuam gloriam tulit. Urb. cond. an. 565. Coſſ. M. Valer. Meſſala, & M. Liv. Saligatore.

LIV. Morte Africani crevere inimicorum animi, quorum princeps fuit M. Porcius Cato, qui vivo quoque eo allatrare ejus magnitudinem ſolitus erat. hoc auctore exiſtimantur Petillii & vivo Africano rem ingreſſi, & mortuo rogationem promulgaſſe. Fuit autem rogatio talis: *Velitis jubeatis, quæratur, quæ pecunia capta, ablata, coacta ab rege Antiocho eſt, quique ſub ejus imperio fuerunt: quod ejus in publicum relatum non eſt, uti de ea re Ser. Sulpicius prætor urbanus ad ſenatum referat? quem eam rem velit ſenatus quærere de iis, qui prætores nunc ſunt?* Huic rogationi primò Q. & L. Mummii intercedebant: Senatum quærere de pecuniâ non relatâ in publicum, ita ut antèà ſemper factum eſſet, æquum cenſebant. Petillii, nobilitatem & regnum in ſenatu Scipionum accuſabant. L. Furius Purpureo conſularis, qui in decem legatis in Aſia fuerat, latiùs rogandum cenſebat. non quæ ab Antiocho modò pecuniæ captæ forent, ſed quæ ab aliis regibus gentibuſque, Cn. Manlium inimicum inceſſens. Et L. Scipio, quem magis pro ſe, quàm adverſus legem dicturum apparebat, diſſuaſor proceſſit. is poſt mortem P. Africani fratris, viri omnium fortiſſimi clariſſimique, eam exortam rogationem eſt conqueſtus. *Parum enim fuiſſe, [1] non laudari pro roſtris P. Africanum poſt mortem, niſi etiam accuſaretur. Et, Carthaginienſes exilio Annibalis contentos eſſe: populum Romanum ne morte quidem P. Scipionis exſatiari; niſi & ipſius fama ſepulti laceretur, & frater inſuper acceſſio invidiæ macteturM.* Cato ſuaſit rogationem, (extat oratio ejus de pecunia regis Antiochi) & Mummios tribunos auctoritate deterruit, ne adverſarentur rogationi. Remittentibus ergo his intercoſſionem, omnes tribus uti rogaſſet, juſſerunt.

LV. Ser. Sulpicio deinde referente, quem [a] rogationem Petillia quære-

INTERPRETATIO.

[a] *Ex plebiſcito à Petillii tribunis plebis rogato.*

NOTÆ.

[1]. *Ne funus ſibi in ingrata patria fieret.*] Romæ tamen mortuum ac ſepultum fuiſſe Scipionem quidam tradidere, ut videre eſt cap. 55.

[1]. *Non laudari prò roſtris P. Africanum poſt mortem.*] Notus Romanorum mos virorum illuſtrium exequias oratione publicâ in foro celebrandi.

Urb. cond. an. 565. Coss. M. Valer. Messala, & M. Liv. Salinatore.

re vellent; Q. Terentium Culleonem Patres jusserunt. Ad hunc prætorem, adeo amicum Corneliæ familiæ, ut qui Romæ mortuum elatumque P. Scipionem (est enim ea quoque fama) tradunt, pileatum, sicut in triumpho erat, in funere quoque ante lectum isse, memoriæ prodiderint, & ad portam Capenam [1] mulsum prosecutis funus dedisse, quod ab eo inter alios captivos in Africa ex hostibus receptus esset; aut adeo inimicum eundem, ut propter insignem simultatem ab ea factione, quæ adversa Scipionibus erat, delectus sit potissimùm ad quæstionem exercendam: cæterùm ad hunc nimis æquum aut iniquum prætorem, reus extemplo factus L. Scipio: simul & delata & recepta nomina legatorum ejus, A. & L. Hostiliorum Catonum, & C. Furii Aculeonis quæstoris. &, ut omnia contracta societate peculatus viderentur, scribæ quoque duo & accensus. L. Hostilius & scribæ, & accensus, priusquam de Scipione judicium fieret, absoluti sunt: Scipio & A. Hostilius legatus, & C. Furius damnati: *quo commodior pax Antiocho daretur, Scipionem* [2] *sex millia pondo auri, 3 quadringenta octoginta argenti plus accepisse, quàm in ærarium retulerit:* [4] *A. Hostilium octoginta pondo auri, 5 argenti quadringenta tria. 6 Furium quæstorem auri centum triginta, 7 argenti ducenta pondo.* Has ego summas auri & argenti relatas apud Antiatem inveni. In L. Scipione malim equidem librarii mendum quàm mendacium scriptoris esse, in summa auri atque argenti. Similius enim veri est, argenti quàm auri majus pondus fuisse: & potiùs [8] quadragies [9] quàm ducenties quadragies litem æstimatam: eò magis, quòd tantæ summæ rationem etiam ab ipso P. Scipione requisitam esse in senatu tradunt: librumque rationis ejus quum Lucium fratrem afferre jussisset, inspectante senatu suis ipsum manibus concerpsisse: indignantem

NOTÆ.

1. *Mulsum prosequutis funus dedisse.*] Pro mero mulsum, id est, vinum mêlle indito dulcoratum, in deliciis apud Romanos fuit, qui eo in sacris usi. Milites etiam à triumphantibus mulso donabantur.

2. *Sex millia pondo auri.*] Gallicè *la valeur de trois millions six cens soixante mille livres, en lingots d'or.*

3. *Quadringenta octoginta argenti.*] Gallicè *la valeur de dix-sept mille sept cens soixante livres, en barres d'argent.*

4. *A. Hostilium octoginta pondo auri.*] Gallicè *la valeur de quarante quatre mille huit cens livres, en lingots d'or.*

5. *Argenti quadringenta tria.*] Gallicè *la valeur de quatorze mille cinq cens huit livres, en masse.*

6. *Furium Quæstorem auri centum triginta.*] Nobis *soixante douze mille huit cens livres.*

7. *Argenti ducenta pondo.*] Hoc est nostrâ æstimatione, *sept mille deux cens livres.*

8. *Quadragies.*] Id est, *quadragies centena millia sestertium*: quod fermè respondebit quadringentis librarum millibus.

9. *Quàm ducenties quadragies litem æstimatam.*] Id est, tanti damnatum L. Scipionem, sive tanti taxatam multam eidem indictam, nempè ut vulgò loquimur, *à deux millions quatre cens mille livres.*

quòd,

quòd, quum 10 bis millies in ærarium intulisset, quádragies ratio ab se poscereturab eadem fiducia animi, quum quæstores pecuniam ex ærario contra legem promere non auderent: 11 popoſciſſe claves; & se aperturum ærarium dixisse: qui, ut claudereturesfecisset. Urb. cond. an. 565. Coss. M. Val. Messala, & C. Liv. Salinatore.

LVI. Multa alia in Scipionis exitu maximè vitæ, dieque dicta, morte, funere, sepulchro, in diversum trahunt: ut cui famæ, quibus scriptis assentiar, non habeam. Non de accusatore convenit; alii M. Nævium, alii Petillios diem dixisse scribunt: non de tempore, quo dicta dies sit: non de anno, quo mortuus sit: non ubi mortuus, aut elatus sit. Alii Romæ, alii Literni & mortuum & sepultum: utrobique monumenta ostenduntur, & statuæ. Nam & Literni monumentum, monumentoque statua superimposita fuit; quam tempestate disjectam nuper vidimus ipsi. Et Romæ extra portam Capenam in Scipionum monumento tres statuæ sunt: quarum duæ P. & L. Scipionum dicuntur esse: tertia 1 poetæ Q. Ennii. Nec inter scriptores rerum discrepat solùm, sed orationes quoque, si modo ipsorum sunt quæ feruntur, P. Scipionis & Tib. Gracchi, abhorrent inter se. Index orationis P. Scipionis, nomen M. Nævii tribuni plebis habet: ipsa oratio sine nomine est accusatoris. nebulonem modò, modò nugatorem appellat. Ne Gracchi quidem oratio aut Petilliorum, accusatorum Africani, aut diei dictæ Africano ullam mentionem habet. 2 Alia tota ferenda fabula est Gracchi orationi conveniens: & illi auctores sequendi sunt, qui, quum L. Scipio & accusatus & damnatus sit pecuniæ captæ ab rege, legatum in Etruria fuisse Africanum tradunt. quo post famam de fratris casu allatam, relicta legatione cucurrisse eum Romam; & quum à porta recta ad forum se contulisset, quòd in vincula duci fratrem dictum erat, repulisse à corpore ejus viatorem: & tribunis retinentibus magis piè quàm civiliter vim fecisse. Hæc enim ipse Gracchus queritur, dissolutam esse à privato tribuniciam potestatem, & ad postremum, quum auxilium L. Scipioni polliceretur, adjicit, tolerabilioris exempli esse, à tribuno plebis potiùs, quàm à privato, victam

INTERPRETATIO.

2 *Aliter omnino instituenda erit narratio, si quis velit rem gestam ad orationem Tiberii Grachi aptare.*

NOTÆ.

10. *Bis millies.*] Gallicè *vint millions de livres.*

11. *Popoſciſſe claves.*] Memoratur hoc quoque à Plut. in Apophtheg.

1. *Poëta Q. Ennii.*] Natus hic Q. *Ennius* apud Rudias Græcam urbem in Calabria, inter Tarentum & Uriam, fuit inter antiquissimos heroici carminis auctores apud Latinos, quo Scipionis præsertim gesta descripsit editis xviij. Annalium libris: eidem Scipioni & Lælio familiaris. Ejus sententias & verba non raro imitatus Virgilius, qui ajebat se margaritas colligere ex suum stercore, ut Macrob. ait lib. 6. Saturn. cap. 1. & 2. Vide & A. Gellium lib. 17. cap. 2. Obiit autem cum annum lxvij. ageret.

Vib. cond. an. 565. Coss. M. Valer. Messalâ, & C. Liv. Salinatore.

videri & tribuniciam potestatem & rempublicam esse. Sed ita hanc unam impotentem ejus injuriam invidia onerat, ut increpando quòd degenerarit tantùm à se ipse, cumulatas ei veteres laudes moderationis & temperantiæ pro reprehensione præsenti reddat. castigatum enim quondam ab eo populum, ait, quòd eum perpetuum consulem & dictatorem vellet facere. Prohibuisse statuas sibi in comitio, in rostris, in curia, in Capitolio, in cella Jovis poni. prohibuisse ne decerneretur, ut imago sua triumphali ornatu è templo Jovis optimi maximi exiret.

LVII. Hæc vel in laudatione posita ingentem magnitudinem animi moderandis ad civilem habitum honoribus significarent: quæ exprobrando inimicus fatetur. Huic Graccho 1 minorem ex duabus 1 filiis (nam major P. Cornelio Nasicæ haud dubiè à patre collocata erat) nuptam fuisse convenit. Illud parum constat, utrum post mortem patris & desponsa sit, & nupserit: an veræ illæ opiniones sint, Gracchum, quum L. Scipio in vincula duceretur, nec quisquam collegarum auxilio esset, jurasse. *Sibi inimicitias cum Scipionibus, quæ fuissent, manere, nec se gratiæ quærendæ causâ quicquam facere. sed in quem carcerem reges & imperatores hostium ducentem vidisset P. Africanum, in eum se fratrem ejus duci, non passurum.* Senatum, eo die forte cœnantem in Capitolio, consurrexisse, & petisse, ut inter epulas Graecho filiam Africanus desponderet. quibus ita inter publicum solemne sponsalibus ritè factis, quum se domum recepisset. Scipionem Æmiliæ uxori dixisse, filiam se minorem despondisse. quum illa muliebriter indignabunda, nihil de communi filia secum consultatum, adjecisset, non, si Tib. Graccho daret, expertem consilii debuisse matrem esse; lætum Scipionem tam concordi judicio, ipsi desponsam respondisse. hæc de tanto viro, quanquam & opinionibus & monumentis literarum variarent, proponenda erant.

LVIII. Judiciis à Q. Terentio prætore perfectis, Hostilius & Furius damnati, prædes eodem die quæstoribus urbanis dederunt. Scipio quum contenderet, omnem quam accepisset pecuniam, in ærario esse, nec se quicquam publici habere, in vincula duci est cœptus. P. Scipio Nasica tribunos appellavit. orationemque habuit plenam veris decoribus; non communiter modò Corneliæ gentis, sed propriè familiæ suæ. *Parentes suos & P. Africani ac L. Scipionis, qui in carcerem ducerctur, fuisse Cn. & P. Scipiones, clarissimos viros. Eos, quum per aliquot annos in terra Hispania adversus multos Pœnorum Hispanorumque & duces & exercitus nomini Romani famam auxissent, non bello solùm, sed quòd Romanæ temperantiæ fidæque specimen ll s gentibus dedissent, ad extremum ambo pro populo Romano marte occubuisse. quum illorum tueri gloriam posteris satis esset, P. Africanum tantam paternas superavisse laudes, ut fidem faceret, non sanguine humano, sed stirpe divinâ satum se esse. L. Scipionem, de quo agatur*

NOTÆ.

1. *Minorem ex duabus filiis.*] Grammatici *filiabus* mallent.

(ut quæ in Hiſpania, quæ in Africa, quum legatus fratris eſſet, geſſiſſet, prætereantur) conſulem: & ab ſenatu dignum viſum, cui extra ſortem Aſia provincia, & bellum cum Antiocho rege decerneretur; & à fratre, cui poſt duos conſulatus cenſuramque & triumphum legatus in Aſiam iret. Urb.cond. an. 565 Coſſ.M. Valer. Meſſala, & C. Liv. Salinatore.

§ *Ibi ne magnitudo & ſplendor legati laudibus conſulis officeret, fortè ita incidiſſe, ut quo die ad Magneſiam ſignis collatis L. Scipio Antiochum devicíſſet, æger P. Scipio Elææ dierum aliquot via abeſſet. Non fuiſſe minorem cum exercitum, quàm Annibalis, cum quo in Africa eſſet pugnatum. Annibalem eumdem fuiſſe inter multos alios regios duces, qui imperator Pœnici belli fuerit. & bellum quidem ita geſtum eſſe, ut ne fortunam quidem quiſquam criminari poſſit.* [a] *In pace crimen quæri. eam dici venîſſe. Hic decem legatos ſimul arguit, quorum ex conſilio data pax eſſet. quin extitiſſe ex decem legatis, qui Cn. Manlium accuſarent: tamen non modò ea criminis fidem, ſed ne ad moram quidem triumphi etiam accuſationem valuiſſe.*

LIX. *At, hercule, in Scipione ipſas leges pacis, ut nimium accommodatas Antiocho, ſuſpectas eſſe. integrum enim ei regnum relictum, omnia poſſidere eum victum, quæ ante bellum ejus fuerint: auri & argenti quum vim magnam habuiſſet, nihil in publicum relatum, omne in privatum verſum. An non præter omnium oculos tantum auri argentique in triumpho L. Scipionis, quantum non decem aliis triumphis, ſi omne in unum conferatur, ſit latum? Nam quid de finibus regni dicam? Aſiam omnem, & proximæ Europæ tenuiſſe Antiochum? Ea quanta regio orbis terrarum ſit, à Tauro monte in Ægæum uſque prominens mare, quot non urbes modo ſed gentes amplectatur, omnes ſcire. hanc regionem dierum plus triginta in longitudinem, decem inter duo maria in latitudinem patentem, uſque ad Tauri montis juga Antiocho ademptam; expulſo in ultimum angulum orbis terrarum. Quid, ſi gratuita pax eſſet, plus adimi ei potuiſſe? Philippo victo, Macedoniam; Nabidi Lacedæmonem relictam. nec Quintio crimen quæſitum: non enim habuiſſe eum Africanum fratrem, cujus quum gloriæ prodeſſe L. Scipionem debuiſſet, invidiam nocuiſſe. Tantum auri argentiq; judicatum eſſe, in domum L. Scipionis illatum, quantum venditis omnibus bonis redigi non poſſet.* [1] *id ubi ergo eſſe regium aurum? ubi tot hæreditates acceptas? In domo, quam ſumptus non exhauſerint, extare debuiſſe novæ fortunæ cumu-*

INTERPRETATIO.

[a] *Nunc cum pax ſit, inquiri quod crimini vertatur: nec aliud dici quàm eam accepto pretio datam.*

NOTÆ.

1. *Id ubi ergo eſſe regium aurum.*] Non redundat pronomen, *id*, ut Gelenio viſum: ſed potius emphaticum eſt, ornatumque addit orationi P. Scipionis Naſicæ, qui negat tantum auri apud L. Scipionem reperiri, quantum is ab Antiocho dicatur accepiſſe, quamvis hæreditates plurium acceperit & ſumptus modicos fecerit. Eſt igitur idem ac ſi diceret, ubi eſt ergo regium illud au-

Urb. cond. an. 565. Coſſ. M. Valer. Meſſalâ, & C. Liv. Salinatore.

lum. Atenim quod ex bonis redigi non poſſit, ex corpore & tergo per vexationem & contumelias L. Scipionis petituros inimicos: ut in carcerem inter ſures nocturnos & latrones vir clariſſimus includatur, [2] *& in robore ac tenebris exſpiret: deinde nudus ante carcerem projiciatur. Non id Corneliæ familiæ, quàm urbi Romanæ fore erubeſcendum.*

LX. Adverſus ea Terentius prætor rogationem Petilliam; & Senatuſconſultum, & judicium de L. Scipione factum recitavit: ſe, ni referatur pecunia in publicum, quæ judicata ſit, nihil habere quod faciat, niſi ut prehendi damnatum, & in vincula duci jubeat. Tribuni quum in conſilium ſeceſſiſſent, paulò pòſt C. Fannius ex ſua collegarumque aliorum, præter Gracchum, ſententia pronunciavit; prætori non intercedere tribunos, quominùs ſua poteſtate utatur. Tib. Gracchus ita decrevit: *Quominùs ex bonis L. Scipionis quod judicatum ſit, redigatur, ſe non intercedere prætori. L. Scipionem (qui regem opulentiſſimum orbis terrarum devicerit, imperium populi Romani propagaverit in ultimos terrarum fines, regem Eumenem, Rhodios, alias tot urbes Aſiæ devinxerit populi Romani beneficiis, plurimos duces hoſtium in triumpho ductos carcere incluſerit;) non paſſurum* [1] *inter hoſtes populi Romani L. Scipionem in carcere & in vinculis eſſe, mittique eum ſe jubere.* Tanto aſſenſu auditum eſt decretum, adeo dimiſſum L. Scipionem læti homines viderunt, ut vix in eadem civitate videretur factum judicium. [2] In bona deinde L. Scipionis poſſeſſum publicè quæſtores prætor miſit. neque in iis non modò veſtigium ullum comparuit pecuniæ regiæ, ſed nequaquam tantùm redactum eſt, quantæ ſummæ damnatus fuerat. collata pecunia à cognatis amiciſque & clientibus eſt L. Scipioni; ut ſi acciperet eam, locupletior aliquanto eſſet, quàm ante calamitatem fuerat. Nihil accepit. quæ neceſſaria ad cultum erant, redempta ei à proximis cognatis ſunt. Verteratque Scipionum invidia in prætorem, & conſilium ejus, & accuſatores.

NOTÆ:

rum, quod exprobratur L. Scipioni.

2. *Et in robore & tenebris expiret.*] *Robur* ex Feſto dictus eſt in carcere is locus, quo præcipitabatur maleficum genus, quod antè arcis robuſtis, (id eſt roboreis) includebatur.

1. *Inter hoſtes populi Romani L. Scipionem.*] Dele illud poſterius *L. Scipionem*: ſatis enim eſt ſemel in eo membro id nominis haberi.

2. *In bona deinde L. Scipionis.*] Mittebantur Quæſtores in poſſeſſionem bonorum rei ob crimen publicum damnati, qui judicatum non ſolvebat.

FINIS LIBRI XXXVIII.

TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM LIBER XXXIX.

EPITOME EJUSDEM LIBRI.

1 *AEMILIUS Conſul Liguribus ſubactis, viam à Placentia uſque Ariminum perductam Flaminiæ junxit. Initia luxuriæ introducta ab exercitu Aſiatico referuntur. Ligures, quicunque citra Apenninum erant, ſubacti ſunt. Bacchanalia, ſacrum Græcum, & quidem nocturnum, ſcelerum omnium ſeminarium, quum ad ingentis turbæ conjurationem pervenisſet; à conſule inveſtigatum, & multorum pœna ſublatum eſt. A Cenſoribus L. Valerio Flacco, & M. Porcio Catone,* 1 *viro & belli & pacis artibus maximo,* 2 *motus eſt ſenatus L. Quintius Flamininus, T. Quintii frater, eo quod cum Galliam provinciam conſul obtinuerat, rogatus à Philippo Pœno, quem amabat, ſcorto nobili, Gallum quendam ſua manu occiderat: ſive, ut quidam tradiderunt, unum damnatorum ſecuri percuſſerat, rogatus à meretrice Placentina, cujus amore deperibat. Extat in eum M. Catonis oratio. Scipio Literni deceſſit. Et, tanquam jungente fortuna, circa idem tempus duo funera maximorum virorum, Annibal à Pruſia Bithyniæ rege, ad quem victo Antiocho confugerat, quum dederetur Romanis, qui ad expoſcendum illum, T. Quintium Flamininum miſerant, veneno ſibi mortem conſcivit. Philopœmen quoque, dux Achæorum, vir maximus, à Meſſeniis interemptus veneno, cum ab iis bello captus eſſet. Coloniæ, Potentia, & Piſaurum, & Mutina, & Parma deductæ ſunt. Prætorea res adverſum Celtiberos proſperè geſtas, & initia cauſaſque belli Macedonici continet, cujus origo inde fluxit, quod Philippus ægrè ferebat regnum ſuum imminui à Romanis, & quod cogeretur à Thracibus aliiſque locis præſidia deducere.*

NOTÆ.

1. *Viro & belli & pacis artibus maximo.*] Sic emendat Sigon. ut referat ad Catonem, cujus laudes proſequitur Livius hoc loco: antea legebatur: *viro & belli & pacis maximus*, & referendum erat ad L. Quintium, cui minùs conveniebat.

2. *Motus eſt ſenatus L. Quintius.*]

Urb. cond. an. 566. Coſſ. M. Æmil Lepido, & C. Flaminio Nepote.

I. DUM hæc (ſi modo hoc anno acta ſunt) Romæ aguntur; Conſules ambo in Liguribus gerebant bellum. Is hoſtis veſue natus ad continendam [1] inter magnorum intervalla bellorum Romanis militarem diſciplinam erat: nec alia provincia militem magis ad virtutem acuebat. nam Aſia, & amœnitate urbium, & copia terreſtrium maritimarumque rerum, & mollitia hoſtium, regiiſque opibus, ditiores quàm fortiores exercitus faciebat. præcipuè ſub imperio Cn. Manlii ſolutè ac negligenter habiti ſunt. itaque [2] aſperius paulò iter in Thracia, & exercitatior hoſtis magna clade eos caſtigavit. In Liguribus omnia erant, quæ militem excitarent, loca montana & aſpera, [3] quæ & ipſis capere labor eſt, & ex præoccupatis dejicere hoſtem: itinera ardua, anguſta, infeſta inſidiis: hoſtis levis, & velox, & repentinus; qui nullum uſquam tempus, nullum locum quietum aut ſecurum eſſe ſineret: oppugnatio neceſſaria munitorum caſtellorum, laborioſa ſimul, periculoſaque: inopia regio, quæ parſimonia aſtringeret milites, prædæ haud multùm præberet. Itaque non lixa ſequebatur, non jumentorum longus ordo agmen extendebat: nihil præter arma & viros omnem ſpem in armis habentes, erat. Nec decrat unquam cum iis vel materia belli, vel cauſa: quia propter domeſticam inopiam vicinos agros incurſabant. nec tamen in diſcrimen ſummæ rerum pugnabatur.

II. C. Flaminius Conſul, [1] cum Friniatibus Liguribus in agro eorum pluribus prœliis ſecundis factis, in deditionem gentem accepit, & arma ademit: ea quia non ſincera fide tradebant, quum caſtigarentur, relictis vicis [2] in montem Auginum confugerunt. conſeſtim ſecutus eſt conſul. Cæteri effuſi rurſus, & pars maxima inermes, per invia & rupes derupras præcipitantes fugerunt, quâ ſequi hoſtis non poſſet: ita trans Apenninum abjerunt. qui caſtris ſe tenuerant, circumſeſſi, expugnati ſunt. Inde trans Apenninum ductæ legiones. ibi montis, quem ceperant, al-

NOTÆ.

Gron. ex Gudiano minori codice & aliis veteribus, totum hunc locum ſic legit: *ſeptem mœti fuerunt ſenatu, ex quibus fuit L. Quintius Flamininus conſularis & inſignis nobilitate & honoribus, Q. Flaminini frater, eo quod, cum Galliam provinciam conſul teneret, rogatus in cœna vivio à P. Oenio Philippo ſcorto nobiliſſimo, quem amabat, Gallum quendam ſuum manu occideret; ſive, ut Valer. Antias tradidit, quòd unum è damnatis ſecuri percuſſerat.*

1. *Inter magnorum intervalla bellorum*] Macedonici, Aſiatici, Hiſpanici, &c.

2. *Aſperius paulò iter in Thracia.*] Vide ſupra lib. 38. cap. 40. & 41.

3. *Quæ & ipſis capere labor eſt.*] Ingeniose Schelius apud Gron. *quæ & ipſa capere labor erat*: ſed quid ſi Livius *ipſis* dixit pro *ſeipſis*, ſive *per ſeipſa*, quamvis ſcilicet loca illa montana & aſpera defenſoribus caterent.

1. *Cum Friniatibus.*] Friniates nomen ipſum arguit fuiſſe in Thracia illo Mutinenſis Ducatus, qui vulgo *Frignana*, cujus caput *Sejola*.

2. *In montem Auginum.*] Pars eſt Apennini. Beroſus apud Oriel. 2m cap. 3. ſuſpicabatur eſſe in finibus Ticinenſium, qui nunc *Monte Angon*. Verùm

Urb. cond. an. 566. Coss. M. Æmilio Lepido, & C. Flamin. Nepote.

titudine pauliſper ſe tutati, mox in deditionem conceſſerunt. tum conquiſita cum intentiore cura arma, & omnia adempta. Translatum deinde ad Apuanos Ligures bellum; qui in agrum Piſanum Bononienſemque ita incurſaverant, ut coli non poſſet. His quoque perdomitis, conſul pacem dedit finitimis. & quia à bello quieta ut eſſet provincia effecerat; ne in otio militem haberet, 3 viam à Bononia perduxit Arretium. M. Æmilius alter Conſul agros Ligurum, vicoſque, qui in campis aut vallibus erant, ipſis montes duos, 4 Balliſtam Suiſmontiumque tenentibus, deuſſit, depopulatuſque eſt: deinde eos qui in montibus erant, adortus, primò levibus prœliis fatigavit: poſtremò coactos in aciem deſcendere, juſto prœlio devicit: in quo ædem Dianæ vovit. Subactis cis Appenninum omnibus, tum tranſmontanos adortus: 5 in his & Briniates Ligures erant, quos non adjerat C. Flaminius. Omnes Æmilius ſubegit armaque ademit, & de montibus in campos multitudinem deduxit. Pacatis Liguribus, in agrum Gallicum exercitum duxit. 6 viamque ab Placentia, ut Flaminiæ committeret, Ariminum perduxit. Prœlio ultimo, quo cum Liguribus ſignis collatis conſſixit; ædem Junoni reginæ vovit. hæc in Liguribus eo anno geſta.

III. In Gallia M. Furius prætor, inſontibus Cænomanis in pace ſpeciem belli quærens, ademerat arma. id Cænomani conqueſti Romæ apud ſenatum, rejectique ad conſulem Æmilium, cui ut cognoſceret ſtatueretque ſenatus permiſerat. Magno certamine eum prætore habi-

NOTÆ.

Cluverio veriſimiliùs in Briniatibus Liguribus eſſe videtur, qui vulgò *Monte Caloro* Boæticum amnem effundens.

3. *Viam à Bononia perduxit Arretium.*] Strabo lib. 5. teſtatur Flaminium ab ipſa urbe Roma per Etruriam Ariminum uſque viam duxiſſe.

4. *Balliſtam Suiſmontiumque.*] *Balliſta* adhuc *monte Baleſtra* vocatur Leandro, pars Appennini inter Lucam & Regium Lepidi, in Liguriæ Tuſciæque confiniis. At Cluverius *Balliſtam* & *Suiſmontium* locat circa fontes Laboniæ ſive Entellæ, & Sturiæ amnium in Liguria orientali, eoſque eſſe putat qui vulgari appellatione *Monte Cervera* & *Monte Penſe*: unde per Ceni ac Tari amnium valles itur ad Parmam.

5. *In his & Friniates.*] Ita veteres libri, vulgò enim legitur *Friſinates*: ubi monet Sigonius legendum eſſe *Briniates*, quos Cluver. à capite Brinia vel Brinio dictos putat, quod nunc oppidum *Brignolo*, vel *Brignale*, dicitur. Ideo autem *Briniatum* nomen ſubjicit Sigon. quòd initio hujus cap. dicatur C. Flaminius *Friniatum* gentem in deditionem accepiſſe, ac præterea quòd *Friniates* à Flaminino ſubacti cis Appenninum fuerant: hi verò populi, quos adortus narratur M. Æmilius, tranſmontani fuerint: unde ſequi videtur diverſos eſſe à prioribus. Ego tamen rectè *Friniates* legi exiſtimo, qui in utroque Appennini latere fuiſſe leguntur; & nominatim indicat Livius eos *Friniates* ab Æmilio ſubactos, quos non adjerat C. Flaminius, ita ut appareat ejuſdem gentis diverſa loca diverſis anni ejuſdem temporibus ab utroque Conſule adita & ſubacta. Porrò *Friniatum* nominis veſtigia ſupereſſe Cluverio videntur, in valle *di Prino*, quæ ab amne in Trebiam confluente ſic appellatur.

6. *Viamque ab Placentia, ut Flaminiæ committeret, Ariminum perduxit.*] Hæc via de nomine hujus Conſulis Æmilia dicta, regioni quoque nomen, opinor, dedit.

Utb. cond. an. 566. Coſſ. M. Æmil. Lepido, & C. Flaminio Nepote.

to tenuerunt cauſam. arma reddita Cænomanis; decedere provincia prætor juſſus. Legatis deinde ſociorum Latini nominis, qui toto undique ex Latio frequentes convenerant, ſenatus datus eſt. his querentibus, magnam multitudinem civium ſuorum Romam commigraſſe, & ibi cenſos eſſe; Q. Terentio Culleoni prætori negotium datum eſt, ut eos conquireret, a & quem C. Claudio, M. Livio cenſoribus, poſtve eos cenſores, ipſum, parentemve ejus apud ſe cenſum eſſe probaſſent ſocii, ut redire eò cogeret, ubi cenſi eſſent. Hac conquiſitione duodecim millia Latinorum domos redierunt: jam tum multitudine alienigenarum urbem onerante.

IV. Priuſquam Conſules redirent Romam, M. Fulvius proconſul, ex Ætolia rediit. itaque ad ædem Apollinis in ſenatu quum de rebus in Ætolia Cephalleniaque ab ſe geſtis diſſeruiſſet, petiit à Patribus, ut æquum cenſerent, ob rempublicam benè ac feliciter geſtam, & Diis immortalibus honorem haberi jubere, & ſibi triumphum decernere. M. Abutius tribunus plebis, ſi quid de ea re ante M. Æmilii conſulis adventum decerneretur, interceſſurum ſe oſtendit: *eum contradicere velle, proficiſcentemque in provinciam ita ſibi mandaſſe, ut ea diſceptatio integra in adventum ſuum ſervaretur.* 1 *Fulvium temporis jacturam facere. ſenatum etiam præſente conſule quod vellet decreturum.* M. Fulvius. *Si aut ſimultas M. Æmilii ſecum, ignota hominibus eſſet, aut quàm is eas inimicitias impotenti ac propè regia ira exerceret; tamen non fuiſſe ferendum, abſentem conſulem, & Deorum immortalium honori obſtare & meritum debitumque triumphum morari: imperatorem rebus egregiè geſtis, victoremque exercitum cum præda ac captivis ante portas ſtare, donec conſuli, ob hoc ipſum moranti, redire Romam libitum eſſet. Verum enimverò,* 2 *quem ſint notiſſimæ ſibi cum conſule inimicitiæ, quid ab eo quemquam poſſe æqui expectare,* 3 *qui per infrequentiam furtim Senatuſconſultum factum ad ærarium detulerit.* 4 *Ambraciam non videri vi captam: quæ aggere aut vineis oppugnata ſit. ubi incenſis operibus alia de integrò facta ſint: ubi circa muros ſuprà ſubterque terram per dies quindecim*

INTERPRETATIO.

2 *Quemcunque* ſcilicet Latinum, *aut ejus patrem Latini docerent, relatum eſſe in libros ſuos cenſuales*, &c.

NOTÆ.

1. *Fulvium temporis jacturam facere.*] Intellige temporis ſolius, ſive nonniſi temporis.

2. *Quem ſint notiſſima.*] In ſcriptis eſt, *nobiliſſima*, quod tuetur Gronov. auctoritate in primis noſtri, lib. 27. *inimicitia ante nobiles inter eos erant*, & *nobilis* nomen à verbo *noſco* deduci conſtat.

3. *Qui per infrequentiam furtim*, &c.] Legitimus Senatorum in Curia ad Senatuſconſultum faciendum & juſtè deliberandum, fuit numerus centum: ſi minor eſſet numerus, ſurreptum cenſeatur Senatuſconſultum: ſic enim appellat Curio apud Cic. lib. 4. ad Attic.

4. *Ambraciam non videri*, &c.] Objectio eſt ærmulorum, cui ſubjicitur reſponſio. De Ambraciæ oppugnatione, vide lib. 38. cap. 4. 5. & 6.

pugna-

pugnatum: ubi à prima luce, quum jam transcendisset muros miles, usque ad noctem diu anceps prœlium tenuerit: ubi plus tria millia hostium sunt cæsa. Jam de Deorum immortalium templis spoliatis in capta urbe, qualem calumniam ad pontifices attulerit? Nisi Syracusarum cæterarumque captarum civitatum ornamentis urbem exornari fas fuerit, in Ambraciam unam captam non valuerit belli jus. Se & Patres Conscriptos orare, & ab tribunis petere, ne se superbissimo inimico ludibrio esse sinant.

Urb. cond. an. 566. Coss. M. Aemilio Lepido, & C. Flami Nepote.

V. Undique omnes alii deprecari tribunum, alii castigare. Tib. Gracchi collegæ plurimùm oratio movit: *Ne suas quidem simultates pro magistratu exercere boni exempli esse: alienarum vero simultatum tribunum plebis cognitorem fieri, turpe & indignum collegii ejus potestate & sacratis legibus esse. Suo quemque judicio & homines odisse, aut diligere, & res probare aut improbare debere: non pendere ex alterius vultu ac nutu, nec alieni momentis animi circumagi, astipularique irato consuli tribunum plebei: & quid privatim M. Æmilius mandaverit, meminisse: tribunatum sibi à populo Romano mandatum oblivisci: & mandatum pro auxilio ac libertate privatorum, non pro consulari regno. Ne hoc quidem cernere eum: fore ut memoriæ, ac posteritati mandetur, ejusdem collegii alterum è duobus tribunis plebis suas inimicitias remisisse reipublicæ, alterum alienas & mandatas exercuisse.* His victus castigationibus tribunus, [a] quum templo excessisset, referente Ser. Sulpitio prætore, triumphus M. Fulvio est decretus. Is quum gratias Patribus Conscriptis egisset, adjecit: *Ludos magnos se Jovi optimo maximo eo die, quo Ambraciam cepisset, vovisse. in eam rem sibi [1] centum decem pondo auri à civitatibus collatum. Petere ut ex ea pecunia quam in triumpho latam in ærario posituros esset, id aurum secerni juberent.* Senatus pontificum collegium consuli jussit, num omne id aurum in ludos consumi necesse esset? Quum Pontifices negassent ad religionem pertinere, quanta impensa in ludos fieret; senatus Fulvio, quantum vellet impenderet, permisit, dum ne summam [a] octoginta millium excederet. Triumphare mense Januario statuerat, sed quum audisset consulem Æmilium literis Abutii tribuni plebis acceptis de remissa intercessione, ipsum ad impediendum triumphum Romam venientem, ægrum in via substitisse, ne plus in triumpho certaminum quàm in bello haberet, [2] prætulit triumphi diem. triumphavit ante diem decimum

INTERPRETATIO.

[a] *Cùm se proripuisset extra Curiam.*

NOTÆ.

5. *Et ab tribunis petere.*] Melius alii editi, scriptique *à tribuno*: unus quippe tribunus plebis M. Abutius Fulvio adversabatur.

1. *Centum decem pondo auri.*] Gall. *La valeur de soixante & un mille six cens livres.*

2. *Prætulit triumphi diem.*] Indicat Fulvium anteoccupasse tempus triumphi, sive ante diem destinatum triumphasse: Henr. Valesius legi volebat, *relatulit*: quasi ex Festo, apud quem *referri*

Urb. cond. an. 566. Coſſ. M. Æmil. Lepido, & C. Flaminio Nepote.

Calendas Januarias de Ætolis, & de Cephallenia. 3 Aureæ coronæ centum duodecim pondo ante currum latæ ſunt: 4 argenti pondo millia octoginta tria: 5 auri pondo ducenta quadraginta tria: 6 tetradrachmûm Atticûm centum octodecim millia. 7 Philippei nummi duodecim millia quadringenti viginti duo: ſigna æneа ducenta octoginta quinque: ſigna marmorea ducenta triginta: arma, tela, cætera ſpolia hoſtium, magnus numerus. ad hæc catapultæ, ballиſtæ, tormenta omnis generis: duces aut Ætoli & Cephallenes, aut regii ab Antiocho ibi relicti, ad ſeptem & viginti. Multos eo die, priuſquàm in urbem inveheretur, in circo Flaminio tribunos, præfectos, equites, centuriones, Romanoſque ſocios 8 donis militaribus donavit: militibus ex præda β9 vicenos quinos denarios diviſit: duplex centurioni, triplex equiti.

VI. Jam conſularium comitiorum appetebat tempus, quibus quia M. Æmilius, cujus ſortis ea cura erat, occurrere non potuit, C. Flaminius Romam venit. ab eo creati Conſules Sp. Poſtumius Albinus, Q. Marcius Philippus. Prætores inde facti T. Mænius, P. Cornelius Sulla, C. Calpurnius Piſo, M. Licinius Lucullus, C. Aurelius Scaurus, L. Quintius Criſpinus. Extremo anni magiſtratibus jam creatis, ante diem tertium nonas Martias Cn. Manlius Vulſo de Gallis, qui Aſiam incolunt, triumphavit. feriùs ei triumphandi cauſa fuit, ne Q. Terentio Culleone prætore 1 cauſam lege Petillia diceret, & incendio alieni judicii, quo L. Scipio damnatus erat, conflagraret: eò infenſioribus in ſe, quàm in illum judicibus, quod diſciplinam militarem ſeverè ab eo conſervatam, ſucceſſor ipſe omni genere licentiæ corruperat. Neque ea ſola infamiæ erant, quæ in provincia procul ab oculis facta narrabantur: ſed etiam magis, quæ in militibus ejus quotidie conſpi-

NOTÆ.

diem prædictam, eſt anteferri.

3. *Aureæ coronæ centum duodecim pondo.*] Id eſt, quæ ſingulæ duodecim libras pendebant, Romanis ſcilicet pondéribus, ut materia eſſet ſexaginta ſeptem millium & centum viginti librarum Gallicarum.

4. *Argenti pondo millia octoginta tria.*] Gallicè *la valeur de deux millions neuf cens quatrevingts huit mille livres.*

5. *Auri pondo ducenta quadraginta tria.*] Gallica æſtimatione hodierna *la valeur de cent trente trois mille cinq cens livres.*

6. *Tetradrachmûm Atticûm centum octodecim millia.*] Gallica pecunia æſtimarentur hi nummi Attici centum octoginta octo millibus & octingentis libris.

7. *Philippei nummi, duodecim millia, quadringenti viginti duo.*] Conficeret hæc ſumma in pecuniam noſtram redacta ferè centum ſexaginta unum millia librarum cum quadringentis octoginta ſex libris.

8. *Donis militaribus donavit.*] Idcircò huic M. Fulvio Nobiliori objecit M. Cato apud A. Gell. lib. 5. c. 6. citante Sigonio, *quòd milites per ambitionem coronis, leviſſimis de cauſis, donaſſet: coronis autem donaverat, quia vallum curaverant, aut quia putem ſi frenuè foderant.*

9. *Vicenos quinos denarios diviſit.*] Si denarios ex recepta ſententia pro drachmis accipiamus, eo pretio quo vulgò æſtimari ſolent, ſient libræ noſtrates fermè decem.

1. *Cauſam lege Petillia diceret.*] Vide lib. 38. cap. 50. & ſequentia.

ciebantur. 2 Luxuriæ enim peregrinæ origo ab exercitu Aſiatico invecta in urbem eſt. ii primùm 3 lectos æratos, veſtem ſtragulam pretioſam, plagulas, & alia textilia, & quæ tum magnificæ ſuppellectilis habebantur, monopodia & abacos, Romam advexerunt. tum 4 pſaltriæ 5 ſambuciſtriæque, & 2 convivalia ludorum obleſtamenta addita epulis: epulæ 5 quoque ipſæ, & cura & ſumptu majore apparari cœptæ: tum coquus, viliſſimum antiquis mancipium, & æſtimatione & uſu, in pretio eſſe; & quod miniſterium fuerat, ars haberi cœpta. vix tamen illa, quæ tum conſpiciebantur, femina erant futuræ luxuriæ. Urb. cond. ann. 566. Coſſ. M. Æmilio Lepido, & C Flamin. Nepote.

VII. In triumpho tulit Cn. Manlius coronas aureas CC. 1 duodecim pondo: 2 argenti pondo ducenta vigiati millia: 3 auri pondo duo millia ducenta tria. 4 cetradrachmûm Atticûm centum viginti ſeptem millia: 5 ciſtophorum ducenta & quinquaginta. 6 Philippeorum aureorum nummorum ſedecim millia trecenta viginti: & arma ſpoliaque multa Gallica, carpentis tranſvectâ. duces hoſtium duo & quinquaginta ducti ante currum. 7 militibus 7 quadragenos binos denarios diviſit, duplex centurioni: & ſti-

INTERPRETATIO.

a *Et mimi atque hiſtriones inter epulas adhibiti.*

NOTÆ.

2. *Luxuria enim peregrinæ origo ab exercitu Aſiatico invecta in urbem eſt.*] Hac de re non immeritò conqueritur Paterculus initio libri 2. cum ait: *potentia Romanorum prior Scipio viam aperuerat, luxuria poſterior aperuit.*

3. *Lectos aratos.*] Intelligit tricliniares, in quibus accumbebant epaturi, quales Heliogabalus ex ſolido argento habuiſſe traditur à Lampridio: atque ita accipiendos eſſe hic *lectos* probat Sigon. ex Plin. qui lib. 34. c. 3. teſtatur *triclinia arata, abacoſque & monopodia Cn. Manlium Aſia devicta primum invexiſſe triumpho ſuo.*

4 *Pſaltriæ.*] Hæ ſunt mulieres pſallendi peritæ, quæ præſertim cithara canunt.

5. *Sambuciſtriaque.*] A *ſambuca* ſive *ſambyce* ſic dicebantur mulieres, quæ ejuſmodi inſtrumento canebant, quæ nomine Latino dicuntur etiam ſambucinæ. Eſt autem ſambuca triangulum inſtrumentum nervis tum longitudine, tum craſſitie inæqualibus compoſitum. Apparet idem fuiſſe cum eo qui vulgò apud nos, *une harpe*.

1. *Duodecim pondo.*] Gallicè *des couronnes d'or du poids de douze livres Romaines, & de la valeur de ſix mille ſept cens vint livres.*

2 *Argenti pondo ducenta viginti millia.*] Gallicè *le poids de deux cens vint mille livres Romaines, valant 792000. livres.*

3. *Auri pondo duo millia ducenta tria.*] Gallicè *deux mille deux cens trois livres Romaines d'or, qui vaudroient à peu près 123320. livres.*

4 *Tetradrachmûm Atticûm centum viginti ſeptem millia.*] Vulgò *tetradrachma Attica*: emendavit Gron. quod obſervaſſe ſibi videatur, quoties numerus millia nō exceſſit, tum rem numeratam ſemper à Livio eſſerri patrio caſu: cùm verò ſuper millia numerus alius inferior adjicitur, tum non perpetuò rem numeratam pronunciari eo caſu, quem exigebat *Τῶ millia*: ſed interdum eo, quem recipit adjectus poſterior numerus. Quam obſervationem exemplis confirmat. Hæc porrò ſumma noſtra moneta 203550. l.

5. *Ciſtophorum ducenta & quinquaginta.*] Gallicè *la valeur d'environ 56250. livres, en petites pieces d'argent.*

6. *Philippeorum aureorum nummorum ſedecim millia trecenta viginti.*] Gallicè *la valeur de 220320. livres, en monnoye d'or de Macedoine.*

7. *Militibus quadragenos binos dena-*

Urb. cond. an. 567. Coss. Sp. Postum. Albino, & Q. Marcio Philippo.

pendium duplex in pedites dedit, triplex in equites. Multi omnium ordinum, donati militaribus donis, currum secuti sunt. carminaque à militibus ea in imperatorem dicta, ut facilè appareret in ducem indulgentem ambitiosumque ea dici. triumphum esse militari magis favore, quàm popularí celebrem. Sed ad populi quoque gratiam conciliandam amici Manlii valuerunt. quibus annitentibus Senatusconsultum factum est. *Ut ex pecunia, quæ in triumpho translata esset, stipendium collatum à populo in publicum, quod ejus solutum antea non esset, solveretur.* 8 Vicenos quinos & semisses in millia æris quæstores urbani cum fide & cura solverunt. Per idem tempus tribuni militum duo ex duabus Hispaniis cum literis C. Atinii & L. Manlii, qui eas provincias obtinebant, venerunt. Ex iis literis cognitum est, Celtiberos Lusitanosque in armis esse, & sociorum agros populari. de ea re consultationem integram senatus ad novos magistratus rejecit. Ludis Romanis eo anno, quos P. Cornelius Cethegus, A. Postumius Albinus faciebant, malus in circo instabilis 9 in signum Pollentiæ procidit, atque id dejecit. ea religione moti Patres, & diem unum adjiciendum ludorum celebritati censuerunt, & signa duo pro uno reponenda; & novum auratum faciendum. Et plebeji ludi ab ædilibus C. Sempronio Blæso, & 10 M. Furio Fusco diem unum instaurati sunt.

VIII. Insequens annus Sp. Postumium Albinum, & Q. Marcium Philippum Consules ab exercitu bellorumque & provinciarum cura ad intestinæ conjurationis vindictam avertit. Prætores provincias sortiti sunt, T. Mænius urbanam, M. Licinius Lucullus inter cives & peregrinos, C. Aurelius Scaurus Sardiniam, P. Cornelius Sulla Siciliam, L. Quintius Crispinus Hispaniam citeriorem, C. Calpurnius Piso Hispaniam ulteriorem. Consulibus ambobus quæstio de clandestinis conjurationibus decreta est. Græcus ignobilis in Etruriam primùm venit, nulla cum arte earum, quas multas ad animorum corporumque cultum nobis à eruditissima omnium gens invexit, sacrificulus & vates: nec is qui

NOTÆ.

rios.] Id est Gallicæ monetæ sedecim fermè libras cum totidem assibus.

8. *Vicenos quinos & semisses in millia aris*.] Gallice *vint cinq sols & demy pour mille, sur l'argent que Manlius avoit apporté au tresor*.

9. *In signum Pollentiæ procidit*.] *Pollentia*, vel *Potentia* idem significant, ut Festus docet: nam & verbum *polleve* idem ferè est ac *posse*. Ejus verò Deæ Numen in honore apud Romanos fuit, cùm nominis significatio patùm differt ab ipsius Romæ Græca significatione. Malus autem, quo dejectum dicitur ejus Deæ simulacrum, rectè, opinor, Marcell. Donatus arbitratur unum ex illis fuisse, quibus vela tensa funibus alligata fulciebantur ad arcendas æris injurias à spectatoribus ludorum.

10. *M. Furio Fusco*.] Imò *Furio Fuso*, quod cognomen est Furiorum in tabulis Capitolinis, ut Sigon. notat.

1. *Eruditissima omnium gens invexit*.] Fuit quidem ejusmodi Græca gens cum Latinis comparata. Cæterùm pleraque quæ à Græcis didicere Romani, constat Græcos ab Ægyptiis priùs & Chaldæis, nisi potiùs ab Hebræis, accepisse.

apertâ religione propalam & quæſtum & diſciplinâm profitendo, Urb. cond.
2 animos horrore imbuereț, ſed occultorum antiſtes ſacrorum. 3 Initia an. 567.
erant, quæ primò pancis tradita ſunt: deindo vulgari cœpta per viros, Coſſ. Sp.
mulierieſque: additæ voluptates religioni vini & epularum, quo plurium Poſtum.
animi illicerentur. Quum ò vinum animos & nox, & mixti fœminis ma- Albino, &
res, ætatis teneræ majoribus, diſcrimen omne pudoris extinxiſſent; cor- Q. Marcio
ruptelæ primùm omnis generis fieri cœptæ: quum ad id quiſque, quò na- Philippo.
tura prioris libidinis eſſet, paratam voluptatem haberet. Nec unum
genus noxæ, ſinpra promiſcua ingenuorum fœminarumque erant: ſed fal-
ſi teſtes, falſa ſigna teſtimoniaq; & judicia ex eâdem officinâ exibant. Vene-
na indidem inteſtinæque cædes: ita ut ne corpora quidem interdum ad
ſepulturam extarent. Multa dolo, pleraque per vim audebantur, occule-
bat vim, quòd præ ululatibus tympanorumque & cymbalorum ſtrepitu,
nulla vox queritantium inter ſtupra & cædes, exaudiri poterat.

IX. 1 Hujus mali labes ex Etruria Romam, velut contagione morbi, penetravit. primò urbis magnitudo capacior, patientiorque talium malorum eâ celavit: tandem indicium hoc maximè modo ad Poſtumium conſulem pervenit. P. Æbutius, cujus pater publico equo ſtipendia fecerat, pupillus relictus, mortuis deinde tutoribus, ſub tutelâ Duroniæ matris & vitrici T. Sempronii Rutili educatus fuerat. Et mater dedita viro erat: & vitricus, quia tutelam ita geſſerat, ut rationem reddere non poſſet; aut tolli pupillum, aut obnoxium ſibi vinculo aliquo fieri cupiebat. viâ una corruptelæ 2 Bacchanalia erant. Mater adoleſcentulum appellat, *Se pro ægro eo vovisse, ubi primùm convaluisset*, 3 *Bacchis eum ſe initiaturam. damnatam voti, Deûm benignitate, exſolvere id velle. Decem diebus caſtimoniâ opus eſſe. decimo die cœnatum, deinde purè lautum in ſacrarium deducturam.* Seortum nobile libertina Hiſpala Fecenia, 4 non digna quæſtu cui ancillula aſueverat; etiam poſtquàm manumiſſa

INTERPRETATIO.

2 *Homicidia domeſtica, & occultè intra domos patrata.*

NOTÆ.

2. *Animos horrore imbuerent.*] Aliàs, *errore*, ſed probat ex veteri libro Sigonius *horrore*, id eſt, metu religionis, ut lib 1. dicitur, *qui perfundere religione animum poſſet.*

3. *Initia erant.*] Myſteria intelligo, quibus initiabantur: ſeu potiùs ſuperſtitiones & ſcelera ad quæ imbuebantur.

1. *Hujus mali labes.*] Legit Tan. Faber *tabes*, propter *id contagione*. Et optimè potuit eo *tabis* vocabulo uti Livius: non tamen idcircò damnandum eſt nomen *labes*, quod rei non malè convenit.

2. *Bacchanalia erant.*] *Bacchanalium* ſcilicet nomine committebantur horrenda illa ſcelera: unde facilè poterat hac viâ pupillus corrumpi.

3. *Bacchis eum ſe initiaturam.*] Sed cum illud quod tunc adeo abominandum, fœminarum antea proprium fuerat: unde *Bacchis initiari* eſt *committere ſe ſacris Baccharum*, ſeu *Bacchantium*.

4. *Non digna quæſtu cui ancillula aſ-*

Urb. cond. an. 567. Coss. Sp. Postum. Albino, & Q. Marcio Philippo.

erat, eodem se genere tuebatur. Huic consuetudo juxta vicinitatem cum Æbutio fuit; minimè adolescentis aut rei aut famæ damnosa: ultrò enim amatus appetitusque erat, & malignè omnia præbentibus suis, meretriculæ munificentia sustinebatur. Quin eò processerat consuetudine captâ, ut post patroni mortem, quia in illius manu erat: 5 tutore à tribunis & prætore petito, quum testamentum faceret, unum Æbutium institueret hæredem.

X. Hæc amoris pignorâ quum essent, nec quicquam secretum alter ab altero haberent, per jocum adolescens vetat eam mirari, si per aliquot noctes secubuisset. Religionis se causâ, ut voto pro valetudine sua facto liberetur, Bacchis initiari velle. Id ubi mulier audivit, perturbata, *Dii meliora!* inquit: *mori & sibi & illi satius esse, quàm id faceret & in caput eorum detestari minas periculaque qui id suasissent.* Admiratus quum verba, tum perturbationem tantam adolescens, parcere execrationibus jubet. matrem id sibi, assentiente vitrico, impetrasse; *Vitr.cus ergo*, inquit, *tuus (matrem enim insimulare forsitan fas non sit) pudicitiam, famam, spem, vitamque tuam perditum ire hoc facto properat.* Eò magis mirabundo, quærentique quid rei esset, *pacem veniamque precata Deorum Dearumque si coacta charitate ejus, silenda enunciasset;* [a] *ancillam se ait dominæ comitem id sacrarium intrasse, liberam nunquam eò accessisse. Scire corruptelarum omnis generis eam officinam esse: & jam biennio constare neminem initiatum ibi majorem annis viginti. Ut quisque introductus sit, velut victimam tradi sacerdotibus. eos deducere in locum, qui circumsonet ululatibus, cantuque symphoniæ, & cymbalorum & tympanorum pulsu, ne vox queritantis,* [1] *quum per vim stuprum inferatur, exaudiri possit. Orare deinde atque obsecrare, ut* [2] *eam rem quocumque discuteret modo: nec se eò præcipitaret, ubi omnia infanda patienda primùm, deinde facien-*

INTERPRETATIO.

a *Dixit olim se cùm adhuc ancilla esset.*

NOTÆ.

fuerat.] Mavult Aurelius ad Tacitum 2. Annalium laudante Gronovio, *non indigna*, quasi sit *non inepta*, sed formæ & morum ad quæstum ejusmodi accommodatorum. Mihi haud displicet, *non digna*, quasi quæ honestis & liberalioribus, quam pro ancilla moribus meruisset meliorem fortunam, ingenuosque natales. Et sequentia hoc suadent.

5. Tutore à tribunis & prætore petito.] Notum est fœminas apud Romanos in perpetua fuisse tutela: ingenuas quidem, agnatorum; libertas verò patronorum: quibus deficientibus dari, solebat tutor in urbe à Prætore urbano, & majori parte tribunorum plebis ex lege Atilia, ut ex Justin. institut. discimus. Latam fuisse hanc legem rectè Sigon. conjicit ante Sp. Postumii Albini & Q. Marcii Philippi consulatum, sive A. U. C. 567. cùm ejus hîc Livius meminerit anno 566. Id tamen juris à Claudio aliisque imperatoribus mutatum est.

1. *Quum per vim.*] Sigon. ex veteri libro *cui per vim*: non malè.

2. *Eam rem quocumque discuteret modo.*] Gallicè *qu'il trouvât ce dessein: qu'il se degageât de cette mauvaise affaire, en*

da esſent. neque antè dimiſit eum, quàm fidem dedit adoleſcens, àb his ſaeris ſe temperaturum. Poſteaquàm domum venit, & mater mentionem intulit, quid eo die, quid deinceps cæteris quæ ad ſacra pertinerent, faciendum eſset; negat eorum ſe quicquam facturum, nec initiari ſibi in animo eſse. Urb. cond. an. 567. Coſſ. Sp. Poſtum. Albino, & Q. Marcio Philippo.

XI. Aderat ſermoni vitricus. confeſtim mulier exclamat, *Hiſpalæ concubitu cavere eum decem noctes non poſſe.* [1] *illius excetræ delinimentis & venenis imbutum, nec vitrici, nec parentis, nec Deorum verecundiam habere,* jurgantes hinc mater, hinc vitricus, cum quatuor eum ſervis domo exegerunt. Adoleſcens inde ad Æbutiam ſe amitam contulit: cauſamque ei, cur eſset à matre ejectus, narravit. deinde ex auctoritate ejus poſtero die ad conſulem Poſtumium, arbitris remotis, rem detulit. Conſul poſt diem tertium ad ſe juſſum redire dimiſit: ipſe Sulpiciam, gravem fœminam ſocrum ſuam, percunctatus eſt. ecquam anum Æbutiam ex Aventino noſſet? quum eam noſſe, probam, & antiqui moris fœminam, reſpondiſset; opus eſse ſibi eâ conventâ duxit. mitteret nuncium, ad eam, ut veniret. Æbutia accita ad Sulpiciam venit. & conſul paulò pòſt, velut fortè interveniſſet, ſermonem de Æbutio fratris ejus filio infert. Lachrymæ mulieri obortæ, & miſerari caſum adoleſcentis cœpit; qui ſpoliatus fortunis, à quibus minimè oporteret, apud ſe tunc eſset, ejectus à matre: quod probus adoleſcens (Dii propitii eſsent) obſcœnis, ut fama eſset, ſacris initiari noller.

XII. Satis de Æbutio exploratum ratus conſul, non vanum auctorem eſse; dimiſsâ Æbutiâ, ſocrum rogat, ut Hiſpalam indidem ex Aventino libertinam, non ignotam vicinîæ, accerſeret ad ſeſe: [2] eam quoque eſse quæ percunctari vellet. Ad cujus nuncium perturbata Hiſpala, quòd ad tam nobilem & gravem fœminam ignara cauſæ arceſseretur: poſteaquàm lictores in veſtibulo turbamque conſularem & conſulem ipſum conſpexit, propè exanimata eſt. In interiorem partem ædium abductam ſocru adhibitâ conſul, *Si vera dicere inducere in animum poſset, negat perturbari debere. fidem vel à Sulpicia tali fœmina, vel ab ſe acciperet, expromeret ſibi quæ* [1] *in luco & Similæ Bacchanalibus in ſacro nocturno ſolerent fieri.* Hoc

INTERPRETATIO.

[2] *Habere ſe etiam aliquid, quod ab ea diſcere, explorare, atque inquirere vellet.*

NOTÆ.

quelque maniere que ce fuſt.

1. *Illius excetræ.*] *Excetram* quaſi hydram Lernæam vocat Duronia per contemptum atque odium hanc Hiſpalam filii concubinam & amaſiam. Sic D. Hieronymus Iberam *excetram* appellavit virulentum obtrectatorem.

1. *In luco Simila.*] Auguratur Gelen. pro *Semele* Bacchi matre *Similam* vulgò tunc dictam fuiſſe. Scholiaſtes Juvenalis ad Satyr. 2. de his Bacchanalibus agens, *Stimula Dea lucum* vocat: cujus mentio apud D. Auguſt. lib. 4. de Civit. Dei cap. 11. & 16.

Vrb. cond. an. 567. Coss. Sp. Postum. Albino, & Q. Marcio Philippo.

ubi audivit, tantus pavor tremorque omnium membrorum mulierem cepit, ut diu hiscere non posset, tandem confirmata, puellam admodum se ancillam initiatam cum domina, ait. aliquot annis, ex quo manumissa sit, nihil, quid ibi fiat, scire. Jam idipsum consul laudare; a cùm initiatam se non inficiaretur, sed & cætera eâdem fide exprometet. neganti ultra quicquam scire, b non eamdem dicere, si coërguatur ab alio ac per se fatenti, veniam aut gratiam fore. eum sibi omnia expositisse, qui ab illa audisset.

XIII. Mulier haud dubiè, id quod erat, Æbutium indicem arcani rata esse, ad pedes Sulpiciæ procidit: & eam primò orare cœpit, *Ne mulieris libertinæ cum amatore sermonem, in rem non seriam modò, sed capitalem etiam, verti vellet: se terrendi ejus causâ, non quò sciret quicquam, ea locutam esse.* Hic Postumius accensus ira, *Tum quoque* ait *eam cum Æbutio se amatore cavillari credere, non in domo gravissimæ fœminæ & cum consule loqui.* & Sulpicia attollere paventem, simul illam adhortari: simul iram generi lenire. Tandem confirmata, multùm incusata perfidia Æbutii, qui optimi in eo ipso meriti talem gratiam retulisset; *Magnum sibi metum Deorum, quorum occulta initia enunciaret, majorem multo dixit hominum esse, qui se indicem manibus suis discerpturi essent. itaque hoc se Sulpiciam, hoc consulem orare, ut se extra Italiam aliquo amandarent, ubi reliquum vitæ degere tuto posset.* Bono animo esse jubere eam consul, & sibi curæ fore dicere, ut Romæ tutò habitaret. Tum Hispala originem sacrorum expromit. *Primò sacrarium id fœminarum fuisse, nec quemquam virum eo admitti solitum. Tres in anno statos dies habuisse, quibus interdiu Bacchis initiarentur. Sacerdotes invicem matronas creari solitas. Paculiam Minniam Campanam sacerdotem omnia, tanquam Deûm monitu, immutasse. nam & viros eam primam suos filios initiasse, Minium, & Herennium Cerrinios. & nocturnum sacrum ex diurno, & pro tribus in anno diebus quinos singulis mensibus dies initiorum fecisse. Ex quo in promiscuo sacra sint, & permixti viri fœminis, & noctis licentia accesserit; nihil ibi facinoris, nihil flagitii prætermissum. plura virorum inter se, quàm fœminarum esse stupra. Si qui minùs patientes dedecoris sint, & pigriores ad facinus, pro victimis immolari: nihil nefas ducere, hanc summam inter eos religionem esse: viros velut mente captâ cum ja-*

INTERPRETATIO.

b *Hispala Consul dixit se non parem tum apud se futurum, si ab alio convineretur, ipsi daturum, neque per ei meritum veniam ceresur, ac si ultrò verum fateretur.*

NOTÆ.

2. *Cùm initiatam se non inficiaretur.*] Particula *cùm*, quæ in scriptis, & in melioribus impressis habetur pro particula *quòd*, hoc loco sumitur: & codex Moguntinus habet, *quòd*, eoque sensu accipi[quum probat ex Plaut. & Cic. Gron.

1. *Non quò sciret quicquam.*] Particula *quò*, elegantiùs hic usurpari videtur, quam particula, *quòd*, quæ vulgò ex Mog. legitur.

Statio-

ctatione fanatica corporis vaticinari, matronas [2] *Baccharum habitu crinibus passis cum ardentibus facibus decurrere ad Tiberim, demissasque in aquam faces* (3 *quia vivum sulphur cum calce insit*) *integra flamma efferre. Raptos à Diis homines dici, quos machinæ illigatos ex conspectu in abditos specus abripiant. eos esse, qui aut conjurare, aut sociari facinoribus aut stuprum pati noluerint. Multitudinem ingentem,* [3] *alterum jam prope populum esse: in his nobiles quosdam viros, fœminasque. Biennio proximo institutum esse, ne quis major viginti annis initiaretur. captari ætates & erroris & stupri patientes.*

Urb. cond. an. 567. Coss. Sp. Postum. Albino, & Q. Marcio Philippo.

XIV. Peracto indicio, advoluta rursus genibus, preces easdem, ut se ablegaret, repetivit. Consul rogat socrum, ut aliquam partem ædium vacuam faceret, quo Hispala immigraret. [1] cœnaculum superædes datum est, scalis ferentibus in publicum obseratis, aditu in ædes verso. [2] Res omnes Fecenia extemplo translatæ, & familia accersita: & Æbutius migrare ad consulis clientem jussus. Ita quum indices ambo in potestate essent, rem ad senatum Postumius defert. Omnibus ordine expositis, quæ delata primò, quæ deinde ab se inquisita forent, Patres pavor ingens cepit: quum publico nomine, ne quid eæ conjurationes, cœtusque nocturni fraudis occultæ aut periculi importarent: tum privatim [3] suorum quisque vicem, ne quis affinis ei noxæ esset. Censuit autem senatus, gratias consuli agendas, quòd eam rem & cum singulari cura, & sine ullo tumultu investigasset. Quæstionem deinde de Bacchanalibus sacrisque nocturnis extra ordinem [4] consulibus mandant: indicibus

INTERPRETATIO.

[a] *Tantam eorum esse multitudinem, ut reliquum populum propemodum æquet.*

NOTÆ.

2. *Baccharum habitu.*] Bacchantes, & Mænades & Thyades, dicebantur mulieres quæ thyrsis armatæ Bacchi Orgia celebrabant.

3. *Quia vivum sulphur cum calce insit.*] *Vivum sulphur* ex Plin. lib. 35. c. 15. dicitur quod solidum, hoc est, globosum nascitur, effoditurque, nec perficitur igni ideoque Græcis ἄπυρον appellatur.

1. *Cœnaculum super ædes*, &c.] *Cœnaculum* locus est ubi cœnatur: & postquàm in superiori domus parte cœnare Romani cœperunt, tota domus superior cœnaculi nomen accepit; quò scalis sive cochleis ab exteriori domus parte ascendebatur: solebant enim plerumque cœnacula in quilibet locari, atque a pauperioribus habitari: unde illud Satyrici.

——— *rarus venit in cœnacula miles.*

2. *Res omnes Fecenia.*] *Hispala Fecenia* nomen Amasiæ Aebutii adolescentis.

3. *Suorum quisque vicem.*] Si referas ad ea quæ præcedunt, *Patres pavor ingens cepit* exigeret accurata constructio, (ut Gronotat) *privatim suorum quemque*, aut *quosque vicem* vel *vice.* (Perinde enim esse pato. cùm apud Quintilianum legatur, *sua aut publica vice commoveri*) alioquin supplendum quidpiam videri posset, quò referatur *Τὸ quisque*, veluti *metuebant, pertimescebant*, aut quid simile. Sed non semper his Grammaticæ regulis se Livius adstringit, satisq; habet, si sensus intelligatur.

4. *Consulibus mandant.*] Alias, *mandavit*, vel *mandat*; præcedit enim nomen *senatus*: sed collectiva nomina cùm plurimos complectantur, sæpè verbis pluralis non minùs quàm singularis nume-

ttrb. cond. an. 567. Coll. Sp. Postum. Albino, & Q. Marcio Philippo.

Æbutio ac Fecenia ne fraudi ea res ſit, curare, & alios indices præmiis invitare jubent. Sacerdotes eorum ſacrorum, ſeu viri ſeu fœminæ eſſent, non Romæ modò, ſed per omnia fora & conciliabula conquiri, ut in conſulum poteſtate eſſent. Edicti præterea in urbe Roma, & per totam Italiam edicta mitti, *Ne quis qui Bacchis initiatus eſſet, coiſſe aut convenisse causa ſacrorum velit; neu quid talis rei divinæ feciſſe. ante omnia, ut quæſtio de his habeatur qui coiſſent, conjuraſſentve, quo ſtuprum flagitiumve inferretur.* Hæc ſenatus decrevit. Conſules ædilibus curulibus imperarunt, ut ſacerdotes ejus ſacri omnes conquirerent, comprehenſoſque a libero conclavi ad quæſtionem ſervarent. Ædiles plebis videre, ne qua ſacra in operto fierent. Triumviris capitalibus mandatum eſt, ut vigilias diſponerent per urbem, ſervarentque ne qui nocturni cœtus fierent, utque ab incendiis cavereetur, [6] adjutores triumviris quinque viri, uti eis Tiberim ſuæ quiſque regionis ædificiis præeſſent.

XV. Ad hæc officia dimiſſis magiſtratibus, conſules in Roſtra aſcenderunt, & concione advocata, quum [1] ſolemne carmen precationis, quod præfari, priuſquam populum alloquantur, magiſtratus ſolent, peregiſſet conſul, ita cœpit: *Nulli unquam concioni, Quirites, tam non ſolum apta, ſed etiam neceſſaria hæc ſolemnis Deorum comprecatio fuit, quæ vos admoneret, hos eſſe Deos, quos colere, venerari, precarique majores veſtri inſtituiſſent: non illos, qui pravis & externis religionibus captas mentes velut furialibus ſtimulis ad omne ſcelus & ad omnem libidinem agerent. Equidem nec quid taceam, nec quatenus proloquar, invenio: ſi aliquid*

INTERPRETATIO

a *Extra publicum carcerem in privato cubiculo.*

NOTÆ.

ri gaudent. Ita noſter lib. 24. *Senatus inde haberi cœptus eſt: quod ſicut regnante Hierone manſerat publicum conſilium, ita poſt mortem ejus nulla de re neque convocati, neque conſulti fuerant.*

5. *Per omnia fora & conciliabula.*] Jam antè obſervatum eſt *fora* in Italia & provinciis fuiſſe loca, ubi prætores conventum juris dicendi cauſa habebant: Concilia verò fuiſſe loca nundinationum, ſic dicta quòd eò in concilium veniretur, indicente prætore.

6. *Adjutores triumviris quinque viri uti eis Tiberim.*] Inſerit Sigon. poſt *quinque viri* participium *dati*: quia inquit, non extat verbum, ad quod referatur vox illa *adjutores*. Id autem Liberatii vitio adſcribit, qui vocem, *dati*, ob ſimilitudinem vocis *uti*, prætermiſerit: addit etiam exemplum ex lib. 40. ubi: *poſtulantibus tamen iis quinque viri ab ſenatu dati*: Gron. etſi in ſcriptis editiſque deſiderari fateatur *Tò dati*, cenſet minori licentia Tò uti mutari in *dati*. Mihi nec adjectio, nec mutatio abſolutè neceſſaria videtur: referri enim hæc poſſunt ad Tò *mandatum eſt*, quæ in priori membro habentur: ut ſit, *& mandatum eſt, ut quinque viri adjutores triumviris*, (id eſt, adjuturi triumviros) *præeſſent ædificiis, ſua quiſque regionis, quò ab incendiis cavereturr*.

1. *Solemne carmen precationis.*] Feſtus intelligit vota, quibus Deorum opem Magiſtratus initio concionis implorabant, & quibus Jupiter, Juno, Minerva, aliique Dii invocabantur, ut proſperarent cœpta.

Ueb. con. l. an. 567. Coss. Sp. Postum. Albino, & Q. Marcio Philippo.

ignorabitis, ne locum negligentiæ dem; si omnia nudavero, ne nimium terroris effundam vobis, verear. quicquid dixero, minus pro atrocitate & magnitudine rei dictum scitote esse. ut ad cavendum satis sit, dabitur opera à nobis. Bacchanalia tota jampridem Italia, & nunc pene urbem etiam multis locis esse, non fama modo accepisse vos, sed crepitibus etiam ululatibusque nocturnis, qui personant tota urbe, certum habeo: cæterum quæ ea res sit, ignorare. Alios Deorum aliquem cultum, alios concessum ludum & lasciviam esse credere? & qualecunque sit, ad paucos pertinere. Quod ad multitudinem eorum attinet, si dixero multa millia hominum esse, illico necesse est exterreamini, nisi adjunxero, qui quale que sint. Primum igitur mulierum magna pars est, & is fons mali hujusce fuit: deinde similimi fœminis mares, stupratique & constupratores, fanatici vigiles, vino, strepitibus, clamoribusque nocturnis attoniti. Nullas adhuc vires conjuratio, cæterum incrementum ingens virium habet, quod indies plures fiunt. Majores vestri, ne vos quidem, nisi quum aut vexillo in arce posito comitiorum causa exercitus eductus esset, 3 aut plebi concilium tribuni edixissent, aut aliquis ex magistratibus ad concionem vocasset, forte temere cuire voluerunt: & ubicumque multitudo esset, ibi & legitimum rectorem multitudinis censebant debere esse. Quales primum nocturnos cœtus, deinde promiscuos mulierum ac virorum esse creditis? Si quibus ætatibus initientur mares sciatis; non misereat vos eorum salum, sed etiam pudeat. Hoc sacramento initiatos juvenes milites faciendos acusetis, Quirites? iis ex obscœno sacrario eductis arma commenda? hi cooperti stupris suis, alienisque, pro pudicitia conjugum ac liberorum vestrorum ferro decernant?

XVI. *Minus tamen esset, si flagitiis tantum effœminati forent (ipsorum magna ex parte dedecus erat) à facinoribus maxus, nec cum à fraudibus abstinuissent. Nunquam tantum malum in republica fuit, nec ad plures, nec ad plura pertinens, quicquid his annis libidine, quicquid fraude, quicquid scelere peccatum est, ex illo uno sacrario scitote ortum esse. Nec dum omnia in qua conjuraverunt [1] edita facinora habent. adhuc privatis noxiis, quia nondum ad rempublicam opprimendam satis virium est, conjuratio se se impia tenet: crescit & serpit quotidie malum. jam majus est, quàm ut capere id privata fortuna possit: ad summam rempublicam spectat. Nisi præcaveritis, Quirites, jam huic diurno, legitimæ ab consule vocatæ, par*

INTERPRETATIO.

a *Unusquisque illorum seorsum vos metuit, cum omnes in concione simul junctos videt.*

NOTÆ.

2. *Nisi quum aut vexillo in arce posito.*] Indicat centuriata comitia, quæ vexillo in arce Janiculi posito, & Janiculo ipso custodito habebantur; quæque intra pomœrium fieri nefas: quia populo in suffragiis ferendis occupato exercitum præsidii causa extra urbem esse oporteat; quod intra urbem impetrari jus non sit, ut notant Dio. lib. 47. & Gell. lib. 15. cap. 27.

3. *Aut plebi concilium tribuni edixissent.*] Sunt hæc comitia tributa, de quibus Gell. ibidem.

1. *Edita facinora habent.*] *Edita habent,*

Urb. cond. an. 567. Coss. Sp. Postum. Albino, & Q. Marcio Philippo.

nocturna concio esse poterit. nunc a illi vos singuli universos concionantes timent: jam ubi vos dilapsi domos & in rura vestra eritis, illi cojerint. consultabunt de sua salute simul ac vestra pernicie. tum singulis vobis universi timendi erunt. Optare igitur unusquisque vestrum debet, ut bona mens suis omnibus fuerit. b Si quem libido, si furor in illum gurgitem abripuit, illorum eum, cum quibus in omne flagitium & facinus conjuravit, non suum judicet esse. Ne quis etiam errore labatur vestrum quoque, non sum securus. nihil enim in speciem fallacius est quàm prava religio. Ubi Deorum numen prætenditur sceleribus, subit animum timor, ne fraudibus humanis vindicandis divini juris aliquid immixtum violemus. Hæc vos religione innumerabilia decreta pontificum, Senatusconsulta, aruspicum denique responsa liberant. Quoties hoc 2 patrum avorumque ætate negotium est magistratibus datum, ut sacra externa fieri vetarent, sacrificulos vatesque foro, circo, urbe prohiberent, vaticinos libros conquirerent, comburerentq; omnem disciplinam sacrificandi, præterquàm more Romano, abolerent? Judicabant enim prudentissimi viri omnis divini humanique juris, nihil æquè dissolvendæ religionis esse; quàm ubi non patrio, sed externo ritu sacrificaretur. Hæc vobis prædicenda ratus sum, ne qua superstitio agitaret animos vestros, quum demolientes nos Bacchanalia, discutientesque nefarios cœtus cerneretis. Omnia Diis propitiis, volentibusque ea faciemus: qui, quia suum numen sceleribus libidinibusque contaminari indignè ferebant, ex occultis ea tenebris in lucem extraxerunt. nec patefieri ut impunita essent, sed ut vindicarentur & opprimerentur, voluerunt. Senatus quæstionem extra ordinem de ea re mihi collegæque meo mandavit: nos, quæ ipsis nobis agenda sunt, impigre exequemur. Vigiliarum nocturnarum curam, per urbem minoribus magistratibus mandavimus. Vos quoque æquum est, quæ vestra munia sunt, quo quisque loco positus erit, quod imperabitur, impigre præstare, & dare operam, ne quid fraude noxiorum periculi aut tumultus oriatur.

XVII. Recitari deinde Senatusconsultâ jusserunt, indicique præmium propositurum, Si quis quem ad se dedu xisset, nomenve absentis detulisset, qui nominatus profugisset, diem certam se finiturosad quam nisi citatus respondisset, absens damnaretur. Si quis eorum qui tum extra terram Italiam essent, nominaretur: ei laxiorem diem daturos, si venire ad causam dicendam vellet. Edixerunt deinde ne quis quid fugæ causa vendidisse, neve emisse vellet: ne quis reciperet, celaret, ope ulla juvaret fugientes. Concione di-

b Omnes quicunque per furorem in illa re debet, non sibi devinctos & suarum pernefaria sacra, velut in gurgitem se præcipites deiderunt, illos nunquisque vestrum judicatium esse; sed illis adhærere cum quibus conspiraruat in communionem scelerum.

INTERPRETATIO.

NOTÆ.

a ro edidérunt,

2. Patrum avorumque ætate.] Vide libri quarti caput trigesimum, & lib. 31. cap. 1.

miſsa, terror magnus urbe tota fuit. nec mœnibus ſe tantùm urbis, aut finibus Romanis continuit: ſed paſſim per totam Italiam, literis hoſpitum, de Senatuſconſulto, & concione, & edicto conſulum acceptis, trepidari cœptum eſt. Multi eâ nocte quæ diem inſecuta eſt, quo in concione res palam facta eſt, cuſtodiis circa portas poſitis, fugientes à triumviris comprehenſi & reducti ſunt: multorum nomina delata. quidam ex iis viri fœminæque mortem ſibi conſciverunt. Conjuraſſe ſupra ſeptem millia virorum ac mulierum dicebantur: capita autem conjurationis conſtabat eſſe, 1 M. & L. a Catinios 2 de plebe Romana, 3 & Faliſcum, L. Opiternium, & Minium Cerrinium Campanum. ab his omnia facinora & flagitia orta: eos maximos ſacerdotes conditoreſque ejus ſacri eſſe. data opera eſt, ut primo quoque tempore comprehenderentur. Adducti ad conſules faſſique, de ſe nullam moram judicio fecerunt. Urb. cond. an. 567. Coſſ. Sp. Poſtum. Albino, & Q. Marcio Philippo.

XVIII. Cæterum tanta fuga ex urbe facta erat, ut quia multis 1 actiones & res peribant, cogerentur prætores T. Mœnius & M. Licinius, per ſenatum 2 res in diem trigeſimum differre, donec quæſtiones à conſulibus perficerentur. Eadem ſolitudo, quia Romæ non reſpondebant, nec inveniebantur, quorum nomina delata erant, coegit conſules circa fora proficiſci, ibique quærere & judicia exercere. Qui tantùm initiati erant, & ex carmine ſacro, præeunte verba ſacerdote, precationes fecerant, in quibus nefanda conjuratio in omne facinus ac libidinem continebatur, nec earum rerum ullam, in quas jurejurando obligati erant, in ſe aut alios admiſerant; eos in vinculis relinquebant: qui ſtupris aut cædibus violati erant, qui falſis teſtimoniis, ignis adulterinis, ſubjectione teſtamentorum, fraudibus aliis contaminati: eos capitali pœnâ afficiebant. Plures necati, 2 quam in vincula conjecti ſunt. b magna vis in utraque cauſa virorum mulierumque fuit. 3 Mulieres damnatas cognatis, aut in quorum manu eſſent, tradebant: ut ipſi in privato animadverterent in eas. ſi nemo

INTERPRETATIO.

a *Per menſem abſtinere à jure dicendo.* b *Magnus tam juratorum quàm contaminatorum numerus.*

NOTÆ.

1. *M. & L. Catinios.*] Sigon. mavult *M. & C. Atinios*, quod & Gron. probat.

2. *De plebe Romana.*] Dicuntur eſſe *de plebe*, quicumque ordinis ſenatorii non ſunt.

3. *Et Faliſcum, L. Opiternium.*] Ut Atinii Româ, ita hic Opiternius Faieriis, & Cerrinius Capuâ oriundus. Faliſcum itaque patriæ nomen eſt, non familiæ.

1. *Actiones & res peribant.*] Cùm tantus eſſet fugientium numerus, multi, quibus in eos competebant actiones, eos intra diem, ſeu intra præſtituta tempora, convenire non poterant propter ipſorum abſentiam; ideoque excidebant jure ſuo, & res ſuas ab abſentibus uſucaptas amittebant.

2. *Quàm in vincula conjecti ſunt.*] Jam antèa notavimus ad cap. 14. in privato ſeu libero carcere habitos.

3. *Mulieres damnatas cognatis.*] Romanorum veterum hic mos, mulierum crimina non publicè, ſed privatim atque intra domeſticos parietes puniendi per parentes, maritos, agnatos, quorum illæ perpetuò in tutela erant.

Vrb. cond. an. 567. Coſſ. Sp. Poſtum. Albino, & Q. Marcio Philippo.

erat idoneus ſupplicii exactor, in publico animadvertebatur. Datum deinde conſulibus negotium eſt, 4 ut omnia Bacchanalia Romæ primùm, deinde per totam Italiam dirquirerent: extra quam ſi quibi vetuſta ara aut ſignum conſecratum eſſet, in reliquum deinde 5 Senatuſconſulto cautum eſt, „ Ne qua Bacchanalia Romæ, neve in Italia eſſent. Si quis tale ſacrum ſolemne & neceſſarium duceret, neve ſine religione & piaculari fe id omittere poſſe, apud prætorem urbanum profiteretur: prætor ſenatum conſuleret, ſi ei permiſſum eſſet, quum in ſenatu centum, non minus eſſent, ita id ſacrum faceret; dum ne plus quinque ſacrificio intereſſent, 6 neu quæ pecunia communis, neu quis magiſter ſacrorum, aut ſacerdos eſſet. 10.

XIX. Aliud deinde huic conjunctum, referente Q. Marcio conſule, Senatuſconſultum factum eſt, „ Ut de iis, 1 quos proindicibus conſidesſe habuiſſent, integra res ad ſenatum referretur, quum Sp. Poſtumius quæſtionibus perfectis Romam rediſſet. Minium Cerrinium Campanum Ardeam in vincula mittendum cenſuerunt: 2 magiſtratibuſque Ardeatium prædicendum, ut in intenſiore eum cuſtodia aſſervarent; non ſolùm ne effugeret, ſed ne mortis conſciſcendæ locum haberet. Sp. Poſtumius aliquantò poſt Romam venit, eò referente de P. Ælii & Hiſpalæ Fecenniæ præmio, quòd eorum operâ indicata Bacchanalia eſſent, S. C. factum eſt, „ Ut 3 ſingulis his centena millia æris quæſtores urbani ex ærario darent: 3 utique conſul cum tribunis plebis ageret, ut ad plebem primo quoque tempore ferrent, ut P. Ælio ex merita ſtipendia eſſent, ne inuitus militaret, neve cenſor eis equum publicum aſſignaret. Utique 4 Fecenniæ Hiſpalæ, datio, diminutio, genis coactio, tutoris optio itera eſſet, quaſi ei vir teſtamento

INTERPRETATIO.

2 *Ut à militia immunis haberetur, tum pedeſtri, tum equeſtri.*

NOTÆ.

4. *Ut omnia Bacchanalia.*] Nomen *Bacchanalium* plerumque pro feſto & ſacris Bacchi ſumitur: hic verò loca ſignificantur in quibus hæc impia ſacra fiebant.

5. *Nec quæ pecunia communis.*] Et hac de cauſa decretum, quòd hæc ſacra omnino abolerí placebat: communem autem pecuniam habere ad licita collegia pertinet.

1. *Quos proindicibus conſules habuiſſent.*] Hoc Senatuſconſulto dilata ſunt præmia indicii, quæ prædò pòſt ipſis indicibus attributa, P. Ælio nimirum & Hiſpalæ Fecenniæ.

2. *Singulis his centena millia æris.*] Sic legis ex Moguntino, an ut Gronovio placet uti *ſigula his centena millia æris* quæſtores urbani darent; perinde eſt: *Centena pondo millia æris*, ſi alius intelligas, (qui ad ſemunciam jam tuam imminuto) vix duo millia librarum Gallicarum & nongentas ac ſeptendecim reperiuntur: quod haud ſanè dignum videri poterit rei tanæ præmium. Credibile igitur eſt libram aris intelligi: ſic fiet ſummæ libris Francicis ſummè 6,300. æſtimanda.

3. *Utique conſul cum tribunis plebis ageret &c.*] Significatur plebiſcitum hac de re factum ex auctoritate ſenatus.

4. *Fecenniæ Hiſpalæ datio, diminutio, genis coactio, tutoris optio itera eſſet.*] Per hæc eximebatur Hiſpalæ, mediæ libertinæ, jure patronatus, ita ut ei in poſterum concederetur poteſtas alie-

dedisset. Utique ei ingenuo nubere liceret. non quid ei, qui eam duxisset, ab id fraudi ignominiæve esset. Utique consules prætoresque qui nunc essent, quive poste à futuri essent, curarent, ne quid ei mulieri injuriæ fieret, utique tuto esset. id senatum velle, & eum de ea re consulere, ut ita fieret. Ea omnia lata ad plebem, factaque sunt ex Senatusconsulto, & de cæterorum indicum impunitate præmissique consulibus permissum est.

Urb. cond. an. 567. Coss. Sp. Postum. Albino, & Q. Marcio Philippo.

XX. Et jam Q. Marcius quæstionibus de regionis perfectis, in Ligures provinciam proficisci parabat; tribus millibus peditum Romanorum centum quinquaginta equitibus, & quinque millibus Latini nominis peditum, ducentis equitibus in supplementum accepit. Eadem provincia, idem numerus peditum equitumque & collegæ decretus erat. Exercitus acceperunt, quos priore anno C. Flaminius & M. Æmilius consules habuerant. duas præterea legiones novas ex Senatusconsulto scribere jussi sunt: & viginti millia peditum sociis & nominis Latini imperarunt, & equites mille trecentos, & tria millia peditum Romanorum, ducentos equites. totum hunc exercitum præter legiones in supplementum Hispaniensis exercitus duci placebat. inque consules, dum ipsi quæstionibus impediebantur, T. Manlium delectui habendo præfecerunt. perfectis quæstionibus, prior Q. Marcius in Ligures Apuanos est profectus. Dum penitus in abdito saltus (quæ latebræ receptaculaque semper illis fuerant) persequitur; in præoccupatis angustiis, loco iniquo effectum ventus. quatuor millia militum amissa, & legionis secundæ signa tria, undecim vexilla

NOTÆ.

nandi res suas, & patrimonium dimittendi auctore tutore quem sibi ipsa elegisset; quod libertis absque patronorum consensu non licebat: denique idem jus ei tribuebatur quod ingenuæ mulieres per ea tempora Romæ habebant; quibus si in manu parentum aut virorum non essent, necessaria erat tutoris auctoritas, *ut lege aut judicio agerent, ut se obligarent, ut civile negotium gererent*, auctore Ulpiano titulo 11. regular. Quod attinet ad *gentis enuptionem*, sciendum est libertos per manumissionem asciscere solitos in gentem patroni, à quo nomen accipiebant: ita ut ejusdem gentis novam familiam humiliorem inchoarent. Hinc moribus introductum fuerat, ut ex auctoritate patroni libertus uxorem duceret, liberta viro nuberet, ut nimirum, non facile ejusdem gentis connubium esset, nisi inter manumissos & manumissas ab eodem patrono, ejusve gentili seu agnato. Id probari potest ex responso Salonii Catoni, cujus clienta & scriba erat, dato de filia Saloniæ nuptiis apud Plut. Tacit. lib. 6. Annal. refert de Pompeja Macrina ex Theophane orta Cn. Pompeji familiari, cujus filius Pompejus Theophanes Tiberio inter amicos. Rectè itaque Turnebus, & post eum Gron. *gentis enuptionem* interpretatur facultatem nubendi extra gentem patroni, aliis scilicet quàm libertis illius gentis, cujus erat liberta. Cui additur etiam facultas ingenuo nubendi: adhuc enim differta inter ingenuos ac libertinos connubia erant; ut infamiâ non vacaret ingenuus, qui libertinæ conditionis uxorem duxisset: quod tamen in gratiam Hispaliæ Fecenïæ nunc remittitur.

1. *Tria millia peditum Romanorum*] Cave hæc referas ad proximum verbum, *imperarunt*: pendent enim ex iis quæ antèà dicta fuerant, *scribere jussi sunt*.

2. *Signa tria, undecim vexilla.*] Signa non aquilæ fuerunt: una enim tantùm

Urb. cond. an 567. Coss. Sp. Postum. Albino, & Q. Marcio Philippo.

ſociûm Latini nominis in poteſtatem hoſtium venerunt: & arma multa, quæ, quia impedimento fugientibus per ſylveſtres ſemitas erant, paſſim jactabantur. 3 priùs ſequendi Ligures finem, quàm fugæ Romani fecerunt. Conſul ubi primùm ex hoſtium agro evaſit, ne quantum diminutæ copiæ forent appareret, in locis pacatis exercitum dimiſit. Non tamen obliterare famam rei malè geſtæ potuit. nam ſaltus, unde eum Ligures fugaverant, Marcius eſt appellatus. 5

XXI. Sub hunc nuncium ex Liguſtinis vulgatum, literæ ex Hiſpania mixtam gaudio triſtitiam afferentes recitatæ ſunt. C. Atinius, qui biennio antè prætor in eam provinciam profectus erat, cum Luſitanis in agro Aſtenſi ſignis collatis pugnavit. ad ſex millia hoſtium ſunt cæſa: cæteri fuſi, fugati, caſtriſque exuti. 1 Ad oppidum deinde Aſtam oppugnandam legiones ducit. id quoque haud multò majore certamine cepit, quàm caſtra; ſed dum incautiùs ſubit muros, ictus ex vulnere poſt dies paucos moritur. Literis de morte proprætoris recitatis, ſenatus cenſuit mittendum, qui ad Lunæ portum C. Calpurnium prætorem conſequeretur: nunciaretque, ſenatum æquum cenſere, ne ſine imperio provincia eſſet maturare eum proficiſci. Quarto die, qui miſſus erat, 2 Lunam venit: paucis antè diebus Calpurnius profectus erat. Et in citeriore Hiſpania L. Manlius Acidinus, qui eodem tempore, quo C. Atinius in provinciam ierat, cum Celtiberis acie conflixit. incertâ victoriâ diſceſſum eſt, niſi quòd Celtiberi caſtra inde nocte proximâ moverunt: Romanis & ſuos ſepeliendi, & ſpolia legendi ex hoſtibus poteſtas facta eſt. Paucos poſt dies coacto majore exercitu Celtiberi 3 ad Calagurim oppidum ultrò laceſſiverunt prœlio Romanos. Nihil traditur, quæ cauſa numero aucto infirmiores eos fecerit: ſuperati prœlio ſunt. ad duodecim millia hominum cæſa, plus duo capta: & caſtris Romanus potitus. & niſi ſucceſſor adventu ſuo inhibuiſſet impetum victoris, ſubacti Celtiberi forent. Novi prætores ambo exercitus in hiberna deduxerunt. 10 15 20 25

XXII. Per eos dies quibus hæc ex Hiſpaniâ nunciatâ ſunt, 30

NOTÆ.

in ſingulis legionibus aquila erat: argento vel auro efficta, ſummæ perticæ inſiſtens: ſed alio genere manipuli utebantur, clypeo putâ, corollâ, vel ornamento alio perticæ impoſito. Hæc diverſa à vexillis quæ hic ſociis tribuuntur, & equitum ſigna ſunt: ſive pannuli quadratæ formæ ad haſtam volitantes.

3. *Priùs ſequendi Ligures.*] Vulgò *nec prius*, nullo ſatis idoneo ſenſu; vult enim auctor Ligures priùs fatigatos fuiſſe in ſequendo Romanos, quam hos in fugiendo; hoc eſt, Ligures non inſtitiſſe perculſis Romanis, ut mox dicitur.

1. *Ad oppidum deinde Aſtam.*] Fuit *Aſta* cognomine *Regia*, urbs Turdetanorum in Bætica ulteriori. Hiſpaniæ parte inter Eburam & Aſindum ad Lethen fluvium, non procul ſinu Gaditano. Creditur vulgò ibi fuiſſe, ubi nunc *Xeres de la Frontera* in Andeluſia & regno Hiſpalenſi. Morali eſt *Maſſa de Aſta*.

2. *Lunam venit.*] Tuſciæ urbem in confinio Liguriæ ad Macræ fluminis oſtium, cui ſucceſſit *Sarzana*: manet tamen inde vicinæ regiunculæ nomen *Lunigiana*.

3. *Ad Calagurim oppidum.*] Vaſconum id oppidum erat, in Hiſpania citeriori

Urb. cond. an. 567. Coss. Sp. Postum. Albino, & Q. Marcio Philippo.

1 ludi Taurilia per biduum facti religionis causâ. per dies decem apparatos deinde ludos M. Fulvius, quos voverat Ætolico bello, fecit. Multi artifices ex Græcia venerant honoris ejus causa. 2 athletarum quoque certamen tum primò Romanis spectaculo fuit: & venatio data leonum & pantherarum: & propè hujus sæculi copia ac varietate ludicrum celebratum est. Novendiale deinde sacrum tenuit, quod in Piceno per triduum lapidibus pluerat, igneſque cœleſtes multifariam orti adusſiſſe complurium levi afflatu veſtimenta maximè dicebantur. Addita & unum diem ſupplicatio eſt ex decreto pontificum, quod ædes Opis in Capitolio de cœlo tacta erat. hoſtiis majoribus conſules procurarunt, urbemque luſtrarunt. Sub idem tempus & ex Umbria nunciatum eſt, ſemimarem duodecim fermè annos natum inventum. id prodigium abominantes, arceri Romano agro, necarique quam primùm juſſerunt. Eodem anno 3 Galli Transalpini tranſgreſſi 4 in Venetiam ſine populatione aut bello, haud procul inde, 5 ubi nunc Aquileja eſt, locum oppido condendo ceperunt. Legatis Romanis de ea re trans Alpes miſſis, reſponſum eſt, neque proſectos ex auctoritate gentis eos, nec quid in Italia facerent, ſe ſcire. L. Scipio ludos eo tempore, quos bello Antiochi voviſſe ſeſe dicebat, ex collata ad id pecunia ab regibus civitatibuſque, per dies decem fecit. Legatum eum poſt damnationem & bona vendita, miſſum in Aſiam, ad dirimenda inter Antiochum & Eumenem reges certamina, Valerius Antias eſt auctor. tum collatas ei pecunias, congregatoſque per Aſiam artifices: & quorum ludorum poſt bellum, in quo votos diceret, mentionem non feciſſet,

NOTÆ.

ad dextram Iberi: hodie *Calahorra*, in confinio Navarræ, cui à Caſtellanis adempta eſt.

1. *Ludi Taurilia.*] A *Tauris* deductum hoc nomen apparet, ut *Taurobolium*, ut *Suovetaurilia Tauria*. Et quidem Neptuni feſtum quoddam apud Græcos dicebatur. At Romæ *Tauri ludi* ſive *Taurilia* in honorem inferorum inſtituti dicuntur tempore Tarquinii ſuperbi: quòd magna incidiſſet peſtilentia in mulieres gravidas, quæ credebatur orta ex *carne divendita populo Taurorum immolatorum*: fiebant autem hi ludi in circo Flaminio, ne intra muros evocarentur Dii inferi, ut ex Feſto diſcimus. Hinc *Taurium* eſt apud eundem pro pecunia quæ in hoſce ludos conſumebatur.

2. *Athletarum quoque certamen.*] Videntur hi ludi Circenſes fuiſſe, ac præterea, exemplo Græcorum, agones, exhibitis certaminum & exercitationum variis generibus.

3. *Galli Tranſalpini.*] Num Carnutes? id ſuadet *Carnorum* per hæc loca nomen, ubi & hoc Galliorum oppidum ad Sontium fluvium.

4. *In Venetiam.*] Decima hæc fuit Italiæ regio ſub Auguſto, vulgò nunc *Marca Trevigiana*.

5. *Ubi nunc Aquileja.*] Din inter primas Italiæ civitates fuit *Aquileia* in Carnorum regione; cui regioni à foro Julii poſteà nomen inditum: urbs ad Naribonis ferè oſtia ſita, floruit ad quintum Chriſti ſæculum: adeò ut Patriarchali honore inſignis fuerit, ſed ab Attila primùm, deinde à Longobardis everſa, in vicum tandem redacta: & civibus vacua eſt, ob cœli præſertim inclementiam: unde factum eſt, ut Patriarchalis ſedes ad vicinam urbem Utinam fuerit trans-

Vrb. cond. an. 567. Coſſ. Sp. Poſtum. Albino, & Q. Marcio Philippo.

de iis poſt legationem demùm in ſenatu actum.

XXIII. Quum jam in exitu annus eſſet, Q. Marcius abſens magiſtratu abiturus erat. Sp. Poſtumius quæſtionibus cum ſumma fide curaque perfectis, comitia habuit. creati ſunt conſules Ap. Claudius pulcher, M. Sempronius Tuditanus. Poſtero die prætores facti P. Cornelius Cethegus, A. Poſtumius Albinus, C. Afranius Stellio, C. Atilius Serranus, L. Poſtumius Tempſanus, [1] M. Claudius Marcellinus. Extremo anni, quia Sp. Poſtumius conſul renunciaverat, peragrantem ſe propter quæſtiones utrumque litus Italiæ, deſertas colonias, Sipontum ſupero, Buxentum infero mari inveniſſe: triumviri ad colonos eò ſcribendos ex Senatuſconſulto ab T. Mænio prætore urbano creati ſunt, L. Scribonius Libo, M. Tuccius, Cn. Bæbius Tamphilus. Cum Perſeo rege & Macedonibus bellum quod imminebat, non unde plerique opinantur, nec ab ipſo Perſeo cauſas cepit. inchoata initia à Philippo ſunt: & is ipſe, ſi diutiùs vixiſſet, id bellum geſſiſſet. Una cum res, quum victo leges imponerentur, maximè angebat; quòd qui Macedonum ab ſe defecerant in bello, in eos juſ ſæviendi ademptum ei ab ſenatu erat; quum, quia rem integram Quintius in conditionibus pacis diſtulerat, [2] non deſperaſſet impetrari poſſe. Antiocho rege deinde bello ſuperato ad Thermopylas, [3] diviſis partibus, quum per eos dies conſul Acilius Heracleam, Philippus Lamiam oppugnaſſet; capta Heraclea, quia juſſus abſcedere à mœnibus Lamiæ erat, Romaniſque oppidum deditum eſt, ægrè eam rem tulerat. permulſit iram ejus conſul quòd ad Naupactum ipſe feſtinans, quò ſe ex fuga Ætoli contulerant, Philippo permiſit, ut Athamaniæ & Amynandro bellum inferret: & urbes, quas Theſſalis Ætoli ademerant, regno adjiceret. Haud magno certamine & Amynandrum Athamania expulerat, & urbes aliquot receperat. Demetriadem quoque urbem validam, & ad omnia opportunam, & Magnetum gentem ſuæ ditionis fecit. Inde & in Thracia quaſdam urbes novæ atque inſuetæ libertatis vitio, ſeditionibus principum turbatas, partibus quæ domeſtico certamine vincerentur, adjungendo ſe, cepit.

XXIV. His ſedata in præſentia regis ira in Romanos eſt. nunquam tamen remiſit animum à colligendis in pace viribus, quibus, [1] quandocunque data fortuna eſſet, ad bellum uteretur. Vectigalia regni, non fructibus tantùm agrorum portoriiſque maritimis auxit: ſed metalla etiam & vetera intermiſſa recoluit, & nova multis locis inſtituit. ut verò anti-

NOTÆ.

ferenda. Locus Auſtriacæ domui paret ſub antiquo nomine.

1. *M. Claudius Marcellinus.*] An potiùs *Marcellus*? Marcellinus ſanè adoptatum ex Marcellis in aliam gentem familiamve ſignificaret: *Claudius* verò nomen eſt ejuſdem gentis.

2. *Non deſperaſſet.*] Philippus.

3. *Diviſis partibus.*] Cùm nempè inter Acilium conſulem & Philippum diviſa eſſent belli gerendi munia.

1. *Quandocumque fortuna eſſet.*] Sic

quam multitudinem hominum, quæ belli cladibus amissa erat, restitueret, [a] non sobolem tantùm stirpis parabat, cogendis omnibus procreare atque educare liberos: sed Thracum etiam magnam multitudinem in Macedoniam traduxerat: quietusque aliquandiu à bellis, omni cura in augendis regni opes intentus fuerat. Rediere deinde causæ, quæ de integro iram moverent in Romanos. Thessalorum & Perræborum querelæ de urbibus suis ab eo possessis, & legatorum Eumenis regis de Thraciis oppidis per vim occupatis, traductaque in Macedoniam multitudine, ita auditæ erant, ut eas non negligi satis appareret. Maximè moverat senatum, quòd jam Æni & Maroneæ affectari possessionem audierant. minùs Thessalos curabant. Athamanes quoque legati venerunt; non partis amissæ, non finium jacturam querentes, sed totam Athamaniam sub jus judiciumque regis venisse. Et Maronitarum exules erant pulsi, quia libertatis causam defendissent, ab regio præsidio. ii non Maroneam modò, sed etiam Ænum in potestate nunciabant Philippi esse. Venerant & à Philippo legati ad purganda ea: qui nihil nisi permissu Romanorum imperatorum factum, affirmabant. *Civitates Thessalorum, Perræborum, & Magnetum, & cum Amynandro Athamanum gentem in eâdem causâ, quæ Ætolos fuisse. Antiocho rege pulso, occupatum oppugnandis Ætolicis urbibus consulem, ad recipiendas eas civitates Philippum misisse, armis subactos parcere.* Senatus ne quid absente rege statueret, legatos ad eas controversias disceptandas misit, Q. Cæcilium Metellum, M. Bæbium Tamphilum, T. Sempronium. quorum sub adventum, ad Thessalica Tempe omnibus iis civitatibus, quibus cum rege disceptatio erat, concilium indictum est. Urb. cond. an. 567. Coss. Sp. Postum. Albino, & Q. Marcio Philippo.

XXV. Ibi quum Romani legati disceptatorum loco, Thessali Perræbique, & Athamanes haud dubii accusatores, Philippus ad audienda crimina tanquam reus, confessi essent; pro ingenio quisque eorum qui principes legationum erant, & gratia cum Philippo aut odio, acerbiùs leniusve egerunt. In controversiam autem veniebant; [1] Philippopolis, Tricca, Phaloria, & [2] Eurymenæ, & cætera circa eas oppi-

INTERPRETATIO.

a *Non tantùm studebat augendo per matrimonia civium suorum numero,*

NOTÆ.

feribas cum vulgatis, an cum vetustioribus, *quando data fortuna esset:* an verò ex Gronovii suspicione: *quandoque data fortuna esset*; non video quid interfit.

1. *Philippopolis.*] Urbs Bessicæ in Thracia ad Ebrum fluvium, sub Hæmo monte, prius *Trimontium*. Plinio aliisque Poneropolis: atque aliis nominibus dicta, à Philippo Macedonum rege nomen accepit, quo nunc quoque appellatur à Græcis atque Italis. Turci *Felibo* vocant.

2. *Eurymenæ.*] Thessaliæ haud dubiè oppidum fuit, quando circa Triccam & Phaloriam fuisse dicitur; sed extra Stephanum & nostrum, non facilè occurrit hoc nomen. An rescribendum *Ctemene*, quod apud Ptol. Æthiotidis oppidum est inter Triccam & Pialam, Sophiam nunc *Grisano* appellati ait.

Urb. cond. an. 567. Coss. Sp. Postum. Albino, & Q. Marcio Philippa.

da: utrum Thessalorum juris, quum vi ademptæ possessæque ab Ætolis forent (nam Philippum Ætolis ademisse eas constabat) an Ætolica antiquitùs ea oppida fuissent. ita enim Acilium regi concessisse, si Ætolorum fuissent: & si voluntate, non vi atque armis coacti, eum Ætolis essent. a Ejusdem formulæ disceptatio de Perræborum Magnetumque oppidis fuit. omnium enim jura possidendo per occasiones Ætoli miscuerant. Ad hæc, quæ disceptationis erant, querelæ Thessalorum adjectæ, *quod ea oppida, si jam redderentur sibi, spoliata ac deserta redditurus esset. nam præter belli casibus amissos, quingentos principes juventutis in Macedoniam abduxisse, & operâ eorum in servilibus abuti ministeriis: & quæ reddiderit coactus Thessalis, inutilia ut redderet, curasse. Thebas Phthias unum maritimum emporium fuisse: quondam Thessalis quæstuosum & frugiferum. ibi navibus onerariis comparatis regem, quæ præter Thebas Demetriadem cursum dirigerent, negotiationem maritimam omnem eo avertisse. Jam ne à legatis quidem, qui jure gentium sancti sint, violandis abstinere. insidias positas euntibus ad T. Quintium. Itaque ergo in tantum metum omnes Thessalos conjectos, ut non in civitatibus suis, non in communibus gentis conciliis, quisquam hiscere audeat. procul enim abesse libertatis auctores Romanos: lateri adhærere gravem dominum, prohibentem uti beneficiis populi Romani. Quid autem, si vox libera non sit, liberum esse? Nunc se fiducia & præsidio legatorum ingemiscere magis quàm loqui. nisi provideant aliquid Romani, quo & Græcis Macedoniam accolentibus metus, & audacia Philippi minuatur; neque æquum & illum victum, & se liberatos esse. Ut equum* b *tenacem non parentem, frenis asperioribus castigandum esse.* Hæc acerbè postremi: quum priores leniter permulsissent iram ejus, potentes, *Ut ignosceret pro libertate loquentibus: & ut deposita domini acerbitate assuesceret socium atque amicum sese præstare: & imitaretur populum Romanum, qui charitate quàm metu adjungere sibi socios mallet.* Thessalis auditis, 3 Perræbi Gonnocondylum, quod Philippus Olympiadem appellaverat, Perræbiæ fuisse, & ut sibi restitueretur, agebant. & de Malloea & Ericinio eadem postulatio erat. Athamanes

INTERPRETATIO.

a *De oppidis Perræbia & Magnesia, ad quem pertinerent, quærebatur similibus de causis.* b *Legesternacem*, id est, *qui sessorem excutit, sternitque.*

NOTÆ.

3. *Perræbi Gonnocondylum.*] Ex hisaliis quæ videntur *Perræbi* à Pelasgiotis Ptolemæi non multùm diversi. His enim attribuuntur *Mallæa* & *Gonnus* seu *Gomi*. Existimat Sigonius *Gonnocondylum* ex duobus oppidorum nominibus constatum, quorum noster meminit lib. 44. cap. 6. Erat autem *Gonnus* urbs ad Peneum: *Condylum* verò castellum inexpugnabile. Vereor hic ne Nicolai Sansonis, nostri, dum viveret, amici, diligentiam fugerit *Gonnocondyli* situs, cum eam locum in Perræbis quidem, sed intra Epirum locet: at ex narratione Livii apparet in Thessaliæ finibus fuisse, quemadmodum *Mallæam* & *Ericinum*. Favet tamen ipsius conjecturæ Menelaïdis Doliopum oppidi mentio, & Xyniarum,

Urb. cond. an. 567. Coss. Sp. Postum. Albino, & Q. Marcio Philippo.

libertatem repetebant, & castella Athenæum & Pœneum.

XXVI. Philippus, ut accusatoris potiùs quam rei speciem haberet, & ipse à querelis orsus, *Meneladem in Dolopia, quæ regni fuisset, Thessalos vi atque armis expugnasse questus est. item Petram in Pieria ab iisdem Thessalis Perrhæbisque captam. Xynias quidem haud dubiè Ætolicum oppidum sibi eos contribuisse; & Paracheloida, quæ sub Athamania esset, nullo jure Thessalorum formulæ factam. Nam quæ sibi crimina objiciantur, de insidiis legatorum, & maritimis portubus frequentatis aut desertis; alterum deridiculum esse, se reddere rationem, quos portus mercatores aut nautici petant; alterum mores suos respuere. tot annos esse, per quos nunquam cessaverint legati, nunc ad imperatores Romanos, nunc Romam ad senatum crimina deferre. quem unquam verbo violatum esse? Semel ad Quintium cunctibus insidias dici factas. sed, quid iis acciderit, non adjici. Quærentium quid falsò objiciant, quum veri nihil habeant, ea crimina esse. Insolenter & immodicè abuti Thessalos indulgentia populi Romani; velut ex diutina siti, nimis avidè meram haurientes libertatem. Ita servorum modo præter spem repente manumissorum, licentiam vocis & linguæ experiri. & jactare se insectatione & convitiis dominorum.* Elatus deinde ira adjecit: *Nondum omnium dierum solem occidisse.* Id minaciter dictum, non Thessali modò in se, sed etiam Romani acceperunt. & quum fremitus post eam vocem ortus, & tandem sedatus esset; Perrhæborum inde Athamanumque legatis respondit. *Eandem de quibus illi agant, civitatum causam esse. consulem Acilium & Romanos sibi dasse eas, quum hostium essent. Si suum munus quid dedisset, adimere velint, scire se cedendum esse: sed meliori ac fideliori*

INTERPRETATIO.

Ad eos pertinere, aut ab iis profecisi ejusmodi accusationes.

NOTÆ.

quæ finibus Epiri proximæ.

1. *Petram in Pieria.*] Memorantur à Plut. in Paullo Æmilio circa Perrhæbiam *Petra, & Pythion.* Porrò *Pieria* Macedoniæ regio erat diversa à Perrhæbia: sed cùm ei confinis esset, potuit oppidum aut castellum in Pieriæ finibus situm, fuisse circa Perrhæbiam. At Pythium Pelagoniæ Tripoliti adscribitur, quæ & ipsa Perrhæbiæ seu Pelasgiotidi finitima.

2. *Et Paracheloida, quæ sub Athamania esset.*] Gemina *Paracheloi* notatur à Strabone: hæc quæ sub Athamania Ætolis tribuitur: altera in Estiæotide: utraque regiuncula ab Acheloo flumine dicta: quo nomine duo fluvii; major alter, quo Acarnania disterminabatur ab Ætolia; minoris famæ alius, qui juxta Lamiam fluit: & *Paracheloi* tractum significat ad Acheloam; cujus incolæ *Paracheloitæ.*

3. *Nullo jure Thessalorum formulæ factæ.*] Ex errore nominis videtur factum à Romanis, ut *Paracheloi* Ætolica Thessalorum juris efficeretur. procul ab eorum regione dissita, cùm nonnisi Paracheloidem Phthioticam sibi vindicare possent.

4. *Nimis avidè meram haurientibus libertatem.*] Metaphora est ex Plat. desumpta lib. 8. de Rep.

5. *Nondum omnium dierum solem occidisse.*] Innuit Philippus posse olim & procedente tempore res mutari: & sic non desperare se meliorem aliquando sortem consecuturum; quasi dicat nondum præterisse dies omnes vitæ suæ.

Liv. cont. an. 567. Coss. Sp. Postum. Albino, & Q. Marcio Philippo.

amico, ingratiam levium & inutilium sociorum injuriam eos esse facturos. Nec enim ullius rei minùs diuturnam esse gratiam, quàm libertatis: præsertim apud eòs, qui malè utendo corrupturi sint. Causa cognita, pronunciaverunt legati, *Placere deduci præsidia Macedonum ex iis urbibus: & antiquis Macedoniæ terminis regnum finiri. De injuriis, quas ultro citroque illatas querantur, quo modo inter eas gentes & Macedones disceptetur; formulam juris exequendi constituendam esse.*

XXVII. Inde graviter offenso rege, Thessalonicen ad cognoscendum de Thraciæ urbibus proficiscuntur. ibi legati Eumenis: *Si liberas esse Ænum & Maroneam velint Romani, nihil sui pudoris esse ultra dicere, quàm ut admoneat; re, non verbo eos liberos relinquant, nec suum munus intercipi ab illo patiantur. Sin autem minor cura sit civitatum in Thracia positarum; a multo verius esse, quæ sub Antiocho fuerint, præmia belli, Eumenem quàm Philippum habere; vel pro patris Attali meritis bello, quod adversus Philippum ipsum gesserit populus Romanus; vel suis, quod Antiochi bello terra marique laboribusque periculisque omnibus interfuerit. Habere eum præterea decem legatorum in eam rem præjudicium; qui quum Chersonnesum Lysimachiamque dederint, Maroneam quoque atque Ænum profectò dedisse, quæ ipsa propinquitate regionis velut appendices majoris muneris essent. Nam Philippum quidem quo aut merito in populum Romanum, aut jure imperii, quum tam procul à finibus Macedoniæ absint, civitatibus his præsidia imposuisse? Vocari Maronitas juberent, ab iis certiora omnia de statu civitatum earum scituros.* Legati Maronitarum vocati. *Non uno loco tantùm urbis præsidium regium esse, sicut in aliis civitatibus, dixerunt, sed pluribus simul: & plenam Macedonum Maroneam esse. Itaque dominari assentatores regios: his solis loqui & in senatu & in concionibus licere. eos omnes honores & capere ipsos, & dare aliis. Optimum quemque, quibus libertatis, quibus legum cura sit, aut exulare pulsos patria, aut inhonoratos & deterioribus obnoxios silere.* De jure etiam finium pauca adjecerunt: 1 *Q. Fabium Labeonem, quum in regione ea fuisset, direxisse finem Philippo* 2 *veterem viam regiam, quæ* 3 *ad Thraciæ Paroreiam subeat, nusquam ad*

INTERPRETATIO.

2 *Justius longè & æquitati magis consentaneum esse, ut Eumenes, tanquam belli præmia consequatur oppida, quæ priùs parueruerant Antiocho, quàm ut ea Philippus habeat.*

NOTÆ.

& fore ut quandoque sol oriatur, quo meliori loco constitutas ipse res suas habeat.

1. *Q. Fabium Labeonem.*] Hic, opinor *Labeo* est, cui prætori obtigerat classis, Coss. M. Fulvio, Cn. Manlio, ut lib. 37. cap. 50. refertur.

2. *Veterem viam regiam.*] Sigism. Gelenius hûc locum, qui anteà intelligi haud poterat, ex codice Moguntino correxit.

3. *Ad Thraciæ Paroreiam.*] *Paroreja* nomen in universum regionem montibus vicinam designat. Steph. geminam refert: alteram in Arcadia, alteram in Macedonia, in qua & Plinius *Paroreos* populos

mare declinantem. Philippum novam postea deflexisse viam, qua Maronitarum urbes agrosque amplectatur. Urb. cond. an. 567. Cos. Sp. Postum. Albino, & Q. Marcio Philippo.

XXVIII. Ad ea Philippus longè aliam quàm adversus Thessalos Perrhæbosque nuper, ingressus differendi viam. *Non cum Maronitis*, inquit, *mihi, aut cum Eumene disceptatio est,* [1] *sed etiam vobiscum Romani. à quibus nihil æquime impetrare jam diu animadverto. Civitates Macedonum quæ à me inter inducias defecerant, reddi mihi æquum censebam; non quia magna accessio ea regni futura esset (sunt enim & parva oppida, & in finibus extremis posita) sed quia multum ad reliquos Macedonas continendos exemplum pertinebat. Negatum est mihi. Bello Ætolico Lamiam oppugnare jussus à consule Manio Acilio, quum diu fatigatus ibi præliis operibusque esset, transcendentem me jam muros, à capta propè urbe revocavit consul, & abducere copias inde coegit. Ad hujus solatium injuriæ permissum est, ut Thessaliæ Perrhæbiæque & Athamanum, reciperem quædam castella magis quàm urbes. ea quoque ipsa vos mihi, Q. Cæcili, paucos ante dies ademistis. Pro non dubio paulò antè, si Diis placet, legati Eumenis sumebant, quæ Antiochi fuerunt, Eumenem æquius esse quàm me habere. id ego aliter longè judico esse. Eumenes enim* [a] *non nisi vicissent Romani sed nisi bellum gessissent, manere in regno suo non potuit. Itaque ille vestrum meritum habet, non vos illius: mei autem regni tantum aberat ut ulla pars in discrimine fuerit, ut tria millia talentum, & quinquaginta tectas naves, & omnes Græciæ civitates, quas antea tenuissem, pollicentem ultro Antiochum in mercedem societatis, sim aspernatus: hostemque ei me esse priùs etiam quàm Manius Acilius exercitum in Græciam traiceret pra me tuli: & cum eo consule belli partem, quamcumque mihi delegavit, gessi. & insequenti consuli L. Scipioni, quum terra stativisset ducere exercitum ad Hellespontum, non iter tantùm per regnum nostrum dedi, sed vias etiam munivi, pontes feci, commeatus præbui: nec per Macedoniam tantùm, sed per Thraciam, ubi etiam inter cætera pax quoque præstanda à barbaris erat. Pro hoc studio meo erga vos, ne dicam merito, utrum adjicere vos Romani aliquid, & amplificare & augere regnum meum munificentia vestra oportebat: an quæ haberem aut meo judicio, aut beneficio vestro eripere? id quod nunc facitis, Macedonum civitates, quas regni mei fuisse fatemini, non restituuntur.*

INTERPRETATIO.

a *Eumenes periclitabatur de regno amittendo, nisi bellum Romani suscepissent adversus* Antiochum, *id; illi non minùs necessarium fuit ad salutem, quàm ut vincerēt Romani.*

NOTÆ.

[1] *Sed etiam vobiscum Romani.*] Lege distinctis vocibus *& jam*; aut ut membranæ quædam habent, tolle Jac. Gronovio, *sed jam vobiscum Romani.*

locat lib. 4. cap. 10. *Ab hoc amne*, inquit, *Axium intellige* (Axium videtur hæc Thracica *Paroreja*, sub qua regia via pro limite assignata Philippo à Fabio Labeone.

Paonia gentes Parorei, Heordenses, Almopii, Pelagones, Mygdones, Montes Rhodope, Scopius, Orbelus. Ab his *Parorei* diversa, non tamen admodum dissita, & ni fallor sub Pangæo monte faisse

Urb. cond. an. 567. Coss. Sp. Postum. Albino, & Q. Marcio Philippo.

b *Eumenes, tanquam ad Antiochum spoliandum me venit. & si Diis placet, decem legatorum decretum calumniæ impudentissimæ prætendit, quo maximè & refelli & coargui potest. Diserissimè enim planissimeque in eo scriptum est: Chersonnesum & Lysimachiam Eumeni dari. Ubi tandem Ænus, & Maronea, & Thraciæ civitates adscriptæ sunt? quod ab illis ne postulare quidem est ausus, id apud vos, tanquam ab illis impetraverit, obtinebit? Quo in numero me apud vos esse velitis, refert. Si tanquam inimicum & hostem insectari propositum est: pergite, ut cœpistis, facere.* 2 *Sin aliquis respectus est mei, ut socii atque amici regis; deprecor, ne me tanta injuria dignum judicetis.*

XXIX. Movit aliquantum oratio regis legatos. itaque medio responso rem suspenderunt: *Si decem legatorum decreto Eumeni datæ civitates eæ essent, nihil se mutare, si Philippus bello cepisset eas, præmium victoriæ jure belli habiturum. si neutrum eorum foret, placere cognitionem senatui reservari: & ut omnia in integro manerent præsidia, quæ in iis urbibus sint, deduci.* Hæ causæ maximè animum Philippi alienaverunt ab Romanis: ut non à Perseo filio ejus novis causis motum, sed ob has à patre bellum relictum filio videri possit. Romæ nulla belli Macedonici suspicio erat. L. Manlius proconsul ex Hispania redierat. cui postulanti ab senatu in æde Bellonæ triumphum rerum gestarum magnitudo impetrabilem faciebat: exemplum obstabat; quod ita comparatum more majorum erat, ne quis qui exercitum non deportasset, triumpharet, nisi perdomitam pacaramque provinciam tradidisset successori. medius tamen honos Manlio habitus, ut ovans urbem iniret. Tulit coronas aureas quinquaginta duas: 1 auri præterea pondo centum viginti duo: 2 argenti sedecim millia trecenta: & pronunciavit in senatu, 3 decem millia pondo argenti, 4 & octoginta auri Q. Fabium quæstorem advehere. id quoque se in ærarium illaturum. Magnus motus servilis eo anno in Apulia fuit. a Tarentum provinciam L. Postumius prætor habebat. Is de pastorum conjuratione, qui vias latrociniis pascuaque publica infesta habuerant, quæstionem severè exercuit; ad septem millia hominum con-

INTERPRETATIO

b *Ad me spoliandum venit Eumenes, non secus ac ad Antiochum spoliandum.*

a *Tarentine urbi vicinæ regioni præerat L. Postumius Prætoris titulo.*

NOTÆ.

2. *Sin aliquis respectus est mei.*] Gallicè *Que si vous avez quelque consideration pour moy*, &c.

1. *Auri præterea pondo centum viginti duo.*] Nostra pecunia æstimarentur fermè sexaginta octo millibus librarum, ac præterea ter centenis ac vicenis libris Francicis; eò enim redeunt centum ac viginti duæ libræ Romanæ.

2. *Argenti sedecim millia trecenta*] Gallicè *la valeur de cinq cens quatrevints six mille huit cens livres.*

3. *Decem millia pondo argenti*] Gallicè *la valeur de trois cens soixante mille livres.*

4. *Et octoginta auri.*] Gallicè *la valeur de quarante quatre mille huit cens livres.*

dem-

demnavit: multi inde fugerunt: de multis sumptum est supplicium. Consules diu retenti ad urbem delectibus, tandem in provincias profecti sunt. Urb. cond. an. 567. Coss. Sp. Postum. Albino, & Q. Marcio Philippo.

XXX. Eodem anno in Hispania prætores C. Calpurnius & L. Quintius, quum primo vere ex hibernis copias eductas [1] in Beturia junxissent, in Carpetaniam, ubi hostium castra erant, progressi sunt; communi animo consilioque [2] parati rem gerere. [3] Haud procul Hippone & Toleto urbibus, inter pabulatores pugna orta est, quibus dum utrinque subvenitur à castris, paulatim omnes copiæ in aciem eductæ sunt. In eo tumultuario certamine, & loca sua & genus pugnæ pro hoste fuere. duo exercitus Romani fusi, atque in castra compulsi sunt. non institere perculsis hostes. Prætores Romani, ne postero die castra oppugnarentur, silentio proximæ noctis [a] tacito signo exercitum abduxerunt. Luce prima Hispani acie instructa ad vallum accesserunt, vacuaque præter spem castra ingressi, quæ derelicta inter nocturnam trepidationem erant, diripuerunt: regressique in sua castra, paucos dies quietis stativis manserunt. Romanorum sociorumque, in prælio fugaque, ad quinque millia occisa; quorum se spoliis hostes armarunt. inde ad Tagum flumen profecti sunt. Prætores interim Romani, omne id tempus contrahendis ex civitatibus sociis Hispanorum auxiliis, reficiendisque ab terrore adversæ pugnæ militum animis, consumpserunt. [b] ubi satis placuere vires, & jam miles quoque, ad delendam priorem ignominiam, hostem poscebat; duodecim millia passuum ab Tago flumine posuerunt castra. inde tertia vigilia sublatis signis, quadrato agmine principio lucis ad Tagi ripam pervenerunt. Trans fluvium in colle hostium castra erant. exemplo [c] quâ duobus locis vada nudabat amnis, dextera parte Calpurnius, læva Quintius exercitum traduxerunt: quieto hoste, dum miratur subitum adventum, consultatque; qui tumultum injicere trepidantibus in ipso transitu amnis potuisset. Interim Romani impedimentis quoque omnibus traductis contractisque in unum locum, quia jam moveri videbant hostem, nec spatium erat castra communiendi, aciem instruxerunt. in medio locatæ

INTERPRETATIO.

a *Signo clam dato absque ullo tuba sono vel strepitu.*

b *Postquam existimarunt* Prætores Romani *satis sibi firmas copias esse.*

c *Duobus locis in quibus fluvius vadosus transitum aperiebat.*

NOTÆ.

1. *In Beturia junxissent.*] *Beturia* Hispaniæ ulterioris regio à Beti fluvio ad Anam, divisa in duas partes, quarum occidentalem incolebant Celtici Lusitaniam attingentes Hispalim versus, orientalem Turduli versus Cordubam. ibi nunc Andaluſiæ pars Borealis.

2. *Parati rem gerere.*] Meliùs scripti & ante Moguntinum editi, *communi animo consilioque rem gesserunt.*

3. *Haud procul Hippone.*] In Carpetania & circa Toletum *Hippo* nullus reperitur quod quidem sciam, sed *Hisonium* apud Ptol. in Celtiberis, nunc

Urb. cond. an. 567. Coſs. Sp. Poſtum. Albino, & Q. Marcio Philippo.

quinta Calpurnii legio, & octava Quinctii. [d] id robur toto exercitu erat. Campum apertum uſque ad hoſtium caſtra habebant liberum à metu inſidiarum.

XXXI. Hiſpani poſteaquàm in citeriore ripa duo Romanorum agmina conſpexerunt, ut, priuſquam ſe jungere atque inſtruere poſſent, occuparent eos, caſtris repente effuſi, curſu ad pugnam tendunt. Atrox in principio prœlium fuit; & Hiſpanis recenti victoria ferocibus, & inſuetâ ignominia milite Romano accenſo. accrrime media acies, duæ fortiſſimæ legiones, dimicabant; quos quum aliter moveri loca non poſſe hoſtis cerneret, [1] cuneo inſtitit pugnare: & uſque plures confertioreſque, medios urgebant. Ibi poſteaquàm laborare aciem Calpurnius prætor vidit, T. Quinctilium Varum, L. Juventium Thalnam legatos, ad ſingulas legiones adhortandas properè mittit. Docere & monere jubet, *in illis ſpem omnem vincendi & retinendæ Hiſpaniæ eſſe. Si illi loco cedant, neminem ejus exercitus non modo Italiam, ſed ne Tagi quidem ulteriorem ripam, unquam viſurum*. ipſe cum equitibus duarum legionum paululum circumvectus, in cuneum hoſtium, qui mediam urgebat aciem, ab latere incurrit. Quinctius cum ſuis equitibus alterum hoſtium latus invadit: ſed longè acrius Calpurniani equites pugnabant, & prætor ipſe ante alios. nam & primus hoſtem perculſit, & ita ſe immiſcuit mediis, ut vix, utrius partis eſſet, noſci poſſet. & equites prætoris eximia virtute, [2] & equitum pedites accenſi ſunt. Pudor movit primos centuriones, qui inter tela hoſtium prætorem conſpexerunt. Itaque urgere ſigniferos pro ſe quiſque, jubere inferre ſigna, & conſeſtim militem ſequi. Renovatur ab omnibus clamor. impetus fit velut ex ſuperiore loco. Haud ſecus ergo quàm torrentis modo fundunt ſternuntque perculſos, [3] nec ſuſtinere alii ſuper alios inferentes ſeſe poſſunt. [a] Fugientes in caſtra equites perſecuti ſunt, & permixti turbæ hoſtium intra vallum penetrave-

INTERPRETATIO.

d *In his* duabus legionibus *conſiſtebat vis & robur univerſi exercitus.*

a *Equites* Romani *perſecuti ſunt* Hiſpanos *in caſtra ſua refugientes.*

NOTÆ.

Moletio *Hiſto*: eſt & apud eundem Ptol. *Iſpinum* Carpetanorum, quod Moler. eidem eſt hodie *Spinario*: aliis *Fuente Duena, Ypes* Sanſoni: quid ſi potiùs *Eſpinoſa*.

1. *Cuneo inſtitit pugnare.*] Urgere nempe cœperunt Hiſpani Romanos agmine *cuneato*. Eſt enim *cuneus* metaphoricè acies in *cunei* formam diſpoſita, ita ut ejus pars prima anguſtior ſit, deinde paulatim latior procedat.

2. *Et equitum pedites accenſi ſunt.*] Ex ſuperiori commate repetenda hæc verba: *eximia virtute*, equitum ſcilicet.

3 *Nec ſuſtinere alii ſuper alios inferentes ſeſe poſſunt.*] Vel legendum, *nec ſuſtinere alios ſuper alios inferentes ſeſe poſſunt*: Hiſpani ſcilicet Romanos: vel (ut Jac. Perizonio viſum) activa vox in paſſivam immutanda, ut ſcribatur *nec ſuſtineri alii ſuper alios inferentes ſeſe poſſunt*.

runt. ubi ab relictis in præsidio castrorum prœlium instauratum: coactique sunt Romani equites descendere ex equis. Dimicantibus iis legio quinta supervenit: deinde, ut quæque poterant, copiæ affluebant. Cædunturque passim Hispani per tota castra: nec plus quàm quatuor millia hominum effugerunt. inde tria millia ferè, qui arma retinuerant, montem propinquum ceperunt: mille semiermes maximè per agros palati sunt. Supra triginta quinque millia hostium fuerant, ex quibus tam exigua pars pugnæ superfuit. signa capta centum triginta tria. Romani sociique paulò plus sexcenti, & provincialium auxiliorum centum quinquaginta ferè ceciderunt. tribuni militum quinque amissi, & pauci equites Romani cruentæ maximè victoriæ speciem fecerunt. in castris hostium, quia ipsis spatium sua communiendi non fuerat, manserunt. Pro concione postero die laudati, donatique à C. Calpurnio equites, phaleris. pronunciavitque, eorum maximè opera hostes fusos, castra capta & oppugnata esse. Quinctius alter prætor suos equites 4 catellis ac fibulis donavit: donati & centuriones ex utriusque exercitu permulti; maximè qui mediam aciem tenuerunt. Urb. cond. an 567. Coss. Sp. Postum. Albino, & Q. Marcio Philippo.

XXXII. Consules delectibus aliisque, quæ Romæ agenda erant, peractis rebus, in Ligures provinciam exercitum duxerunt. Sempronius à Pisis profectus in Apuanos Ligures, vastando agros, undeque vicos, & castella eorum, aperuit saltum usque ad fluvium Macram & Lunæ portum. Hostes montem, antiquam sedem majorum suorum, ceperunt. & inde superata locorum iniquitate, prœlio dejecti sunt. Et Ap. Claudius felicitatem virtutemque collegæ in Liguribus 1 Ingaunis æquavit secundis aliquot prœliis. sex præterea oppida eorum expugnavit: multa millia hominum in iis cepit: belli auctores tres & quadraginta securi percussit. Jam comitiorum appetebat tempus. prior tamen Claudius quàm Sempronius, cui sors comitia habendi obtigerat, Romam venit; quia P. Claudius frater ejus consulatum petebat. Competitoresque habebat patricios L. Æmilium, Q. Fabium Labeonem, Ser. Sulpicium Galbam, veteres candidatos. & ab repulsis eo magis debitum, quia primò negatus erat, honorem repetentes. etiam

NOTÆ.

4. *Catellis ac fibulis.*] *Catellas* hìc, vel *catellos* pro *catenulis* dici fatetur illud Horat Epistola 17.

—— meretricis acumina sæpè catellæ,
Sæpè Perisclidem raptam sibi flentis.

Et illud Plauti: *delicatum te hodie faciam cum catello ut accubes ferreo.* Videtur utrobique indicari ornamenti genus, quo collum, brachiumve circumdarent, ut auguratur Marcel. Donatus, cui potiùs hæc in re adhæserim, quàm Leviano Torrentio hæc referenti: *ad catellas quæ in deliciis essent*, cujusmodi donum equitibus Romanis minùs dignum: at catenæ sive Torques inter ornamenta & dona militaria sæpè memorantur. Nec multò magis placet quod idem Torrent. refert de ornamentis militaribus ad effigiem canini capitis effictis, quibus chlamydum fibulæ innectebantur.

1. *Ingaunis.*] Horum caput *Albium Ingaunum*, nunc *Albenga*, in Liguria occidentali.

Urb. cond. an. 567. Coss. Sp. Postum. Albino, & Q. Marcio Philippo.

quia pluſquam unum ex patriciis creari non licebat.[a] arctior petitio quatuor petentibus erat. Plebeji quoque gratioſi homines petebant, L. Porcius, Q. Tarentius Culleo, Cn. Bæbius Tamphilus.[2] & ii repulſi, in ſpem impetrandi tandem aliquando honoris dilati. Claudius unus ex omnibus novus candidatus erat. Opinione hominum haud dubiè deſtinabantur Q. Fabius Labeo, & L. Porcius Licinus. ſed Claudius conſul ſine lictoribus cum fratre toto foro volitando, clamantibus adverſariis, & majore parte ſenatus, *meminiſſe eum debere prius ſe conſulem populi Romani, quàm fratrem P. Claudii eſſe: quin ille ſedens pro tribunali aut arbitrum, aut comitiorum tacitum ſpectatorem ſe præberet;* coercuit tamen ab effuſo ſtudio nequiit. Magnis contentionibus tribunorum quoque plebis, qui aut contra conſulem, aut pro ſtudio ejus pugnabant, comitia aliquoties turbata: donec pervicit Appius, ut dejecto Fabio,[3] fratrem traheret. Creatus P. Claudius Pulcher, præter ſpem ſuam & cæterorum. locum ſuum tenuit L. Porcius Licinus, quia moderatis ſtudiis, non vi Claudiana, inter plebejos certatum eſt. Prætorum inde comitia ſunt habita. C. Decimius Flavus, P. Sempronius Longus, P. Cornelius Cethegus, Q. Nævius Matho, C. Sempronius Blæſus, A. Terentius Varro, prætores facti. Hæc eo anno quo Ap. Claudius, M. Sempronius conſules fuerunt, domi militiæque geſta.

Urb. cond. an. 568 Coss. P. Claudio Pul. & L. Porcio Licin.

XXXIII. Principio inſequentis anni, P. Claudio, L. Porcio conſulibus, Q. Cæcilius, M. Bæbius, & T. Sempronius, qui ad diſceptandum inter Philippum & Eumenem reges, Theſſalorumque civitates, miſſi erant, legationem renuntiarunt; regum quoque eorum civitatumque legatos in ſenatum introduxerunt. Eadem utrinque iterata quæ dicta apud legatos in Græcia erant. Aliam deinde legationem novam Patres, cujus princeps Ap. Claudius fuit, in Macedoniam & in Græciam decreverunt: ad viſendum, redditæne civitates Rhodiis & Theſſalis & Perræbis eſſent. iiſdem mandatum, ut ab Æno & Maronea præſidia deducerentur, maritimaque omnis Thraciæ ora à Philippo & Macedonibus liberaretur. Peloponneſum quoque adire juſſi: unde prior legatio diſceſſerat incertiore ſtatu rerum, quam ſi non veniſſent. nam ſuper cætera etiam ſine reſponſo dimiſſi, nec datum petentibus erat Achæorum concilium. De qua

INTERPRETATIO.

a *Difficilior erat petitio & affectatio unius loci inter quatuor poſtulantes.*

NOTÆ.

2. *Et ii repulſi.*] Scribendum Gronovio *impetrandi tandem aliquando honoris dicenſet: & hi repulſi:* (id eſt, *per repulſas*) *in ſpem impetrandi tandem aliquando honoris, dilati.* Mihi nulla mutatione literarum, ſed virgula tantum dempta, legendum videtur: *& hi repulſi, in ſpem dilati:* id eſt conſequendi conſulatus, qui dilatus potiùs fuerat, quàm abſolutè negatus.

3. *Fratrem traheret.*] Vi nempe adduceret poſt ſe, ac propelleret ad conſulatum.

re querente graviter Q. Cæcilio, simul Lacedæmoniis deplorantibus mœnia diruta, abductam plebem in Achajam & venundatam; ademptas, quibus ad eam diem civitas stetisset, Lycurgi leges: Achæi maximè concilii negati crimen excusabant, recitando legem, quæ, nisi belli pacisve causa, & quum legati ab senatu cum literis, aut scriptis mandatis venirent, vetaret indici concilium. Ea ne posteà excusatio esset, ostendit senatus, curæ iis esse debere, ut Romanis legatis semper adeundi concilium gentis potestas fieret: quemadmodum & illis, quoties vellent, senatus daretur. Urb. cond. an. 568. Coss. P. Claud. Pul. & L. Porcio Licin.

XXXIV. Dimissis iis legationibus, Philippus à suis certior factus, cedendum civitatibus, deducendaque præsidia esse; infensus omnibus, in Maronitas iram effundit. Onomasto, qui præerat maritimæ oræ, mandat, ut partis adversæ principes interficeret. Ille per Casandrum quemdam, unum ex regiis jam diu habitantem Maroneæ, nocte Thracibus intromissis, velut in bello capta urbe, cædem fecit. Id apud Romanos legatos querentes, *tam crudeliter adversus innoxios Maronitas, tam superbè adversus populum Romanum factum, ut quibus libertatem restituendam senatus censuisset, ii probostibus trucidarentur*, abnuebat *quicquam eorum ad se, aut quemquam suorum pertinere. Seditione inter ipsos dimicatum, quum alii ad se, alii ad Eumenem civitatem traherent. id facilè scituros esse, si percunctarentur ipsos Maronitas*: haud dubius, perculsis omnibus terrore tam recentis cædis, neminem hiscere adversus se ausurum. Negare Appius, *rem evidentem pro dubia quærendam. si abse culpam removere vellet, Onomastum & Casandrum per quos acta res diceretur, mitteret Romam, ut eos senatus percunctari posset*. Primò adeo perturbavit ea vox regem, ut non color, non vultus ei constaret. deinde collecto tandem animo, *Casandrum, qui Maroneæ fuisset, si utique vellent, se missurum dixit. Ad Onomastum quidem quid eam rem pertinere? qui non modò Maroneæ, sed ne in regione quidem propinqua fuisset?* Et parcebat magis Onomasto honoratiori amico, & eundem indicem haud paulò plus timebat: quia & ipse sermonem cum eo contulerat, & multorum talium ministrum & consilium habebat. Casander quoque missis qui per Epirum ad mare prosequerentur eum, ne qua indicium emanaret, veneno creditur sublatus.

XXXV. Et legati à Philippi colloquio ita digressi sunt, ut præ se ferrent, nihil eorum sibi placere: & Philippus minimè quin rebellandum esset dubius; quia tamen immaturæ ad id vires erant, ad moram interponendam Demetrium, minorem filium, mittere Romam, simul ad purganda crimina, simul ad deprecandam iram senatus, statuit: satis credens ipsum etiam juvenem, quod Romæ obses specimen regiæ indolis dedisset, aliquid momenti facturum. Interim per specimen auxilii Byzantios ferendi, re ipsa ad terrorem regulis Thracum injiciendum profectus,

NOTÆ.

1. *Abnuebat.*] Supple *Philippus*.

Urb. cond. an. 568. Coff. P. Claud. Pul. & L. Portio Licin.

perculsis iis uno prœlio, & Amadoco duce capto, in Macedoniam rediit, missis adaccolas Istri fluminis barbaros, ut in Italiam irrumperent, solicitandos. Et in Peloponneso adventus Romanorum legatorum, qui ex Macedonia in Achajam ire jussi erant, expectabatur: adversus quos ut præparata consilia haberent, Lycortas prætor concilium indixit. Ibi de Lacedæmoniis actum. *Ex hostibus eos accusatores factos: & periculum esse; ne victi magis timendi forent, quàm bellantes fuissent. quippe in bello sociis Romanis Achæos usos: nunc eosdem Romanos æquiores Lacedæmoniis quàm Achæis esse; ubi Arens etiam & Alcibiades ambo exules suo beneficio restituti, legationem Romam adversus gentem Achæorum ita de ipsis meritam susceptsent, adeoque oratione infestâ usi essent, ut patriâ pulsi, non restituti in eam viderentur.* Clamor undique ortus, referret nominatim de iis. & quum omnia ira, non consilio gererentur, capitis damnati sunt. Paucos post dies Romani legati venerunt. his [1] Clitore in Arcadia datum est concilium.

XXXVI. Priusquàm agerent quicquàm terror Achæis injectus erat & cogitatio, [a] quam non ex æquo disceptatio futura esset; quod [1] Arcum & Alcibiadem, capitis ab se in concilio proximo damnatos, cum legatis videbant: nec hiscere quisquam audebat. Appius ea, quæ apud senatum quæsti erant Lacedæmonii, displicere senatui ostendit. [2] *Cædem primum ad conflictum factam eorum, qui à Philopœmene ad causam dicendam evocati venissent: deinde quum in homines ita sævitum esset, ne in ulla parte crudelitas eorum cessaret, muros dirutos urbis nobilissimæ esse, leges vetustissimas abrogatas, inclytamque per gentes Lycurgi disciplinam sublatam.* Hæc quum Appius dixisset, Lycortas, & quia prætor, & quia Philopœmenis, auctoris omnium quæ Lacedæmone acta fuerant, factionis erat. ita respondit: *Difficilior nobis, Ap. Claudi, apud vos oratio est, quàm Romæ nuper apud senatum fuit. Tunc enim Lacedæmoniis accusantibus respondendum erat: nunc à vobis ipsis accusati sumus, apud quos causa dicenda est. quam iniquitatem conditionis subimus illa spe, judicis animo te auditurum esse, positâ contentione, qua paulò antè egisti. Ego certè, quum ea, quæ & hic antèà apud Q. Cæcilium, & postea Romæ questi sunt Lacedæmonii, à te paulo ante relata sint, non tibi sed illis me apud te*

INTERPRETATIO.

[a] *Quàm parùm æquâ conditione usuri essent Achæi in futura disceptatione.*

NOTÆ.

1. *Clitore in Arcadia.*] *Clitor*, sive *Cletor*, Plinio *Clitorium*, nunc *Cletorio*: oppidum fuit Arcadiæ in Peloponneso, cum fluvio & fonte cognomine, inter Erymanthum montem & Stymphalum.

1. *Arcum & Alcibiadem.*] Lacedæmonii exules erant, ab Achæis in patriam restituti, deinde à suis Romani legati adversus Achæos.

2. *Cædem primùm ad conflictum factam eorum*, &c.] Suspicatur Gron. locum corruptum, & scriptum fuisse, *cædem primùm contra fidem datam eo-*

Urb. cond. an. 568. Coss. P. Claud. Pul. & L. Porcio Licin.

respondere credam. Cædem objicitis eorum, qui à Philipœmene prætore evocati ad causam dicendam interfecti sunt. Hoc ego crimen non modò à vobis, Romani, sed ne apud vos quidem nobis objiciendum fuisse arbitror. Quid ita? quia in vestro fœdere erat, ut maritimis urbibus abstinerent Lacedæmonii. Quo tempore armis captis urbes, à quibus abstinere jussi erant, nocturno impetu occupaverunt; si T. Quintius, si exercitus Romanus, sicut anteà in Peloponneso fuisset, eo nimirum 3 capti & oppressi confugissent. quum vos procul essetis, quo alio, nisi ad nos socios vestros; quos anteà Gythio opem ferentes, quos Lacedæmonem vobiscum simili de causa oppugnantes viderant, confugerent? Pro vobis igitur justum piumque bellum suscepimus. quod quum alii laudent, reprehendere ne Lacedæmonii quidem possint, Dii quoque ipsi comprobaverint, qui nobis victoriam dederunt; quorum tamen maxima pars nihil pertinet ad nos. Nostrum est, quod vocavimus eos ad causam dicendam, qui ad arma multitudinem exciverant, qui expugnaverant maritima oppida, qui diripuerant, qui cædem principum fecerant? Quod vero illi venientes in castra interfecti sunt; vestrum est, Areu & Alcibiade, qui nunc nos, si Diis placet, accusatis, non nostrum. Exules Lacedæmoniorum, quo in numero hi quoque duo fuerunt, & tunc vobiscum erant, 4 quod domicilio sibi delegerant maritima oppida, se petitos credentes; in eos quorum opera patria extorres, ne in tuto quidem exilio posse confensescere se indignabantur, impetum fecerunt. Lacedæmonii igitur Lacedæmonios, non Achæi interfecerunt. nec, jure an injuria cæsi sint, argumentari refert.

XXXVII. [1] *Atenim illa certe vestra sunt, Achæi, quod leges disciplinamque vetustissimam Lycurgi substuliſtis, quod muros diruſtis. Quæ utraque ab iisdem objici qui possunt; quum muri Lacedæmoniis non ab Lycurgo, sed paucos ante annos ad dissolvendam Lycurgi disciplinam exstructi sint? Tyranni enim nuper eos, arcem & munimentum sibi, non civitati paraverunt. Et si existat hodie ab inferis Lycurgus, [2] gaudeat ruinis eorum; & nunc se patriam & Spartam antiquam agnoscere dicat. Non Philopœmenem expectare, nec Achæos, sed vos ipsi Lacedæmonii vestris manibus amoliri & diruere omnia tyrannidis vestigia debuiſtis. Vestræ enim illæ deformes ve-*

INTERPRETATIO.

[2] *Lycurgus, si revivisceret, doleret Sparta muros lacerari*, utpote qui contra ipsius leges exstructi fuissent.

NOTÆ.

rum, qui à Philopœmone ad causam dicendam advocati venissent. Hac de re dictum lib. 38. cap. 33.

3. *Capti & oppressi.*] Incolæ urbium Laconiæ maritimarum.

4. *Quòd domicilio sibi delegerant maritima oppida.*] Veteres editiones habent, *domicilium sibi elegerent*: quod Gronovio probatur, ut *domicilium* oppidi dicatur per appositionem, quæ nec nostro, nec aliis scriptoribus ignota.

1. *Atenim illa certè vestra sunt.*] Loquitur Lycortas ex persona Lacedæmoniorum, ut eorum criminationes efficacius refellat.

Urb. cond. an. 568. Coſſ. P. Cluud. Pul. & L. Porcio Licin.

luti cicatrices ſervitutis erant: & quum ſine muris [2] *per octingentos prope annos liberi, aliquando etiam principes Græciæ ſuiſſetis, muris velut compedibus circumdatis vinctî* [3] *per centum annos ſerviſtis. Quod ad leges ademptas attinet: ego antiquas Lacedæmoniis leges tyrannos ademiſſe arbitror; nos non ſuas ademiſſe, quas non habebant, ſed noſtras leges dedi ſſe: nec malè conſuluiſſe civitati, quum concilii noſtri eam fecerimus, & nobis miſcuerimus, ut corpus unum & concilium totius Peloponneſi eſſet. Tunc, opinor, ſi aliis ipſi legibus viveremus, alias iſtis injunxiſſemus? queri, ſe iniquo jure eſſe, & indignari poſſent. Scio ego, Appi Claudi, hanc orationem, quâ ſum adhuc uſus, neque ſociorum apud ſocios, neque liberæ gentis eſſe: ſed ſervorum verius diſceptantium apud dominos. Nam ſi non vana illa vox præconis fuit, qua liberos eſſe omnium primos Achæos juſſiſtis, ſi fœdus ratum eſt, ſi ſocietas & amicitia ex æquo obſervatur; cur ego, quæ Capuâ captâ feceritis Romani, non quæro, vos rationem repoſcitis, quid Achæi Lacedæmoniis bello victis fecerimus? Interfecti aliqui ſunt, ſinge à nobis. Quidt vos ſenatores Campanos ſecuri non percuſſiſtis? Muros diruimus. vos non muros tantùm, ſed urbem & agros ademiſtis. Specie, inquis, æquum eſt fœdus apud Achæos,* [b] *re precaria libertas: apud Romanos etiam imperium eſt. Sentio Appi: & ſi non oportet, non indignor: ſed oro vos, quantumlibet interſit inter Romanos & Achæos, modo ne in æquo hoſtes veſtri noſtrique apud vos ſint, ac nos ſocii: imo ne meliore jure ſint. Nam ut in æquo eſſent, nos fecimus, quum leges iis noſtras dedimus, quum, ut Achæi concilii eſſent, effecimus. Parum eſt victis, quod victoribus ſatis eſt. plus poſtulant hoſtes, quàm ſocii habent. Quæ jure jurando, quæ monumentis literarum in lapide inſculptis in æternam memoriam ſancta atque ſacrata ſunt, ea cum perjurio noſtro tollere parant. Veremur quidem vos, Romani, & ſi ita vultis, etiam timemus; ſed plus & veremur & timemus Deos immortales.* Cum aſſenſu maximæ partis eſt auditus, & locutum omnes pro majeſtate magiſtratus, cenſebant: ut facilè appareret, mollicer agendo dignitatem ſuam tenere Romanos non poſſe. Tum Appius ſuadere ſe magnopere Achæis dixit, ut, dum licet voluntate ſua facere, gratiam inirent, ne mox inviti & coacti facerent. Hæc vox audita quidem

INTERPRETATIO.

b *Revera libertas* Achæorum *precaria tantùm eſt*: pendens ex arbitrio Romanorum.

NOTÆ.

2. *Per octingentos propè annos.*] Cœperat Lycurgus tutoris nomine Lacedæmonem regere, ac legibus iuſtruere ante Olympiadum initium annis propè centum & octo. Roma autem condita eſt ex communi ſententia anno vigeſimo quinto ab Olympiadum initio. Itaque à Lycurgo ad Machanidæ tyrannidem, quæ poſt Cleomenis ultimi regis exitum contingit, & cum annoribus conditæ 550. ad ſummum concurrit, anni ſunt 675. non octingenti.

3. *Per centum annos ſerviſtis.*] Ab initio tyrannidis ad mortem Nabidis, de qua lib. 35. cap. 36. & quæ an. U. C. 562. accidit, Lacedæmon tyrannis vix

cum

eum omnium gemitu est, sed metum injecit imperata recusandi. id modò petierunt, ut Romani, quæ vìderentur, de Lacedæmoniis mutarent, nec Achæos religione obstringerent, irrita ea, quæ jurejurando sanxissent, faciendi. damnatio tantùm Arei & Alcibiadis, quæ nuper facta erat, 4 sublata est. Urb. cond. an. 569. Coss. P. Claudio Pul. & L. Porcio Licinia.

XXXVIII. Romæ principio ejus anni quum de provinciis consulum & prætorum actum esset, consulibus Ligures, quia bellum nusquam alibi erat, decreti. Prætores C. Decimius Flavus urbanam, P. Cornelius Cethegus inter cives & peregrinos, sortiti sunt. C. Sempronius Blæsus Siciliam, Q. Navius Matho Sardiniam, & ut idem de veneficiis quæreret, A. Terentius Varro Hispaniam citeriorem, P. Sempronius Longus Hispaniam ulteriorem. De iis duabus provinciis legati per id ferè tempus, L. Juventius Thalna, & T. Quintilius Varus, venerunt. qui quantum bellum jam profligatum in Hispania esset, senatu edocto, postularunt simul, ut pro rebus tam prosperè gestis Diis immortalibus haberetur honos, & ut prætoribus exercitum deportare liceret. Supplicatio in biduum decreta est de legionibus deportandis, quum de consulum prætorumque exercitibus ageretur, rem integram referri jusserunt. Paucos post dies consulibus in Ligures binæ legiones, quas Appius Claudius & M. Sempronius habuerant, decretæ sunt. De exercitibus Hispaniensibus magna contentio fuit inter novos prætores & amicos absentium, Calpurnii Quintiique. Utraque causa tribunos plebis, utraque consules habebat. ii se intercessuros Senatusconsulto, si deportandos censerent exercitus, denuntiabant; illi, si hæc intercessio fieret, nullam rem aliam se decerni passuros. Victa postremò absentium gratia est, & Senatusconsultum factum, *Ut prætores quatuor millia peditum Romanorum scriberent, quadringentos equites, & quinque millia sociorum peditum Latini nominis; quingentos equites, quos secum in Hispaniam portarent.* 1 *quum eas legiones quatuor descripsissent, quod plus quam quina millia peditum, trecenti equites, in singulis legionibus esset, dimitterent: eos primùm, qui emerita stipendia haberent, deinde, ut cujusque fortissima opera Calpurnius & Quintius in prælio usi essent.*

XXXIX. Hac sedatâ contentione, alia subinde C. Decimii prætoris morte exorta est. Cn. Sicinius, & L. Puppius, qui ædiles proximo anno

NOTÆ.

ultra duodecim annos paruerat; quin si à Cleomenis Regis violento dominatu tyrannicum regnum computetur, tamen quinquaginta anni haud colligentur, quos Livius centum fuisse ait.

4. *Sublata est.*] Decreto, ni fallor, Achæorum.

1. *Quum eas legiones quatuor descripsissent.*] Rectè & acutè Gron. scribendum conjicit, *cum eos in legiones quatuor descripsissent*; non enim ex quatuor millibus peditum quadringentis equitibus Romanis, & quinque millibus sociorum peditum, ac quingentis equitibus Latinis, quatuor novæ legiones confici poterant: sed ex his suppleri legiones quæ jam in Hispania erant, & cohortes auxiliares sociorum. Adjunctis itaque his novis copiis ad veteres exercitus, quia futurum erat ut legiones Romanæ & cohortes Latinæ solitum numerum excederent; vult ut his distribuatis, quot capi-

Urb. cond. ann. 569. Coss. P. Cluud. Pul. & L. Porcio Licin.

fuerant, & C. Valerius Flamen Dialis, & Q. Fulvius Flaccus (is quia ædilis curulis designatus erat, a sine toga candida, sed maximâ ex omnibus concentione) petebant. certamenque ei cum flamine erat. & posteaquam primò æquare, mox superare etiam cœpit, pars tribunorum plebis negare, rationem ejus habendam esse, quòd duos simul unus magistratus præsertim curules, neque capere posset, nec gerere: pars legibus eum solvi æquum censere, ut quem vellet, prætorem creandi, populo potestas fieret. L. Porcius consul primò in ea sententia esse, ne nomen ejus acciperet. deinde ut ex auctoritate senatus idem faceret, convocatis Patribus, *referre se ad eos*, dixit, *quod nec jure ullo, nec exemplo tolerabili haberet, civitati ædilis curulis designatus prætoram peteret: sibi, nisi quid aliud iis videretur, in animo esse ex lege comitia habere.* Patres censuerunt, uti L. Portius consul cum Q. Fulvio ageret, ne impedimento esset, quominus comitia prætoris in locum C. Decimii subrogandi ex lege haberentur. Agenti consuli ex Senatusconsulto, respondit Flaccus, *nihil, quod se indignum esset, facturum.* b Medio responso spem ad voluntatem interpretantibus fecerat; cessurum Patrum auctoritati esse. Comitiis acriùs etiam quàm ante petebat, criminando, extorqueri sibi a consule & senatu, populi Romani beneficium, & invidiam geminati honoris fieri: tanquam non appareret, ubi designatus prætor esset extemplo ædilitate se abdicaturum. Consul cum & pertinaciam petentis crescere, & favorem populi magis magisque in eum inclinari cerneret, dimissis comitiis senatum vocavit. consuerunt frequentes, quoniam Flaccum auctoritas Patrum nihil movisset, ad populum cum Flacco agendum. Concione advocatâ quum egisset consul; ne tum quidem de sententia motus, gratias populo Romano egit, quòd tantò studio, quotiescunque declarandæ voluntatis potestas facta esset, Prætorem se voluisse facere. Ea sibi studia civium suorum b deesse non in animo esse. Hæc verò tam obstinata vox, tantum ei favorem accendit, ut haud dubius prætor esset; si consul accipere nomen vellet. Ingens certamen tribunis & inter scipsos, & cum consule fuit: donec senatus à consule est habitus, decretumque: quoniam prætoris subrogandi comitia ne legibus fierent, pertinacia Q. Flacci, & prava studia hominum impedirent, senatum censere satis prætorum esse: P. Cornelius utramque in urbe jurisdictionem haberet, Apollinique ludos faceret.

INTERPRETATIO.

a *Cùm ita respondisset Quintius Fulvius Flaccus, ut mentem suam non satis aperuisset:* inde *spes orta est* Consuli & Senatoribus *secundùm ipsorum voluntatem explicari posse ejus animum.*

b *Nolle se civium in se favori renunciare.*

NOTÆ.

tibus justus legionum & auxiliorum numerus superaretur, totidem ex veteranis militibus dimitterentur à militia ta-

tione habitâ stipendiorum cujusque, & opere in Hispanica militia præstitæ.

a *Sine toga candida.*] A qua *candidati*

XL. His comitiis prudentiâ & virtute senatus sublatis, alia majoris certaminis, quo & majore de re, & inter plures potentioresque viros, sunt exorta. Censuram summâ contentione petebant L. Valerius Flaccus, P. & L. Scipiones, Cn. Manlius Vulso, L. Furius Purpureo Patricii: plebeji autem, M. Porcius Cato, M. Fulvius nobilior, Tib. & M. Sempronii Longus & Tuditanus. sed omnes patricios plebejosque nobilissimarum familiarum M. Porcius longè anteibat. in hoc viro tanta vis animi ingenii-que fuit, ut, quocumque loco natus esset, fortunam sibi ipse facturus fuisse videretur. Nulla ars, neque privatæ, neque publicæ rei gerendæ, ei defuit. Urbanas rusticasque res pariter callebat. Ad summos honores alios scientia juris, alios eloquentia, alios gloria militaris provexit: huic versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcunque ageret. In bello manu fortissimus, multisque insignibus clarus pugnis. idem posteaquàm ad magnos honores pervenit, summus imperator: idem in pace, si jus consuleres, peritissimus; si causa oranda esset, eloquentissimus. nec is tantùm, cujus lingua vivo eo viguerit, monumentum eloquentiæ nullum extet: [1] vivit imò, vigetque eloquentia ejus, [2] sacrata scriptis omnis generis. Orationes & pro se multæ, & pro aliis, & in alios. nam non solùm accusando. sed etiam causam dicendo fatigavit inimicos. Simultates nimio plures & exercuerunt eum, & ipse exercuit eas. nec facilè dixeris, utrum magis [a] presserit eum nobilitas, an ille agitaverit nobilitatem. Asperi procul dubio animi, & linguæ acerbæ, & immodicè liberæ fuit: sed invicti cupiditatibus animi, & rigidæ innocentiæ; contemptor gratiæ, divitiarum. In patrimonia,

Urb. cond. an. 569. Coss. P. Claud. Pul. & L. Porcio Licin.

INTERPRETATIO.

[a] *An nobiles ipsi magis adversati fuerint, an ipse nobilibus.*

NOTÆ.

dicebantur qui honores petebant, cùm de re rustica. Hujus M. Catonis, qui Magistratus prætexta à privatis distingue-Censorius à gestâ paulò aspetiùs cenirentur. tá dictus est, & jam natu grandiòr

1. *Vivit imò vigetque.*] Meliùs Tanaq. Fabro videtur *vivit imò vivetque*, ut futurum tempus verbo præsentis temporis respondeat. Sed quidni ut verbum *vivit* refertur ad nomen *vivo eo*: sic *vigetque* referatur ad verbum superius *viguerit*.

2. *Sacrata scriptis omnis generis.*] Extabant tempore Livii, præter orationes Catonis, ejusdem Originum libri (quibus Latii atque Italiæ urbium antiquam historiam perfectus fuerat) itemque de re militari, de Jure Civili egregia volumina complura, & quæ adhuc extant

Græcis literis ab Ennio institui voluit, elogium aliud vide apud Plin. lib. 7. cap. 27. Sunt & alia tum apud Valer. Maxim. lib. 3. cap. 4. sub fin. tum apud Cic. lib. 3. de Oratore. Initio Prisci tertio nomine dicebatur, postèa Catonis cognomen adeptus est, quo Romani eum significabant, in quo multarum rerum usus & experientia esset, ut Plut. scribit in ejus vita. Illud notandum quater & quadragies pro se causam dixisse, nec quemquam sæpius postulatum, ac semper absolutum.

Urb. cond. an. 569. Coss. P. Claud. Pul. & L. Porcio Licin.

in patientia laboris periculique, ferrei propè corporis animique; quem nec senectus quidem, quæ solvit omnia, fregerit. Qui sextum & octogesimum annum agens causam dixerit, ipse pro se oraverit, scripserituque: nonagesimo anno Sergium Galbam ad populi adduxerit judicium.

XLI. Hunc, sicut omni vita, [1] tum prensantem premebat nobilitas, cojerantque (præter L. Flaccum, qui collega in consulatu fuerat) [2] candidati omnes, ad dejiciendum honore eum; non solùm ut ipsi potiùs adipiscerentur, [a] nec quia indignabantur novum hominem censorem videre; sed etiam [b] quòd tristem censuram, periculosamque multorum famæ, & ab læso à pleriſque, & lædendi cupido, exspectabant. Etenim tum quoque minitabundus petebat; refragari sibi, qui liberam & fortem censuram timerent, criminando: & simul L. Valerio suffragabatur. Illo uno collegâ castigare se nova flagitia, & priscos mores revocare posse. His accensi homines, adversa nobilitate non M. Porcium modò censorem fecerunt, sed etiam collegam ei L. Valerium Flaccum adjecerunt. Secundùm comitia censorum consules prætoresque in provincias profecti sunt, præter Q. Nævium, quem quatuor non minùs menses, priusquàm in Sardiniam iret, quæstiones veneficii, quarum magnam partem extra urbem per municipia conciliabulaque habuit, quia ita aptius visum erat, tenuerunt. Si Antiati Valerio credere libet, ad duo millia damnavit. Et L. Postumius prætor, cui Tarentum provincia evenerat, magnas pastorum conjurationes vindicavit, & reliquias Bacchanalium quæstionis cum omni executus est cura. multos, qui aut citati non affuerant, [c] aut vades deseruerant, in ea regione Italiæ latentes partim noxios judicavit, partim comprehensos Romam ad senatum misit. in carcerem omnes à P. Cornelio conjecti sunt.

XLII. In Hispania ulteriore, fractis proximo bello Lusitanis, quietæ res fuerunt. In citeriore A. Terentius, in Suessetanis, [1] oppidum Corbio-

INTERPRETATIO.

a *Nec tantùm quòd ægrè ferrent.*

b *Providebant severum atque asperum in censura futurum Catonem.*

c *Aut defuerant sponsoribus suis, sive præsto non fuerant ad dicendam causam, ut fidem liberarent vadium à se datorum.*

NOTÆ.

3. *Nonagesimo anno.*] Annum quoque nonagesimum Catonis hic memorat Plut. Ex Lælii tamen numeratione apud Ciceronem de senectute eliciunt Glar. & Sigon. non anno ætatis nonagesimo, sed octogesimo causam hanc Catonem egisse, atque annos octoginta duntaxat & quatuor vixisse.

1. *Tum prensantem premebat nobilitas, cojerantque, &c.*] Restè pro *petentem*, vel *prætentem*, restituit Gron. *prensantem*. Restè etiam pro *cojerantque*, Sig. contra Gelenium legit ex codice veteri *cojerantque*.

2. *Candidati omnes.*] Plut. Catonis septem fuisse competitores in censura notat. Intellige præter Cornelium Flaccum, qui primo supra nominatur, & octonarium complet numerum.

1. *Oppidum Corbionem.*] Suessetanorum ait oppidum fuisse *Corbionem* in Hispania citeriore; sed ubi fuerint *Suessetani*, divinationis res est: plerique *Suessanum* eorum caput fuisse exilii-

nem vineis & operibus expugnavit, captivos vendidit. quietâ deinde hiberna & citerior provincia habuit. Veteres prætores C. Calpurnius Piso, & L. Quintius Romam redierunt. utrique magno Patrum conſenſu triumphus eſt decretus. Prior C. Calpurnius de Luſitanis & Celtiberis triumphavit: coronas aureas tulit octoginta tres, & duodecim millia pondo argenti. Paucos poſt dies L. Quintius Criſpinus ex iiſdem Luſitanis Celtiberiſque triumphavit, tantundem auri atque argenti in eo triumpho translatum. Cenſores, M. Porcius & L. Valerius, metu mixta expectatione ſenatum legerunt: ſeptem moverunt ſenatu. ex quibus unum inſignem & nobilitate & honoribus, L. Quintium Flamininum conſularem. Patrum memoria inſtitutum fertur, ut cenſores motis ſenatu adſcriberent notas. Catonis & aliæ quidem acerbæ orationes extant in eos, quos aut ſenatorio loco movit, aut quibus equos ademit: longè graviſſima in L. Quintium oratio eſt; qua ſi accuſator ante notam, non cenſor poſt notam uſus eſſet, retinere Quintium in ſenatu ne frater quidem T. Quintius, ſi tum cenſor eſſet, potuiſſet. Inter cætera objecit ei: Philippum Pœnum, charum ac nobile ſcortum, ab Roma in Galliam provinciam ſpe ingentium donorum perductum, cum puerum per laſciviam quum cavillaretur, exprobrare conſuli perſæpè ſolitum, quòd ſub ipſum ſpectaculum gladiatorium abductus ab Roma eſſet, ut obſequium amatori venditaret. Fortè epulantibus iis, quum jam vino incaluiſſent, nunciatum in convivio eſſe, noſtrum Bojum cum liberis transfugam veniſſe: convenire conſulem velle, ut ab eo fidem præſens acciperet. Introductum in tabernaculum per interpretem, alloqui conſulem cœpiſſe. inter cujus ſermonem Quintius ſcorto, *Vis tu*, inquit, *quoniam gladiatorium ſpectaculum reliquiſti, jam hunc Gallum moricntem aſpicere?* Et quum is vixdum ſeriò annuiſſet, ad nutum ſcorti conſulem ſtricto gladio, qui ſuper caput pendebat, loquenti Gallo caput primùm percuſſiſſe, deinde fugienti, fidemque populi Romani atque eorum qui adeo rant imploranti, latus transfodiſſe.

Urb. cond. an. 569. Coſſ. P. Claudio Pal. & L. Porcio Licin.

NOTÆ.

mant: ponitur autem *Sueſtaſſum* à Ptol. in Cariſtis, qui in parte provinciæ, quæ nunc *Alaba*. Qua ratione fuerit *Corbio* circa *Salinas* ad Biteſjæ fines. Mihi alias *Sueſſetani* à noſtro ſumi pro *Veſcitanis* Plinii videbantur: quorum oppidum primarium *Oſca*. Sed hic fortè *Sueſſetani* pro *Sedetanis*, & *Corbio* pro *Urbiaca*, quæ fuiſſe videtur ubi nunc *Villafranca* ad Xilocam amnem in Aragonia, circa fines Diœceſeon Albaracinenſis & Terulanæ.

2. *Duodecim millia pondo argenti*. Gallicè *la valeur de quatre cens trente deux mille livres*.

3. *Gladio, qui ſuper caput pendebat*. Refert Cic. Tuſcul. quæſt. lib. 3. Damoclem ad divitem & opiparam menſam à Dionyſio Syracuſarum tyranno, collocatum, gladio ejus cervicibus imminente, qui ex lacunari pendebat: ut quanta mala dominatum ſequerentur intelligeret. At Magiſtratibus Romanis ſimile quid in more fuiſſe nemo dixerit. *Pendens* itaque *ſuper caput* L. Quintii gladius videri poteſt, qui ad caput lecti, in quo epulans accumbebat.

Urb. cond. an. 569. Coll. P. Claudio Pul. & L. Porcio Licin.

XLIII. Valerius Antias, ut qui nec Catonis orationem legisset, 1 & fabulæ tantùm sine auctore editæ credidisset; aliud argumentum, simile tamen & libidine & crudelitate, peragit. Placentiæ famosam mulierem, cujus amore deperiret, in convivium accersitam scribit: ibi jactantem se scorto inter cætera retulisse, quàm acriter quæstiones exercuisset, & quàm multos capitis damnatos in vinculis haberet, quos securi percussurus esset. Tum illam infra eum accubantem negasse, unquam vidisse quenquam 2 securi ferientem & pervelle id videre. Hic indulgentem amatorem, 3 unum ex illis miseris attrahi jussum, securi percussisse. Facinus sive eo modo quo censor objecit, sive ut Valerius tradit, commissum est, sævum atque atrox. inter pocula atque epulas, ubi libare Diis dapes, ubi bene precari mos esset, ad spectaculum scorti procacis; 4 in sinu consulis recubantis, mactatam humanam victimam esse, & cruore mensam respersam. In extrema oratione Catonis conditio Quintio fertur, ut si id factum negaret, cæteraque, quæ objecisset, 5 sponsione defenderet sese: sin fateretur, ignominiane sit quenquam doliturum censeret, quum ipse vino, & venere amens, sanguine hominis in convivio lussisset.

XLIV. In equitatu recognoscendo 1 L. Scipioni Asiageni 2 ademptus equus. in censibus quoque accipiendis tristis & aspera in omnes ordines censura fuit. Ornamenta & vestem muliebrem & vehicula, quæ 3 pluris quàm quindecim millium æris essent, 4 in censum referre viatores jussit. item mancipia minora annis viginti, quæ post proximum lustrum 4 decem millibus æris, aut eo pluris, venissent, uti 5 ea quoque de-

INTER RETATIO.

a *Adscribere libris censualibus tanquam non contemnendam facultatum partem.*

NOTÆ.

1. *Et fabula tantùm sine auctore edita.*] A stipulatorem tamen habet hæc fabula Ciceronem in lib. de senect.

2. *Securi ferientem.*] Fortè *Securi feriri* ut vult non insciti Gron.

3. *Unum ex illis miseris attrahi jussum.*] Scripti, & ante Gelenium editi, *melius unum ex damnatis attrahi jussum.*

4. *In sinu consulis recubantis.*] Ita enim accubuerant eodem lecto, ut mulier illa inferior in medio discumberet infra consulem, ille verò suprà.

5. *Sponsione defenderet sese.*] Hoc ex Jure Romano, aut etiam Attico, ut cui vadimonium diceretur, si judicio contendere paratus esset, certam pecuniam sponderet, solvendam si causa caderet.

1. *L. Scipioni Asiageni.*] Sic scripti quos defendit Gronov. observat. lib. 4. cap. 25. Vulgò legitur *Scipioni Asiatico*.

2. *Ademptus equus.*] Sig. lib. 2. de Jure civ. Roman. equites dupliciter fuisse ait: primò prout senatoribus opponuntur. 2. prout pedibus: quam divisionem ordinum recentiorem fuisse contendit Henr. Valesius ex Plinio.

3. *Pluris quàm quindecim millium æris.*] Gallicè *la valeur de quatre cens trente sept livres neuf sols, ou environ, en monnoye de cuivre*: si quidem asses jam semunciales accipiamus.

4. *Decem millibus aris.*] Gallicè *dix cens quatre vints une livres treize sol 4 quatre deniers.*

5. *Ea quoque decem tanèd pluris.*] Conjicit non male Sigon. *decies tanèd pluris quàm quanti essent*: Quomodo Cic. in Verrem dixit *quinquies tanèd amplius*:

cem tantò pluris quàm quanti eſſent, æſtimarentur. 6 & his rebus omnibus terni in millia æris attribuerentur, aquam publicam omnem in privatum beneficium aut agrum fluentem ademerunt, & quæ 7 in loca publica inædificata, immolitave privati habebant, intra dies triginta demoliti ſunt. Opera deinde facienda ex pecunia in eam rem decreta, lacus ſternendos lapide, detergendaſque, qua opus eſſet, cloacas, in Aventino & in aliis partibus quà nondum erant, faciendas locaverunt, & ſeparatim Flaccus 8 molem ad Neptunias aquas, ut iter populo eſſet, & viam per Formianum montem. Cato atria duo, Mænium & Titium 9 in lautumiis, & quatuor tabernas in publicum emit: baſilicamque ibi fecit, quæ Porcia appellata eſt. & 10 vectigalia ſummis pretiis, ultrò tributa infimis locaverunt. Quas locationes quum ſenatus precibus & lachrymis publicanorum victus b induci, & de integro locari juſſiſſet; cenſores edicto ſummotis ab haſta, qui ludificati priorem locationem erant, omnia eadem paulum imminutis pretiis locaverunt. Nobilis cenſura fuit, ſimultatumque plena: quæ M. Porcium (cui acerbitas ea aſſignabatur) per omnem vitam exercuerunt! Eodem anno coloniæ

Urb. cond. an. 569. Coſ. P. Claudio Pul. & L. Porcio Licin.

INTERPRETATIO.

b *Abolerî locationes cenſorum, & res eaſdem domûs locarî, cùm ſenatus decreviſſet: cenſores, vetuerunt eos qui priùs per ludibrium vectigalia aut ultrò tributa conduxerant, ad ea conducenda accedere, eademque haſtæ itorum ſub jacto eodem ferè pretio aliis locarunt.*

NOTÆ.

quod ſequitur Gron. lib. 4. de pec. veter. cap. 1. quem vide. Gallicè *qu'on les employât dans l'eſtimation des biens de leurs maiſons dix fois autant qu'ils valoient*: nam apud Platonem habet τὸ ἑκατονταπλάσιον, id eſt, *in decuplum*.

6. *Et his rebus omnibus terni in millia æris attribuerentur.*] Senſus hujus loci ex Plut. percipi poteſt: vult enim Catonem ad luxum coercendum res eò pertinentes longè pluris æſtimaſſe; ut majora tributa à dominis conferrentur, ita feliciter ut in ſingula millia æris, ternos aſſes penderent.

7. *In loca publica inædificata immolitave.*] *Inædificatorum* nomine intellige cum Turnebo ædificia è privato in publicum procurrentia, & aliquid loci publici occupantia. *Immolita* autem hic dicuntur, quæ privati ante ædes ſuas in publico moliti erant, veluti Mœniana ſive tabulata in publicum projecta ad proſpiciendum: aut *podia*, quæ ſunt loca porrecta extra domus parietem, Gallicè *des balcons*.

8. *Molem ad Neptunias aquas.*] Has aquas apud Neptunium oppidum Latii maritimum, locat Marcel. Donatus, ubi adhuc viſitur vicus antiquus aquæniſſimus, vulgò *Mole* dictus. Cluver. fuiſſe vult apud Tarracinam.

9. *In Lautumiis.*] Verùm Voſſianus habet *in Latinis*, unde ſuſpicari licet *in carinis*.

10. *Vectigalia ſummis pretiis, ultrò tributa infimis locaverunt.*] *Vectigalia* publica, quibus conſtabant reditus populi Romani meritò cenſores majori pretio addixerunt publicanis: *ultrò tributa*, quæ ſunt impenſæ, hoc eſt, attributiones operum publicorum faciendorum municipibus ſeu redemptoribus, quàm minimo pretio locarunt. Sic auctî Reipublicæ fructus, imminuti ſumptus.

duæ, 11 Potentia in Picenum, 12 Pisaurum in Gallicum agrum, deductæ sunt. Sena jugera in singulos data. diviserunt agrum, coloniasque deduxerunt 13 iidem tres viri, Q. Fabius Labeo, & M. & Q. Fulvii, Flaccus & Nobilior. Consules ejus anni nec domi, nec militiæ memorabile quicquam egerunt.

Urb. cond an. 570. Coss. M. Claudio Marcello, & Q. Fabio Labeone.

XLV. In insequentem annum creatur consules M. Claudium Marcellum, Q. Fabium Labeonem. M. Claudius, Q. Fabius idibus Martiis, quo die consulatum injerunt, de provinciis suis prætorumque retulerunt. Prætores creati erant, C. Valerius flamen Dialis, qui & priore anno petierat, & Sp. Postumius Albinus, & P. Cornelius Sisenna, L. Pupius, L. Julius, Cn. Sicinius. Consulibus Ligures cum iisdem exercitibus, quos P. Claudius, & M. Porcius habuerant, provincia decreta est. Hispaniæ extra sortem prioris anni prætoribus cum suis exercitibus servatæ. Prætores ita sortiri jussi, uti flamini Diali utique 1 altera juris dicendi Romæ provincia esset. peregrinam est sortitus. Sisennæ Cornelio urbana, Sp. Postumio Sicilia, L. Pupio Apulia, L. Julio Gallia, Cn. Sicinio Sardinia evenit. L. Julius maturare est jussus. Galli transalpini per saltus ignotæ anteà viæ (ut dictum est) in Italiam transgressi, oppidum in agro, qui nunc Aquilejensis est, ædificabant. Id eos ut prohiberet, quoad ejus sine bello posset; prætori mandatum est. si armis prohibendi essent, consules certiores faceret. ex his placere alterum adversus Gallos ducere legiones.

XLVI. Extremo prioris anni comitia habita erant in demortui Cn. Cornelii locum a auguris sufficiendi. Creatus Sp. Postumius Albinus. Hujus principio anni P. Licinius Crassus Pontifex maximus mortuus est: 1 in cujus locum M. Sempronius Tuditanus pontifex est coopratus. Pontifex maximus est creatus C. Servilius Geminus. P. Licinii funeris causa b visceratio data, & gladiatores centum viginti pugnaverunt: & ludi funebres per triduum facti, post ludos epulum. in quo, quum toto foro

INTERPRETATIO.

a *Ut in mortui locum subrogaretur novus augur.*

b *Distributio viscerum, sive crudæ carnis in populum.*

NOTÆ.

11. *Potentia.*] Alias *Pollentia*, urbs fuit Piceni ad ripam fluvii cognominis, jamdiu destructa: sed nominis vestigia servat Abbatia *Sanctæ Mariæ ad pedem Potentiæ*, milliari uno à portu Recinetensi in Marca Anconitana, ut Holstenius testatur.

12. *Pisaurum in Gallicum agrum.*] In ora Senonum, qua vetus Umbria fuit olim fuerat *Pisaurum* ad ostium fluvii *Pisauri* in Mare Adriaticum, inter Ariminum & Senogalliam, à Totila Gothorum rege excisum, sed restitutum à Belisario. Hodie floret in Urbini Ducatu, vulgò *Pesaro*.

13. *Iidem tres viri.*] Iidem scilicet, qui ante hanc coloniam deduxerunt.

1. *Altera juris dicendi Romæ provincia esset.*] Ex duplici jurisdictione, quam duo Prætores Romæ exercebant (Urbanus, & Peregrinus) ideo una C. Valerio destinatur, quod Flamini Diali abnoctare ab urbe religiosum esset.

a. *In cujus locum M. Sempronius Pontifex*

ſtrata triclinia eſſent, tempeſtas cum magnis procellis coortâ coegit plerosque tabernacula ſtatuere in foro. Eadem paulò pòſt, quum undique diſſerenaſſet, ſublata b defunctoſque vulgò ferebant, quòd inter fatalia vates cecinisſet, neceſſe eſſe tabernacula in foro ſtatui. Hac religione levatis, altera injecta, quòd ſanguine per biduum pluiſſet in area Vulcani: & per decemviros ſupplicatio indicta erat ejus prodigii expiandi cauſa. Priuſquàm conſules in provincias proficiſcerentur, legationes tranſmarinas in ſenatum introduxerunt. nec unquam antè tantùm regionis ejus hominum Romæ fuerat. Nam ex quo fama per gentes, quæ Macedoniam accolunt, vulgata eſt, crimina querimoniaſque de Philippo non negligenter ab Romanis audiri, multis operæ pretium fuiſſe queri; pro ſe quæque civitates genteſque, ſinguli etiam privatim (gravis enim accola omnibus erat) Romam aut ad ſpem levandæ injuriæ, aut ad deflendæ ſolatium venerunt. Et ab Eumene rege legatio cum fratre ejus Athenæo venit, ad querendum, ſimul quòd non deducerentur ex Thracia præſidia; ſimul quòd in Bithyniam Pruſiæ bellum adverſus Eumenem gerenti auxilia miſſa forent.

Urb. cond. an. 570. Coſſ. M. Claudio Marcello, & Q. Fabio Labeone.

XLVII. Reſpondendum ad omnia juveni tum admodum Demetrio erat: quum haud facilè eſſet, aut ea quæ objicerentur, aut quæ adverſus ea dicenda erant, memoria complecti. nec enim multa ſolùm, ſed etiam pleraque oppido quàm parva erant: de controverſia finium, de hominibus raptis, pecoribuſque abactis, de jure aut dicto per libidinem, aut non dicto; de rebus per vim aut per gratiam judicatis. nihil horum neque Demetrium docere dilucidè, nec ſe ſatis liquidò diſcere ab eo ſenatus quum cerneret poſſe; ſimul & tyrocinio & perturbatione juvenis moveretur, quæri juſſit ab eo, ecquem de his rebus commentarium à patre accepiſſet? Quum reſpondiſſet, *accepiſſe ſe*; nihil prius nec potius viſum eſt, quàm regis ipſius de ſingulis reſponſa accipere. Librum extemplo popoſcerunt; deinde, ut ipſe recitaret, permiſerunt. Erant autem de rebus ſingulis in breve coactæ cauſæ: ut alia feciſſe ſe ſecundùm decreta legatorum doceret: alia non per ſe ſtetiſſe, quominus faceret, ſed per eos ipſos qui accuſarent. Interpoſuerat & querelas de iniquitate decretorum, & quam non ex æquo diſceptatum apud Cæcilium foret, indigneque ſibi, nec ullo ſuo merito, inſultatum ab omnibus eſſet. Has notas

INTERRETATIO.

b *Dicebatur Romanos liberatos ſic eſſe religione ac metu injecto ex fatalibus carminibus.*

NOTÆ.

fex cooptatus eſt.] In P. Licinii Pontificis maximi locum, ſucceſſit C. Servilius, qui cùm antèà Pontifex eſſet, nunc creatur Pontifex Maximus. in ejuſdem Licinii locum cooptatur in collegium Pontificum hic M. Sempronius Tuditanus: ſic unus Licin. Craſſus duos habet ſucceſſores: alterum in pontificatu, alterum in Pontificis maximi dignitate.

Urb. cond. an. 570. Coss. M. Claudio Marcello, & Q. Fabio Labeone.

irritati ejus animi collegit senatus; cæterùm alia excusanti juveni, alia recipienti, futura ita, ut maximè vellet senatus, responderi placuit: *Nihil patrem ejus neque rectius, nec magis, quod ex voluntate senatus esset, fecisse; quàm quod utcumque ea gesta esent, per Demetrium filium satisfieri voluisset Romanis. Multa & dissimulare & oblivisci & pati præterita senatum posse, & credere etiam Demetrio credendum esse. Obsidem enim se animum ejus habere, etsi patri corpus reddiderit: & scire, quantum salva in patrem pietate possit, amicum cum populo Romano esse. Honorisque ejus causa missuros in Macedoniam legatos: ut si quid minus factum sit quàm debuerit, tum quoque* [a] *sine piaculo rerum prætermissarum fiat. Velle etiam sentire Philippum integra omnia sibi cum populo Rom. a Demetrii filii beneficio esse.*

XLVIII. Hæc quæ augendæ amplitudinis ejus causa facta erant, extemplo in invidiam, mox etiam in perniciem adolescenti verterunt. Lacedæmonii deinde introducti sunt. mulcæ & parvæ disceptationes jactabantur; sed, [1] quæ maximè rem continerent, erant: utrum restituerentur quos Achæi damnaverant, necne. iniquè, an jure occidissent, quos occiderant, vertebatur; &, utrum manerent in Achaico concilio Lacedæmonii: an, ut antè fuerat, secretum ejus unius in Peloponneso civitatis jus esset. Restitui, judiciaque facta tolli placuit. Lacedæmonem manere in Achaico concilio: scribique id decretum, & consignari à Lacedæmoniis & Achæis. Legatus in Macedoniam Q. Marcius est missus: jussus idem in Peloponneso sociorum res aspicere. nam ibi quoque & ex veteribus discordiis residui motus erant, & Messene defecerat à concilio Achaico. cujus belli & causam & ordinem si exprimere velim, immemor sim propositi, quo statui non ultra attingere externa, nisi qua Romanis cohærent rebus.

XLIX. Eventus memorabilis est, quòd quum bello superiores essent Achæi, Philopœmen prætor eorum capitur [1] ad præoccupandam Coronen profectus, quam hostes petebant: in valle iniqua cum equitibus

INTERPRETATIO.

[a] *Ita ut satisfactio*, ac velut *expiatio* culpæ *non exigatur, quòd quadam*, quæ fieri debuerant, *facta suo tempore non sint.*

NOTÆ.

1. *Demetrii filii beneficio esse.*] Ut scilicet appareret non tam absolutum regem, quam donatum filio patrem. Quæ res Demetrio non gratiam legationis, sed obtrectationis odium comparavit. Apud patrem quippe nota absolutionis causa esse nsæ fuit, indignante Philippo plus imo menti apud senatum personam filii, quàm auctoritatem patris ac dignitatem regiæ majestatis habuisse, ut Justin. ait lib. 32. cap. 2.

1. *Quæ maximè rem continerent.*] Gallicè, *ce qui estoit le plus important, & en quoi consistoit le principal, & le capital de l'affaire.*

1. *Ad præoccupandam Coronen.*] Peloponnesi urbs in Messenia regione, ad meridiem Messenæ urbis, eidemque sinui Messeniaco appositа *Corone*, adhuc *Coron* dicitur in provincia quæ Italis *Belvedere*; adhuc clara & munita: diu Venetis paruerat, donec à Bajasethe II. Turcis asserta est. Plut. in Philopœmene pro *Corone* nominat κώπαις Καλλιάνειρας

paucis oppreſſis. Ipſum potuiſſe effugere Thracum Cretenſiumque auxilio tradunt. ſed pudor relinquendi equites, nobiliſſimos gentis, ab ipſo nuper lectos, tenuit. quibus dum locum ad evadendas anguſtias cogendo ipſe agmen præbet, ſuſtinens impetus hoſtium, prolapſo equo, & ſuo ipſe caſu, & onere equi ſuper eum ruentis, haud multum abfuit quin exanimaretur: ſeptuaginta annos jam natus, & diutino morbo, ex quo tum primum reficiebatur, viribus admodum attenuatis. jacentem hoſtes ſuperfuſi oppreſſerunt: cognitumque primum à verecundia memoriaque meritorum haud ſecus quàm ducem ſuum attollunt, reficiuntque, & ex valle devia in viam portant; vix ſibimetipſi præ necopinato gaudio credentes: pars nuncios Meſſenem præmittunt debellatum eſſe. Philopœmenem captum adduci. Primum adeo incredibilis viſa res, ut[2] non pro vano modò, ſed vix pro ſano nuncius audiretur. deinde ut ſuper alium alius idem omnes affirmantes veniebant, tandem facta fides: & priuſquàm appropinquare urbi ſatis ſcirent, ad ſpectaculum omnes ſimul liberi ac ſervi, pueri quoque cum fœminis effunduntur. itaque[2] clauſerant portam turbæ, dum pro ſe quiſque, niſi ipſe oculis ſuis credidiſſet, 3 vix pro comperta tantam rem habiturus videretur. Ægrè ſummoventes obvios intrare portam, qui adducebant Philopœmenem, potuerunt, atque turba conferta iter reliquum clauſerat. & cùm pars maxima excluſa à ſpectaculo eſſet, theatrum repentè, quod viæ propinquum erat, compleverunt, & ut eo in conſpectum populi adduceretur, una voce omnes expoſcebant. Magiſtratus & principes, veriti ne quem motum miſericordia præſentis tanti viri faceret, quum alios verecundia priſtinæ majeſtatis collata præſenti fortunæ, alios recordatio ingentium meritorum moturа eſſet, procul in conſpectu eum ſtatuerunt. deinde raptim ex oculis hominum abſtraxerunt. Prætore Dinocrate dicente, eſſe quæ pertinentia ad ſummam belli percunctari eum magiſtratus vellent. 4 Inde abducto eo in curiam, & ſenatu vocato, conſultari cœptum.

Urb. cond. an. 570. Coſs. M. Claudio Marcello, & Q. Fabio Labeone.

INTERPRETATIO.

2 *Non ſolùm tanquam mendax: & nullius fidei, ſed tanquam amens, & vix ſui compos.*

NOTÆ.

& fuit *Colone* quoque oppidum agri Meſſeniaci, Ptolemæo non ignotum, quod nunc *Griſo* appellari ajunt; ſed minùs nobile.

2. *Clauſerant portam turbæ.*] Sic rectè in numero plurali regius, qui Naudæi ſuit; dicuntur enim *turbæ* concurrentium variſi globi, ſeu manipuli hominum conglobatorum. Non tamen diverſam ad modum vim habet ſingularis numerus qui vulgò legitur, quandoquidem *turba* multitudinem ſignificat cum aliqua perturbatione ac tumultus ſpecie: quod huic loco ſatis convenit.

3. *Vix pro comperta tantam rem habiturus.*] Alias, *pro comperto*: quod neſuit; dicuntur enim *turbæ* concurrentium quaquam vitioſum: non magis quam *rem* variſi globi, ſeu manipuli hominum con- *ſuam pro derelicto habere*, ut Juriſconſulglobatorum. Non tamen diverſam ad ti loquuntur.

4. *Inde abducto.*] Alias *adducto*, ſed

Urb. cond. an. 570. Coſſ. M. Claudio Marcello, & Q. Fabio Labeone.

L. Jam inveſperaſcebat, & non modò cætera, ſed a ne in proximam quidem noctem ubi ſatis tutò cuſtodiretur, expediebant. Obſtupuerant ad magnitudinem priſtinæ ejus fortunæ virtutiſque: & neque ipſi domum recipere cuſtodiendum audebant, nec cuiquam uni cuſtodiam ejus ſatis credebant. admonent deinde quidam, eſſe 1 theſaurum publicum ſub terra, ſaxo quadrato ſeptum. eò vinctus demittitur, & laxum ingens, quo operitur, machina ſuperimpoſitum eſt. ita loco potiùs quàm homini cuiquam credendam cuſtodiam rati, lucem inſequentem expectaverunt. Poſtero die multitudo quidem integra, memor priſtinorum ejus in civitatem meritorum, parcendum, ac per eum remedia quærenda malorum, cenſebat: defectionis auctores, quorum in manu reſpubliea erat, in ſecreto conſultantes omnes ad necem ejus conſentiebant: ſed utrum maturarent, an differrent, ambigebatur. Vicit pars avidior pœnæ; miſſiſque qui venenum ferret. Accepto poculo nihil aliud locutum ferunt, quàm quæſiſſe ſi incolumis Lycortas (is alter imperator Achæorum erat) equiteſque evaſiſſent? Poſteaquàm dictum eſt, incolumes eſſe: Benè habet, inquit, & poculo impavide exhauſto, haud ita multò pòſt expiravit. Nec diuturnium mortis ejus gaudium auctoribus crudelitatis fuit. 2 victa namque Meſſene bello expoſcentibus Achæis noxios dedidit, 3 oſſaque reddita Philopœmenis ſunt: & ſepultus ab univerſo Achaico concilio: adeo omnibus humanis congeſtis honoribus, 4 ut nec divinis quidem abſtitit.

INTERPRETATIO.

a *Neque invenire poterant, nec menti eorum occurrebat* locus tutus, ubi, &c.

NOTÆ.

abſtitit probat Gron. ex Naud. & aliis: eorumque auctoritate delet *Tò inde*.

1. *Theſaurum publicum.*] Sic interpretatur Plut. in Philopœmene ut fuerit ædificium ſubterraneum, ſive carcer, οἴκημα κατηφὲς, quod nec ſpiritum ſeu ventum, nec lucem extrinſecùs acciperet, nullaſque haberet portas, ſed clauderetur ingenti lapide circumacto; id eſt, (ut Gron. explicat) qui machina quadam ſeu tormento moveretur, & circumverteretur. Machina porrò illa, vel trochleæ, vel tollenonis ſpecies; ſeu quod aliud inſtrumentum erat aptum ad levanda pondera graviora. Itaque amovendum fuit ſaxum, quo operiebatur crypta illa, ut in eam Philopœmen demitteretur, ac deinde machina tractoria repoſitum eſt, cùm claudendum os ejuſdem cryptæ eſſet.

2. *Victa quippe Meſſene.*] Lycortas prætor Achæorum Meſſenios vaſtatis ſinibus, tantis cladibus affecit, ut ab invitis in urbem receptus fuerit, eoſque, ut & Lacedæmonios in concilium Achæorum reſtituerit. Dinocrates ſibi ipſi manus intulit; reliqui primates Meſſeniorum in vincula conjecti. Hæc de Meſſana Siciliæ per errorem Oroſius accepit, cùm ad Meſſenen Peloponneſi pertineant.

3. *Oſſaque reddita.*] Philopœmenis cineres ad Achæos relati cum funebri apparatu, deferente urnam Polybio Lycortæ filio, qui poſt hiſtoriam horum bellorum accurate ſcripſit.

4 *Ut ne divinis quidem abſtineretur.*] Philopœmeni cives ſui templum poſuerunt; ſanxeruntque ut quotannis ei taurus immolaretur, & encomia rerum ab eo geſtarum cum hymnis ab adoleſcentibus canerentur; referente Diodoro in

ſtineretur. Ab ſcriptoribus rerum Græcis Latinisque tantùm huic viro tribuitur, ut à quibuſdam eorum velut ad inſignem notam hujus anni memoriæ mandatum ſit, tres claros imperatores eo anno deceſſiſſe, Philopœmenem, Annibalem, P. Scipionem. adeo in æquo cum diarum potentiſſimarum gentium ſummis imperatoribus poſuerunt. Urb. cond. an. 570. Coſſ. M. Claudio Marcello, & Q. Fabio Labeone.

Philopœmenis & Annibalis hæ ſunt icones ex nummis.

Ant. Luciani ſc.

LI. Ad Pruſiam regem legatus, T. Quintius Flamininus venit, quem ſuſpectum Romanis, & [1] receptus poſt fugam Antiochi Annibal, & bellum adverſus Eumenem motum, faciebat. ibi; ſeu quia à Flaminino inter cætera objectum Pruſiæ erat, hominem omnium qui viverent infeſtiſſimum populo Romano apud eum eſſe, qui patriæ ſuæ primùm, deinde fractis ejus opibus, Antiocho regi auctor belli adverſus populum Romanum fuiſſet; ſeu quia ipſe [2] Pruſias, ut gratificaretur præſenti Flaminino Romaniſque, per ſe necandi aut tradendi ejus in poteſtatem conſilium cepit; à primo colloquio Flaminini, milites extemplo [3] ad domum Annibalis cuſtodiendam miſſi ſunt. ſemper talem exitum vitæ ſuæ Annibal proſpexerat animo; & Romanorum inexpiabile odium in ſe cernens, & fidei regum nihil ſanè confiſus. Pruſiæ verò levitatem etiam expertus erat. Fla-

NOTÆ.

excerptis Valeſii pag. 301.

1. *Receptus poſt fugam Antiochi Annibal.*] Et Annibalis opera Pruſiæ non inutilis fuerat. Cùm enim Pruſias terreſtri bello ab Eumene victus, prœlium in mare tranſtuliſſet, Annibal omne ſerpentum genus in fictiles lagenas conjici j ſſerat, accenſâque pugnâ in naves Eumenis immitti. Quod primò ridiculum viſum; ſed ubi ſerpentibus repleri naves cœpere, anticipiti periculo circumventi ejus claſſiarii hoſti victoriam ceſſerunt. Juſtin. lib. 32. c. 4.

2. *Pruſias, ut gratificaretur præſenti Flaminino.*] Pruſias nec Annibalem legatis Romanis negare auſus, nec hoſpitalia jura violare, permiſit, ut, ſi poſſent, eum comprehenderent. Cæterùm diſſimulare videtur Livius palàm poſtulaſſe Flaminium, ut Romanis Annibal dederetur; quod alii tradunt, ejus vel deditionem, vel necem petiiſſe, ſive Romanorum gloriæ, ſive privatæ ultionis avidum in eum, cujus operâ, victus cæſuſque pater C. Flaminius ad Thraſymenum fuiſſet. Vide infrà fin. cap. 56.

3. *Ad domum Annibalis.*] In Caſtello Bithyniæ, ſeu vico maritimo, cui nomen *Libyſſæ*, ubi oraculi fidem implevit *Libyſſam* apud terram fatum ipſi præſagientis (quod de Africa natali ſolo accipiendum videbatur) lapideo tumulo conditus fuit. Vide præ cæteris Plutharcum in ejus vita

Urb. cond. an. 570. Coss. M. Claudio Marcello, & Q. Fabio Labeone.

minini quoque adventum velut fatalem sibi horruerat. Ad omnia undique infesta, ut iter semper aliquod præparatum fugæ haberet, septem exitus è domo fecerat; & ex iis quosdam occultos, ne custodiâ sepirenetur. Sed grave imperium regum nihil inexploratum, quod investigari volunt, efficit. totius circuitum domus ita custodiis complexi sunt, ut nemo inde elabi posset. Annibal postea quàm est nunciatum milites regios in vestibulo esse; postico, quod devium maximè atque occultissimi exitus erat, fugere conatus; ut id quoque occursu militum obseptum sensit, & omnia circa clausa custodiis dispositis esse, venenum (quod 4 multò antè præparatum ad tales habebat casus) poposcit. *Liberemus*, inquit, *diuturnâ curâ populum Romanum: quando 5 mortem senis exspectare longum censent. Nec magnam nec memorabilem ex inermi proditoque Flaminino victoriam ferret. mores quidem populi Romani quantum mutaverint, vel hic dies argumento erit. 6 Horum patres Pyrrho regi hostiarmato exercitum in Italia habenti, ut à veneno caveret, prædixerunt: hi legatum consularem, qui auctor esset Prusiæ per scelus occidendi hospitis, miserunt.* Execratus deinde in caput regnumque Prusiæ, & hospitales Deos violatæ ab eo fidei testes invocans, poculum exhausit.

LII. Hic vitæ exitus fuit Annibalis. Scipionem & Polybius & Rutilius hoc anno mortuum scribunt. Ego [1] neque his, neque Valerio assentior:

NOTÆ.

4. *Multò antè præparatum.*] Sub annuli gemma, ut testantur Corn. Nepos, Plutarcus, Zonaras: quanquam alii taurino sanguine hausto, alii elisis à servo fucibus, periisse volunt.

5. *Mortem senis expectare.*] Septuagesimum ætatis annum agebat Annibal.

6. *Horum patres Pyrrho regi.*] Cùm C. Fabricio consuli transfuga (sive Timocharis sive Nicias nomine) polliceretur se regi venenum daturum, is cum indicio ad regem remissus est: ut paucis habetur in Epit. Liv. xiij. Vide Plut. in Pyrrho, Flor. Valer. Max. ac præsertim A. Gell. apud quem extat epistola ad Pyrrhum à Consulibus missa.

1. *Neque his, neque Valerio assentior.*] De tempore quo mortuus est Scipio Africanus major, dissentiebant scriptores. Polybius & Rutilius his Consulibus M. Claudio Marcello, Q. Fabio Labeone defunctum volebant, anno scilicet ab urbe condita 570. at Valerius Antias in annum superiorem conferebat Scipionis obitum, Coss. nempè P. Claudio, L. Porcio, cùm Censores essent M. Porcius Cato, & L. Valerius Flaccus, Polybium fefellit ratione, quâ usus videtur anteà Valerius Antias, quòd ante hunc consulatum, cujus nunc res memorantur, L. Valerius censor lectus fuerit Princeps senatûs: id autem superstite Scipione factum fuisse credibile non est, cùm ante M. Porcii & antè dicti L. Valerii censuram tribus continuis lustris Scipio princeps senatûs fuisset, nec senatu motus legatur. Antiatis sententia nitebatur, ni fallor, oratione P. Scipionis adversus M. Nævium tribunum plebis, qui ei diem dixerat: qui quidem Nævius tribunatum gesserit P. Claudio & L. Porcio Coss. sed reponit Livius potuisse à Nævio tribuno accusari Scipionem, & ante P. Claudii & L. Porcii consulatum decessisse. Non enim cum Consulibus tribunos plebis iniisse magistratum: sed toto trimestri prius, ante anni principium. Etenim à peim tempore quo hi creari cœperunt ad Augustum usque, iv. Idus Decembris, ut observat Plut. magistratu abire soliti tribuni plebis, cùm consules prætores, &c. variaverint, & hoc tempore de quo agimus, nonnisi Idibus Martiis inirent. Sic Q. Marcellus Nepos, qui Silano & Marenâ Coss. tribunatum gessit,

his, quod, censoribus M. Porcio, L. Valerio, principem senatus ipsum L. Valerium censorem lectum invenio: quum superioribus tribus lustris Africanus fuisset: quo vivo, nisi ut ille senatu moveretur, (quam notam nemo memoriæ prodidit,) alius princeps in locum ejus lectus non esset. Antiatem auctorem refellit tribunus plebis M. Nævius, adversus quem oratio inscripta P. Africani est. Hic Nævius in magistratuum libris est tribunus plebis, P. Claudio, L. Porcio consulibus: sed iniit tribunatum Appio Claudio, M. Sempronio consulibus, ante diem quartum idus Decembres. inde tres menses ad Idus Martias, sunt; quibus P. Claudius, L. Porcius consulatum inierunt. Ita & vixisse in tribunatu Nævii videtur: diesque ei dici ab eo potuisse; decessisse autem ante L. Valerii & M. Porcii censuram. Trium clarissimorum suæ cujusque gentis virorum [a] non magis tempore congruente comparabilis mors videtur esse, quàm quòd nemo eorum satis dignum splendore vitæ exitum habuit. Jam primùm omnes non in patrio solo mortui, nec sepulti sunt. veneno absumpti Annibal & Philopœmen: exul Annibal proditus ab hospite; captus Philopœmen, in carcere & in vinculis expiravit. Scipio, etsi non exul, neque damnatus, die tamen dictâ, ad quam non affuerat, reus absens, citatus, voluntarium non sibimetipse solùm, sed etiam [a] funeri suo exilium indixit.

Urb. cond. an 570. Coss. M. Claudio, Marcello, & Q. Fabio Labeone.

LIII. Dum ea in Peloponneso (à quibus diverrit oratio) geruntur; reditus in Macedoniam Demetrii legatorumque, aliter aliorum affecerat animos. vulgus Macedonum, quos belli ab Romanis imminentis metus terruerat, Demetrium ut pacis auctorem cum ingenti favore conspiciebant: simul & spe haud dubiâ regnum ei post mortem patris destinabant. Nam etsi minore ætate, quàm Perseus esset, [a] hunc tamen justâ matrefamiliæ; illum pellice ortum esse: illum, ut ex vulgato corpore genitum, nullam certi patris notam habere; hunc insignem Philippi similitudinem præ se ferre. Ad hoc, Romanos Demetrium in paterno solio locaturos: Persei nullam apud eos gratiam esse. Hæc vulgò loquebantur. itaque & Persea cura angebat, ne parum pro se una ætas valeret, quum omnibus aliis rebus frater superior esset: & Philippus ipse, vix sui arbitrii fore quem hæredem regni relinqueret credens, sibi quoque graviorem esse

INTERPRETATIO.

a *Horum trium virorum. qui maximè illustres in sua quisque gente fuerunt, non absimilis mors fuit, nec minùs in eo congruunt, quòd eorum nullius respondentem verum gestarum claritati interitum fortitus sit, quòd eodem fermè anno è vivis exierunt.*

NOTÆ.

Ciceronem consulatu abeuntem prid. Kal. Januarias, jam inito Magistratu concione prohibuit, quemadmodum Sigon. notat.

2. *Funeri suo exilium indixit.*] Vide supra lib. 38. cap. 53.

1. *Hunc tamen justâ matre familiæ; alium pellice ortum.*] Philippi Macedoniæ regis ex legitima uxore Demetrius, ex Gnathenio Argivâ saltatrice Perseus, quem uxor Philippi supposuit. Hunc natu minorem Pausanias facit: Livius & Polybius majorem.

Urb. cond. an. 569. Coss. M. Claudio Marcello, & Q. Fabio Labeone.

quàm vellet, minorem filium censebat. Offendebatur interdum concursu Macedonum ad eum: & alteram jam se vivo regiam esse indignabatur. Et ipse juvenis haud dubiè inflatior redierat; subnixus erga se judiciis senatus, concessisque sibi, quæ patri negata essent: & omnis mentio Romanorum, quantam dignitatem ei apud cæteros Macedonas, tantam invidiam non apud fratrem modò, sed etiam apud patrem conciliabat: utique posteaquàm alii legati Romani venerunt, & cogebatur decedere Thraciâ, præsidiaque deducere, & alia aut ex decreto priorum legatorum, aut ex novâ constitutione Senatûs, facere: sed omnia mœrens quidem & gemens: Eo magis, quòd filium frequentiorem propè cum illis, quàm secum cernebat: obedienter tamen adversùs Romanos faciebat, ne quam movendi exemplo belli causam præberet: avertendos etiam animos â suspicione talium consiliorum ratus, mediam in Thraciam, exercitum [2] in Odrysas, [3] & Dantheletas, [4] & Bessos duxit. [5] Philippopolim urbem fuga desertam oppidanorum, qui in proxima montium juga cum familiis receperant sese, cepit: campestresque barbaros, depopulatus agros eorum, in deditionem accepit. relicto inde ad Philippopolim præsidio, quod haud multò pòst ab Odrysis expulsum est, oppidum [6] in Deuriopo condere instituit. Pæoniæ ea regio est propè Erigonum fluvium, qui ex Illyrico per Pæoniam fluens, in Axium amnem editur.

LIV. [1] Haud procul Stobis, vetere urbe, novam urbem Perseida, ut is filio majori haberetur honos, appellari jussit. Dum hæc in Macedonia geruntur, consules in provincias profecti. Marcellus nuncium præmisit ad L. Porcium proconsulem, ut ad novum Gallorum oppidum legiones admoveret. Advenienti consuli Galli sese dedederunt: duodecim millia armatorum erant: plerique arma ex agris rapta habebant. ea ægrè patientibus iis adempta, quæque alia populantes agros rapuerant, aut secum attulerant. de his rebus qui quererentur, legatos Romam miserunt. Introducti in senatum à C. Valerio prætore exposuerunt; *Se, superante in Gallia multitudine, inopiâ coactos agri & egestate, ad quærendam sedem Al-*

NOTÆ.

2. *In Odrysas.*] Thracica ingens natio *Odrysa* seu *Odrysis* ad Hebrum fluvium coluerunt. Eorum mons Rhodope.

3. *Et Dantheletas.*] *Dantheleta*, seu *Denseleta* Thraciæ occiduam regionem habitabant ad Hebri fontes: unde *Dantheletica* provincia, Macedoniæ confinis & Mœsiæ.

4. *Et Bessos.*] Hi *Bessica* regioni in Thracia quoque nomen fecerunt Dantheletis ad ortum, Odrysis ad occasum.

5. *Philippopolim.*] A Philippo magni Alexandri patre hoc nomen fortita urbs, nomen retinet ac dignitatem ad Hebrum fluvium.

6. *In Deuriopo.*] Tractus erat Macedoniæ, cujus populi *Deuriopes* inter superiora Panyasi, & Erigonem fluvium: illius fluentis divisi à Penestis versus Austrum, hujus à Lincheſtis ad Boream. Urbs eorum primaria alias *Deuriopus*, aliis *Europus*. Quod *Pæoniæ* adscribitur à nostro, latiùs ab eo sumitur Pæoniæ vocabulum, quam à Ptolemæo, qui vicinam, intermediis Dasseretiis, Pæoniam facit, non majorem.

1. *Haud procul Stobis.*] Pelagoniæ Bo-reali Macedoniæ regioni assignantur à

pes

pes tranſgreſſos. quæ inculta per ſolitudines viderent; ibi ſine ullius injuria conſedisſe. Oppidum quoque ædificare cœpiſſe: quod indicium eſſet, nec agro, nec urbi ulli vim allaturos veniſſe. Nuper M. Claudium ad ſe nuncium miſiſſe. bellum ſe cum iis, ni dederentur, geſturum. Se certam, etſi non ſpeciosam pacem, quam incerta belli præoptantes, dedidiſſe ſe priùs in fidem, quàm in poteſtatem populi Romani. Poſt paucos dies, iniſſos & agro & urbe decedere, ſeſe tacitos abire quo terrarum poſſent, in animo habuiſſe. arma deinde ſibi & poſtremò omnia alia quæ ferrent agerentve adempta. Orare ſe Senatum populumque Romanum, ne in ſe innoxios deditos acerbiùs quàm in hoſtes ſævirent. Huic orationi ſenatus ita reſponderi juſſit: *Neque illos rectè geſſiſſe, quum in Italiam venirent, oppidumque in alieno agro nullius Romani magiſtratus, qui ei provinciæ præeſſet, permiſſu ædificare conati ſint: neque ſenatui placere, deditos ſpoliari. Itaque ſe cum iis legatos ad conſules miſſuros: qui, ſi redeant, unde venerint, omnia iis ſua reddi jubeant: quique protinus eant trans Alpes, & denuncient Gallicis populis, multitudinem ſuam domi contineant. Alpes prope inexſuperabilem finem in medio eſſe. non utique iis melius fore,* [2] *quàm qui eas primi pervias feciſſent.* Legati miſſi, L. Furius Purpureo, Q. Minucius, P. Manlius Acidinus. Galli redditis omnibus, quæ ſine cujuſquam injuria habebant, Italia exceſſerunt.

Urb. cond. an. 570. Coſſ. M. Claudio Marcello & Q. Fabio Labeone,

LVI. Legatis Romanis tranſalpini populi benignè reſponderunt. ſeniores eorum nimiam lenitatem populi Romani caſtigarunt: *Quod eos homines, qui gentis injuſſu profecti occupare agrum imperii Romani, & in alieno ſolo ædificare oppidum conati ſint, impunitos dimiſerint. Debuiſſe gravem temeritatis mercedem ſtatui. quod vero etiam ſua reddiderint, vereri ne tantâ indulgentiâ plures ad talia audenda impellantur.* Et excepere & proſecuti cum donis legatos ſunt. M. Claudius conſul, Gallis ex provincia exactis, Iſtricum bellum moliri cœpit: literis ad ſenatum miſſis, ut ſibi [1] in Iſtriam traducere legiones liceret. Id ſenatui placuit. Illud agitabant, uti colonia Aquileja deduceretur. nec ſatis conſtabat, [2] utrum Latinam, an civium Romanorum deduci placeret. poſtremò Latinam potiùs coloniam deducendam patres cenſuerunt. Triumviri creati ſunt, P. Scipio Naſica, C. Flaminius, L. Manlius Acidinus. Eodem anno [3] Mutina & [4] Parma coloniæ Romanorum civium ſunt deductæ. bina

NOTÆ.

Ptol. *Stobi*, non Pœoniæ, aut Deuriopibus. Sita eſt urbs ad Axium fluvium, hodie, urbs *Starachino*, flumen *Vardari*.

2. *Quam qui eas primi pervias feciſſent.*] Pervias Alpes factæ tum à Gallis primùm Inſubribus, poſteà Cenomanis, aliiſque de quibus lib. 5. tum à Pœnis.

1. *In Iſtriam.*] Extrema nunc ad ortum Italiæ regio, alias Illyrici pars, nomen priſtinum ſervat.

2. *Utrum Latinam, an civium Romanorum.*] De his duobus coloniarum generibus actum alibi. Latinæ ſuis legibus, hæ Romano jure regebantur.

3. *Mutina.*] In Galliæ Ciſalpinæ Ciſpadana regione: hodie *Modena*, Ducatûs titulo paret genti Eſtenſi.

4. *Parma.*] Hæc quoque ſuum habet

Vab. cond. an. 570. Coſ. M. Claudio Marcello, & Q. Fabio Labeone.

millia hominum in agro, qui proximè Bojorum, 5 ante Tuſcorum fuerat, octona jugera Parmæ, quina Mutinæ acceperunt. Deduxerunt Triumviri, M. Æmilius Lepidus, T. Æbutius Carus, L. Quintius Criſpinus. Et 6 Saturnia colonia civium Romanorum in agrum Calerranum eſt deducta. deduxerunt triumviri, Q. Fabius Labeo, C. Afranius Stellio, Tib. Sempronius Gracchus. jugera in ſingulos data decem.

LVII. Eodem anno A. Terentius prætor haud procul flumine Ibero [1] in agro Auſetano, & prœlia ſecunda cum Celtiberis fecit, & oppida, quæ ibi communierant, aliquot expugnavit. Ulterior Hiſpania eo anno in pace fuit: quia & P. Sempronius prætor diutino morbo eſt implicitus, & nullo laceſſente, peropportunè quieverunt Luſitani. Nec in Liguribus memorabile quicquam à Q. Fabio conſule geſtum. M. Marcellus ex Iſtria revocatus, exercitu dimiſſo Romam comitiorum cauſâ rediit. Creavit conſules, Cn. Bæbium Tamphilum, & L. Æmilium Paullum. cum M. Æmilio Lepido hic ædilis curulis fuerat: à quo conſule quintus annus erat; quum is ipſe Lepidus poſt duas repulſas conſul factus eſſet. Prætores inde facti, Q. Fulvius Flaccus, M. Valerius Lævinus, P. Manlius iterum, M. Ogulnius Gallus, L. Cæcilius Denter, C. Terentius Iſtra. Supplicatio extremo anno fuit prodigiorum cauſa; quòd ſanguine per biduum pluiſſe in area Concordiæ ſatis credebant: nunciatumque erat, haud procul Sicilia [2] inſulam, quæ non antè fuerat, novam editam è mari eſſe. Annibalem hoc anno Antias Valerius deceſſiſſe auctor eſt: legatis ad eam rem ad Pruſiam miſſis, præter Quintium Flamininum (cujus in ea re celebre eſt nomen) L. Scipione Aſiatico, & P. Scipione Naſica.

NOTÆ.

Ducem ex gente Farneſia, ſalvâ veteri appellatione.

5. *Antè Tuſcorum fuerat.*] Tuſci ante Gallorum in Italiam adventum circa Padum colebant, ut lib. 5. dictum.

6. *Saturnia.*] Etruriæ urbs fuit Suanæ finitima, ſed hodie nomen tantùm, vulgò *Satorna*. Itaque agrum Calerranum à Calibus Campaniæ dictum eſſe exiſtimes.

1. *In agro Auſetano.*] Longè ita que tranſgreſſi nunc extrema finium ſuorum Celtiberi, quantum ab Ibero, quà Cæſaraugustanum agrum alluit, diſtat ager Vicenſis in Catalonia.

2. *Inſulam, quæ non antè fuerat.*] Hoc in fluminibus ſatis frequens, in mari rarum eſſe notant Juriſconſulti.

FINIS LIBRI XXXIX.

TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM LIBER XL.

EPITOME EJUSDEM LIBRI.

QUUM *Philippus liberos eorum*, [1] *quos in vinculis nobiliſſimorum hominum habebat, conquiri ad mortem juſſiſſet, Theoxena, pro liberis ſuis & ſororis admodum pueris, veritate regis libidinem, prolatis in medium gladiis, & poculo, in quo erat venenum, ſuaſit iis, ut imminens ludibrium morte effugerent: & quum perſuaſiſſet,* [2] *ipſa ſe cum viro in mare præcipitavit. Certamina inter Philippi Macedonæ regis liberos* 3 *Perſeum & Demetrium referuntur: & ut fraude fratris ſui Demetrius conflictis criminibus, inter quæ accuſatione parricidii, & affectati regni, primùm petitus, ad ultimum, quoniam populi Romani amicus erat, veneno necatus eſt, regnumque Macedoniæ mortuo Philippo ad Perſeum devenit. Item, res in Liguribus & Hiſpania contra Celtiberos à compluribus feliciter geſtas continet. Libri Numæ Pompilii in agro L. Petillii ſcribæ ſub Janiculo à cultoribus agri in area lapidea clauſi, & Græci & Latini, inventi ſunt, in quibus plura, quæ diſſolvendarum religionum, prætor, ad quem delati erant, quum legiſſet, juravit Senatui contra Rempublicam eſſe, ut legerentur ſervarenturque. & ex Senatuſconſulto in comitio exuſti ſunt. Colonia Aquileja deducta eſt. Philippus ægritudine animi confectus, quod Demetrium filium falſis alterius filii in eundem delationibus impulſus veneno ſuſtuliſſet, & de pœna Perſei cogitavit, voluitque Antigonum potius amicum ſuum ſucceſſorem regni ſui relinquere. Sed in hac cogitatione morte raptus eſt.* 4 *regnum Perſeus excepit.*

1. PRINCIPIO inſequentis anni conſules prætoreſque ſortiti provincias ſunt. conſulibus nulla, præter Ligures quæ decerneretur, erat. Juriſdictio urbana M. Ogulnio Gallo, inter peregrinos

NOTÆ.

1. *Quos in vinculis nobiliſſimorum hominum.*] Refer *nobiliſſimorum hominum* ad *liberos*.

2. *Ipſa ſe cum viro in mare præcipitavit.*] Ita Gron. ex codice Barberino: antea legebatur: *ipſa etiam ſe interemit*.

3. *Perſeum & Demetrium.*] Pro *Perſeo* ſæpè ſcribitur *Perſes*.

4. *Regnum Perſeus excepit.*] Vulgata lectio *accepit*: illa altera ex veteribus libris.

Urb. cond. an. 571. Coss. L. Æmil. Paullo, & Cn. Bæb. Tamphilo.

M. Valerio evenit. Hiſpaniarum Q. Fulvio Flacco citerior, P. Manlio ulterior, L. Cæcilio Denteri Sicilia, C. Terentio Iſtræ Sardinia. Conſules delectus habere juſſi. Q. Fabius ex Liguribus ſcripſerat, Apuanos ad rebellionem ſpectare: periculumque eſſe, ne impetum in agrum Piſanum facerent. Et ex Hiſpaniis, citeriorem in armis eſſe, & cum Celtiberis bellari ſciebant: in ulteriore, quia diu æger prætor eſſet, luxuria & otio ſolutam diſciplinam militarem eſſe. Ob ea novos exercitus conſcribi placuit: quatuor legiones in Ligures; [1] uti ſingulæ quina millia, & ducentos pedites, trecenos haberent equites: ſociorum iiſdem Latini nominis quindecim millia peditum addita, & octingenti equites. Hi duo conſulares exercitus eſſent. Scribere prætereà juſſi ſeptem millia peditum ſociorum, ac Latini nominis, & ſexcentos equites, & mittere ad M. Marcellum in Galliam: cui ex conſulatu prorogatum imperium erat. In Hiſpaniam etiam utramque, quæ ducerentur, quatuor millia peditum, civium Romanorum, & ducenti equites, & ſociorum ſeptem millia peditum, cum trecentis equitibus, ſcribi juſſa. & Q. Fabio Labeoni cum exercitu, quem habebat in Liguribus prorogatum in annum imperium eſt.

II. Ver procelloſum eo anno fuit. [2] pridie Parilia medio fermè die atrox cum vento tempeſtas coorta, multis ſacris profanisque locis ſtragem fecit: ſigna ænea in Capitolio dejecit: forem ex æde Lunæ, quæ in Aventino eſt, raptam tulit, & [2] in poſticis parietibus Cereris templi affixit: ſigna alia in circo maximo, cum columnis, quibus ſuperſtabant, evertit: faſtigia aliquot templorum à culminibus abrupta, fœdè diſſipavit. Itaque in prodigium verſa ea tempeſtas, procurarique auruſpices juſſerunt. ſimul procuratum eſt, quod tripedem mulum Reate natum nunciatum erat: & à Formiis ædem Apollinis Cajetæ de cœlo tactam. ob ea prodigia viginti hoſtiis majoribus ſacrificatum eſt, & diem unum ſupplicatio fuit. Per eoſdem dies ex literis A. Terentii prætoris cognitum, P. Sempronium in ulteriore provincia, quum plus annum æger fuiſſet, mortuum eſſe. eo maturiùs in Hiſpaniam prætores juſſi proficiſci. Legationes tranſmarinæ deinde in ſenatum introductæ ſunt. Prima Eumenis [3] & Pharnacis regum, & Rhodiorum, querentium de Sinopenſium clade. Philippi quoque legati, & Achæorum, & Lacedæmoniorum, ſub idem tempus venerunt: iis, prius Marcio audito, qui ad res Græciæ Macedoniæque viſen-

NOTÆ.

1. *Uti ſingula quina millia & ducenos, peditos, trecenos haberent equites.*] Videſ auctum mille ſaltem peditibus & centum equitibus militum in ſingulas legiones numerum.

1. *Pridie Parilia.*] Meliùs fortè *Palilia*; quod feſtum die Aprilis XX. celebrabatur in honorem *Palis* paſtorum Deæ; atque is dies Romæ natalis.

2. *In poſticis parietibus Cereris templi affixit.*] Mavult Gron. ex Barb. & Naud. codd. *in poſticis partibus*: ſed parum, opinor, intereſt.

3. *Et Pharnacis.*] Regis Ponticì, qui

das missus erat, responsa data sunt. Asiæ regibus ac Rhodiis responsum est, legatos ad eas res visendas missurum senatum. Urb. cond. an. 571. Consl. L. Æmil. Paullo, & C. Bæbio Tamphilo.

III. De Philippo auxerat curam Marcius. Nam ita fecisse eum, quæ senatui placuissent, fatebatur, ut facilè appareret, non diutiùs, quàm necesse esset, facturum. neque obscurum erat, rebellaturum, omniaque, quæ tunc ageret diceretque, eò spectare. Jam primum omnem ferè multitudinem civium ex maritimis civitatibus cum familiis suis [1] in Emathiam, quæ nunc dicitur, quondam appellata Pæonia est, traduxit: Thracibusque & aliis barbaris urbes tradidit habitandas: fidiora hæc genera hominum fore ratus in Romano bello. Ingentem ea res fremitum tota Macedonia fecit, relinquentesque penates suos cum conjugibus ac liberis pauci tacitum dolorem continebant: execrationesque in agminibus proficiscentium in regem, vincente odio metum, exaudiebantur. His ferox animus, omnes homines, omnia loca temporaque, suspecta habebat. Postremò negare propalam cœpit, satis tutum sibi quicquam esse: [2] nisi liberos eorum, quos interfecisset, comprehensos in custodia haberet, & tempore alium alio tolleret.

IV. Eam crudelitatem fœdam per se, fœdiorem unius domus clades fecit. Herodicum principem Thessalorum multis antè annis occiderat: generos quoque ejus postea interfecit, in viduitate relictæ filiæ, singulos filios parvos habentes. Theoxena & Archo nomina mulieribus erant. Theoxena multis petentibus aspernata nuptias est. Archo Poridi cuidam longè [1] principi gentis Æneatum nupsit: & apud eum plures enixa partus, parvis admodum relictis omnibus decessit. Theoxena, ut in suis manibus liberi fororis educarentur, Poridi nupsit: & tanquam omnes ipsa enixa foret, suum fororisque filios in eadem habebat cura. posteaquàm regis edictum de comprehendendis liberis eorum, qui interfecti essent, accepit; ludibrio futuros, non regis modò, sed custodum etiam libidini rata, ad

NOTÆ.

Mithridatis pater.

1. *In Emathiam.*] Hæc Macedoniæ regio mediterranea inter Erigonem fluvium ad occasum & septentrionem, Candaviosque montes ad meridiem sita, si priùs Pæonia dicebatur, non tamen Pæoniæ nomen abolevit, utpote quod in parte Macedoniæ remanserit ad Axium flumen. Sumitur aliquando *Emathia* pro universo Macedoniæ regno: & in ea fuit *Ægæa* urbs quæ & *Edessa*, vetustis temporibus Macedoniæ totius regia.

2. *Nisi liberos eorum quos interfecisset.*] Imitatio sententiæ tyrannicæ apud Eurip. in Andromacha, & Atist. 2. Rhet. qua dementiæ arguitur, qui patre occiso superstites relinquit inimici liberos:

1. *Principi gentis Æneatum.*] *Æniænum* antea legebatur: maluit Sigonius *Æneatum* ab *Ænea* urbe Thraciæ olim, postea Macedoniæ in Paraxia regione ad sinum Thermaicum, quæ nunc *Monchastro*, & quam ab *Ænea* conditam volunt, Turneb. *Æniænum* retinet, quod nomen est gentis Thessalicæ, non Macedonicæ, nisi fortè *Æniænes* sumantur pro incolis urbis *Æniæ* ac vicini tractus: quo posito, perinde erit utrum horum legeris. Sed de Thessalicis populis hunc locum accipi non patitur domicilium Poridis & Theoxenæ apud Thessalonicam.

Urb. cond. an. 571. Coſs. L. Æmil. Paullo, & Cn. Bæbio Tamphilo.

rem atrocem animum adjecit, auſaque eſt dicere, ſe ſuâ manu potiùs omnes interfecturam, quàm in poteſtatem Philippi venirent. Poris abominatus mentionem tam fœdi facinoris, Athenas deportaturum eos ad fidos hoſpites dixit, comitemque ipſum fugæ futurum eſſe. Proficiſcuntur ab Theſſalonica Æneam ad ſtatum ſacrificium, quod conditori Æneæ cum magna cærimonia quotannis faciunt. ibi die per ſolemnes epulas conſumpto, navem præparatam à Poride, ſopitis omnibus, de tertia vigilia conſcendunt, tanquam [2] rediturі in Theſſalonicam: ſed trajicere in Eubœam erat propoſitum. cæterùm in adverſum ventum nequicquam eos tendentes prope terram lux oppreſſit: & regii, qui præerant cuſtodiæ portus, lembum armatum ad perrehendam eam navim miſerunt, cum gravi edicto, ne reverterentur ſine ea. Quum jam appropinquabant, Poris quidem ad hortationem remigum nautarumque intentus erat: interdum manus ad cœlum tendens, opem ut Dii ferrent, orabat. ferox interim fœmina ad multò antè præcogitatum revoluta facinus, venenum diluit, ferrumque promit: & poſito in conſpectu poculo, ſtrictiſque gladiis, *Mors*, inquit, *una vindicta eſt. Viæ ad mortem hæ ſunt: quâ quemque animus fert, effugite ſuperbiam regiam. Agite juvenes mei, primum, qui majores eſtis, capite ferrum: aut haurite poculum, ſi ſegnior mors juvat.* Et hoſtes aderant, & auctor mortis inſtabat. Alii alio letho abſumpti ſemianimes è nave præcipitantur. ipſa deinde virum comitem mortis complexa in mare ſeſe dejecit. nave vacua dominis regii potiti ſunt.

V. Hujus atrocitas facinoris novam velut flammam regis invidiæ adjecit, ut vulgo ipſum liberoſque ejus execrarentur. quæ diræ brevi ab omnibus Diis exauditæ, ut ſæviret ipſe in ſuum ſanguinem effecerunt. Perſeus enim, quum in dies magis cerneret favorem dignitatemque Demetrii fratris apud Macedonum multitudinem creſcere, & gratiam apud Romanos; ſibi ſpem nullam regni ſupereſſe, niſi in ſcelere ratus, ad id unum omnes cogitationes intendit. cæterùm quum ſe ne ad id quidem, quod muliebri cogitabat animo, ſatis per ſe validum crederet; ſingulos amicorum patris tentare ſermonibus perplexis inſtitit. & primò quidam ex his, aſpernantium tale quicquam ſpeciem præbuerunt, quia plus in Demetrio ſpei ponebant. deinde creſcente in dies Philippi odio in Romanos, cui Perſeus indulgeret, Demetrius ſumma ope adverſaretur; proſpicientes animo exitum incauti à fraude fraterna juvenis, adjuvandum quod futurum erat rati, fovendamque ſpem potentioris, Perſeo ſe adjungunt: cætera in ſuum quæque tempus agenda differunt. in præſentia placet, omni ope in Romanos accendi regem, impellique ad conſilia

NOTÆ.

2. *Redituri in Theſſalonicam.*] Jubet, non provinciæ; verùm ſapiùs notari poſtuit, ſperni à Livio hæc diſcrimina.
Gron. deleri præpoſitionem *in*, quòd nempè *Theſſalonica* nomen ſit urbis,

belli, ad quæ jam ſua ſponte animum inclinaſſet. Simul, ut Demetrius in dies ſuſpectior eſſet, [1] ex compoſito ſermones ad ſpretionem Romanorum trahebant. ibi quum alii mores & inſtituta eorum, alii res geſtas, alii ſpeciem ipſius urbis nondum exornatæ, neque publicis, neque privatis locis, alii ſingulos principum eluderent; juventis incautus & amore nominis Romani, & certamine adverſus fratrem, omnia tuendo ſuſpectum ſe patri, & opportunum criminibus faciebat. itaque expertem eum pater omnium de rebus Romanis conſiliorum habebat. totus in Perſea verſus, cum eo cogitationes ejus rei dies ac noctes agitabat. Redierant, quos fortè miſerat [2] in Baſtarnas ad arceſſenda auxilia, adduxeruntque inde nobiles juvenes, & regii quoſdam generis, quorum unus ſororem ſuam in matrimonium Philippi filio pollicebatur: erexeratque conſociatio gentis ejus animum regis. Tum Perſeus: *Quid iſta profunt?* inquit, *nequaquam tantum in externis auxiliis eſt præſidii, 3 quantum periculi fraude domeſtica. Proditorem nolo dicere, certè ſpeculatorem habemus in ſinu: cujus, ex quo obſes Romæ fuit, corpus nobis reddiderunt Romani, animum ipſi habent. omnium pene Macedonum in eum ora converſa ſunt: nec regem ſe alium rentur habituros eſſe, quàm quem Romani dediſſent.* His per ſe ægra mens ſenis ſtimulabatur, & animo magis quàm vultu, ea crimina accipiebat. Liv. Tarb. Cenſ. L. Æmil. Paullo, & Cn. Bæb. Tamphilo.

VI. [1] Forte luſtrandi exercitus venit tempus, cujus ſolemne eſt tale: [2] Caput mediæ canis præciſæ, & prior pars ad dexteram cum extis, poſterior ad lævam viæ ponitur. inter hanc diviſam hoſtiam copiæ armatæ traducuntur, præferuntur primo agmini arma inſignia omnium ab ultima origine Macedoniæ regum: deinde rex ipſe cum liberis ſequitur. proxima eſt regia cohors cuſtodeſque corporis: poſtremum agmen Macedonum cætera multitudo claudit. latera regis duo filii juvenes cingebant;

NOTÆ.

1. *Ex compoſito ſermones ad ſpretionem Romanorum trahebant.*] Quidam codices habent *ad ſpem Romanorum*: & poteſt intelligi ſpes quam ab Romanis Demetrius conceperat. Sigon. legit *ad ſpeciem*, quaſi velit Livius de dignitate Romanorum ſermonem injectum coram Demetrio, ut alii redarguerent; Demetrius verò defenderet, fieretque ſuſpectior: quam conjecturam meritò explodunt Grut. & Gronovius eò probabiliùs quòd mox ſubjicitur *ſpeciem ipſius urbis*: unde *ſpretionem* malunt, ſi tolerari hæc vox poſſit: alioqui *mentionem* cum Gronovio antepoſuerim.

2. *In Baſtarnas.*] Sarmatiæ veteres populi *Baſtarnæ*, ſive *Baſterna*, qui iidem cum Peucinis Cluverio, ac, ni fallor, Nicolao Sanſoni: diſtinguuntur tamen apud Ptolemæum & Plinium, qui utroſque Germaniæ tribuit, & Dacis conterminos facit. *Baſtarnarum* fortaſſis pars Peucini à Peuce inſula dicti, quæ ad oſtia. Creduntur *Baſtarnæ* eam præſertim Polonici regni partem incoluiſſe, ubi nunc Ruſſia nigra, ſeu potiùs rubra.

3. *Quantum periculi fraude domeſtica.*] Videtur Gronovio excidiſſe præpoſitio *in*, vel *à*.

1. *Forte luſtrandi exercitus.*] Solemnis hæc luſtratio apud Macedones fieri ſolita. Xanthici menſis die octavo, qui reſpondet Aprili noſtro, atque inde huic ſolemni feſto nomen fecerunt Ξανθικά.

2. *Caput mediæ canis.*] Hunc morem deſcribit Q. Curt. lib. 10. *Macedonum*

Urb. cond. an. 571. Coss. L. Æmil. Paullo, & Cn. Bæb. Thamphilo.

Perseus jam triceſimum annum agens, Demetrius quinquennio minor medio juventæ robore ille, hic flore; fortunati patris matura ſoboles, ſi mens ſana fuiſſet. Mos erat, luſtrationis ſacro peracto exercitum decurrere, & diviſas bifariam duas acies concurrere ad ſimulacrum pugnæ. Regii juvenes duces ei ludicro certamini dati. cæterùm non imago fuit pugnæ, ſed tanquam de regno dimicaretur, ita concurrerunt: multaque vulnera ſudibus facta, nec præter ferrum quicquam defuit ad juſtam belli ſpeciem. pars ea, quæ ſub Demetrio erat, longè ſuperior fuit. id ægrè patiente Perſeo, lætari prudentes amici ejus, eamque rem ipſam dicere præbituram cauſam criminandi juvenis.

VII. Convivium eo die ſodalium, qui ſimul decurrerant, uterque habuit: quum vocatus ad cœnam ab Demetrio Perſeus negaſſet, feſto die invitatio benigna, & hilaritas juvenilis utroſque in vinum traxit. commemoratio ibi certaminis ludicri, & jocoſa dicta in adverſarios, ita ut ne ipſis quidem ducibus abſtineretur, jactabantur. ad has accipiendas voces ſpeculator ex conviviis Perſei miſſus, quum incautior obverſaretur, exceptus à juvenibus fortè triclinio egreſſis, malè multatur. Hujus rei ignarus Demetrius, *Quin commiſſatum*, inquit, *ad fratrem imus? & iram ejus, ſi qua ex certamine reſidet, ſimplicitate & hilaritate noſtra lenimus?* omnes ſe ire conclamarunt, præter eos, qui ſpeculatoris ab ſe pulſati præſentem ultionem metuebant. quum eos quoque Demetrius traheret; ferrum veſte abdiderunt, quo ſe tutari, ſi qua vis fieret, poſſent. Nihil occulti eſſe in inteſtina diſcordia poteſt. utraque domus ſpeculatorum & proditorum plena erat. [1] Præcurrit index ad Perſea; ferro ſuccinctos nuncians cum Demetrio quatuor adoleſcentes venire. etſi cauſa apparebat, (nam ab iis pulſatum convivam ſuum audiverat) tamen infamandæ rei cauſa januam obſerari jubet: & ex parte ſuperiore ædium, verſiſque in viam feneſtris, commiſſatores, tanquam ad cædem ſuam venientes, aditu januæ arcet. Demetrius per vinum, quod excluderetur, pauliſper vociferatus, in convivium redit, totius rei ignarus.

VIII. Poſtero die Perſeus, quum primùm conveniendi poteſtas patris fuit, regiam ingreſſus perturbato vultu in conſpectu patris tacitus procul conſtitit. cui quum pater, Satin', ſalvæ? & quænam ea mœſtitia eſſet? interrogaret eum: [1] *De lucro tibi*, inquit, *vivere me ſcito. jam non occultis à fratre petimur inſidiis. Nocte cum armatis domum ad interficiendum me venit: clauſiſque foribus, parietum præſidio me à furore ejus tutatus.* Quum pavorem mixtum admiratione patri injeciſſet;

NOTÆ.

reges ita inſtrare ſoliti erant milites, ut diſcuſſa canis viſcera ultimo in campo in quam deducerentur, ab utraque parte abjicerentur.

3 *Multaque vulnera ſudibus facta.*] Suſpicatur Gron. legendum *rudibus*.

1. *Præcurrit index.*] Gallicè, *un eſpion s'avança pour avertir Perſée.*

1. *De lucro tibi vivere me ſcito.*] Præclarè reſtituit Sigon. cùm priùs ederetur

Al-

Atqui si aures præbere potes, inquit, *manifestam rem teneas, faciam*. Enim verò se Philippus dicere auditurum, vocarique extemplo Demetrium jussit: & seniores duos amicos, expertes inter fratres certaminum, infrequentes jam in Regia, Lysimachum & Onomastum arcessit, quos in consilio haberet. Dum veniunt amici, solus, filio procul stante, multa secum animo volutans, inambulavit. posteaquam venisse eos nunciatum est, secessit in partem interiorem cum duobus amicis, totidem custodibus corporis: filiis, ut ternos inermes secum introducerent, permisit. Ibi quum consedisset: *Sedeo*, inquit, *miserrimus pater judex inter duos filios, accusatorem parricidii, & reum; aut convicti, aut admissi criminis labem apud meos inventurus. Jam pridem quidem hanc procellam imminentem timebam, quum vultus inter vos minimè fraternos cernerem, quum voces quasdam exaudirem; sed interdum spes animum subibat,* [a] *deflagrare iras vestras, purgari suspiciones posse. etiam hostes armis positis fœdus iisse, & privatas multorum simultates finitas. subiturum vobis aliquando* [b] *germanitatis memoriam. puerilis quondam simplicitatis consuetudinisque inter vos, meorum denique præceptorum: quæ vereor, ne vana surdis auribus cecinerim. Quoties ego, audentibus vobis, detestatus exempla discordiarum fraternarum, horrendos eventus eorum retuli,* [2] *quibus se stirpemque suam, domos, regna, funditus evertissent? Meliora quoque exempla parte altera posui;* [3] *sociabilem consortionem* [4] *inter binos Lacedæmoniorum reges, salutarem per multa sæcula ipsis patriæque. Eandem civitatem, posteaquam mos sibi cuique rapiendi tyrannidem exortus sit, eversam. Jam hos Eumenem Attalumque fratres, à quàm exiguis rebus, prope ut puderet regii nominis, mihi, Antiocho, & cuilibet regum hujus ætatis, nulla re magis, quàm fraterna*

Urb. cond. an. 571. Coss. L. Æmil. Paullo, & Cn. Bæb. Tamphilo,

INTERPRETATIO.

[a] *Posse odia vestra deservescere, seu imminui, aut paulatim extingui.*

[b] *Respectum fraterna necessitudinis.*

NOTÆ.

de ludicro: exponit idem *de lucro vivere*, vitam ipsam in lucro ponere, quod ii facere solent, qui è gravi periculo evaserunt. Laudat Ciceronis ad Papirium hæc verba: *De lucro prope jam quadriennium vivimus, si aut hoc lucrum tibi, aut hæc vita superstitem reip. vivere*. Ita apud Horatium 1. carm. *quem fors dierum cumque dabit lucro appone*. Perseus ergò præfatur se lucrum putare quòd vivat, ut insidias sibi factas efficaciùs exponat.

2. *Quibus se stirpemque suam*.] Non abs re Tan. Faber legendum putat *quibus se*: ait certe pro *eorum* reponendum *earum*: nempè *discordiarum*.

3. *Sociabilem consortionem*.] *Consortionis* vocabulum & Livio jam anteà lib. 6. & 10. usurpatum, & Ciceroni 3. Off. *dissolvatur necesse est omnis humana consortio*.

4. *Inter binos Lacedæmoniorum reges*.] Ex quo Heraclidæ Orestis liberos Peloponneso expulerant, & Aristodemi in hoc rerum motu demortui, gemellis filiis Procli atque Eurysthenis Laconia obtigerat, regnum simul obtinuere primogeniti ex utriusque sti rpe ad Cleomenis ultimi tempora, ut Herod. Pausan. Plut. aliique scripserunt. Proclidarum familia Eurypontidarum quoque nomen habuit: Eurysthenis stirps Agidarum etiam titulo distincta fuit.

Urb. cond. an. 571. Coss. M. Æmil. Paullo, & Cn. Bæb. Tamphilo.

unanimitate regnum æquasse. Ne Romanis quidem exemplis abstinui, quæ aut visa, aut audita habebam: T. & L. Quintiorum, qui bellum mecum gesserunt, P. & L. Scipionum; qui Antiochum devicerunt: patris patruique eorum, quorum perpetuam vitæ concordiam mors quoque misçuit. Neque vos illorum scelus, similisque sceleri eventus deterrere à vecordi discordia potuit: neque horum bona mens, bona fortuna, ad sanitatem flectere. Vivo, & spirante me hæreditatem meam ambo, & spe & cupiditate improba crevistis. Eousque me vivere vultis, donec alterius vestrum superstes, haud ambiguum regem alterum mea morte faciam. Nec fratrem, nec patrem potestis pati. Nihil chari, nihil sancti est: in omnium vicem regni unius insatiabilis amor successit. Agite! consceleratæ aures paternas: c decernite criminibus, mox ferro decreturi: dicite palam, quidquid aut veri potestis, aut comminisci libet. Reseratæ aures sunt, quæ postibac secretis alterius ab altero criminibus claudentur. Hæc furens ira quum dixisset, lachrymæ omnibus obortæ, & diu mœstum silentium tenuit.

IX. Tum Perseus: *Aperienda nimirum nocte janua fuit, & armati comissatores accipiendi, præbendumque ferro jugulum, quando non creditur, nisi perpetratum facinus: & eadem petitus insidiis audio, quæ latro atque insidiator. Non nequicquam isti unum Demetrium filium te habere, me subditum & pellice genitum appellant. nam si gradum, si charitatem filii apud te haberem, non in me quærentem deprehensas insidias, sed in eum, qui feciſset, sævires: nec adeo tibi vilis vita esset nostra, ut nec præterito periculo meo moverere, neque futuro, si insidiantibus sit impune. Itaque si mori tacitum oportet, taceamus, precati tantum Deos, ut à me cœptum scelus in me finem habeat, nec per meum latus tu petaris. Sin autem, quod circumventis in solitudine naturæ ipsa subjicit, ut hominum, quos nunquam viderint, fidem tamen implorent; mihi quoque ferrum in nostrum cernenti vocem mittere liceat. Per te patriumque nomen, quod uti nostrum sanctius sit, jampridem sentis, ita me audias, precor; tanquam si voce & comploratione nocturna excitus mihi quiritanti interveniſses, Demetrium cum armatis nocte intempesta in vestibulo meo deprehendiſses, quod tum vociferarer in re præsenti pavidus, hoc nunc postero die queror. Frater,* a *non communitatem invicem jamdiu vivimus inter nos: regnare utique vis: huic spei tuæ obstat ætas mea; obstat gentium jus, obstat vetustus Macedoniæ mos, obstat verò etiam patrius judicium.*

INTERRETATIO.

c *Certate inter vos accusationibus.*

a *Non vivimus inter nos modo & more eorum, qui simul epulantur,*

NOTÆ.

5. *Et cupiditate improba crevistis.*] Sic fadent: inde appellatione desumpta, quòd gnatum verbum *cernere hæredem tem*; quod aut decernant se hæredes esse, aut etiam de iis dicitur, qui delatam sibi hæreditam quod olim viderent cernerentque bona defunctorum ample ctuntur, eamque solemni ritu

» *Huc transcendere, nisi per meum sanguinem, non potes. omnia moliris & tentas. adhuc seu cura mea, seu fortuna, restitit parricidio tuo. Hesterna die in lustratione, & decursu, & simulacro ludrico pugnæ, funestum prope prælium fecisti: nec me aliud à morte vindicavit, quàm quod me ac meos vin-*
5 *ci passus sum. Ab hostili prælio, tanquam fraterno lusu, pertrahere me ad cœnam voluisti. Credis me, pater, inter inermes convivas cœnaturum fuisse, ad quem armati commissatum venerunt; credis* 2 *nihil à gladiis nocte periculum fuisse, quem sudibus te inspectante prope occiderunt? Quid* 3 *hoc noctis, quid inimicus ad iratum, quid cum ferro succinctis juvenibus*
10 *venis? Convivam me tibi committere ausus non sum, comissatorem te cum armatis venientem recipiam? Si aperta janua fuisset, funus meum pararet hoc tempore, pater, quo querentem audis. Nihil ego, tanquam accusator criminose, nec dubia argumentis colligendo ago:* 4 *Quid enim? negat se cum multitudine venisse ad januam meam? an ferro succinctos secum fuisse?*
15 *Quos nominavero, arcesse. possunt quidem omnia audere, qui hoc ausi sunt, non, tamen audebunt negare. Si deprehensos intra limen meum cum ferro ad te deducerem, & pro manifesto haberes; fatentes pro deprehensis habe.*

X. *Execrare nunc cupiditatem regni, & furias fraternas concita: sed*
20 *ne sint cœcæ, pater, exe rationes tuæ, discerne & dispice insidiatorem, &* 1 *petitum insidiis..... noxium* * *huic esse caput. Qui orcisurus fratrem fuit, habeat etiam iratos paternos Deos: qui perituris fraterno scelere fuit perfugium in patris misericordia & justitia habeat. Quo enim alio confugiam, cui non solemne lustrale exercitus tui, non decursus militum, non do-*
25 *mus, non epulæ, non nox ad quietem data naturæ beneficio mortalibus, tuta est? Si iero ad fratrem invitatus, moriendum est: si recepero intra januam commissatum fratrem, moriendum est. nec eundo, nec manendo insidias evito. quo me conferam? Nihil præter Deos, pater, & te colui. non Romanos habeo, ad quos confugiam. periisse expetunt, quia tuis injuriis doleo,*
30 *quia tibi adempta tot urbes, tot gentes, modo Thraciæ maritimam oram,*

Urb. cond. an. 571. Coss. L. Æmil. Paullo, & C. Bæbio Tamphilo.

NOTÆ.

1. *Huc transcendere.*] Nempè ad regnum. Jubet tamen Gronov. legi *hæc transcendere*. hoc est, hæc omnia per contemptum supetare, ut infrà in hac ipsa oratione, *qui transcendere fastinat ordinem ætatis, naturæ*, &c.

2. *Nihil à gladiis nocte periculum fuisse.*] Legi vult Gron. pater *nihil*, &c. *periculi fuisse*; at Gron. filius scriptum conjicit, *nihil..... periculi mi fuisse*, quod confirmari videtur sequenti relativo, ut sit, *mihi, quem sudibus.... prope occiderunt.*

3. *Hoc noctis.*] Dicitur *hoc noctis*, pro *hac hora noctis*, id est, cùm nox jam intempesta esset.

4 *Quid enim? negat.*] Existimat Gronov. distinctione & una litera mutata animandam esse orationem, *quid enim negat? se cum multitudine*, &c.

5. *Pro manifesto haberes.*] Mallet idem *pro manifestis haberes*. Sed eadem loquendi forma dici potest *pro manifesto*, ac *pro delicto habere*: quod pluribus de rebus Jurisconsulti efferre non dubitant.

1. *Petitum insidiis..... noxium huic esse caput.*] Sic Ruben. emendat: *& petitum insidiis: noxium hic esse caput.* Gruter. *noxium huic esto caput.* Mihi supplendum quid videtur, veluti, *illi scelestum puto, innoxium huic esse caput.*

Vrb. cond. an. 571. Coss. L. Æmil. Paullo, & Cn. Barb. Thamphilo.

indignor nec me, nec te incoluni, Macedoni suam futuram sperant. Si me sæ-
lus fratris, te senectus absumpserit, aut ne ea quidem expectata fuerit; re-
gem regnumque Macedoniæ sua futura sciunt. Si quid extra Macedoniam
tibi Romani reliquissent, mihi quoque id relictum crederem receptaculum.
At in Macedonibus satis præsidii est. Vidisti hesterno die impetum in me mi-
litum. Quid illis defuit, nisi ferrum? quod illis defuit interdiu, convivæ
fratris noctu assumpserunt. Quid de magna parte principum loquar, qui in
Romanis spem omnem dignitatis & fortunæ posuerunt, & in eo, qui omnia
apud Romanos potest? neque hercule istum mihi tantum fratri majori, sed
prope est ut tibi quoque ipsi regi & patri præferant. Iste enim est, cujus be-
neficio pœnam tibi senatus remisit, qui nunc te ab armis Romanis protegit,
qui tuam senectutem obligatam & obnoxiam adolescentiæ suæ esse æquum
censet. Pro isto Romani stant, pro isto omnes urbes tuo imperio liberatæ,
pro isto Macedones, qui pace Romana gaudent. mihi præter te pater, quid
usquam aut spei, aut præsidii est?

XI. *Quo spectare illas literas ad te nunc missas T. Quintii credis, quibus*
& bene te consuluisse rebus tuis ait, quod Demetrium Romam miseris, &
hortatur, ut iterum & cum pluribus legatis, & primoribus quoque Mace-
donum, remittas eum? T. Quintius nunc est auctor omnium rerum ipsi, &
magister. Eum sibi, te abdicato patre, in locum tuum substituit. illic ante
omnia clandestina concocta sunt consilia. Quæruntur adjutores consiliis: quis
te plures, & principes Macedonum cum isto mittere jubet. qui hinc integri &
sinceri Romam eunt, Philippum regem se habere credentes imbuti, illinc &
infecti Romanis delinimentis redeunt. Demetrius iis unus omnia est: eum
jam regem vivo patre appellant. Hæc si indignor, audiendum est statim, non
ab aliis solum, sed etiam a te, pater, cupiditatis regni crimen. Ego verò, si
in medio ponitur, non agnosco. quem enim suo loco moveo, ut ipse in ejus lo-
cum succedam? Unus ante me pater est: & , ut diu sit, Deos rogo. Super-
stes (& ita sim, si merebor, ut ipse me esse velit) hæreditatem regni, si pa-
ter tradet, accipiam. Cupit regnum, quidem scelerate cupit, qui transcen-
dere festinat ordinem ætatis, naturæ, moris Macedonum, juris gentium. Ob-
stat frater major, ad quem jure, voluntate etiam patris, regnum pertinet.
Tollatur: non primus regnum fraterna cæde petiero. Pater senex, & filio solus orbatus, de se magis timebit, quàm ut filii necem ulciscatur.
Romani lætabuntur, probabunt, defendent factum. Hæ spes incertæ, pater,
sed non inanes sunt. Ita enim res se habet: periculum vitæ propellere à

NOTÆ.

1. *Non primus regnum fraterna cæde petiero.*] Nota sunt exempla dominationis parricidio quæsitæ Etheoclis, & Polynicis Thebis, Romuli ipsius Romæ, &c.

2. *Et filio solus orbatus.*] Quasi dicat, nec Demetrius patre, nec Macedones regni successore orbatos se putabunt.

3. *Quàm ut filii necem ulciscatur.*] Adjuvandum vult hunc locum Gron. & mavult *de se magis timebit, quàm filii necem ulciscetur.* Quod quidem Latinum est, sed non ideo reprobandum *de se magis timebit, quàm ut filii necem ulciscatur.* Hæc dicentem Demetrium Perses inducit.

me potes, puniendo eos, qui ad me interficiendum ferrum sumpserunt. si fa-cinori eorum succesſerit, mortem meam idem tu perſequi non poteris.

Urb. cond. an. 571. Coll. L. Æmil. Paullo, & Cn. Bæb. Tamphilo.

XII. Poſteaquàm dicendi finem Perſeus fecit, conjecti eorum, qui aderant, oculi in Demetrium ſunt, velut confeſtim reſponſurus eſset. deinde diu ſilentium fuit. Quum perfuſum fletu, appareret omnibus loqui non poſſe; tandem vicit dolorem ipſa neceſſitas, [1] quum dicere juberent. atque ita orſus eſt: *Omnia quæ reorum antè fuerant auxilia, pater, præoccupavit accuſator. Simulatis lachrymis in alterius perniciem, veras meas lachrymas ſuſpectas tibi fecit, quum ipſe, ex quo ab Roma redii, per occulta cum ſuis colloquia dies noctesque* [2] *inſidietur ultrò mihi; non inſidiatoris modo, ſed latronis manifeſti & percuſſoris ſpeciem induit. Periculo ſuo te exterret, ut innoxio fratri per eundem te maturet perniciem. perfugium ſibi nuſquam gentium eſse ait, ut ego ne apud te quidem quicquam ſpei reliquæ habeam. circumventum, ſolum, inopem, invidia gratiæ externæ, quæ obeſt potiùs, quàm prodeſt, onerat. Jam illud quam accuſatorie, quod noctis hujus crimen miſcuit cum cætera inſectatione vitæ meæ? ut & hoc, quod jam, quale ſit, ſcies, ſuſpectum alio vitæ noſtræ teuore faceret, & illam vanam criminationem ſpei, voluntatis conſiliorum meorum, nocturno hoc ficto & compoſito argumento fulciret. Simul & illud quæſivit, ut repentina & minime præparata accuſatio videretur: quippe ex noctis hujus metu & tumultu repentino exorta. Oportuit autem, Perſeus, ſi proditor ego patris regnique eram, ſi cum Romanis, ſi cum aliis inimicis patris inieram conſilia, non expectatam fabulam noctis hujus eſse,* [3] *ſed proditionis meæ ante me accuſatum: ſi illa ſeparata ab hac vana accuſatio erat, invidiamque tuam adverſus me magis, quam crimen meum indicatura, hodie quoque eam aut prætermitti, aut in aliud tempus differri: ut perſpiceretur, utrum ego tibi, an tu mihi, novo quidem & ſingulari genere odii, inſidias feciſſes. Ego tamen, quantum in hoc ſubita perturbatione potero, ſeparabo ea quæ tu confuſiſti: & noctis hujus inſidias aut tuas aut meas detegam. Occidendi ſui conſilium me iniſse, videri vult: ut ſcilicet majore fratre ſublato, cujus jure gentium, more Macedonum, tuo etiam, ut ait, judicio regnum eſt futurum: ego minor, in ejus quem occidiſſem, ſuccederem locum. Quid ergo illa ſibi vult pars altera orationis, qua Romanos à me cultos ait, atque eorum fiducia in ſpem regni me veniſſe? Num ſi & in Romanis tantum momenti eſſe credebam, ut, quem vellent, imponerent Macedoniæ regem,*

NOTÆ.

1. *Quum dicere juberent.*] Gron. pater ſcribendum putat, *tandem vicit dolorem ipſa neceſſitas, qua dicere juberet*; meliùs, ni fallor ex Thua. Gron. filius, *quum dicere juberetur*. Neque enim plures, ſed Philippus pater juſſit ut Demetrius diceret: quemadmodum ex ſequentibus patet.

2. *Inſidietur ultrò mihi.*] Rectè diſtinguit Gron. *cùm ipſe*, &c. *inſidietur ultro: mihi, non inſidiatoris modo, ſed latronis manifeſti & percuſſoris ſpeciem induit*: id eſt, me accuſat tanquam latronem & percuſſorem.

3. *Sed proditionis meæ.*] Supervacuum non abs re videtur Gronovio τὸ *meæ*.

Urb. cond. an. 571. Cos. L. Æmil. Paullo, & Cn. Barbio Tamphilo.

& meæ tantum apud eos gratiæ confidebam; qu'd opus parricidio fuit? An ut cruentum fraterna cæde diadema gererem? ut illis ipsis, apud quos aut vera aut certe simulata probitate partam gratiam habeo, si quam fortè habeo, execrabilis & invisus essem? nisi T. Quintium credis, cujus virtute & consiliis me nunc arguis regi, quum & ipse tali pietate vivat cum fratre, mihi fraternæ cædis fuisse auctorem. Idem non Romanorum solum gratiam, & sed Macedonum judicia, ac pene omnium Deorum hominumque consensum collegit, per quæ omnia se mihi parem in certamine non futurum crediderit. idem, tanquam in aliis omnibus rebus inferior essem, ad sceleris spem ultimam confugisse me insimulat. Vis hanc formulam cognitionis esse, ut uter timuerit, ne alter dignior videretur regno, is consilium opprimendi fratris cepisse judicetur?

XIII. *Exequamur tamen quocunque modo conflicti ordinem criminis. Pluribus modis se petitum criminatus est, & omnes insidiarum vias in unum diem contulit. Volui interdiu cum post lustrationem, quam concurrimus, & quidem, si Diis placet, lustrationum die occidere: volui, quum ad cœnam invita vi, veneno scilicet tollere: volui, quum commissatum gladiis accinctis me secuti sunt, ferro interficere. Tempora quidem qualia sint ad parricidium electa, vides: lusus, convivii, comessationis. Quis diei qualis? quo lustratus exercitus, quo inter divisam victimam prælatis omnium qui unquam fuere, Macedoniæ regum armis regiis duo soli tua tegentes latera, pater, prævecti sumus, & secutum est Macedonum agmen. Hoc ego, etiam si quid ante admisissem piaculo dignum, lustratus, & expiatus sacro, [1] tum cùm maximè in hostium itineri nostro circumdatam intuens, parricidium, venena, gladios, in comissationem præparatos, volutabam in animo. [2] Ut quibus aliis deinde sacris contaminatam omni scelere mentem expiarem? sed cæcus criminandi cupiditate animus, dum omnia suspecta efficere vult, aliud alio confundit. nam si veneno te inter cœnam tollere volui, quid minus aptum fuit, quàm pertinaci certamine & concursu iratum te efficere? Ut merito, sicut fecisti, invitatus ad cœnam abnueres? quum autem iratus negasses, utrum ut placarem te danda opera fuit, ut aliam quærerem occasionem, quoniam semel venenum paraveram: an ab illo consilio velut transiliendum ad aliud fuit, ut ferro te, & quidem eo die per speciem comisationis occiderem? Quo deinde modo, si te metu mortis credebam cœnam evitavisse meam, non ab eodem metu commissationem quoque evitaturum existimabam?*

NOTÆ.

4. *Sed Macedonum judicia ac pene omnium Deorum hominumque.*] Aliter legendum conjicit Tan. Faber, nempè: *Sed Macedonum penè omnium judicia, ac Deorum hominumque consensum*: sed vox *penè* referenda potiùs videtur ad id quod *inajus* (*Deorum hominumque*) quàm ad id quod minus.

1. *Tum cùm maximè.*] Pro *tunc vel maximè.*

2. *Ut quibus aliis, &c. expiarem?*] Ut, cum relativo & imperfecto subjunctivi per interrogationem: sic lib. 44. *sine ulla sede vagi dimicassemus ut quò nos victores reciperemus?* Plin. lib. 13. cap. 3. *quæsa ut qualiter sentiretur juvaretque ab ea parte corporis?*

XIV. *Non est res, quæ erubescam, pater, si die festo inter æquales largiore vino fum usus. tu quoque velim inquiras, qua lætitia, quo lusu apud me celebratum besternum convivium sit, illo etiam (pravo forsitan) studio provehente quod in juvenili armorum certamine pars nostra non inferior fuerat.* [1] *miseria hæc & metus crapulam facile excusserunt, quæ si non interveniſſent, insidiatores nos sopiti jaceremus. Si domum tuam expugnaturus, capta domo dominum interfecturus eram, non temperaſſem vino in unum diem?* [2] *non milites abstinuiſſem meos? Et ne ego me solus nimia simplicitate tuear, ipse quoque minime malus ac suspicax frater, nihil aliud scio, inquit, nihil argno, niſi quod cum ferro comissatum venerunt. Si quæram, unde idipsum scieris; necesse erit te fateri, aut speculatorum tuorum plenam domum fuiſse meam, aut illos ita aperte sumpſiſſe ferrum, ut omnes viderent. Et ne quid ipse aut prius inquiſiſse, aut nunc criminive argumentari videretur, te quærere ex iis, quos nominaſſet, jubebar, an ferrum habuiſſent? ut tanquam in re dubia, quum id quæſiſſes, quod ipsi fatentur, pro convictu haberentur.* [3] *Quin tu illud quæri jubes, num tui occidendi causa ferrum sumpſerint? num me auctore & sciente? Hoc enim videri vis, non illud quod fatentur & palam est, & sui se tuendi causa sumpſiſse dicunt. Recte an perperam fecerint, ipsi sui facti rationem reddent. Meam causam, quæ nihil eo facto contingitur, ne miſcueris: aut explica, utrum aperte an clam te aggreſſuri fuerimus. Si aperte, cur non omnes ferrum habuimus? cur nemo præter eos, qui tuum speculatorem pulsarunt? si clam, quis ordo consilii fuit? Convivio soluto, quum commissator ego diſceſſiſsem, quatuor substitiſsent, ut sopituri te aggrederentur? quomodo fefelliſsent, & alieni, & mei, & maxime suspecti, quia paulo ante in rixa fuerant? quomodo autem trucidato te ipsi evaſturi fuerint? quatuor gladiis domus tua capi & expugnari potuit.*

XV. *Quin tu omiſsa illa nocturna fabula, ad id quod doles, quod invidiam urit, reverteris?* [1] *Cur usquam regni tui mentio fit, Demetri? cur dignior patris fortunæ successor quibusdam videris, quam ego? cur* [2] *spem meam, quæ, si tu non eſses, certa erat, dubiam & solicitam facis? Hæc sentit*

Urb. cond. an. 571. Coss. L. Æmil. Paullo, & Cn. Bæb. Tamphilo.

INTERPRETATIO.

[2] *Ambiguam & solicitudinis plenam efficis spem regni, à me conceptam.* (Hæc Demetrius ad ſeipſum ex perſona Perſei.

NOTÆ.

1. *Miseria hæc & metus.*] Reatum indicat & periculum capitis: *miseria* certè ſeu calamitas reorum propria. Hinc Cicero pro Sulla: *Jam impedior egomet dolore animi, nec de ejus miseria plura dico.*

2. *Non milites abstinuiſsem meos.*] Conjicit Gron. *comites* pro *milites*; nam & *sodales* antea Demetrius appellaverat.

3. *Quin tu illud quæri jubes.*] Convertit Demetrius orationem à patre ad fratrem.

1. *Cur usquam regni tui.*] Inducitur loquens Perſeus, & conquerens adverſus Demetrium, mentionem fieri regni ejus futuri, ſive ægrè ferens quòd dicatur fore, ut Demetrius poſt patrem regnet.

Urb. cond. an. 571. Coſſ. L. Æmil. Paullo, & Cn. Bæb. Tamphilo.

Perſeus, etſi non dicit: hæc iſtum inimicum, hæc accuſatorem faciunt: hæc domum, hæc regnum tuum criminibus & ſuſpicionibus replent. Ego autem, pater, quemadmodum nec nunc ſperare regnum, nec ambigere unquam de eo forſitan debeam, quia minor ſum, quia tu me majori cedere vis; ſic illud nec debui facere, nec debeo, [2] ut indignus te patre, [a] indignus omnibus videar. id enim vitiis meis, non cedendo, cui jus faſque eſt, non modeſtia conſequar. Romanos objicis mihi: & ea quæ gloriæ eſſe debent, in crimen vertis. Ego nec obſes Romanis ut traderer, nec, ut legatus mitterer Romam, petii à te miſſus, ire non recuſavi. utroque tempore ita me geſſi, ne tibi pudori, ne regno tuo, ne genti Macedonum eſſem. Itaque mihi cum Romanis amicitiæ cauſa tu fuiſti, pater. Quoad tecum illis pax manebit, mecum quoque gratia erit: ſi bellum eſſe cœperit, qui obſes, qui legatus pro patre non inutilis fui, idem hoſtes illis acerrimus ero. Nec hodie ut proſit mihi gratia Romanorum, poſtulo: ne obſit, tantum deprecor. [b] nec in bello cœpit, nec ad bellum reſervatur. Pacis pignus fui, ad pacem retinendam legatus miſſus ſum. neutra res mihi nec gloriæ, nec crimini ſit. Ego ſi quid impiè in te, præter, ſi quid ſcelerate in fratrem admiſi, nullam deprecor pœnam, ſi innocens ſum, ne invidia conflagrem, quum crimine non poſſim, deprecor. Non hodie me primum frater accuſat: ſed hodie primum apertè, nullo meo in ſe merito. Si mihi pater ſuccenſeret, te majorem fratrem pro minore deprecari oportebat, te adoleſcentiæ, te errori veniam impetrare. in eo, ubi præſidium eſſe oportebat, ibi exitium eſt. E convivio & comeſſationibus prope ſemiſomnus raptus ſum ad cauſam parricidii dicendam. ſine advocatis, ſine patronis, ipſe pro me dicere cogor. Si pro alio dicendum eſſet, tempus ad meditandam & componendam orationem ſumpſiſſem, quid quid aliud quàm ingenii fama periclitarer? ignarus quid [c] arceſſitus eſſem, te iratum & jubentem dicere cauſam, fratrem accuſantem audivi. Ille diu ante præparata, meditata in me oratione eſt uſus: ego id tantum temporis, quo accuſatus ſum, ad cognoſcendum quid ageretur, habui. Utrum momento illo horæ accuſatorè audirem? an defenſionem meditarer? Attonitus répentino atque inopinato, vix quod objiceretur, intelligere potui: nedum ſatis ſciam quomodo me tuear. Quid mihi

INTERPRETATIO.

b *Gratia & favor Romanorum in me neque initium habuit ardente in eos bello, nec ſervabitur ac durabit, ſi bellum recrudeſcat.*

c *Qua de cauſa vocarer;*

NOTÆ.

2. *Ut indignus te patre, indignus omnibus videar.*] Nihil opus ut nomen *omnibus* mutetur in *omnibus*, quod vult Schelius, qui noluit nec debuit Demetrius committere ut indignus videatur, votis deſtinantium ſibi regni ſucceſſionem: cujus ſanè rei mentio ad diluendam fratris criminationem miſ-

quendaſque patris ſuſpiciones Demetrio minimè profutura fuerit, nec Livio ex Demetrii perſona debuerit excidere. Plana erit oratio, ſi alteruter loco delegatur vox *indignus*: veluti ſi ita legatur: *ſic illud nec debui facere, nec debeo, ut te patre indignus omnibus videar*: ſic etiam planum erit quod ſequitur: *id enim* non

ſpei

ſpei eſſet, niſi patrem judicem haberem apud quem d *etiam ſi charitate fratre majore vincor, miſericordia certè reus vinci non debeo. Ego enim ut me mihi tibique ſerves, precor: ille, ut me in ſecuritatem ſuam occidas, poſtulat. Quid eum, quum regnum ei tradideris, facturum credis eſſe, qui jam nunc* e *ſanguine meo ſibi indulgeri æquum cenſet?*

à Urb. cond. an. 571. Coſſ. L. Æmil. Paul. lo, & Cn. Bæb. Tam. philo.

XVI. Dicenti hæc lachrymæ ſimul ſpiritum & vocem intercluſerunt. Philippus ſummotis iis pauliſper colloquutus cum amicis pronunciavit: *Non verbis ſe nec unius horæ diſceptatione cauſam eorum dijudicaturum, ſed inquirendo in utriuſque vitam, mores, & dicta factaque, in magnis, parvisque rebus, obſervando*: ut omnibus appareret, noctis proximæ crimen facilè revictum; ſuſpectam nimiam cum Romanis Demetrii gratiam eſſe. Hæc vivo Philippo velut ſemina jacta ſunt Macedonici belli, quod maximè cum Perſeo gerendum erat. Conſules ambo in Ligures, quæ tum una conſularis provincia erat, proficiſcuntur. & quia proſperè ibi res geſſerunt; ſupplicatio in unum diem decreta eſt. Ligurum duo millia ferè ad extremum finem 1 provinciæ Galliæ, ubi caſtra Marcellus habebat, venerunt, uti reciperentur orantes. Marcellus, opperiri eodem loco Liguribus juſſis, ſenatum per literas conſuluit. Senatus reſcribere M. Ogulnium prætorem Marcello juſſit; a *Verius ſuiſſe, conſules, quorum provincia eſſet, quàm ſe, quid è republica eſſet, decernere. tum quoque non placere ſibi,* 2 *per deditionem Ligures recipi, & receptis arma adimi. Atque eos ad conſulem mitti ſenatum æquum cenſere.* Prætores eodem tempore, P. Manlius in ulteriorem Hiſpaniam, quam & priore prætura provinciam obtinuerat; Q. Fulvius Flaccus in citeriorem pervenit, exercitumque à Terentio accepit. nam ulterior morte P. Sempronii proprætoris ſine imperio fuerat. Fulvium Flaccum oppidum Hiſpanum, 3 Urbicuam nomine, oppugnantem Celtiberi adorti ſunt. 4 Dura ibi prœlia aliquot

INTERPRETATIO.

d *Quamvis major ſit amor paternus in Perſeum quam in me.*

e *Vitam meam ei per indulgentiam impendi.*

a *Juſtius & rationi magis conſentaneum.*

NOTÆ.

cedendo ei cui jus faſque eſt, nec modeſtiâ meâ, ſed vitiis meis conſequerer, ut re patre indignus viderer.

1. *Provincia Gallia.*] *Ciſpandana* nimirùm, quâ Apennino & Liguriæ proxima.

2. *Per deditionem Ligures recipi.*] A Marcello nempe proconſule Galliæ Ciſalpinæ recipi Ligures non debere ſenatus cenſebat, ſed debere eos à Marcello mitti ad conſules, qui in ea provincia erant, ut viderent, an dedentes ſe recipi deberent, & quâ conditione. Gelen. tamen è ſcripto notat, *tum quoque placere ſibi, ſi per deditionem Ligures recipiat, receptis armis adimi*, quod probat Gron. modo ſcribatur *reciperet*; ac deinde vult *ad conſules remitti*.

3. *Urbicuam nomine.*] *Urbicum* amnem prope Aſturicam invenio in Ciſmontanis Aſturibus, cui adhuc nomen *Orbego*. At *Urbicuam* alibi non lego apud veteres Geographos. *Urbica* eſt apud Antoninum in Sedetanorum & Celtiberorum confinio; nunc *Arbeca* in Aragonia ex Beutero.

4. *Dura ibi prœlia aliquot.*] Putat

Urb. cond. an. 571. Coss. L. Æmil. Paul. Iq. & Cn. Bæb. Tamphilo.

facta; multi Romani milites & vulnerati & interfecti sunt. 5 vicit perseverantiâ Fulvius, quod nullâ vi abstrahi ab obsidione potuit. Celtiberi festi præliis variis abscesserunt urbs, amoto auxilio eorum, intra paucos dies capta & direpta est: prædam militibus prætor concessit. Fulvius, hoc oppido capto, P. Manlius exercitu tantùm in unum coacto, qui dissipatus fuerat; nulla alia memorabili gesta re, exercitus in hiberna deduxerunt. Hæc ea æstate in Hispania gesta. Terentius, qui ex ea provincia decesserat, ovans urbem iniit. translatum 6 argenti pondo novem millia trecenta viginti: 7 auri octoginta pondo; & duæ coronæ aureæ 8 pondo sexaginta septem.

XVII. Eodem anno inter populum Carthaginiensem & regem Masinissam in re præsenti disceptatores Romani de agro fuerunt. ceperat eum ab Carthaginiensibus, præter Masinissæ, Gala, Galam Syphax inde expulerat: postea in gratiam soceri Asdrubalis Carthaginiensibus dono dederat. Carthaginienses eo anno Masinissa expulerat. Haud minore certamine animorum, quàm quum ferro & acie dimicarunt, res acta apud Romanos. Carthaginienses, quod primo majorum suorum fuisset, deinde ab Syphace ad se perveniset, repetebant. Masinissa paterni regni agrum se & recepisse, & habere jus gentium ajebat; & caussa & possessione superiorem esse, nihil aliud se in ea disceptatione metuere, quàm ne pudor Romanorum, dum veteantur ne quid socio atque amico regi adversus communes suos atque illius hostes indulsisse videantur, damno sit. Legati possessionis jus non mutarunt. causam integram Romam ad senatum rejecerunt. In Ligüribus nihil postea gestum. recesserant primùm in devios saltus, deinde dimisso exercitu, passim in vicos castellaque sua dilapsi sunt. Consules quoque dimittere exercitum voluerunt, ac de ea re Patres consuluerunt. Alterum ex his dimisso exercitu ad magistratus in annum creandos venire Romam, jusserunt: alterum cum legionibus suis Pisis hiemare. Fama erat, Gallos transalpinos juventutem armare: nec, in quam regionem Italiæ effusura se multitudo esset, sciebatur. ita inter se consules comparârunt, ut Cn. Bæbius ad comitia iret, quia M. Bæbius frater ejus consulatum petebat.

XVIII. Comitia consulibus rogandis fuere. creati, P. Cornelius Cethegus, M. Bæbius Tamphilus. Prætores inde facti, duo Q. Fabii, Maximus & Buteo, C. Claudius Nero, Q. Petillius Spurinus, M. Pinarius Posca;

NOTÆ.

Gron. *dubia ibi prælia aliquot facta.*

5. Vicit perseverantia Fulvius.] Gelenè Moguntino, *vicit perseverantiâ Fulvius*: sed prior lectio nihil habet vitii.

6. Argenti pondo novem millia trecenta viginti.] Gallicè, *trois cens trente cinq mille cinq cens vint livres.*

7. Auri octoginta pondo.] Gallicè *quatre-vingts livres Romaines pesant d'or, qui peuvent valoir environ quarante quatre mille huit cens livres.*

8. Pondo sexaginta septem.] Gallicè, *la valeur de trente sept mille cinq cens vint livres, à me conformer que le poids.*

L. Duronius. His injto magiſtratu provinciæ ita ſorte evenerunt. Ligures conſulibus; prætoribus, Q. Petillio urbana, Q. Fabio Maximo peregrina, Q. Fabio Buteoni Gallia, C. Claudio Neroni Sicilia, M. Pinario Sardinia, L. Duronio Apulia, & Iſtri adjecti, quod Tarentini Brunduſinique nunciabant, maritimos agros infeſtos tranſmaritimarum navium latrociniis eſſe. eadem Maſſilienſes de Ligurum navibus querebantur. Exercitus inde decreti. quatuor legiones conſulibus, quina millia ducenos Romanos pedites, trecenos haberent equites, & quindecim millia ſocium ac Latini nominis, & octingentos equites. In Hiſpaniis prorogatum veteribus prætoribus imperium eſt, cum exercitibus quos haberent. & in ſupplementum decreta tria millia civium Romanorum, ducenti equites: & ſocium Latini nominis, ſex millia peditum, trecenti equites. Nec rei navalis cura omiſſa. duumviros in eam rem conſules creare juſſi, per quos naves viginti deducte navalibus ſociis [1] civibus Romanis, qui ſervitutem ſerviſſent, complerentur; ingenui tantùm ut iis præeſſent. Inter duumviros ita diviſa tuenda denis navibus. maritima ora, ut [2] promontorium iis Minervæ, velut cardo, in medio eſſet: alter in dexteram partem [3] uſque ad Maſſiliam, lævam alter [4] uſque ad Barium tueretur. Urb. cond. an. 572. Coll. P. Cornel. Cethego, & M. Bæb. Tamphilo.

XIX. Prodigia multa fœda & Romæ eo anno viſa, & nunciata peregrè. In area Vulcani & Concordiæ ſanguinem pluit, & pontifices haſtas motas nunciavere: & Lanuvii ſimulacrum Junonis Soſpitæ lachrymaſſe, & peſtilentia in agris foriſque & conciliabulis, & in urbe tanta erat, [1] ut Libitina tunc vix ſufficeret. His prodigiis cladibuſque anxii Patres decreverunt, ut & conſules, quibus Diis videretur, hoſtiis majoribus ſacrificarent, & Decemviri libros adirent. Eorum decreto ſupplicatio circa omnia pulvinaria Romæ in diem unum indicta eſt. iiſdem auctoribus & ſenatus cenſuit, & conſules edixerunt, ut per totam Italiam triduum ſupplicatio & feriæ eſſent. Peſtilentiæ tanta vis erat, ut quum, propter defectionem Corſorum, bellumque [2] ab Ilienſibus concitatum in Sardinia, octo millia peditum ex ſociis Latini nominis ſcribi

NOTÆ.

1. *Civibus Romanis, qui ſervitutem ſerviſſent.*] Hoc eſt, *libertinis*: hi enim potius quam ingenui ad navalem militiam, velut minùs honoratam apud Romanos deligebantur.

2. *Promontorium iis Minervæ.*] In Campaniæ & Picentinorum confinio promi-net in mare Tuſcum Capreas verſus hoc Promontorium, interſinum Pæſtanum, & Neapolitanum, vulgò *Capo della Minerva*, aliis *Capo Campanella*.

3. *Uſque ad Maſſiliam.*] In Galliæ parte, quæ poſt Narbonenſis dicta, celebratur Græca civitas, *Maſſilia*, quam profugi ab Phocæa urbe Aſiatica ad ma-re condiderunt: hodie *Marſeille en Provence*.

4. *Uſque ad Barium.*] In Apulia Peucetia eſt maritima urbs *Barium*, inter Salapiam & Egnatiam, unde una è xii. provinciis regni Neapolitani dicitur *terra di Bari*.

1. *Ut Libitina tunc vix ſufficeret.*] *Libitina* Dea fuit funerum, & tum pro lectulo ſumitur, in quo mortui efferri ſoliti, tum etiam pro ipſa morte: hic pro feretro accipi videtur, vel potius pro libitinariis qui funera curabant.

2. *Ab Ilienſibus.*] Fuere *Ilienſes* populi Sardiniæ, Plinio & Solino memorati.

Urb. cond. an. 572. Coss. P. Cornel. Cethego, & M. Bæb. Tamphilo.

placuisset, & trecentos equites, quos M. Pinarius prætor secum in Sardiniam trajiceret; tantum hominum demortuum esse, tantum ubique ægrorum consules renunciaverint, ut is numerus effici militum non potuerit, quod decrat militum, sumere à Cn. Bæbio proconsule, qui Pisis hibernabat, jussus prætor, atque inde in Sardiniam trajicere. L. Duronio prætori, cui provincia Apulia evenerat, adjecta de Bacchanalibus quæstio est: cujus residua quædam velut semina ex prioribus malis jam priore anno apparuerant, sed magis inchoatæ apud L. Pupium prætorem quæstiones erant, quàm ad exitum ullum perductæ: id persecare novum prætorem, ne serperet iterum latiùs, Patres jusserunt. Et leges de ambitu consules ex auctoritate senatûs ad populum tulerunt.

XX. Legationes deinde in senatum introduxerunt. Regum primas Eumenis, & Ariarathis Cappadocis, & Pharnacis Pontici. nec ultra quicquam eis responsum est, quàm missuros qui de controversiis eorum cognoscerent, statuerentque. Lacedæmoniorum deinde exulum & Achæorum legati introducti sunt, & spes data exulibus est, scripturum senatum Achæis, ut restituerentur. Achæi de Messene recepta, compositisque ibi rebus, cum assensu Patrum expostuerunt. Et à Philippo rege Macedonum duo legati venerunt, Philocles & Apelles. nulla super re quæ ab senatu petenda esset: speculatum magis inquisitumque missi de iis, quorum Perseus Demetrium insimulasset, sermonum cum Romanis, maximè cum T. Quintio adversus fratrem de regno habitorum. Hos tanquam medios, nec in alterius favorem inclinatos, miserat rex. erant autem & hi Persei fraudis in fratrem ministri & participes. Demetrius [1] omnium, præterquàm fraterni sceleris, quod nuper eruperat, ignarus, primò neque magnam neque nullam spem habebat, patrem sibi placari posse. minùs deinde in dies patris animo fidebat, [2] quum obsideri aures à fratre cerneret. Itaque circumspiciens dicta factaque sua, ne cujus suspiciones augeret, maximè ab omni mentione & contagione Romanorum abstinebat: ut neque scribi sibi vellet; quia hoc præcipuè criminum genere exasperari animum sentiebat.

XXI. Philippus, simul ne otio miles deterior fieret, simul avertendæ suspicionis causa quicquam à se agitari de Romano bello, Strabos

NOTÆ.

à Trojanis orti, ad occidentale illius latus: Pinetus putat eorum tractum dici hodie *Liena*, in medio ferè insulæ.

2. *Omnium præter quàm fraterni sceleris.*] Vet. codices scripti & editi, *præterquàm fraterno scelere*: quo significatur Demetrium insciam fuisse omnium quæ adversum se agerentur: nisi quantum ex scelere fraternæ accusationis colligeret, ut Gron. interpretatur.

3. *Quum obsideri aures.*] Fortè *cujus obsideri aures*, nimirùm patris. Verùm id satis intelligitur quemadmodum & statim ubi dicitur, *exasperari animum sentiebat*: facilè apparet intelligi animum Philippi.

Pæoniæ exercitu indicto, [1] in Mædicam ducere pergit. Cupido eum ceperat in verticem [2] Æmi montis ascendendi, quia vulgatæ opinioni crediderat, [3] Ponticum simul & Adriaticum mare, & Istrum amnem, & Alpes conspici posse: subjecta oculis ea haud parvi sibi momenti futura ad cogitationem Romani belli. Percunctatus regionis peritos de ascensu Æmi, quum satis inter omnes constaret, viam exercitui nullam esse, paucis & expeditis per difficillimum aditum, ut sermone familiari minorem filium permulceret, quem statuerat non ducere secum, primùm quæric ab eo, *Quam tanta difficultas itineris proponatur, utrum perseverandum sit in incœpto, an abstinendum? Si pergat tamen ire, non posse obvivisci se in talibus rebus Annibali: qui sæva tempestate jactatus, quum in eadem nave secum suos omnes habuisset, præcepisse liberis diceretur, ut & ipsi meminissent, & ita posteris prodirent, ne quis cum tota gente simul in rebus dubiis perciitari auderet. Memorem ergo se præcepti ejus, duos simul filios non commissurum in aleam ejus, qui proponeretur, casus. & quoniam majorem filium secum duceret, minorem ad subsidia spei & custodiam regni remissurum in Macedoniam esse.* Non fallebat Demetrium ablegari se, ne adesset consilio; quum in conspectu locorum consultaret, quæ proximè itinera ad mare Adriaticum atque Italiam ducerent, quæque belli ratio esset futura. sed non solùm parendum patri tum, sed etiam assentiendum erat, ne invicum parere suspicionem faceret. Ut tamen iter ei tutum in Macedoniam esset, Didas ex præroribus regiis unus, qui Pæoniæ præerat, jussus est prosequi eum cum modico præsidio. Huic quoque Perseus, sicut plerosque patris amicorum ex quo haud dubium cuiquam esse cœperat, ad quem ita inclinato regis animo hæreditas regni pertineret, inter conjuratos in fratris perniciem habuit. in præsentia dat ei mandata, ut per omne obsequium insinuaret se in quàm maximè familiarem usum, ut elicere omnia arcana, specularique abditos ejus sensus posset. Ita digreditur Demetrius, cum infestioribus, quàm si solus iret, præsidiis.

XXII. Philippus Mædicam primùm, deinde solitudines interjacentes

Urb. cond. an. 572. Coss. P. Cornel. Cethego, & M. Bæb. Tanphilo.

NOTÆ.

1. *In Madicam.*] Fuit *Madica* Thraciæ dicas; Sclavis *Cumoniza*, incolis ipsi *Krivizne* Lazio teste: alibi *Costegnazzo* ex Cuspiniano, *Prasobo* Laonico: Italis *Catena del mondo* & *monte Argentaro*. Ab eo una ex Thraciæ Diœceseos provinciis *Æmimontus*, vel *Æmimontium* dicta post Theodosiana tempora, cujus tractus primaria urbs *Adrianopolis*.

2. *Æmi montis.*] Vulgò *Hamus* scribitur. Mons ille inter Thraciæ montes maximus & celsissimus habetur, & Thraciam, quàm longa est, à Mæsia inferiori dividit, Boream versus: hodie variis nominibus appellatur: Turcis *BalKan*: quasi Domini seu regis & principis montem.

3. *Ponticum.*] *Mare Ponticum* est *Pontus Euxinus*, Græcis, *Mauro Thalassa*: Turcis *Karadenis* eodem sensu, & nobis *la Mer noire*; Itali vocant *Mare maggiore*.

Urb. cond. an. 572. Coss. L. Cornel. Cethego, & M. Bebio Tamphilo.

Mædicæ atque Æmo transgressus, septimis demum castris ad radices montis pervenit. ibi unum moratus diem, ad deligendos quos duceret secum, 1 tertio die iter est ingressus. Modicus primò labor in imis collibus fuit: quantum in altitudinem egrediebantur, magis magisque sylvestria, & pleraque invia loca excipiebant. Pervenere deinde in opacum iter, ut, 5 præ densitate arborum immissorumque aliorum in alios ramorum, perspici cœlum vix posset: ut verò jugis appropinquabant, quod rarum in aliis locis esset, adeo omnia contecta nebula, ut haud secus quàm nocturno itinere impedirentur: tertio demum die ad verticem perventum. Nihil vulgatæ opinioni degressi inde detraxerunt. magis credo ne vanitas 10 itineris ludibrio esset, quàm quod diversa inter se maria, montesque, & amnes, ex uno loco conspici potuerint. Vexati omnes, & ante alios rex ipse, quò gravior ætate erat, difficultate viæ est. Duabus aris ibi Jovi & Soli sacratis quum immolasset, qua triduo ascenderat 2 biduo est degressus; frigora nocturna maximè metuens, 3 quæ caniculæ ortu similia 15 brumalibus erant. Multis per eos dies difficultatibus conflictatus, nihilo lætiora in castris invenit: ubi summa penuria erat, ut in regione, quam ab omni parte solitudines clauderent. Itaque unum tantum moratus diem, quietis eorum causa quos habuerat secum, itinere inde simili fugæ in Dentheletas transcurrit. Socii erant: sed propter inopiam haud secus 20 quàm hostium fines Macedones populati sunt. rapiendo enim passim villas primùm, dein quosdam vicos etiam evastarunt, non sine magno pudore regis: quum sociorum voces, nequicquam Deos sociales nomenque suum implorantes audiret. Frumento inde sublato, in Mædicam regressus, urbem, 4 quam Petram appellant, oppugnare est adortus. ipse a cam- 25 pestri aditu castra posuit. Perseum filium cum modica manu circumisit, ut à superioribus locis, urbem aggrederetur. Oppidani, quum terror undique instaret, obsidibus datis, in præsentia dediderunt sese. iidem, postea quàm exercitus recessit, obliti obsidum, relicta urbe in loca munita & montes refugerunt. Philippus omni genere laboris sine ullo effectu fatigatis militibus, & fraude prætoris Didæ auctis in filium suspicionibus, in Macedoniam rediit. 30

INTERPRETATIO.

a. *Ab ea parte qua urbs per planiciem adibatur.*

NOTÆ.

1. *Tertio die.*] Siquidem ad radices montis unum moratus est diem, necesse est postero die ingressum esse iter: illud itaque *tertio die*, videtur hic irrepsisse, ex eo quod sequitur, *tertio demum die ad verticem perventum.*

2. *Biduo est degressus.*] Ita Sigon. correxit; cùm anteà legeretur *digressus*: observat enim *ascendere* & *degredi* contraria non esse, sed *ascendere* & *degredi*, hoc est, *descendere.*

3. *Quæ caniculæ ortu.*] Quamvis adulta jam esset æstas, sub ortum scilicet caniculæ, frigora tamen nocturna in edito illo monte non minora erant, quam alibi tempore hiberno.

4. *Quam Petram appellant.*] Plura sunt hoc nomine oppida, in Sicilia, in

XXIII. Missus hic comes (ut antè dictum est) quum simplicitatem juvenis incauti, & suis haud immerite succensentis, assentando indignandoque & ipse vicem ejus, captaret; in omnia ulterò suam offerens operam, fide data arcana ejus elicuit. Fugam ad Romanos Demetrius meditabatur. cui consilio adjutor Deûm beneficio oblatus videbatur Pæoniæ prætor, per cujus provinciam spem ceperat, elabi tutò posse. Hoc consilium exemplo & fratri proditur, & auctore eo indicatur patri. Literæ primùm ad obsidentem Petram allatæ sunt. inde Herodotus (princeps hic amicorum Demetrii erat) in custodiam est conjectus: & Demetrius a dissimulanter asservari jussus. Hæc super cætera tristem adventum in Macedoniam regi fecerunt. b movebant eum & præsentia crimina: expectandos tamen, quos ad exploranda omnia Romam miserat, censebat. His anxius curis, quum aliquot menses egisset, tandem legati, c jam antè præmeditatis in Macedonia, quæ ab Roma renunciarent, venerunt. qui, c super cætera scelera, fallas etiam literas signo adulterino T. Quintii signatas reddiderunt regi. Deprecatio erat in literis: *Si quid adolescens cupiditate regni prolapsus fecisset, nihil eum adversus fuorum quemquam facturum: neque eum sese esse, qui ullius impii consilii auctor futurus videri posset.* Hæ literæ fidem Persei criminibus fecerunt. Itaque Herodotum extemplo diu excruciatus, sine indicio rei ullius in tormentis moritur.

Urb. cond. an. 572. Cos. P. Cornel. Cethego, & M. Bæb. Thamphilo.

XXIV. Demetrium iterum ad patrem accusavit Perseus. fuga per Pæoniam præparata arguebatur, & corrupti quidam, ut comites itineris essent: maximè fallæ literæ T. Quintii urgebant. nihil tamen palam gravius pronunciatum de eo est, ut dolo potius interficeretur: a nec id cura ipsius, sed ne pœna ejus consilia adversus Romanos nudaret. Ab Thessalonica Demetriadem ipsi quum iter esset; 1 Asterium Pæoniæ

INTERPRETATIO.

a *Custodibus per speciem obsequii additis observari*, sive *ita custodiri ne liber videretur.*

b *Commovebatur Philippus his in Demetrium criminationibus.*

c *Præter cætera quæ scelerate comminiscebantur.*

a *Neque id fiebat ut fama Demetrii consuleretur.*

NOTÆ.

Arabia, in Sogdiana, alibi. Hæc Mæsia minùs Geographis cognita.

1. *Jam antè præmeditatis.*] Legi Gronjubet *præmeditati*: nihil parum videtur causæ cur quicquam mutetur. Est enim *præmeditatis* idem, ac cum antè *meditati* essent quæ renunciarent: perinde ac si diceret *præcogitatis*. Quid enim vetat compositum *præmeditari* passivè sumi, quemadmodum simplex *meditari*. Sic Plautus Pseudolo *meditati sunt doli probè*; Cic. 1 Offic. *leviora enim sunt ea quæ repentino aliquo motu accidunt, quàm ea quæ meditata & præparata inferuntur.*

1. *Asterium Pæoniæ.*] Vide num potiùs *Æstræum*: quod licet Ptol. *Æstræis* tribuat, dubium tamen non videtur quin latè sumpto Pæoniæ nomine *Æstræi* comprehensi fuerint. Nam quòd Sigon. *Asterium* legendum putat, quia Strabo & Stephanus *Asterios*, nominant urbem Thessaliæ: procul à Pæonia distare Thes-

Urb. cond. an. 572. Coss. P. Cornel. Cethego, & M. Bæb. Tamphilo.

Demetrium mittit cum eodem comite Dida: Perseum [2] Amphipolin, ad obsides Thracum accipiendos. digredienti ab se Didæ mandata dedisse dicitur, de filio occidendo. Sacrificium ab Dida seu instituturn, seu simulatum est. ad quod celebrandum invitatus Demetrius ab Asterio [3] Heracleam venit. [4] in ea cœna dicitur venenum datum. Poculo epoto, [5] extemplo sensit. & mox coortis doloribus, relicto convivio, quum in cubiculum recepisset sese, crudelitatem patris conquerens, parricidium fratris, ac Didæ scelus incusans, torquebatur. intromissi deinde [6] Thyrsis quidam Stuberæus, & [7] Berœæus Alexander, injectis tapetibus in caput fauceseque, spiritum intercluserunt. Ita innoxius adolescens, quum in eo [8] ne simplici quidem genere mortis contenti inimici fuissent, interficitur.

XXV. Dum hæc in Macedonia geruntur, L. Æmilius Paullus, prorogato ex consulatu imperio, principio veris in Ligures Ingaunos exercitum introduxit. Ubi primùm in hostium finibus castra posuit, legati ad eum, per speciem pacis petendæ, speculatum venerunt. negante Paullo, nisi eum deditis paciscì se pacem, non tam id recusabant, quàm tempore opus esse ajebant, ut generi agresti hominum persuaderetur. ad hoc decem dierum inducìæ quum darentur, petierunt deinde, ne trans montes proximos castris pabulatum lignatumque milites irent. culta ea loca suorum finium esse. Id ubi impetravere, post eos ipsos montes, unde averterant hostem, exercitu omni coacto, repentè multitudine ingenti castra Romanorum oppugnare [1] simul omnibus portis aggressi sunt. Summa vi totum unum diem oppugnarunt: ita ut ne efferendi quidem signa Romanis spatium, nec ad explicandam aciem locus esset. Conferti in portis obstando magis, quàm pugnando castra tutabantur. Sub occasum Solis quum recessissent hostes, duos equites ad Cn. Bæbium proconsulem cum literis

NOTÆ.

aliam nemo nescit. Scio à Nic. Sansone accurato Geographo & nobis, dum viveret, amico, poni *Asterium* in Pæonia. Sed cùm pro certo habeam ea in re non aliam ipsum quam Livii auctoritatem secutum qui Pæoniam latiùs longè quàm Ptol. accipit, à priori sententia non dimoveor.

2. *Amphipolin.*] Urbs est Odomantices Thraciæ priùs, ac deinde Macedonicæ provinciæ, ad lævam Strymonis fluvii, & Edonidis confinia; postèa *Christopolis* à Græcis dicta, nunc Turcis *Emboli*.

3. *Heracleam venit.*] Hæc *Heraclea* Macedonica in Lincheſtis fuit, quorum regio Pæoniæ proxima, & parum ab Aestræis distans: diversa ab *Heraclea Sinticæ*, quæ in Boreali Macedoniæ regione ad Strymonem, illa autem, Moletio & Nardo auctoribus, hodie *Xevosna* appellatur.

4. *In ea cœna.*] Quæ scilicet post sacrificium à Dida institutum celebrata.

5. *Extemplo sensit.*] Repete è proximo *venenum datum*.

6. *Thyrsis quidam Stuberæus.*] A *Stubera*, seu *Strymbara* Deuriopum oppido.

7. *Berœæus Alexander.*] A *Berœa* Emathiæ urbe.

8. *Ne simplici quidem genere mortis.*] Non contenti veneno, quo interiturus haud dubiè fuisset: mortem alio genere properarunt, intercluso spiritu.

1. *Simul omnibus portis aggressi sunt.*] Quatuor nimirùm portis, quot in castris

Pisas

Pisas mittit, ut obsesso sibi per inducias quam primùm subsidio veniret. Bæbius exercitum M. Pinario prætori euenti in Sardiniam tradiderat. cæterùm & senatum literis certiorem fecit, obsideri à Ligu ribus L. Æmilium; & Marco Claudio Marcello, cujus proxima inde provincia erat, scripsit, ut, si videretur ei, exercitum ex Gallia traduceret in Ligures, & L. Æmilium liberaret obsidione. Hæc fera futura auxilia erant. Ligures postero die ad castra redeunt. Æmilius, quum & venturos sciisset, & educere in aciem potuisset, intra vallum suos tenuit, ut extraheret rem in id tempus quo Bæbius cum exercitu venire à Pisis posset. Urb. cond. an. 572. Coss. P. Cornel. Cethego, & M. Bæb. Tamphilo.

XXVI. [1] Romæ magnam trepidationem literæ Bæbii fecerunt. eò majorem, quòd paucos post dies Marcellus tradito exercitu Fabio Romam quum venisset, spem ademit, eum, qui in Gallia esset, exercitum in Ligures traduci posse, quia bellum cum Istris esset, prohibentibus coloniam Aquilejam deduci. eo profectum Fabium, neque inde regredi bello inchoato posse. Una, & ea ipsa tardior, quàm tempus postulabat, subsidii spes erat, si consules maturassent in provinciam ire. id ut facerent, pro se quisque Patrum vociferari. Consules, nisi confecto delectu negare, se ituros, nec suam segnitiem, sed vim morbi in causa esse, [2] quò seriùs perficeretur. non tamen potuerunt sustinere consensum senatus, quin paludati exirent, & militibus quos conscriptos haberent, diem ederent, quo Pisas convenirent. permissum, ut quà irent [3] protinus subitarios milites scriberent, ducerentque secum. Et prætoribus Q. Petillio, & Q. Fabio imperatum est, ut Petillius duas legiones civium Romanorum tumultuarias scriberet, & omnes minores quinquaginta annis sacramento rogaret: Fabio, ut sociis Latini nominis quindecim millia peditum, octingentos equites imperaret. Duumviri navales creati, C. Matienus, & C. Lucretius, navesque iis ornatæ sunt; Matienoque cujus ad Gallicum sinum provincia erat, imperatum, ut classem primo quoque tempore duceret in Ligurum oram; [3] si quo usui esse L. Æmilio atque ejus exercitui posset.

XXVII. Æmilius, postcaquam nihil usquam auxilii ostendebatur, interceptos credens equites, non ultra differendum ratus, quin per se fortunam tentaret, priusquàm hostes venirent, qui jam segniùs socordiusque

NOTÆ.

stris Romanorum erant, ut explicat mox cap. 27. *ad quatuor portas exercitum instruxit, ut signo dato simul ex omnibus partibus eruptionem faceret.*

1. *Romæ magnam trepidationem.*] Diffplicet Gronovio *Tò magnam*, quam vocem delendam censet, præsertim cùm adjiciatur *eò majorem*. Dixit tamen Sallust. non admodum dispari loquendi forma: *Statui res gestas populi Romani, carptim, ut quaque memoria digna videbuntur describere; eoque magis quòd mihi à spe, metu, partibus reipublicæ animus liber erat.*

2. *Quò seriùs perficeretur.*] Vult Gron. legi *quod serius*, nec sine ratione.

3. *Si quo usui esse.*] Hoc est, si ad rem quampiam utilis ejus opera esse posset. Mavult tamen Tan. Faber. *si quà*, hoc est si aliqua ratione.


image
not
available

tiati cibo vicinoque arma non capiebant. Diſperſi, inordinati exibant: ut quibus pro ſpe certum eſſet, hoſtes extra vallum ſigna non elaturos. Adverſus ita incompoſitos eos venientes, clamore pariter omnium, qui in caſtris erant, calonum quoque & lixarum ſublato, ſimul omnibus portis Romani eruperunt. Liguribus adeo improviſa res fuit, ut perinde, ac ſi inſidiis circumventi forent, trepidarent. Exiguum temporis aliqua forma pugnæ fuit. fuga deinde effuſa, & fugientium paſſim cædes erat. Equitibus dato ſigno, ut conſcenderent equos, nec effugere quemquam ſinerent; in caſtra omnes trepida fuga compulſi ſunt: deinde ipſis exuti caſtris. Supra quindecim millia Ligurum eo die occiſa: capta duo millia & quingenti. Triduo poſt Ligurum Ingaunorum omne nomen obſidibus datis[2] in deditionem venit. gubernatores nautæque conquiſiti, qui prædatores fuiſſent navibus, atque omnes in cuſtodiam conjecti. Et à C. Matieno duumviro naves ejus generis in Liguſtina ora duæ ac triginta captæ ſunt. Hæc, qui nunciarent, literaſque ad ſenatum ferrent, L. Aurelius Cotta, C. Sulpicius Gallus, Romam miſſi: ſimulque peterent, ut L. Æmilio confecta provincia decedere, & deducere ſecum milites liceret atque dimittere. Utrunque permiſſum ab ſenatu, & ſupplicatio ad omnia pulvinaria per triduum decreta: juſſique prætores, Petillius urbanas dimittere legiones, Fabius ſociis atque nomini Latino remittere delectum. & uti prætor urbanus conſulibus ſcriberet, ſenatum æquum cenſere, ſubitarios milites, tumultus cauſa conſcriptos, primo quoque tempore dimitti.

1 Urb. cond. an. 572. Coſſ. P. Cornel. Cethego, & M. Bæb. Tamphilo.

XXIX. [1] Colonia Graviſcæ eo anno deducta eſt in agrum Etruſcum, de Tarquinienſibus quondam captum. Quina jugera agri data. [2] treſviri deduxerunt, C. Calpurnius Piſo, P. Claudius Pulcher, C. Terentius Iſtra. Siccitate & inopia frugum inſignis annus fuit. Sex menſes nunquam pluiſſe, memoriæ proditum eſt. Eodem anno in agro L. Petillii ſcribæ ſub Janiculo, dum cultores agri altiùs moliuntur terram, duæ lapideæ arcæ octonos fermè pedes longæ, quaternos latæ, inventæ ſunt; operculis plumbo devinctis. Literis Latinis Græciſque utraque arca inſcripta erat; in altera Numam Pompilium, Pomponis filium, regem Romanorum, ſepultum eſſe: in altera, libros Numæ Pompilii

NOTÆ.

Quæſtoriam eandem fuiſſe cum decumana: maximè averſam ab hoſte: Et fortè initio Quæſtor ea parte tendebat.

1. *Ut quibus pro ſpe certum eſſet.*] Legit Muretus, *ut quibus prope certum eſſet*: poteſt tamen accipi *pro ſpe*, ut ſit *juxta ſpem*, ſive *quemadmodum ipſi ſperabant*.

2. *In deditionem venit.*] Reponit Gronex membranis & veteribus editis, *in ditionem*.

1. *Colonia Graviſcæ.*] Urbs Tuſciæ fuit ab aeris gravitate dicta, quod & Virgil. inſinuat 10. Æneid.

Et Pyrgi veteres intemptataque Graviſca.

id eſt, inſalubres, peſtilentes. Fuit ad Septentrionem Centum Cellarum, quæ nunc *Civita Vecchia*. Erant ad oſtium fere Martæ fluvii: exque ejus oppidi ruinis natum putatur *Cornero*, in patrimonio ſancti Petri: aliis eſt *Montalto*.

2. *Treſviri deduxerunt.*] Ita melius ex

Urb. cond. an 572. Coss. P. Cornel. Cethego, & M. Bæb. Tamphilo.

incisse. Eas arcas quum ex amicorum sententia dominus aperuisset; quæ titulum sepulti regis habuerat, inanis inventa, sine ullo vestigio corporis humani, aut ullius rei; per eadem tot annorum 3 omnibus absumptis. in altera 4 duo fasces candelis involuti, septenos habuere libros, non integros modò, sed recentissima specie. 5 Septem Latini de Jure Pontificio erant: septem Græci de disciplina sapientiæ, quæ illius ætatis esse potuit. Adjicit Antias Valerius, Pythagoricos fuisse: vulgatæ opinioni, quæ creditur Pythagoræ auditorem fuisse Numam, mendacio probabili accommodata fide. Primò ab amicis, qui in re præsenti fuerunt, libri lecti. Mox pluribus legentibus quum urbanus, studiosus legendi eos libros à L. Petillio sumpsit. & erat familiaris usus, 6 quod scribam eum quæstor Q. Petillius 7 in decuriam legerat. Lectis rerum summis, quum animadvertisset pleraque dissolvendarum religionum esse, L. Petillio dixit, *Sese eos libros in ignem conjecturum esse. priusquam id faceret, si ei permittere uti, si quod seu jus, seu auxilium se habere ad eos libros repetendos existimaret, experiretur: id integra sua gratia eum facturum.* Scriba ad tribunos plebis adit. ab tribunis ad senatum res est rejecta. Prætor se jusjurandum dare paratum esse ajebat, libros eos legi, servarique non oportere. Senatus censuit, vulgarentur. Q. Petillius prætor urbanus, studiosus legendi eos libros à L. Petillio sumpsit. & erat familiaris usus, 6 quod scribam eum quæstor Q. Petillius 7 in decuriam legerat. Lectis rerum summis, quum animadvertisset pleraque dissolvendarum religionum esse, L. Petillio dixit, *Sese eos libros in ignem conjecturum esse. priusquam id faceret, si ei permittere uti, si quod seu jus, seu auxilium se habere ad eos libros repetendos existimaret, experiretur: id integra sua gratia eum facturum.* Scriba ad tribunos plebis adit. ab tribunis ad senatum res est rejecta. Prætor se jusjurandum dare paratum esse ajebat, libros eos legi, servarique non oportere. Senatus censuit,

NOTÆ.

Barberino & Petav. putat Gronov. quàm ut vulgò scribitur, *triumviri*.

3. *Omnibus absumptis.*] Meritò suspicatur Sigon. legendum esse *ossibus absumptis*: sic enim Plut. in Numa nullam corporis partem, seu nullas reliquias apparuisse memorat.

4. *Duo fasces candelis involuti.*] Plin. lib. 13. cap. 13. ex Cassio Hemina auctore, Annalium narrat, Cn. Terentium scribam (nostèr & reliqui L. Petillium vocant) agrum suum in Janiculo repastinantem, offendisse arcam; in qua Numa, qui Romæ regnavit, situs fuisset. In eadem libros ejus repertos P. Cornelio, L. F. Cethego, M. Bebio Q. F. Tamphilo Coss. ad quos à regno Numæ colliguntur anni 535. & hos (libros) fuisse è charta: majore etiamnum miraculo, quòd tot infossi duravissent annis: additque lapideum fuisse quadratum circiter in media arca, vinctum *candelis* quoquo versus. In eo lapide insuper libros impositos fuisse, propterea arbitrarier eos non computruisse, & libros cedratos (hoc est, cedrià perunctos) propterea arbitrarier tineas non tetigisse. Sunt autem *candela* hoc loco funiculi pice vel cera illiti, ut ex eodem Plin. lib. 33. cap. 7. Gronov. observat. Plut. tamen has arcas non terrà ab aratore profossa detectas fuisse refert, sed alluvie vehementissimorum imbrium, qui tumulum perrumperunt.

5. *Septem Latini.*] Ex parte Latinos fuisse hos Numæ libros, ex parte Græcos, & partim de Jure Pontificio, partim de Philosophia conscriptos, inter omnes ferè convenit, de numero variant auctores: & Varro duodecim numero fuisse scripserat, teste Plinio eodem, & D. August. lib. 7. de Civit. Dei cap. 34. & Lactant. lib. 1. Institut. cap. 22.

6. *Quod scribam eum.*] Commune utrique *Petillii* nomen fuadet, *Lucium* hunc libertini generis fuisse, & sua vel paterna manumissione in Petillii patroni familiam ascitum. Tritum enim est scribas, accensos, aliosque ejusmodi magistratuum ministros è libertis legi solitos.

7. *In Decuriam legerat.*] An tanquam militem, an tanquam judicem, sive assessorem in provincia: an potiùs decuriam ministrorum habuere Quæstores?

Satis habendum, quod prætor jusjurandum polliceretur, libros primo quoque tempore in comitio cremandos esse. pretium pro libris, quantum Q. Petillio prætori majorique parti tribunorum plebis videretur, domino esse solvendum. id scriba non accepit. libri in comitio, igne à victimariis facto, in conspectu populi cremati sunt. Urb. cond. an. 572. Coss. P. Cornel. Cethego, & M. Bæb. Tamphilo.

XXX. Magnum bellum ea æstate coortum in Hispania citeriore. ad quinque & triginta millia hominum, quantum nunquam fermè antea Celtiberi comparaverant. Q. Fulvius Flaccus eam obtinebat provinciam. is, quia armare juventutem Celtiberos audierat, & ipse, quanta poterat, à sociis auxilia contraxerat; sed nequaquam numero militum hostem æquabat. Principio veris exercitum in Carpetaniam duxit, & castra locavit ad oppidum Eburam, modico præsidio in urbe posito. Paucis pòst diebus Celtiberi, millia duo fermè inde, sub colle posuerunt castra. quos ubi adesse prætor Romanus sensit, M. Fulvium fratrem cum duabus turmis equitum equitum ad castra hostium speculatum misit; quàm proximè succedere ad vallum jussum, ut videret, quanta essent: pugna abstineret, reciperetque sese, si hostium equitatum exeuntem vidisset. Ita, ut præceptum erat, fecit. per dies aliquot nihil ultra motum, quàm ut hæ duæ turmæ ostenderentur: dein subducerentur, ubi equitatus hostium castris procurrisset. Postremò & Celtiberi omnibus simul peditum equitumque copiis castris egressi, acie directa medio fermè spatio inter bina castra constiterunt. Campus erat planus omnis, & aptus pugnæ. ibi stetere Hispani hostem expectantes. Romanus intra vallum suos continuit per quatriduum continuum, & illi eodem loco aciem instructam tenuerunt. Ab Romanis nihil motum. inde quievere in castris Celtiberi, quia pugnæ copia non fiebat: equites tantùm in stationem egrediebantur, ut parati essent, si quid ab hoste moveretur. pone castra utrique pabulatum & lignatum ibant, neutri alteros impedientes.

XXXI. Prætor Romanus, ubi satis tot dierum quiete credidit spem factam hosti, nihil se priorem moturum: L. Acilium cum alâ sinistra, & sex millibus provincialium auxiliorum circumire montem jubet, qui ab tergo hostibus erat: inde ubi clamorem audisset, decurrere ad castra eorum. nocte profecti sunt, ne posset conspici. Flaccus luce prima

NOTÆ.

8. *In conspectu populi cremati sunt.*] At inter eos distinguit Valer. Maxim. lib. 1. cap. 5. num. 12. ait enim Latinos magnâ diligentiâ asservatos: Græcos, quia aliquâ ex parte ad solvendam religionem pertinere existimabantur, crematos.

1. *Ad oppidum Eburam.*] *Ebura* Ptol. Lusitaniæ oppidum est, inter Ammæam & Norbam Cæsaream. *Ebora* prætereà duplex, alia in Bœtica, alia in Edetanis seu Sedetanis: Carpetanæ hujus non meminit, nisi *Libora* sit, ut plerique censent, quam eandem cum *Ebura* sive *Æbura* Livii, & cum *Elbora*, quæ in lib. Conciliorum Hispaniæ memoratur, faciunt Amba. Moralis, Ant. Beuterus, & Joann. Mariana: voluntque nunc *Talavera la Reina* dici ad Tagum fluvium infra confluentes Alberche ambiplex, alia in Bœtica, alia in Edetanis.

Vrb. cond. an. 572. Coss. P. Cornel. Cethego, & M. Bæb. Tamphilo.

C. Scribonium præfectum ſociûm ad vallum hoſtium cum equitibus extraordinariis ſiniſtræ alæ mittit. quos, ubi & propiùs accedere, & plures, quàm ſoliti erant, Celtiberi conſpexerunt, omnis equitatus effunditur caſtris: ſimul & peditibus ſignum ad eundum datur. Scribonius, uti præceptum erat, ubi primùm [1] fremitum equeſtrium audivit, avertit equos, & caſtra repetit. eò effuſiùs ſequi hoſtes. primò equites, mox & peditum acies aderat, haud dubiâ ſpe, caſtra [2] eo die ſe oppugnaturos. quingentos paſſus non plus à vallo aberant. Itaque ubi Flaccus ſatis abſtractos eos à præſidio caſtrorum ſuorum ratus eſt, intra vallum exercitu inſtructo, tribus partibus ſimul erumpit: clamore non tantùm ad ardorem pugnæ excitandum ſublato, ſed etiam, ut qui in montibus erant, exaudirent. nec morati ſunt, quin decurrerent, ſicut imperatum erat, [3] ad caſtra: ubi quingentorum armatorum, non amplius, relictum erat præſidium. quos quum & paucitas ſua, & multitudo hoſtium, & improviſa res terruiſſet, prope ſine certamine capiuntur caſtra. caſtris, quæ pars maximè à pugnantibus conſpici poterat, injecit Acilius ignem.

XXXII. Poſtremi Celtiberorum, qui in acie erant, primi flammam conſpexere. deinde per totam aciem vulgatum eſt, caſtra amiſſa eſſe, & tum, cum maximè, ardere: unde illis terror, inde Romanis animus crevit. jam [a] clamor ſuorum vincentium accidebat, jam ardentia hoſtium caſtra apparebant. Celtiberi parumper incertis animis fluctuati ſunt. cæterùm poſteaquàm receptus pulſis nullus erat, nec uſquam, niſi in certamine, ſpes; pertinaciùs de integro capeſſunt pugnam. Acie mediâ urgebantur acriter à quinta legione. adverſus lævum cornu, in quo ſui generis provincialia auxilia inſtruxiſſe Romanos cernebant, cum majore fiduciâ intulerunt ſigna. Jam prope erat, [1] ut ſiniſtrum cornu pelleretur Romanis, ni ſeptima legio ſucceſſiſſet: ſimul ab oppido Ebura, qui in præſidio relicti erant, in medio ardore pugnæ advenerunt, & Acilius ab tergo erat. Diu in medio cæſi Celtiberi. qui ſupererant in omnes paſſim partes capeſſunt fugam. Equites bipartito in eos emiſſi, magnam cædem edidere. ad viginti tria millia hoſtium eo die cæſa: capta quatuor millia & octingenti cum equis plus quingentis: & ſigna militaria nonaginta octo. Magna victoria, non tamen incruenta fuit. Romani de duabus legionibus milites paulò plus ducenti, ſociûm Latini nominis.

INTERPRETATIO.

a *Perveniebat ad eos clamor eorum qui hoſtium caſtra expugnabant.*

NOTÆ.

1. *Fremitum equeſtrium.*] Legit Gron. *fremitum equeſtrem.*

2. *Eo die ſe oppugnaturos.*] Accedo eidem Gronovio volenti, *expugnaturos.*

3. *Ad caſtra.*] *Celtiberorum:*

1. *Ut ſiniſtrum cornu pelleretur Romanis.*] Id eſt, *apud Romanos* ſive *ſiniſtrum cornu Romanorum.*

octingenti triginta externorum auxiliarium duo millia fermè & quadringenti ceciderunt. Prætor in castra victorem exercitum reduxit. Acilius manere in castris ab se captis jussus, postero die spolia de hostibus lecta: & pro concione donati, quorum virtus insignis fuerat. Urb. cond. an. 572. Coss. P. Cornel. Cethego, & M. Bæb. Tamphilo.

XXXIII. Sauciis deinde in oppidum Eburam devectis, per Carpetaniam [1] ad Contrebiam ductæ legiones. ea urbs circumsessa quum à Celtiberis auxilia accersisset, morantibus iis, non quia ipsi cunctati sunt, sed quia profectos à domo inexplicabiles continuis imbribus viæ & instati amnes tenebant, desperato auxilio suorum in deditionem venit. Flaccus quoque tempestatibus fœdis coactus, exercitum omnem in urbem introduxit. Celtiberi, qui domo profecti erant, deditionis ignari, quum tandem superatis, ubi primùm remiserunt imbres, amnibus, Contrebiam venissent: posteaquàm castra nulla extra mœnia viderunt, aut in alteram partem translata rati, aut recessisse hostes, per negligentiam effusi, ad oppidum accesserunt. In eos duabus portis Romani eruptionem fecerunt, & incompositos adorti fuderunt. Quæ res ad resistendum eos, & ad capessendam pugnam, impediit, quod non uno agmine nec ad signa frequentes veniebant; eadem magnæ parti ad fugam saluti fuit. Sparsi enim toto passim campo se diffuderunt: nec usquam confertos eos hostis circumvenit. tamen ad duodecim millia sunt cæsa: capta plus quinque millia hominum, equi quadringenti, signa militaria sexaginta duo. Qui palati è fugâ domum se recipiebant, alterum agmen Celtiberorum venientium, deditionem Contrebiæ, & suam cladem narrando averterunt. exemplo in vicos castellaque sua omnes dilapsi. Flaccus à Contrebia profectus, per Celtiberiam populabundus ducit legiones: multa castella oppugnavit, donec maxima pars Celtiberorum in deditionem venit.

XXXIV. Hæc in citeriore Hispania eo anno gesta. & in ulteriore Manlius prætor secunda aliquot prœlia cum Lusitanis fecit. Aquileja colonia Latina eodem anno [1] in agro Gallorum est deducta. tria millia peditum, quinquagena jugera, centuriones centena; centena quadragena equites acceperunt. tresviri deduxerunt, P. Cornelius Scipio Nasica, C. Flaminius, L. Manlius Acidinus. Ædes duæ eo anno dedicatæ sunt: [2] una Veneris

NOTÆ.

1. *Ad Contrebiam.*] Oppidum fuisse appareat non procul Carpetanorum finibus, diversum à *Contributa* Ptolemæi, quæ Turdulorum urbs in Bætica. Videtur Sanso eandem existimare cum *Caracca*, quæ Celtiberis attribuitur à Ptol. Et verò per Carpetaniam versus *Contrebiam*, eâque captâ per Celtiberiam ductus dicitur exercitus.

1. *In agro Gallorum.*] *Gallos* quidem, cùm novas sedes quærerent, eò penetrasse dictum est *lib. 39. cap. 22.* sed inde paucos. Ptol. inter Complutum & Libolò posit excesserant: Gallorum tamen agerem ponit, ubi nunc *Guadalaxara*: nodicitur, quòd hæc pars Veteriæ Orientamen tamen *Contrebiæ* propius est nomini lis à Carnis occupata fuerit, qui Carnu-*Condabora*, quæ Celtiberis attribuitur à tum haud dubiè soboles.

2. *Unæ Veneris Erycinæ.*] Deductâ relli-

Urb. cond. an. 572. Cos. P. Cornel. Cethego, & M. Bæb. Tamphilo.

Erycinæ ad portam Collinam. dedicavit L. Porcius L. F. Licinus duumvir. (vota erat ab consule L. Porcio, Ligustino bello.) altera in foro olitorio Pietatis. eam ædem dedicavit Manius Acilius Glabrio duumvir: statuamque auratam, 3 quæ prima omnium in Italia statua aurata est, patri Glabrioni posuit. Is erat, qui ipse eam ædem voverat, quo die cum rege Antiocho ad Thermopylas depugnasset, locaveratque idem ex senatusconsulto. Per eosdem dies, quibus hæ ædes dedicatæ sunt, L. Æmilius Paullus proconsul ex Liguribus Ingaunis triumphavit. Transtulit coronas aureas quinque & viginti. nec præterea quicquam auri argentique in eo triumpho latum. captivi multi principes Ligurum ante currum ducti à 4 æris trecenos militibus divisit; Auxerunt ejus triumphi famam legati Ligurum; pacem perpetuam orantes: ita in animum induxisse Ligurum gentem, nulla unquam arma, nisi imperata à populo Romano, sumere. Responsum à Q. Fabio prætore est Liguribus jussu senatûs, *Orationem eam non novam Ligiribus esse: mens vero ut nova & orationi conveniens esset, ipsorum id plurimum referre. Ad consules irent, &, quæ ab iis imperata essent, facerent. nulli alii, quàm consulibus senatum creditturum esse, sincera fide in pace Ligures esse.* Pax in Liguribus fuit. In Corsica pugnatum est cum Corsis. ad duo millia eorum M. Pinarius prætor in acie occidit. quâ clade compulsi obsides dederunt, & ceræ centum millia pondo. Inde in Sardiniam exercitus ductus: & cum Ilienſibus, gente ne nunc quidem omni parte pacata, secunda prœlia facta. Carthaginiensibus eodem anno centum obsides redditi, pacemque cum iis populus Romanus, non ab se tantùm, sed ab rege etiam Masanissa præstitit: qui tum præsidio armato agrum, qui in controversia erat, obtinebat.

XXXV. Otiosam provinciam consules habuerunt. M. Bæbius, comitiorum causa, Romam revocatus, consules creavit, A. Postumium albinum Luscum, & C. Calpurnium Pisonem. Prætores exinde facti, Tib. Sempronius Gracchus, L. Postumius Albinus, P. Cornelius Mammula, Tib. Minucius Molliculus, A. Hostilius Mancinus, C. Mœnius, ii omnes magistratum Idibus Martiis inierunt. Principio ejus anni, quo A. Postumius Albinus, & C. Calpurnius Piso consules fuerunt, ab A. Postumio consule in senatum introducti, qui ex Hispania citeriore venerant à Q. Fulvio Flacco, L. Minucius legatus, & duo tribuni militum, T. Mœnius, & L. Terentius Massa. Hi quum duo secunda prœlia, deditionem Celtiberiæ,

NOTÆ.

gione & appellatione ab *Eryce* Siciliæ urbe.

3. *Quæ prima omnium statua in Italia aurata est.*] Non placet Gronovio hoc verbum *aurandi*, quamquam probet Priscianus: non tamen illi displicet participium *aurata*, ideoque legit, *quæ prima omnium in Italia statua aurata est*, id est *quæ primùm posita est inaurata*: sed ita potest accipi Livius, ut velit hanc primam esse statuam auratam inter omnes quæ in Italia essent.

4. *Æris trecenos.*] Gallicè, *huit livres quinze sols.*

con-

confectam provinciam nunciassent; nec stipendio, quod mitti soleret, nec frumento portato ad exercitum in eum annum opus esse; petierunt ab senatu primùm, *ut ob res prosperè gestas Diis immortalibus bonos haberetur. deinde, ut Q. Fulvio decedenti de provincia deportare inde exercitum, cujus forti operâ & ipse & multi ante eum prætores usi essent, liceret: quod fieri, præterquam quod ita deberet, etiam prope necessarium esset. Ita enim obstinatos esse milites, ut non ultra retineri posse in provincia viderentur, injussuque abituri inde essent, si non dimitterentur: aut in perniciosam, si quis impensè retineret, seditionem exarsuri.* Consulibus ambobus provinciam Ligures esse senatus jussit. Prætores inde sortiti sunt. A. Hostilio urbana, Tib. Minucio peregrina obvenit; P. Cornelio Sicilia, C. Mænio Sardinia. Hispanias sortiti, P. Postumius ulteriorem, Tib. Sempronius citeriorem. Is quia successurus Q. Fulvio Flacco erat, ne vetere exercitu provincia spoliaretur, *Quæro*, inquit, *de te L. Minuci, quum confectam provinciam nuncies, existimesne Celtiberos perpetuo in fide mansuros, ita ut sine exercitu ea provincia obtineri possit? Si neque de fide barbarorum quidquam recipere aut affirmare nobis potes, & habendum illic utique exercitum censes; utrum tandem auctor senatui sis supplementum in Hispaniam mittendi? ut ii modo quibus emeritæ stipendia sint, milites dimittantur: veteribus militibus tyrones immisceantur? An deductis de provincia veteribus legionibus novas conscribendi & mittendi: quum contemptum tyrocinium etiam mitiores barbaros excitare ad rebellandum possit? Dictu quam re facilius sit, provinciam ingenio ferocem rebellatricem, confecisse. Paucæ civitates, ut quidem ego audio, quas vicina maxime biberna premebant, in jus ditionemque venerunt, ulteriores in armis sunt. quæ cum ita sint, ego jam hinc prædico, Patres Conscripti, me exercitu eo, qui nunc est, rempublicam administraturum: si deducat secum Flaccus legiones, loca pacata me ad hibernacula electurum, neque novum militem ferocissimo hosti objecturum.*

Urb. cond. an. 573. Coss. A. Postum. Albino, & C. Calpurnio Pisone.

XXXVI. Legatus ad ea, quæ interrogatus erat, respondit: *Neque se, neque quemquam alium divinare posse, quid in animo Celtiberi haberent, aut porro habituri essent. Itaque negare non posse, quin rebbius sit, etiam ad pacatos barbaros, nondum satis assuetos imperio, exercitum mitti. novo autem, an vetere exercitu opus sit; ejus esse dicere, qui scire possit, qua fide Celtiberi in pace mansuri sint: simul & qui illud exploratum habeat, quieturos milites, si diutiùs in provincia retineantur. Si ex eo, quod aut inter se loquantur, aut sucelamationibus apud concionantem imperatorem significent, quid sentiant, conjectandum sit; palam vociferatos esse, aut imperatorem in provincia retenturos, aut cum eo in Italiam venturos esse.* Disceptationem inter prætorem legatumque consulum relatio interrupit: qui suas ornari provincias, priusquàm de prætoris exercitu ageretur, æquum censebant. Novus omnis exercitus consulibus est decretus: binæ legiones Romanæ cum suo equitatu, & so-

Urb. cond. an. 573. Coss. A. Postum. Albino, & C. Calpurnio Pisone.

ciùm Latini nominis, quantus semper numerus, quindecim millia peditum, & octingenti equites. cum hoc exercitu Apuanis Ligu-ribus ut bellum inferrent, mandatum est. P. Cornelio, & M. Bæbio prorogatum imperium; jussique provincias obtinere, donec consules venissent. tum imperatum, ut dimisso, quem haberent, exercitu, reverterentur Romam. De Tib. Sempronii deinde exercitu actum est. novam legionem ei quinque millium & ducentorum peditum cum equitibus quadringentis consules scribere jussi: & mille præterea peditum civium Romanorum, quinquaginta equites: & sociis è nomine Latino imperare septem millia peditum, trecentos equites. cum hoc exercitu placuit ire in Hispaniam citeriorem Tib. Sempronium. Q. Fulvio permissum, ut qui milites ante Sp. Postumium, & Q. Marcium consules, cives Romani sociive in Hispaniam transportati essent, & præterea, supplemento adducto, quot amplius duabus legionibus, quàm decem millia, & quadringenti pedites, sexcenti equites essent; & sociùm Latini nominis duodecim millia, sexcenti equites, quorum forti operâ duobus adversus Celtiberos prœliis usus Q. Fulvius esset; eos, si videretur, secum deportaret. Et supplicationes decretæ, quod is prosperè rempublicam gessisset: & cæteri prætores in provincias missi. Q. Fabio Buteoni prorogatum in Gallia imperium est. Octo legiones, præter exercitum veterem, qui in Liguribus in spe propinqua missionis erat, eo anno esse placuit. & is ipse exercitus ægrè explebatur propter pestilentiam, quæ jàm tertium annum urbem Romanam atque Italiam vastabat.

XXXVII. Prætor Tib. Minucius, & haud ita multò post Consul C. Calpurnius moritur, multique alii omnium ordinum illustres viri: postremò, prodigii loco ea clades haberi cœpta est. C. Servilius pontifex maximus, piacula iræ Deûm conquirere jussus, decemviri libros inspicere, consul Apollini, Æsculapio, Saluti, dona vovere, & dare signa inaurata, quæ vovit deditque. Decemviri supplicationem in biduum valetudinis causâ, in urbe, & per omnia fora conciliabulaque edixerunt: majores duodecim annis omnes coronati, & lauream in manu tenentes supplicaverunt. [a] Fraudi quoque humanæ insinuaverat suspicio animis: & veneficii quæstio ex senatusconsulto, quod in urbe propiusve urbem decem millibus passuum esset commissum, C. Claudio prætori, qui in locum Tib. Minucii erat suffectus; ultra decimum lapidem per fora conciliabulaque C. Mænio, priusquàm in Sardiniam provinciam trajiceret, decreta. Suspecta consulis erat mors maximè. necatus à Quarta Hostilia uxore dicebatur. ut quidem filius ejus Q. Fulvius Flaccus in locum vitrici consul est declaratus; aliquantò magis infamis mors Pisonis cœpit esse: & testes existebant, qui post declaratos consules Albinum & Pisonem, quibus comitiis Flaccus

INTERPRETATIO.

a *In hominum animos irrepserat suspicio pestilentia per malas artes immissa, ut veneni dolo malo pluribus propinati.*

tulerat repulsam, & exprobratum ei à matre dicerent, quod jam ei tertium negatus consulatus perenti esset: & adjecisse, pararet se ad petendum: intra duos menses effecturam, ut consul fieret. Inter multa alia testimonia ad causam pertinentia, hæc quoque vox nimis vero eventu comprobata, valuit, cur Hostilia damnaretur. Veris principio hujus, dum consules novos delectus Romæ tenet; mors deinde alterius, & creandi comitia consulis in locum ejus, omnia tardiora fecerunt; interim P. Cornelius, & M. Bæbius, qui in consulatu nihil memorabile gesserant, in Apuanos Ligures exercitum induxerunt. Urb. cond. an. 573. Cos. A. Postum. Albino, & C. Calpurnio Pisone.

XXXVIII. Ligures, qui ante adventum in provinciam consulum non expectassent bellum, improviso oppressi, ad duodecim millia hominum dediderunt se. Eos, consulto per literas priùs senatu, deducere ex montibus in agros campestres procul ab domo, ne reditûs spes esset, Cornelius & Bæbius statuerunt: 1 nullum alium ante finem rati fore Ligustini belli. Ager publicus populi Romani erat in Samnitibus, 2 qui Taurasinorum **** traducere Ligures Apuanos vellent; edixerunt, Ligures 3 ab Anido montibus descendere cum liberis conjugibusque: sua omnia secum portarent. Ligures sæpè per legatos deprecati, ne penates, sedem in qua geniti essent, sepulchra majorum, cogerentur relinquere, arma, obsides pollicebantur. posteaquam nihil impetrabant, neque vires ad bellandum erant, edicto paruerunt. Traducti sunt publico sumptu ad quadraginta millia liberorum capitum cum fœminis puerisque. 4 argenti data centum & quinquaginta millia sestertiûm, unde in novas ædes compararent quæ opus essent. agro dividendo dandoque, iidem, qui traduxerant, Cornelius & Bæbius præpositi. postulantibus tamen ipsis, quinqueviri ab senatu dati, quorum ex consilio agerent. Transacta re, quum veterem exercitum Romam deduxissent, triumphus ab senatu est decretus.

NOTÆ.

1. *Nullum alium ante finem.*] Redundare videtur *Tò anto.*

2. *Qui Taurasinorum.*] Supple quæ hic desunt, ex Sigonii sententia, quæ mihi non improbabilis videtur, *qui Taurasinorum fuerat: in eum eum traducere*, &c. Sigon. & Camillus Peregrinus pro *Taurasinis* legunt *Tauraninos* à *Taurario* Bruttiorum oppido, cujus ruinæ tertio milliari à *Seminario* in Calabria ulteriori.

3. *Ab Anido montibus descendere.*] Divinat Cluver. legendum, *ab Anido monte ut descenderent*: divinat etiam *Anidum* montem eum fortè esse, qui *Macram* effundit flumen, & vulgò nunc appellatur, *monte Borgada*, & *monte Borgalla*. Felicius, ni fallor, Muretus, *edixerunt ut Ligures Apuani de montibus descenderent:* aut, quod idem est, *Ligures Apuanos de montibus descendere.*

4. *Argenti data centum & quinquaginta millia.*] Adjiciendum putat Glar. *sestertiûm.* Nam si pondo intelligamus nimis magnam futuram putat summam, & quantam in ablegatos Ligures erogare voluisse Romanos non fit verisimile. Reverâ, si pondo fuerint, efficientur ferè quinquies centena & quadraginta librarum nostrarum, Gallicè, *cinq millions quatre cens mille livres*: Sed si *sestertios* dixerimus, exigua admodum summa erit, in quadraginta millia liberorum capitum: essent enim tantùm quindecim millia librarum.

Urb. cond. an. 573. Coss. A. Postum. Albino, & C. Calpurnio Pisone.

Hi omnium primi nullo bello gesto triumpharunt. tantum hostes ducti ante currum: quia nec quid ferretur, neque quid duceretur captum, neque quid militibus daretur, quicquam in triumphis eorum fuerat.

XXXIX. Eodem anno in Hispania Fulvius Flaccus prætor, quia successor in provinciam tardiùs veniebat, x educto exercitu ex hibernis, ulteriorem Celtiberiæ agrum, unde ad deditionem non venerant, institit vastare. quâ re irritavit magis, quàm conterruit animos barbarorum: & clam comparatis copiis 1 saltum Manlianum, per quem transiturum exercitum Romanum satis sciebant, obsederunt. In Hispaniam ulteriorem eunti L. Postumio Albino collegæ Gracchus mandaverat, ut Q. Fulvium certiorem faceret, Tarraconem exercitum adduceret. ibi dimitti veteranos, supplementaque distribuere, & ordinare omnem exercitum sese velle: dies quoque, & ea propinqua, edita Flacco est, quâ successor esset venturus. Hæc nova allata res, omissis quæ agere instituerat, Flaccum raptim deducere exercitum ex Celtiberia quum coegisset; barbari, causæ ignari, suam defectionem, & clam comparata arma sensisse eum, & pertimuisse rati, eò ferociùs saltum insederunt. Ubi eum saltum primâ luce agmen Romanum intravit, repentè ex duabus partibus simul exorti hostes Romanos invaserunt. quod ubi vidit Flaccus, primos tumultus in agmine per centuriones stare omnes suo quemque loco, & arma expedire jubendo, sedavit: & sarcinis jumentisque in unum locum coactis, copias omnes partim ipse, partim per legatos tribunosque militum, ut tempus & locus postulabat, sine ulla trepidatione instruxit; cum bis dedicis rem esse admonens. *Scelus & perfidiam illis, non virtutem nec animum accessisse. Reditum ignobilem in patriam, clarum ac memorabilem eos sibi fecisse: cruentos ex recenti cæde hostium gladios, & manantia sanguine spolia, Romam ad triumphum delaturos.* Plura dici tempus non patiebatur. invehebant se hostes, & in partibus extremis jam pugnabatur. deinde acies concurrerunt.

XL. Atrox ubique prœlium, sed variâ fortuna erat. egregiè legiones, nec segnius duæ alæ pugnabant: externa auxilia [a] ab simili armatura, meliore aliquantum militum genere urgebantur, nec locum tueri poterant. Celtiberi ubi ordinatâ acie, & signis collatis se non esse pares legionibus senserunt, [b] cuneo impressionem fecerunt. quo tantùm valent genere pugnæ, ut [1] quagno Legionis.

5 10 15 20 25 30

INTERPRETATIO

[a] *A Celtiberis Hispani auxiliares Romanorum, qui & ipsi Hispanico more armati, sed fortitudine inferiores.*

[b] *Acie cuneatâ, sive in acumen ordinatâ, & impetum dederunt.*

NOTÆ.

1. *Saltum Manlianum.*] Fait, opinor, hic *saltus* in *Vaccæorum & Vettonum* confinio, apud quos oppidum *Manliana*, nunc vulgò *Malten*, ut censet Mariana. Aliis est *Villafranca* ad *Tormesim* in re-

1. *Quacumque parte perculere impetu suo.*] Tan. Faber venustiùs arbitratur, *quamcumque in partem perculere impetum fuum.*

cumque parte perculère impetu suo, sustineri nequeant. tunc quoque turbatæ legiones sunt, propè interrupta acies. Quam trepidationem ubi Flaccus conspexit, equo advehitur ad legionarios equites: &, [2] *Ecquid auxilii in vobis est? Actum jam de hoc exercitu erit?* quum undique acclamassent, quin ederet quid fieri velit, non segniter imperium executuros: *Duplicate turmas*, inquit, *duarum legionum equites, & permittite equos in cuneum hostium, quo nostros urgent. id [3] cum majore vi equorum facietis, si effrenatos in eos equos immittitis:* quod sæpè Romanos equites cum magna laude feciſſe ſua, memoriæ proditum est. Dicto parueruntdetractisque frænis bis ultrò citroque cum magna strage hostium infractis omnibus hastis transcurrerunt. Dissipato cuneo, in quo omnis spes fuerat, Celtiberi trepidare, & propè omissa pugna locum fugæ circumspicere. 4 Et [1] alarii equites, postquàm Romanorum equitum tam memorabile facinus vidêre, & ipsi virtute eorum accensi, sine ullius imperio, in perturbatos jam hostes equos immittunt. Tunc verò Celtiberi omnes in fugam effunduntur, & imperator Romanus aversos hostes contemplatus, ædem Fortunæ Equestri, Jovique optimo maximo ludos vovit: cæduntur Celtiberi per totum saltum dissipati fugâ. Decem & septem millia hostium cæsa eo die traduntur: vivi capti plus tria millia, decentis septuaginta septem cum signis militaribus: equis prope mille centum. Nullis castris eo die victor exercitus mansit: victoria non sine jactura militum fuit. quadringenti septuaginta duo milites Romani, sociûm ac Latini nominis mille decem & novem, cum his tria millia militum auxiliariorum perierunt. ita victor exercitus, renovatâ priore gloriâ, Tarraconem est perductus. Venienti Fulvio Tib. Sempronius prætor, qui biduo antè venerat; obviàm processit: gratulatusque est, quòd rempublicam egregiè gessisset. cum summa concordia, quos dimitterent, quosque retinerent milites, composuerunt. Inde Fulvius exauctoritatis militibus in naves impositis, Romam est profectus. Sempronius in Celtiberiam legiones duxit. consules ambo in Ligures exercitum induxerunt, diversis partibus. Urb. cond. an. 573. Coss. A. Postum. Albino, & C. Calpurnio Pisone.

XLI. Postumius primâ & tertiâ legione [2] Baliſtam Suismontiumque montes obsedit. & premendo præsidiis angustos saltus eorum, commeatus intercluſit: inopiaque omnium rerum eos perdomuit. Fulvius secun-

NOTÆ.

2. *Et ecquid auxilii.*] Conjicit Gronscribendum, *& ni quid in vobis auxilii est, actum jam de hoc exercitu erit.* Sed idem, nec minori elegantiâ efficit interrogatio illa vulgata, ac simplex hæc enunciatio.

3. *Cum majore vi equorum.*] Non immeritò delendum putat Tan. Faber *Tè equorum:* parùm quippe elegans videtur tertia intra duos versus nominis ejusdem repetitio, quæ nec necessaria est.

4. *Et alarii equites.*] Nimirùm *socialis* seu *Latini nominis.*

1. *Baliſtam Suiſmontiumque.*] Hi montes pars sunt Apennini in finibus Liguriæ. Censetque Cluver. eos esse montes, qui ad *Labonia* sive *Entella* ac *Sturla* fontes, hodie vulgaribus appellationibus di-

Urb. cond. an. 573. Coss. A. Postum. Albino, & C. Calpurnio Pisone.

dâ & quartâ legione adortus à Pisis Apuanos Ligures, [a] qui eorum circâ Macram fluvium incolebant, in deditionem acceptos, ad septem millia hominum in naves impositos, præter oram Etrusci maris Neapolim transmisit. inde in Samnium traducti, agerque his inter populares datus est. Montanorum Ligurum ab A. Postumio vineæ cæsæ, frumentaque deusta: donec cladibus omnibus belli coacti in deditionem venerunt, armaque tradiderunt. Navibus inde Postumius ad insulam oram Ingaunorum Intemeliorumque Ligurum processit. Priusquàm hi consules venirent ad exercitum, qui Pisas indictus erat, præerant A. Postumius, & frater Q. Fulvii M. Fulvius Nobilior. secundæ legionis Fulvius tribunus militum erat: [2] is mensibus suis dimisit legionem. jurejurando adactis centurionibus, æs in ærarium ad quæstores esse delaturos. Hoc ubi Placentiam (nam eo forè erat profectus) Postumio nunciatum est, cum equitibus expeditis secutus dimissos, quos eorum potuit assequi, [3] deduxit castigatos Pisas. de cæteris consulem certiorem fecit. Eo referente senatusconsultum factum est, ut M. Fulvius in Hispaniam relegaretur ultra novam Carthaginem. [4] Literæque ei datæ sunt à consule ad P. Manlium in Hispaniam ulteriorem deferendæ. Milites jussi ad signa redire. causa ignominiæ [b] [5] uti semestre stipendium in eum annum esset ei legioni, decretum. qui miles ad exercitum non rediisset, cum ipsum bonaque ejus vendere consul jussus.

XLII. Eodem anno L. Duronius, qui prætor anno superiore ex Illyrico cum decem navibus Brundusium redierat; inde in portu relictis navibus quum veniisset Romam, inter exponendas res, quas ibi gessisset, haud

INTERPRETATIO.

[a] *Eos ex Apuanis, quorum sedes prope Macram fluvium erat.*

[b] *Ut ea legio* non duodecim, sed *sex mensium duntaxat stipendium acciperet.*

NOTÆ.

centur *monte Cervera*, & *monte Penese*; unde per *Ceni* atque *Tarri* amnium valles itur ad *Parmam*, & *Macros* campos (inter *Parmam* & *Mutinam* sitos) *Letum* autem montem partem esse putat *Balistæ*. Videtur tamen *Balistæ* nominis vestigia servare pars illa Apennini, quæ non longe ab eodem situ vocatur *monte Balestra*.

2. *Is mensibus suis dimisit legionem.*] Hunc locum sic Turneb. ex Polybio interpretatur, ut cùm sex tribuni militum essent in singulis legionibus, & sic duodecim tribuni in duabus legionibus: hi vices imperandi ita inter se partiri solerent, vel comparare, ut ex semestri bini duos menses legionibus duabus imperarent. Cum igitur curandi vices ad Fulvium Nobiliorem pervenissent, is suo bimestri legionem secundam, cui præerat, dimisit.

3. *Deduxit castigatos.*] Probabilis Gronovii correctio, *reduxit*.

4. *Literaque ei datæ sunt.*] Gelenii emendatio est, cum priùs editum esset, *remitteretque; ei datæ sunt*. Suspicatur Gron. scriptum fuisse, aut scribi debere: *Senatusconsultum, literaque ei datæ sunt à consule*.

5. *Uti semestre stipendium.*] Milites, quibus stipendium non dabatur propter ignominiam, ære diruti dicebantur, auctoribus Festo & Nonio.

dubiè in [1] Regem Illyriorum Gentium latrocinii omnis maritimi causam avertit. ex regno ejus omnes naves esse, quæ superi maris oram depopulatæ essent. De his rebus legatos mississe, nec conveniendi regis potestatem factam. Venerant Romam legati à Gentio, qui, quo tempore Romani conveniendi Regis causâ venissent, ægrum fortè eum in ultimis partibus fuisse regni dicerent. Petere Gentium ab senatu, ne crederent confictis criminibus in se, quæ inimici detulissent. ad ea Duronius adjecit, multis civibus Romanis & sociis Latini nominis injurias factas in regno ejus. & cives Romanos dici Corcyræ retineri. Eos omnes Romam adduci placuit: C. Claudium prætorem cognoscere: neque antè Gentio regi legatisve ejus responsum reddi. Inter multos alios, quos pestilentia ejus anni absumpsit, sacerdotes quoque aliquot mortui sunt. L. Valerius Flaccus pontifex mortuus est. in ejus locum suffectus est Q. Fabius Labeo. P. Manlius, qui nuper ex ulteriore Hispania redierat, triumvir epulo, Q. Fulvius M. F. in locum ejus triumvir cooptatus. [a] tum prætextatus erat. De rege sacrificio sufficiendo in locum Cn. Cornelii Dolabellæ contentio inter C. Servilium pontificem maximum fuit, & L. Cornelium Dolabellam. duumvirum navalem, quem ut inauguraret pontifex, magistratu sese abdicare jubebat. recusantique id facere, ob eam rem multa duumviro dicta à pontifice, deque ea quum provocasset, certatum ad populum. quum plures jam tribus [b] introvocatæ, dicto esse audientem pontifici duumvirum juberent; mulctamque remitti, si magistratu se abdicasset; [2] ultimùm de cœlo, quòd comitia turbaret, intervenit. religio inde fuit pontificibus inaugurandi Dolabellæ. P. Cloelium Siculum inauguraruntur: [3] qui secundo loco inauguratus erat. Exitu anni, & C. Servilius Geminus pontifex maximus decessit: idem decemvir sacrorum fuit;

Urb. cond. an. 573. Coss. A. Postum. Albino, & C. Calpurnio Pisone.

INTERPRETATIO.

Nondum virilem togam induerat.

[b] *Tribus quæ jam vocata fuerant in ovile, sive intra locum comitiorum.*

NOTÆ.

1. *Regem Illyriorum Gentium.*] Hic Labeatium rex erat: ab eo inventore nomen accepit *Gentiana*.

2. *Ultimùm de cœlo.*] Hoc loco *ultimum* adverbiale est, significatque *ultimo loco*, seu *post hac* tonuisse, & sic turbata & finita fuisse comitia.

3. *Qui secundo loco inauguratus erat.*] Hunc locum Turneb. sic accepit, ut vel Dolabella aliud sacerdotium habuerit, cui ante Cloelium inauguratus fuisset; vel cùm Pontifex maximus Dolabellam inaugurare nollet, nisi duumvirata navali se abdicaret; veluti in subsidium & secundo loco Cloelium inauguraverit, si primò Dolabella non inauguraretur. Quod mihi sanè placeret, si animo ac deliberatione inauguratio fieret. Gutherius scribit *inaugurandus*: at Gron. existimat Cloelium nunc inauguratum esse regem sacrorum, cùm secundo loco Pontifex inauguratus esset, id est, ut ego arbitror, inter Pontifices secundum obtinuisse locum; verbum enim, *erat*, designat tempus præteritum, non subsequens.

Urb. cond. an. 573. Coſſ. A. Poſtum. Albino, & C. Calpurnio Piſone.

pontifex in locum ejus à collegio cooptatus eſt, Q. Fulvius Flaccus. 4 At pontifex maximus M. Æmilius Lepidus, quum multi clari viri petiſſent, & decemvir ſacrorum Q. Marcius Philippus in ejuſdem locum eſt coopatus. Et augur Sp. Poſtumius Albinus deceſſit. in locum ejus 5 P. Scipionem filium Africani augures cooptarunt. Cumanis eo anno petentibus permiſſum, 6 ut publicè Latinè loquerentur, & præconibus Latinè vendendi jus eſſet.

XLIII. Piſanis agrum pollicentibus, quo Latina colonia deduceretur, gratiæ ab ſenatu actæ. triumviri creati ad eam rem, Q. Fabius Buteo, M. & Popillii Lænates. à C. Mætio prætore (cui provincia Sardinia quum eveniſſet, additum erat, ut quæreret de veneficiis longiùs ab urbe decem millibus paſſuum) literæ allatæ, *Se jam tria millia hominum damnaſſe, &* [a] *creſcere ſibi queſtionem indiciis. aut eam ſibi eſſe deſerendam, aut provinciam dimittendam.* Q. Fulvius Flaccus ex Hiſpania rediit Romam cum magna fama geſtarum rerum, qui, quum extra urbem triumphi cauſa eſſet, conſul eſt [1] creatus cum L. Manlio Acidino; & poſt paucos dies cum militibus, quos ſecum deduxerat, triumphans urbem eſt invectus. Tulit in triumpho coronas aureas centum viginti quatuor: [2] præterea auri pondo triginta unum: [3] ſignati Oſcenſis

INTERPRETATIO.

[a] *Onus inquirendi* contra veneficos, *augeri multitudine eorum qui rei indicarentur*;

NOTÆ.

4. *At Pontifex maximus.*] Sic ſcriptum ex conjectura Sigonii: aliàs *ante Pontificem maximum Æmilius Lepidus*. Unde Gelen. *in Pontificem maximum*, quod cum Sigonio Gronovius improbat, tum quòd *in Pontificem cooptari*, vitioſum, ut ille, ſermonem putat: tum quòd ante legem Domitiam quæ jus ſubrogandorum facerdotum à collegiis ad populum tranſtulit, Pontifex maximus tributis comitiis creabatur. Ipſe ergo legit, *creato antè Pontifice maximo M. Æmilio Lepido*.

5. *P. Scipionem filium Africani.*] Ex duobus Africani filiis *Publius* major natu fuit, qui augur cooptatus dicitur, quique ſummo quidem ingenio prædituſ, ſed infirmâ fuit valetudine; & Æmilianum, (cùm liberos non haberet,) adoptavit. Ejus minor frater *Cnejus*, qui ab Antiocho captus, & patri remiſſus fuerat, à patris gloria degeneravit, ſordidamque geſſit præturam, auctore Valer. Max. lib. 3. cap. 5. & lib. 4. cap. item 5.

6. *Ut publicè Latinè loquerentur.*] Cumani Græci è Chalcide Euboeæ urbe in *Opicorum* ſive *Auſonum* regione primùm condiderant, ducibus Hippocle Cumano ex Æolide, & Megaſthene Chalcidenſi. Eam deinde occupaverant Campani: unde ſermone Græco-Barbaro incolæ hoc tempore utebantur. Nunc petunt, ut Latinâ Linguâ, quæ ex vicinia & potentia Romanorum ſine dubio paulatim irrepſerat, etiam in actis uti ſibi liceat: quod pro magno beneficio erat; cùm ſoli extra Latium Romani magiſtratus id juris haberent; qui tamen niſi Latinis verbis adiri aut reſpondere dedignabantur.

1. *Creatus cum L. Manlio Acidino.*] Q. ſcilicet Fulvius Flaccus: atque hos conſules fratres germanos fuiſſe ſcriptum eſſe in Tabulis Capitolinis, & apud Vell. lib. 2. notat Gron. tanquam rarum admodum. Oportet igitur eorum alterutrum in non ſuam familiam fuiſſe translatum adoptione.

2. *Auri pondo triginta unum.*] Gallicè, *La valeur de dix-ſept mille trois cens ſoixante livres, en lingots d'or.*

3. *Et ſignati Oſcenſis nummûm centum*

nummûm

summûm centum septuaginta tria millia ducentos. Militibus de præda quinquagenos denarios dedit: duplex centurionibus, triplex equiti, tantumdem sociis Latini nominis: & stipendium omnibus duplex. Eo anno rogatio primùm lata est ab L. Villio tribuno plebis, quot annos nati quemque magistratum peterent caperentque. inde cognomen familiæ inditum, ut Annales appellarentur. Urb. cond. an. 574. Coss. Q. Fulvio, & L. Manlio.

XLIV. Prætores quatuor post multos annos lege Bębiâ creati, quæ alternis quaternos jubebat creari. hi facti, Cn. Cornelius Scipio, C. Valerius Lævinus, Q. & Pub. Mucii Q. filii Scævolæ. Q. Fulvio & L. Manlio consulibus eadem provincia, quæ superioribus, pari numero copiæ peditum, equitum, civium, sociorum decretæ. In Hispaniis duabus Tib. Sempronio & L. Postumio cum iisdem exercitibus, quos haberent, prorogatum imperium est. & in supplementum consules scribere jussi ad tria millia peditum Romanorum trecentos equites, quinque millia sociorum Latini nominis, & quadringentos equites. P. Mucius Scævola urbanam fortitus provinciam est: & ut idem quæreret de veneficiis in urbe, & propius urbem decem millia passuum. Cn. Cornelius Scipio peregrinam, Q. Mucius Scævola Siciliam, C. Valerius Lævinus Sardiniam. Q. Fulvius consul priusquàm ullam rem publicam ageret, liberare & se & rempublicam religione votis solvendis dixit velle. vovisse, quo die postremum cum Celtiberis pugnasset, ludos Jovi optimo maximo, & ædem Equestri Fortunæ sese facturum: in eam rem sibi pecuniam collatam esse ab Hispanis. Ludi decreti, & ut duumviri ad ædem locandam crearentur. de pecunia finitur, *Ne major causa ludorum consumeretur, quàm quantæ Fulvio Nobiliori post Ætolicum bellum ludos facienti decreta esset: neve*

NOTÆ.

septuaginta millia ducentos.] Siquidem hæc pecunia *Osca* in Hispania fabrefacta, argentea, & denariorum fuit (quod probabile videtur) fient sexaginta novem millia & octingentæ nostrates libræ.

4. *Quinquagenos denarios.*] Respondet hæc summa viginti libris nostratibus.

5. *Rogatio primùm lata est ab L. Villio.*] Hinc huic L. Villio inditum cognomen *Annalis*, qui perperam L. Tullius, aut L. Julius alibi nominatur. Hic tamen non primus Annariam legem tulit (sic enim appellantur apud Festum & Lampridium in Commodo Leges de ætate Magistratuum latæ) certè ex lib. 25. discimus Scipioni Ædilitatem petenti tribunum plebis obstitisse, quòd nondum ad petendum legitima ætas esset. Sed hic admirûm Villius exactius quid de annuis Magistratuum Curulium constituit; ut scilicet Quæstores ante annum ætatis trigesimum primum non crearentur, nec Ædiles Curules ante septimum ac trigesimum; Prætores ante quadragesimum, Consules ante tertium supra quadragesimum. Quibus annis Cicero honores est assecutus; idque significat, cùm gloriatur se omnes *anno suo*, id est, legibus definito, Magistratus obtinuisse. Quæ observarunt Sigon. & Pighius.

1. *Prætores quatuor.*] Jam invaluerat ut sex quotannis crearentur.

2. *Q. & Pub. Mucii Quinti filii Scævolæ.*] Hi germani fratres collegæ in prætura fuerunt.

3. *Neve quid ad eos ludos arcesseret*, &c.] Hæc pertinent ad moderandas ludorum impensas: qua de re ante annos quatuor factum fuerat senatusconsultum,

Urb. cond. an. 574. Coss. Q. Fulvio, & L. Æmilio.

quid ad eos ludos arcesseret, cogeret, acciperet, faceret, adversus id senatusconsultum, quod L. Æmilio, Cn. Bæbio consulibus de ludis factum esset. Decreverat id senatus propter effusos sumptus factos in ludos Tib. Sempronii ædilis, qui graves non modò Italiæ ac sociis Latini nominis, sed etiam provinciis externis fuerant.

XLV. Hiems eo anno nive sæva & omni tempestatum genere fuit: arbores, quæ obnoxiæ frigoribus sunt, decusserat cunctas: & ea tum aliquanto quàm aliàs longior fuit. itaque [1] Latinas mox subitò coorta & intolerabilis tempestas in monte turbavit: instauratæque sunt ex decreto pontificum. Eadem tempestas & in Capitolio aliquot signa constravit, fulminibusque complura loca deformavit; ædem Jovis Tarracinæ, ædem albam Capuæ, portamque Romanam, muri pinnæ aliquot locis decussæ erant. Hæc inter prodigia, nunciatum & ab Reate, *tripedem natum mulum*, ob ea decemviri jussi adire libros edidere, quibus Diis, & quot hostiis sacrificaretur: & ob fulminibus complura loca deformata, ad ædem Jovis ut supplicatio diem unum esset. Ludi deinde votivi Q. Fulvii consulis per dies decem magno apparatu facti. Censorum inde comitia habita: creati, M. Æmilius Lepidus pontifex maximus, & M. Fulvius Nobilior, qui ex Ætolis triumphaverat. Inter hos viros nobiles inimicitiæ erant; sæpè multis in senatu, & ad populum atrocioribus celebratæ certaminibus. Comitiis confectis, ut traditum antiquitùs est censores in campo ad aram Martis sellis curulibus consederunt; quo repentè principes senatorum cum agmine venerunt civitatis: inter quos Q. Cæcilius Metellus verba fecit.

XLVI. *Non obliti sumus, censores, vos paulo ante ab universo populo Romano moribus nostris præpositos esse: & nos à vobis & admoneri & regi, non vos à nobis debere. indicandum tamen est, quid omnes boni in vobis aut offendat, aut certè mutatum malint. Singulos quum intuemur, M. Æmili, M. Fulvi, neminem hodie in civitate habemus, quem, si revocemur in suffragium, velimus vobis prælatum esse. ambo quum simul aspicimus, non possumus non vereri, [2] ne malè comparati sitis, nec tantum reipublicæ prosit, quod omnibus nobis egregie placetis, quàm quod alter alteri displicetis, noceat. Inimicitias per annos multos vobis ipsis graves & atroces geritis: quæ, periculum est, ne ex hac die nobis & reipublicæ, quàm vobis graviores fiant. De quibus causis hoc timeamus, multa succurrunt quæ dicerentur; [1] nisi forè implacabiles*

INTERPRETATIO.

2 *Ne non satis aptè conjuncti fueritis, & simul in eodem honore collocati.*

NOTÆ.

ne ludorum editor feras, fragulas vestes, artifices aliave quæ non nisi immodico pretio parari possent, ultra præceptum, eam in rem conquisita longiusve accersita congregaret; aut ab aliquo non tantùm invito auferret, sed nec à volente reciperet. Nunc cavetur ne quid fiat eorum quæ senatusconsulto illo vetabantur.

1. *Latinas.*] Nempe *ferias.*

1. *Nisi forte implacabiles vestra ira im-*

vestræ iræ implicaverint animos vestros. Has ut hodie, ut in ista templo finiatis simultates, quæsumus vos universi; & quos conjunxit suffragiis suis populus Romanus, hac etiam reconciliatione gratiæ conjungi à nobis sinatis. Uno animo, uno consilio legatis senatum, equites recenseatis, agatis censum, lustrum condatis. quod in omnibus ferè precationibus nuncupabitis verbis: a Ut ea res mihi collegæque meo bene & feliciter eveniat, id ita ut vere, ut ex animo velitis evenire: efficiatisque, ut quod Deos precati critis, id vos velle etiam homines credamus. T. Tatius & Romulus, in cujus urbis medio foro acie hostes concurrerant, ibi concordes regnarunt. Non modo simultates, sed bella quoque finiuntur. ex infestis hostibus plerumque socii fideles, interdum etiam cives fiunt. Albani diruta Alba Romam traducti sunt: Latini, Sabinii in civitatem accepti. Vulgata tum illud, quia verum erat, in proverbium venit: Amicitias immortales, inimicitias mortales debere esse. Fremitus ortus cum assensu: deinde universorum voces idem petentium confusæ in unum, orationem interpellarunt. Inde Æmilius questus quum alia tum bis à M. Fulvio se certo consulatu dejectum. Fulvius contrà queri, se ab eo semper lacessitum, & b: in probrum suum sponsionem factam: tamen ambo significaro, si alter vellet, se in potestate tot principum civitatis futuros. Omnibus instantibus qui aderant, dexteras fidemque dedêre, mittere vere ac finire odium. Deinde collaudantibus cunctis, deducti sunt in Capitolium, & cura supertali re principum, & facilitas censorum egregiè comprobata ab senatu, & laudata est. Censoribus deinde postulantibus, ut pecuniæ summa sibi, quâ in opera publica uterentur, attribueretur; vectigal annuum decretum est.

Urb. cond. an. 574. Coss. Q. Fulvio, & L. Manlio.

XLVII. Eodem anno in Hispania L. Postumius & Tib. Sempronius prætores comparaverunt ita inter se, ut c in Vaccæos per Lusitaniam iret Albinus, inde in x Celtiberiam reverteretur. Gracchus, quod majus ibi

INTERPRETATIO.

b *Institutam esse litem contra se, factâ de more sponsione judicati solvendi.*

NOTÆ.

placaverint.] Ita Glar. Sigonius locum desperatum asteriſco indicat. In exemplari Germanico est, *implacabiles fueritis implicaverint*: Gron. auguratur *nisi forte placabiles gravius implicarent* (vel *irritarent*) *animos vestros*: hoc addito sensu, nisi verendum foret, ne ista relata & repetita *animos vestros*, (qui nunc fortè placabiles sunt, dum ea quodam modo obliterata silentur) acriùs irritarent. Sed num potiùs: *Quæ nisi implacabiles fueritis, placaverint animos vestros.* Facilè enim potuit librarius, cùm *implacabiles* scripsisset, scribere *implacaverint* pro *placaverint*.

a. *Ut ea res mihi.*] Hæc fuit solemnis censorum precatio, de qua sic Varro lib. 5. de Ling. Latin. apud Sigon. *ubi noctu in templo censor auspicaverit, atque de cœlo nunciatum erit, præconi sic imperat, ut viros vocet: quod bonum fortunatum, felix, salutareque sit populo Romano Quiritium, reique publicæ populi Romani Quiritium, mihique, collegaque meo.*

x. *In Vaccæos per Lusitaniam.*] Appareat L. Postumium ulterioris Hispaniæ,

Urb. cond. an. 574. Coss. Q. Fulvio, & L. Manlio.

bellum esset, in ultima Celtiberiæ penetravit. 2 Mundam urbem primùm vi cepit, nocte ex improviso aggressus. acceptis deinde obsidibus, præsidioque impositio, castella oppugnare, agros urere, donec ad prævalidam aliam urbem (3 Certimam appellant Celtiberi) pervenit. ubi quum jam opera admoveret, veniunt legati ex oppido, quorum sermo antiquæ simplicitatis fuit; 4 non dissimulantium bellaturos, si vires essent. Petierunt enim, ut sibi in castra Celtiberorum ire liceret ad auxilia accipienda: si non impetrassent, tum separatim eos ab illis se consulturos. permittente Gracchoierunt, & post paucis diebus alios decem legatos secum adduxerunt. Meridianum tempus erat. nihil priùs petierunt à prætore, quàm ut bibere sibi juberet dari. Epotis primis poculis, iterùm poposcerunt; magnorisu circumstantium, in tam rudibus & moris omnis ignaris ingeniis. tum maximus natu ex iis: *Missi sumus*, inquit, *à gente nostra, qui sciscitaremur, quatandem re fretus arma nobis inferres?* Ad hanc percunctationem Gracchus, *Exercitu se egregio fidentem venisse*, respondit, *quem si ipsi visere velint, quo certiora ad suos referant, potestatem se eis facturum esse*: tribuniisque militum imperat, ut ornari omnes copias pedicum equitumque, & decurrere jubeant armatas. Ab hoc spectaculo legati missi deterruerunt suos ab auxilio circumsessæ urbi ferendo. Oppidani quum ignes nocte turribus nequicquam (quod signum convenerat) sustulissent, destituti ab unica spe auxilii, in deditionem venerunt. 5 Sestertiûm quater & vicies ab iis exactum; quadraginta nobilissimi equites: nec obsidum nomine (nam militare jussi sunt) & tamen reipsa ut pignus fidei essent.

XLVIII. Inde jam duxit 1 ad Alcen urbem, ubi castra Celtiberorum erant, à quibus venerant nuper legati. eos quum per aliquot dies, armaturam levem immittendo in stationes, lacessisset parvis prœliis, in dies majora certamina serebat, ut omnes extra munitiones eliceret. ubi quod

NOTÆ.

Prætorem fuisse, quando per *Lusitaniam Vaccæos* aditurus dicitur, venienti enim ex citeriore priores occurrerent *Vaccæi* quàm *Lusitani*.

2. *Mundam urbem primùm vi cepit.*] Nisi *Mantuam* pro *Munda* legeris, *Mundam* in Celtiberia, aut circà, non reperies, sed hinc procul in Bætica, quæ nunc *Ronda* dici creditur. Clusius tamen *Mundam* adhuc dici ait. *Mantua* vero *Carpetanorum*, si Sansonem audimus, dicebatur olim, quæ nunc *Madrid* Regum Hispaniæ hodie Regia.

3. *Certimam.*] Ad urbis hujus nomen accedit quæ nunc *Certana*; sed distat situs: est enim *Certana* oppidum regni Granatensis supra *Malacam*, procul à Celtiberorum regione; quæ pars nunc Aragoniæ & Castellæ. An vetusti nominis aliquid retinet atque indicat vicus *Cetina* in Aragoniæ & Castellæ confinio ad *Salonem* fluvium, inter *Arcos Calatayud*.

4. *Non dissimulantium bellaturos.*] Plures editiones habent *rebellaturos*, id est, *repugnaturos*, inquit Gron.

5. *Sestertiûm quater & vicies ab iis est exactum.*] Gallicà nunc monetâ furint *deux cens mille cinq cens livres*.

1. *Ad Alcen urbem.*] Memoratur in itinerario *Alces* inter *Laminium* & *Cuminarium*. Sansoni qui *Lusonibus* adscribit, est hodie *Sahelices*. A veteri vocabulo minùs diserepare *Ucles* videtur, nec situs longè abit in Castella Nova inter *Tagum* & *Anam*.

peteḃatur, ſenſit effectum, auxiliorum præfectis imperat, ut contracto certamine, tanquam multitudine ſuperarentur, repentè tergis datis ad caſtra effuſè fugerent: ipſe intra vallum ad omnes portas inſtruxit copias. Haud multùm temporis interceſſit, quum ex compoſito refugientium ſuorum agmen, poſt effuſè ſequentes barbaros conſpexit. Inſtructam ad hoc ipſum intra vallum habebat aciem. itaque tantùm moratus, ut ſuos refugere in caſtra libero introitu ſineret, clamore ſublato ſimul omnibus portis erupit. Non ſuſtinuere impetum necopinatum hoſtes. quiad caſtra oppugnanda venerant, ne ſua quidem tueri potuerunt. nam extemplo fuſi, fugati, mox intra vallum paventes compulſi, poſtremò exuuntur caſtris. Eo die novem millia hoſtium cæſa: capti vivi trecenti viginti, equi centum duodecim: ſigna militaria triginta ſeptem. de exercitu Romano centum novem ceciderunt. Urb. cond. an. 574. Coſſ. Q. Fulvio, & L. Manlio.

XLIX. Ab hoc prælio Gracchus duxit ad populandum Celtiberiam ſegiones; & quum ferret paſſim cuncta atque ageret, populique alii voluntate, alii metu jugum acciperent; [1] centum tria oppida intra paucos dies in deditionem accepit. præda potitus ingenti eſt. Convertit inde agmen retro, unde venerat, ad Alcen, atque eam urbem oppugnare inſtitit. Oppidani primum impetum hoſtium ſuſtinuerunt: deinde, quum jam non armis modò, ſed etiam operibus oppugnarentur, diffiſi præſidio urbis, in arcem univerſi conceſſerunt: poſtremò & inde, præmiſſis oratoribus, in ditionem ſe ſuaque omnia Romanis permiſerunt. Magna inde præda facta eſt. multi captivi nobiles in poteſtatem venerunt; inter quos & Turri filii duo, & filia. Regulus hic earum gentium erat, longè potentiſſimus omnium Hiſpanorum. Auditâ ſuorum clade; miſſis qui fidem venienti in caſtra ad Gracchum peterent, venit. & primùm quæſivit ab eo, [2] liceretne ſibi ac ſuis vivere? quum prætor victurum reſpondiſſet; quæſivit iterum, *ſi cum Romanis militare liceret?* id quoque Graccho permittente; Sequar, inquit, vos adverſus veteres ſocios meos, quoniam [3] illos ad me * * propiunt ſuſpicere. Secutus eſt inde Romanos, fortique ac fideli operâ multis locis rem Romanam adjuvit.

L. [1] Ergavia inde nobilis & potens civitas, aliorum circà populorum cladibus territa, portas aperuit Romanis. Eam deditionem oppidorum *haud cum fide factam*; quidâ auctores ſunt. *è qua regione abduxiſſet legiones extemploinde*

NOTÆ.

1. *Centum tria oppida.*] Mirum fuerit, ſi tot vicos in Celtiberia fuiſſe dicamus.

2. *Liceretne ſibi.*] Idem eſt ac *ſibine liceret vivere*, &c.

3. *Illos ad me * propiunt ſuſpicere.*] Forte inquit Gron. *piguit reſpicere.*

1. *Ergavia inde nobilis.*] *Ergaviam* lego in Vaſconibus Hiſpaniæ citerioris populis, ubi nunc regnum *Navarræ*; *Arguedas* hodie: verùm quoniam eſt quod ambigatur an eò pertigiſſent adhuc arma Romana, ſuſpicor *Ergaviam* pro *Ergavica* ſcriptum eſſe, quæ urbs Celtiberorum fuit, Sanſoni *Mondejar*; in *Caſtella Nova*: quanquam Cluſius & Villanovan. eam *Alcanis* appellari volunt.

Urb. cond. an. 574. Coss. Q. Fulvio, & L. Manlio.

rebellatum, magnoque eum posteà prælio 2 *ad montem Caunum cum Celtiberis à primâ luce ad sextam horam diei signis collatis pugnasse: multos utrinque cecidisse:* 3 *nec aliud magnopere victores fuisse Romanos; nisi quod postero die manentes intra vallum prælio lacessierint. Spolia per totum diem legisse; tertio die prælio majore iterùm pugnatum; & tunc demum haud dubie victos Celtiberos: castraque eorum capta & direpta esse. Viginti duo millia hostium eo die esse cæsa: plus trecentos captos: parem ferè equorum numerum: & signa militaria septuaginta duo. inde bellatum, veramque pacem, non fluxa, ut ante, fide, Celtiberos fecisse.* Eadem æstate & L. Postumium in Hispania ulteriore bis cum Vaccæis egregiè pugnasse scribunt. ad triginta & quinque millia hominum occidisse, & castra oppugnasse. Propiùs verò est, scribs in provinciam perveniſſe, quàm ut eâ æstate potuerit res gerere.

LI. Censores fideli concordiâ senatum legerunt, princeps electus est ipse censor M. Æmilius Lepidus pontifex maximus: tres ejecti de senatu, retinuit quosdam Lepidus à collega præteritos. Opera ex pecunia attributa, divisaque inter se, hæc confecerunt. Lepidus molem ad Tarracinam; a ingratum opus, quod prædia habebat ibi, 1 privatamque publicæ rei impensam ζ insuerat. b Theatrum & proscenium ad Apollinis ædem Jovis in Capitolio, 2 columnasque circà poliendas albo locavit. & ab his columnis, 3 quæ incommodè oppositæ videbantur, signa amovit: cly-

INTERPRETATIO.

a *Opus quod publicè non probabatur.*

b *Lepidus juxta ædem Apollinis theatrum, & quasi scena vestibulum.*

NOTÆ.

2. *Ad montem Caunum.*] Mons *Caunus* pars *Idubeda* in extrema septentrionem versus Celtiberia, ad confinia *Pelendonum*, unde *Moncayo*.

3. *Nec aliud magnopere victores fuisse Romanos.*] Hæc mirum in modum corrupta erant. In primo exemplari Germanico scriptum erat: *nec aliud magnopere berbice crederes fuisse Romanos, nisi quòd postero die arcessierint manentes prælio spolia intra vallum per totum diem legissent.* Sigon. sic immutavit: *cecidisse (nec aliud magnopere Ergavica credere se fecisse Romanos, nisi quod manentes intra vallum prælio lacessierint) postero die spolia*, &c. Gronovius nec parenthesin, nec *Ergavica* mentionem hic probat, cùm de prœlio, deque vallo & castris, non de obsidione, ac mœnibus agatur. Propiùs itaque ad vestigia veteris scripturæ, sic scribendum augurabatur: *nec aliud magnopere, ne vellos crederes, fecisse Romanos, nisi quòd postero die lacessierint prælio manentes intra vallum, spoliis per totam diem lectis.* Ab his non abludit, nec à primo exemplari longiùs recedit vulgata lectio. Cæterùm *manentes intra vallum* Celtiberos intellige.

1. *Privatamque publicæ rei impensam insuerat.*] Non placet Gronovio hæc Palmerii lectio: mavult *injunxerat*, aut *impoſuerat*. Gruter. conjiciebat *insumserat*. Tan. Faber *insulserat* an potiùs *inseruerat*, vel *inserserat*. Nec tamen omninò improbem Palmerianum *insuerat*: ut *insuere* metaphoricè dicatur pro *implicare, adjungere*.

2. *Columnasque circà poliendas albo.*] Pigh. *circumpoliendas albario*, sed nihil mutandum videtur.

3. *Quæ incommodè oppositæ videbantur.*] Ita mavult Gron. & *oppositæ* ex-

peaque de columnis, & signa militaria affixa omnis generis dempsit. M. Fulvius plura & majoris locavit usus. portum & pilas pontis in Tiberim; quibus pilis fornices post aliquot annos P. Scipio Africanus & L. Mummius censores locaverunt imponendos. basilicam post argentarias novas, & forum piscatorum circumdatis tabernis; quas [c] vendidit in privatum; & forum & porticum extra portam Trigeminam, & aliam post navalia, & ad fanum Herculis, & post Spei ad ædem Apollinis Medici. Habuere & [4] in promiscuo præterea pecuniam. ex ea communiter locarunt aquam adducendam, forniceſque faciendos. Impedimento operi fuit M. Licinius Craſſus, qui per fundum ſuum duci non eſt paſſus. Portoria quoque & vectigalia iidem multa inſtituerunt. complura [5] ſacella publica, quæ occupata à privatis; publicaque [6] ſacra ut eſſent paterentque populo, curarunt. Mutarunt ſuffragia: [6] regionatimque generibus hominum, cauſiſque & quæſtibus, tribus deſcripſerunt.

Urb. cond. an. 574. Coſſ. Q. Fulvio, & L. Manlio.

LII. Et alter ex cenſoribus M. Æmilius petiit ab ſenatu: ut ſibi dedicationis templorum Reginæ Junonis & Dianæ, quæ bello Liguſtino antè annis octo voviſſet, pecunia ad ludos decerneretur. [1] Viginti millia æris decreverunt. dedicavit eas ædes utramque in circo Flaminio. ludoſque ſcenicos triduum poſt dedicationem templi Junonis, biduum poſt Dianæ, & ſingulos dies fecit in circo. Idem dedicavit [2] ædem Larium Permarinûm in Campo. voverat eam annis undecim antè L. Æmilius Re-

INTERPRETATIO.

c *Ad uſum privatorum.*

NOTÆ.

plicat *obſtantia*, atque ita columnas minùs ſpectabiles reddentia. Pigh. *appoſita*, id eſt, *juxta poſita*; exiguo ad ſententiam diſcrimine.

4. *In promiſcuo præterea pecuniam.*] Ita Sigon. ſcriptus habebat *pratores* pro *præterea*: ſcribit Gron. *habuere & in promiſcuo partem peconiæ*, id eſt, opinor, pecuniæ è publico ad ſumptus faciendos erogatæ parte communiter uſi ſunt ad opera quæ ſimul locarunt.

5. *Sacella publica, quæ occupata à privatis.*] Sic Pigh. in membrana legitur *publicaque, ſua occupata à privatis*. Legendum Gronov. putat, *complura ſacella publica, quæ occupata à privatis, publica rurſus ut eſſent paterentque populo curarunt*.

6. *Regionatim generibus hominum, cauſiſque & quæſtibus tribus deſcripſerunt.*] Cùm quatuor tunc eſſent urbis regiones, totidemque tribus urbanæ; reliquæ autem tribus ruſticæ dicerentur, nominaque haberent à vicinis Italiæ regionibus, præfecturis, aut agris: hi cenſores ita tribus deſcripſerunt ut homines qui ejuſdem ordinis ac generis, & unius cauſſæ quæſtûſve, ſive artificii eſſent, ſimul ſuffragium ferrent, ita ut cùm tribus aliqua vocaretur ad ſuffragium, ſcirent qui ſenatorii & equeſtris ordinis erant, quando in ſuffragium eſſet eundum, ac deinceps alii è plebe ſuo quinque ordine, ratione artis quam exercerent, & ex qua quæſtum facerent.

1. *Viginti millia æris.*] Si aſſes ſumantur ſemunciales (quales eo jam tempore,) perexigua fuerit ſumma, nec ultra quingentas octoginta tres libras noſtrates, ſex ſeptemve aſſes erunt.

2. *Ædem Larium.*] Feriæ ſunt Laribus dedicatæ, quibus ædem bello Antiochi L. Æmil. Regillus prætor in Campo Martio curandam vovit.

Urb. cond. an. 574. Coss. Q. Fulvio, & L. Manlio.

gillus, navali prœlio adversus præfectos regis Antiochi. Supra valvas templi 3 tabula cum titulo hoc fixa est 4 *Duello magno regibus dirimendo * caput * subigendis * patrandæ pacis * hæc pugna exeunti L. Æmilio M. Æmilii filio Regillo, Prætori **, auspicio, imperio, felicitate ductuque ejus inter Ephesum, Samum, Chiumque inspectante Consule ipso, Antiocho, exercitu omni, equitatu, elephantisque Classis Regis Antiochi ante d. XI. Kal. Jan. victa, fusa, contusa, fugataque est, ibique eo die naves longæ cum omnibus sociis captæ sexaginta duæ. Ea pugna pugnata Rex Antiochus regnumque ejus ***. Ejus rei ergo 5 ædem Laribus Permarinis vovit.* Eodem exemplo tabula in æde Jovis in Capitolio supra valvas fixa est.

LIII. Biduo, quo senatum legerunt censores, Q. Fulvius consul profectus in Ligures, per invios montes vallesque saltus cum exercitu transgressus, signis collatis cum hoste pugnavit: neque tantum aeie vicit, sed castra quoque eodem die cepit. tria millia ducenti hostium, omnisque ea regio Ligurum in deditionem venit. Consul deditos in eam pestres agros deduxit, præsidiaque montibus imposuit. Celeriter & ex provincia literæ Romam venerunt. supplicationes ob eas res gestas in triduum decretæ sunt. Prætores quadraginta hostiis majoribus per supplicationes rem divinam fecerunt. Ab altero consule L. Manlio nihil memorià dignum in Liguribus est gestum. Galli transalpini tria millia hominum in Italiam transgressi, neminem bello lacessentes, agrum à consule & senatu petebant, ut pacati sub imperio populi Romani essent. Eos senatus excedere Italiâ jussit: & consulem Q. Fulvium quærere & animadvertere in eos, qui principes & auctores transeendendi Alpes fuissent.

LIV. Eodem anno Philippus rex Macedonum, senio & mœrore consumptus, post mortem filii deceſſit. Demetriade hibernabat, quum desiderio anxius filii, tum pœnitentiâ crudelitatis suæ. stimulabat animum & alter filius, haud dubiè & suâ & aliorum opinione rex; conversique in eum omnium oculi, & destituta senectus; aliis expectantibus suam mortem: aliis ne expectantibus quidem. Quo magis

NOTÆ.

3. *Tabula cum titulo.*] Ut titulus miserè laceratus extat in unica hujus libri membrana, ex qua vulgatis editio correxit aliquatenus, & prout potuit repræsentavit Sigon. nec restituere facile est. Quid enim ibi significat *Tò caput?* quid *subigendis?* quid *hæc pugna exeunt?* jam illa *inspectante consule, ipso Antiocho exercitu omni, equitatu, elephantisque;* aut falsò sunt ascripta; (procul enim aberant & Consul L. Scipio & Antiochus cùm hæc navalis pugna committeretur) aut certè extra locum posita, & referenda post sequentia verba *ea pugna pugnata:* ita ut dicatur post illa *à consule Antiochus ipso exercitu omni, equitatu, elephantisque spoliatus, regnoque* magnâ ex parte a Romanis exutus.

4. *Duello magno regibus dirimendo.*] Intelliguntur haud dubiè reges Antiochus & Eumenes: hic enim cùm à Seleuco Antiochi filio obsideretur, L. Regillum advocavit, & Regillus hunc titulum sive causam pugnæ suæ prætexuisse videtur, ut bellum inter hos reges dirimeret, pacemque componeret.

5 *Ædem Laribus Permarinis.*] *Deos marinos* intellige, seu mare peragrantes: sunt enim *Lares Permarini*, ut vetus Lexicon interpretatur, Θεοὺς ἐναλίους,

gis

gis angebatur. & cum eo [1] Antigonus Echeeratis filius, nomen patrui Antigoni ferens qui tutor Philippi fuerat, regiæ vir majestatis, nobili etiam [2] pugnâ adversus Cleomenem Lacedæmonium clarus. Tutorem eum Græci, ut cognomine à cæteris regibus distinguerent, appellarunt. Hujus fratris filius Antigonus ex honoratis Philippi amicis unus incorruptus permanserat: eique ea fides, nequaquam amicum Perseæ, inimicissimum fecerat. [3] is prospiciens animo, quanto cum periculo suo hæreditas regni ventura esset ad Perseæ; ut primùm labare animum regis, & ingemiscere interdum filii desiderio sensit: nunc præbendo aures, nunc lacessendo etiam mentionem rei temerè actæ, sæpè querenti querens & ipse aderat. & quum multa adsoleat veritas præbere vestigia sui, omni ope adjuvabat, quo maturiùs omnia emanarent. Suspecti & ministri facinoris, Apelles maximè & Philocles erant, qui Romam legati fuerant, literasque exitiales Demetrio sub nomine Flaminini attulerant. falsas esse, & à scriba vitiatas, signumque adulterinum, vulgò in regia fremebant. Urb. cond. an. 574. Coss. Q. Fulvio, & L. Manlio.

LV. Cæterum quum suspecta magis, quàm manifesta esset res, fortè [1] Xychus obvius fit Antigono, comprehensusque ab eo, in regiam est perductus. relicto eo custodibus, Antigonus ad Philippum processit. *Multis*, inquit, *sermonibus, intellexisse videor, magno te æstimaturum, si scire vera omnia possis de filiis tuis, uter ab utro petitus fraude & insidiis esset. Homo unus omnium, qui nodum hujus erroris exolvere possit, in potestate tua est Xychus.* [2] *fortè vocatum perductumque in regiam vocari juberet.* Adductus, primò ita negare inconstanter, ut parvo metu admoto, paratum esse indicem apparceret. conspectum tortoris verberumque non sustinuit: ordinemque omnem facinoris legatorum ministeriique sui expositi. Exemplo missi qui legatos comprehenderent. Philoclem, qui præsens erat, oppressêrunt: Apelles missus ad Chæream quen-

NOTÆ.

sicque Turnebus & Lilius Giraldus sentiunt.

1. *Antigonus Echeeratis filius.*] Echecrates hujus Antigoni pater, frater Antigoni, qui tutor Philippi fuerat, natus erat Alcyoneo Antigoni Gonatæ filio notho.

2. *Pugna adversus Cleomenem.*] Antigonus tutor & Δώσων cognomine, qui & Evergetes & Soter, patruus Antigoni, de quo hic agitur, Cleomenem ultimum regem Lacedæmoniorum pugnâ ad Sellasiam Laconiæ oppidum fusum fugatumque adegerat ad fugam in Ægyptum capessendam, ubi & miserè periit.

3. *Nequaquam amicum Perseæ, inimicissimum fecerat.*] Legit Gron. *neque antè amicum Perseæ:* & revera vult Livius Perseum nunquam amicum huic Antigono fuisse: postquam verò eum vidit Philippo soli adhærere, nec ad se cum reliquis Macedonum primoribus confugere, majori odio prosecutum esse.

1. *Xychus obvius fuit.*] Scribs, ni fallor; literarum, quæ Flaminino tribuebantur, adulterator.

2. *Fortè vocatum.*] Sigon. tanquam imperfectâ sententiâ reponit, *Horratur inde, ut eum fortè vocatum*, &c. *vocari juberet*. Gron. integram censet sententiam, si pro *juberet*, scribatur *jubet*: nec *vocatum vocari* patitur. Corrigit itaque *Fortè oblatum*. Tan. Faber. etiam *fortè oblatum* mavult.

Urb. cond. an. 574. Coss. Q. Fulvio, & L. Manlio.

dam perſequendum, indicio Xychi audito, in Italiam trajecit. De Philocle nihil certi vulgatum eſt. alii primò audaciter negantem, poſtquam in conſpectum adductus ſit Xychus, non ultra tetendiſſe, alii tormentis inficiantem perpeſſum affirmant. Philippo redintegratus eſt luctus geminatuſque. & infelicitatem ſuam in liberis graviorem, 3 quod alter 5
3 periiſſet, cenſebat.

LVI. Perſeus certior factus, omnia detecta eſſe, potentior quidem erat quàm ut fugam neceſſariam duceret. tantùm, ut procul abeſſet, curabat; interim velut ab incendio flagrantis iræ, dum Philippus viveret, ſe defenſurus. qui ſpe potiundi ad pœnam corporis ejus amiſſa, 10
quod reliquum erat, id ſtudere, ne ſuper impunitatem etiam præmio ſceleris frueretur. Antigonum igitur appellat, cui & palam facti parricidii gratia obnoxius erat: neque pudendum aut pœnitendum eum regem Macedonibus propter recentem patrui Antigoni gloriam fore cenſebat. *Quando in eam fortunam veni*, inquit, *Antigone, ut orbitas mihi, quam* 15
alii deteſtantur parentes, optabilis eſſe debeat; regnum, quod à patruo tuo forti, non ſolùm fideli, tutela ejus cuſtoditum & auctum etiam acceperi, id tibi tradere in animo eſt. Te unum habeo, quem dignum regni judicem. ſi neminem haberem, perire & extingui id mallem, quam Perſeo ſceleſtæ fraudis præmium eſſe. Demetrium excitatum ab inferis, reſti- 20
tutumque credam mihi, ſi te, qui morti innocentis, qui meo infelici errori unus inlacrymaſti, in locum ejus ſubſtitutum reliquam. Ab hoc ſermone omni genere honoris producere eum non deſtitit. quum in Thracia Perſeus abeſſet, circumire Macedoniæ urbes, principibuſque Antigonum commendare: & ſi vita longior ſuppetiſſet, haud dubium fuit, 25
quin eum in poſſeſſione regni relicturus fuerit. Ab Demetriade profectus, Theſſalonicæ plurimum temporis moratus fuerat. inde quum Amphipolin veniſſet, gravi morbo eſt implicitus. ſed animo tamen magis ægrum fuiſſe, quàm corpore, conſtat: curiſque & vigiliis (quum identidem ſpecies & umbræ inſontis interempti filii 1 eum diris 2 agitarent) 30
extinctum eſſe, cum execrationibus alterius. Admoveri tamen potuiſſet Antigonus, ſi haud ſtatim palam facta eſſet mors regis. Medicus Calligenes, qui curationi præerat, non expectatâ morte regis, à primis deſperationis notis, nuncios prædiſpoſitos, ita ut convenerat, miſit ad Perſeum: & mortem regis in adventum ejus omnes, qui extra regiam erant, celavit. 35

LVII. Oppreſſit igitur nec opinantes ignaroſque omnes Perſeus, & regnum ſcelere partum invaſit. Peropportuna mors Philippi fuit ad dilationem, & ad vires bello contrahendas. nam poſt paucis diebus gens

NOTÆ.

3. *Quod alter periiſſet.*] Muret. *quòd alter ſupereſſet.*

1. *Eum diris agitarent.*] Sigon. *cum terius.* Longè enim melius, inquit, *illi diris*, quod Gron. ſequitur; ſed referen- | dæ hæ duæ voces ad ſequentia, ut ſit, *extinctum eſſe eum diris execrationibus* | læ execrationes conveniunt morienti.

Baſtarnarum diu ſolicitata, ab ſuis ſedibus magnâ peditum equitumque manu Iſtrum trajecit. inde + prægreſſi qui nunciarent regi, Antigonus & Cotto: nobilis is erat Baſtarna. erat Antigonus perinvitus cum ipſo Cottone legatus ad concitandos Baſtarnas miſſus. Haud procul Amphi- Urb. cond. an. 574. Coſſ. Q. Fulvio, & L. Manlio.

5. poli 1 famæ incerti nuncii occurrerunt, mortuum eſſe regem: quæ res omnem ordinem conſilii turbavit. Compoſitum autem ſic fuerat: tranſitum per Thraciam tutum, & commeatus Baſtarnis 2 ut Philippus præſtaret. id ut facere poſſet, regionum principes donis coluerat: fide ſuâ obligatâ, pacato agmine tranſituros Baſtarnas. 3 Dardanorum gentem

10. delere propoſitum erat, inque eorum agro 4 ſedes dare Baſtarnis. duplex inde erat commodum futurum, ſi & Dardani gens ſemper infeſtiſſima Macedoniæ, temporibuſque iniquis regum imminens, tolleretur: & Baſtarnæ, relictis in Dardania conjugibus liberiſque, ad populandam Italiam poſſent mitti. 5 Per Scordiſcos inter eſſe ad mare Adriaticum, Italiamque:

15. aliâ viâ traduci exercitum non poſſe. Facilè Baſtarnis Scordiſcos iter daturos. 6 nec enim aut lingua aut moribus æquales abhorrere, & ipſos adjuncturos ſe, quum ad prædam opulentiſſimæ gentis ire vidiſſent. Inde 7 in omnem eventum conſilia commodabantur. ſive cæſi ab Romanis forent Baſtarnæ; Dardanos tamen ſublatos, prædamque ex reliquiis Baſtarnarum,

20. & poſſeſſionem liberam Dardaniæ, ſolatio fore: ſive proſperè geſtiſſent; Romanis averſis in Baſtarnarum bellum, recuperaturum ſe in Græcia quæ amiſiſſet. Hæc Philippi conſilia fuerant.

LVIII. Ingreſſi ſunt pacato agmine, fide Cottonis & Antigoni. ſed haud multò poſt famam mortis Philippi, neque Thraces commercio facile erant, neque Baſtarnæ empto contenti eſſe poterant, aut in agmine contineri, ne decederent viâ. inde injuriæ ultrò citroque fieri: quarum in dies incremento bellum exarſit. Poſtremò Thraces, quum vim ac multitudinem ſuſtinere hoſtium non poſſent, relictis campeſtribus vicis, in montem ingentis altitudinis (1 Donucam vocant) conceſſerunt.

NOTÆ.

quàm ante mortem à manibus ſilii agitato.

1. *Famæ incerti nuncii occurrerunt.*] Num *fama incerta*: id eſt, nuncii qui famam non ſatis certam aſſerebant.

2. *Ut Philippus præſtaret.*] Veteres editiones, *ut Philippus daret*, quemadmodum erat in unico libro.

3. *Dardanorum gentem.*] Hi *Dardani* Europæi in Mœſia fuere, ubi nunc pars Serviæ & Bulgariæ.

4. *Sedes dare Baſtarnis.*] Scripti *ſe fundare*: unde Gron. *ſedes fundare*, imitatione Virgilii, quanquam alio ſenſu.

——— *Saxo incolitur fundata vetuſto*
Urbis Agyllina ſedes.

5. *Per Scordiſcos.*] Gallica gens fuit à temporibus Brenni in Pannoniæ ac Mœſiæ confinio, vicina Tauriſcis, ubi nunc Raſcia & pars Boſniæ.

6. *Nec enim aut lingua aut moribus æquales abhorrere.*] Baſtarnæ tamen inter Germanicas gentes cenſentur, Scordiſci à Gallis orti.

7. *In omnem eventum conſilia commodabantur.*] Sigon. *accommodabantur.*

1. *Donucam vocant.*] *Donuca* dicitur Straboni, & *Donuum* Celtis, idem quod mons: pars ſcilicet Hæmi aut Rhodopes Thraciorum montium fuit hæc *Donuca*.

Urb. cond. an. 574. Coſſ. Q. Fulvio, & L. Manlio.

2 Quò ubi ire Baſtarnæ vellent, quali tempeſtate 3 Gallos ſpoliantes Delphos fama eſt peremptos eſſe; talis tum Baſtarnas, nequicquam ad juga montium appropinquantes oppreſſit. neque enim imbre tantum effuſo, dein creberrimâ grandine obruti ſunt, cum ingenti fragore cœli tonitribuſque & fulguribus præſtringentibus aciem oculorum, ſed fulmina etiam ſic undique micabant, ut peti viderentur corpora: nec ſolùm milites, ſed etiam principes icti caderent. itaque cum præcipiti fugâ per rupes præaltas improvidi ſternerentur, ruerentque; inſtabant quidem perculſis Thraces: ſed ipſi Deos auctores fugæ eſſe, cœlumque in ſe ruere ajebant. Diſſipati procellâ, quum tanquam ex naufragio plerique ſemermes in caſtra, unde profecti erant, redirent; conſultari quid agerent cœptum: inde orta diſſenſio; aliis redeundum, aliis penetrandum in Dardaniam, cenſentibus. Triginta fermè millia hominum (Clondico duce profecti erant) pervenerunt. cætera multitudo retro qua venerat, tranſdanubianam regionem repetiit. Perſeus potitus regno, interfici Antigonum juſſit: & dum firmaret res, legatos Romam ad amicitiam paternam renovandam, petendumque ut rex ab ſenatu appellaretur, miſit. Hæc eoanno in Macedonia geſta.

LIX. Alter conſulum Q. Fulvius ex Liguribus triumphavit. quem triumphum magis gratiæ, quàm rerum geſtarum magnitudini datum, conſtabat. Armorum hoſtilium magnam vim tranſtulit: nullam pecuniam admodum. diviſit tamen in ſingulos milites 1 tricenos æris: duplex centurionibus, triplex equiti. Nihil in eo triumpho magis inſigne fuit, quàm quod fortè evenit, ut eodem die triumpharet, quo priore anno ex prætura triumphaverat. Secundum triumphum comitia edixit, quibus creati conſules ſunt, M. Junius Brutus, A. Manlius Vulſo. Prætorum inde tribus creatis, comitia tempeſtas diremit. poſtero die reliqui tres facti, ante diem quartum Idus Martias, M. Titinius Curvus, T. Claudius Nero, T. Fontejus Capito. Ludi Romani inſtaurati ab ædilibus curulibus, Cn. Servilio Cæpione, Ap. Claudio Centone, propter prodigia, quæ evenerant. Terra movit, in foris publicis, ubi lectiſternium erat. Deorum capita, quæ in lectis erant, averterunt ſe: lanaque cum integumentis 2 quæ Jovi oppoſita fuit, decidit. de menſa oleas quoque præguſtaſſe mures, in prodigium verſum eſt. Ad ea expianda nihil ultra; quàm ut ludi inſtaurarentur, actum eſt.

NOTÆ.

2. *Quò ubi ire.*] Rectè Gron. *eum ſubire Baſtarnæ vellent.*

3. *Gallos ſpoliantes Delphos fama eſt peremptos eſſe.*] Verè fama, eaque mendax, ut antè oſtendimus. Hanc ſive hiſtoriam ſive fabulam narrant Pauſan. & Juſtin. refutat aliquatenus Strabo.

1. *Tricenos æris.*] Gallicè, *huit livres quinze ſols.*

2. *Quæ Jovi oppoſita fuit.*] Pighius ex Julio Obſequente legit, *oppoſita*: contrà tendit Gron. nec multùm intereſt.

FINIS LIBRI XL.

TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM LIBER XLI.

EPITOME EJUSDEM LIBRI.

IGNIS *in æde Veſtæ extinctus eſt. Tib. Sempronius Gracchus proconſul Celtiberos victos in deditionem accepit: monimentumque operum ſuorum,* [1] *Gracchurim oppidum in Hiſpania conſtituit. Et à Poſtumio Albino proconſule, Vaccæi ac Luſitani ſubacti ſunt.* [2] *Uterque triumphavit. Antiochus, Antiochi filius, obſes Romanis à patre datus, mortuo fratre Seleuco, qui patri defuncto ſucceſſerat, in regnum Syriæ dimiſſus. Luſtrum à cenſoribus conditum eſt: cenſa ſunt civium capita ducenta ſeptuaginta tria millia ducenta quadraginta quatuor. Q. Voconius Saxa tribunus plebis legem tulit, ne quis hæredem mulierem inſtitueret: ſuaſit legem M. Cato. extat oratio ejus. Prætereà res contra Ligures, Iſtros, Sardos, & Celtiberos à compluribus ducibus proſpere geſtas, & initio belli Macedonici continet, quod Perſeus Philippi filius moliebatur. miſerat enim ad Carthaginienſes legationem, & ab iis nocte audita erat: ſed & alias Græciæ civitates ſolicitabat.* [3] *qui, præter religionem, quod quàm multa templa magnifica multis locis erexit, Athenis Jovis Olympii, & Antiochiæ Capitolini; viliſſimum regem egit.*

NOTÆ.

1. *Gracchurim oppidum in Hiſpania conſtituit.*] Antèà *Illurcis* nominabatur, ut ſcribit Feſtus Pompejus. Verùm in honorem Tib. Sempronii Gracchi, qui eam vel inſtauravit, vel amplificavit, dicta eſt *Gracchuris*; hoc eſt, ni fallor, Gracchi urbs. Sita fuit in Vaſconibus, non procul lævâ Iberi ripâ.

2. *Uterque triumphavit.*] Ita melius quàm ut vulgò, *de utriſque triumphavit*; nam Gracchus de Celtiberis, Poſtumius Albinus de Luſitanis reverà triumpharunt.

3. *Qui præter religionem.*] Hæc & ſequentia recte Gron. ſubtexit poſt verbum *dimiſſus*, ut hæ templorum ædificationes non ad Perſeum referantur, ſed ad Antiochum Epiphanem magni Antiochi filium, cui debentur ex Polybio apud Athenæum lib. 5. ac Diodoro, quibuſcum omninò congruit Livii narratio cap. 20.

Urb. cond. an. 570. Coſſ. M. Junio Brut. & A. Manlio Vulſone.

„ JAM per omnes orbis terrarum partes victricia Populus Romanus circumtulerat arma. Italiâ ſuâ non contentus, undique diſſitas, ſejunctaſque non uno mari regiones bello aperuerat; eaſque per proſpera plurima, adverſis admodum paucis temperata magis quàm repreſſa, longè lateque pervaſerat. Hinc Europæ exteremam ad occidentem ſolem Hiſpaniam Gades uſque, trajecto Gallico atque Iberico mari, pulſiſque Carthaginienſibus, ad ſe magna ex parte converterat. Inde Hadriatici cum ultra ſinum, Græcia quà ad ortum eadem vergit Europa, afflictis præpotentium antea Macedonum rebus, reddita legibus ſuis: quin & trans Ægæos fluctus Aſia, quantum cis Tauri juga protenditur, Romanorum vires profligato Antiocho experta, majeſtatem reverebatur. Nam Africam trans ſuum quoque mare jam antè devictis dominatur Pœnis. Potentiæ denique eorum vix intactum quidquam ſupererat. Sed manebat Regum nomen & poteſtas: populique non tam ſubjectorum quàm fœderatorum titulo, ſub hujus umbra nominis, ſi non plenâ libertate, at ſaltem libertatis imagine fruebantur. Debebant amplius aliquid, aut deſtinabant urbi principi fata. Ne quid ſummæ ipſius dignitati, ſupremoque rerum omnium arbitrio deeſſet, propagandi Imperii, ac dominationis intendendæ præclaras occaſiones per ſupinos æmulorum hoſtiumque errores, vanoſve tumultus, fortuna providit. Perſei immenſas opes avaritia, inconſiderata in capiendis exequendiſve conſiliis levitas, (quæ maxima ſunt gerendis rebus magnis impedimenta) &c. primis Macedoniæ gentis regnum per fraudem indepti, nec ſinceriùs adminiſtrantis, crudelitas in populares omnibus inviſa, veſana interſentiæ quaſi fræno ſtare poterant. Itaque cum initio, tum ſitu locorum, ac viribus, hominumque & omnium rerum copiâ; tum belli quoque alea ſuperior eſſet, hiſce vitiis brevi ſibi ſuiſque perniciem attulit. Redundavit ſubinde in alios ejus caſus; nec finitimorum tantùm, ſed longinquorum etiam ruinam traxit. Macedonum exitium ſequuta cum Achaïs Carthago, atque horum cladibus convulſo cunctorum ſtatu, ubique accipiendum pariter jugum fuit, liberiſque pariter & ſociis in provinciæ tandem formam abeundum. Hæc non tam geſtorum magnitudine atque difficultatibus, quàm ditionis amplificatione magnificâ, ut progreſſu temporis contigerint, enarraturo, conſulatus repetendus eſt M. Junii Bruti, A. Manlii Vulſonis, quouſque opus hocce proceſſerat.

Supplementum Dujatii.

„ II. Anni principio Conſules Prætoreſque cum magiſtratum iniſſent, provincias ſortiti ſunt. Conſulum alteri A. Manlio Vulſoni Gallia obtigit, M. Junio Bruto Ligures. Inde Prætoribus M. Titinio Curvo Urbana, Ti. Claudio Neroni Peregrina Jurisdictio evenit. P. Ælius Ligus Siciliam, T. Æbutius Carus Sardiniam, nacti ſunt; M. alter Titinius Hiſpaniam citeriorem, T. Fonteius Capito ulteriorem. Interim Ti.

a Ex Livio infrà cap. 5. Adde Pigh. hic.

„ Sempronio Graccho & L. Poſtumio Albino prorogatum in Provincia „ cuique ſua imperium, juſſique hic ulteriorem, ille citeriorem Hiſpa- „ niam obtinere, donec Titinius & Fontejus adveniſſent. Antequam Præ- „ tores in Provincias proficiſcerentur, incendio circa forum cùm plurima „ eſſent deuſta, ædes Veneris ſine ullo veſtigio cremata eſt. Acceſſit (quod „ maximè hominum exterruit animos) Veſtæ Penetralis ignis extinctus. „ Virgo, cujus cuſtodia erat, juſſu M. Æmilii Lepidi Pontificis flagro cæſa, „ negavit ulteriùs inceriturum. His procurandis habitæ de more ſupplica- „ tiones; & paci numinum impetrandæ majoribus hoſtiis rem divinam à „ Conſulibus fieri placuit. Luſtrum ſub hæc à M. Æmilio Lepido & M. „ Fulvio Nobiliore Cenſoribus conditum eſt. Cenſa ſunt civium capita „ ducenta ſeptuaginta tria millia ducenta quadraginta quatuor.

Urb. cond. an. 525. Coſſ. M. Iun. Brutus & A. Manlio Vulſone.

Iul. Obſeq. v. Liv. Epit.

„ III. Per hæc tempora Ti. Gracchus Proprætor proſperè cœptum ſu- „ periori anno in Celtiberos bellum ſtrenuè adminiſtrabat. Is in primo ad- „ huc juventutis flore, cùm inter cæteros ætatis ejuſdem homines prudeu- „ tiâ induſtriâque excelleret, maximarum rerum agendarum ſpem & ani- „ mo ipſe conceperat, & militibus infuderat. Itaque cùm viginti hoſtium „ millia urbem ſociam Romanorum Carabim obſiderent, nihil cunctatus, „ ad ferendam opem properavit. Verùm tam arctâ obſidione ſocii preme- „ bantur, ut ad indicandum eis auxilii adventum nulla omninò patere via „ crederetur. Arduum negotium expedivit Cominii audacia. Hic equi- „ tum turmæ præfectus, Hiſpanico indutus ſago, pabulatoribus hoſtium „ ſeſe immiſcuit: cum his caſtra ingreſſus; hinc curſu ad urbem conten- „ dit, nunciatque adventare Tiberium. Oppidani ex ultima deſperatione „ ad alacritatem atque audaciam hoc nuncio excitati, obſirmatis adverſus „ omnes obſidentium inſultus animi, ſortiter repugnando, ſpatium Grac- „ cho dederunt ſolvendæ obſidionis. Hoſtes inter hæc, cum vis non pro- „ cederet, ad dolos verſi, non mediocrem in caſtra Romana tumultum „ intulerunt. Ex oppidis quæ antèà juſſu Catonis uno die nudata mœnibus „ fuerant, novam in urbem ingens multitudo confluxerat. Complegam „ loco indiderant nomen. Eo ab oppido prodeuntes ad viginti hominum „ millia, ſupplicum habitu, oleaſque manibus præferentes, in conſpe- „ ctu caſtrorum tanquam pacem oraturi ſubſtiterunt. Mox abjectis repentè „ precantium inſignibus, arma vibrantes, horribili clamore in caſtra „ irruerunt, impetu ipſo & ſono cuncta terrore complentes. Verùm ſtrau- „ dem Barbarorum pari arte Gracchus eluſit, ac retudit. Caſtris per ſi- „ mulationem fugæ deſertis, hoſtes ingreſſos ac direptioni intentos ador- „ tus non modò partem cecidit, ſed ipsâ quoque urbe, unde venerant, „ potitus eſt. Inde victoriam ſecutus, innumera oppida, bellorum cala- „ mitatibus exhauſta, ad deditionem coëgit, finitimaſque nationes per- „ domuit. Tum diviſo inopibus agro: & fœdibus populo cuique aſſignatis, „ cum omnibus Celtiberis, gentibuſque vicinis eorum ſectam ſequentibus, „ compoſito fœdere, non contemnendam Hiſpaniæ partem in amicitiam „ ditionemque Populi Romani perduxit. Id fœdus amplexi pro lege po-

Plod. Sic excerpt. apud Vat. leſ. p. 39.

Appian. In Iber. n. 278.

Oroſ. lib. 4. cap. 20.

Urb. cond. an. 575. Coſſ. M. Iun. Bruto, & A. Manlio Vulſone.

„ſteri ſunt. Hinc mirum minus videri debet quòd Polybius narrat Tſb. „Gracchum trecentas Celtiberorum urbes expugnaſſe aut evertiſſe. Quod „Poſidonius in Gracchi gratiam auctis ultra modum rebus confictum exi-

Liv. Epit. Strabo lib. 3.

„ſtimat: cùm neque regionis ſive amplitudo ſive natura, tot urbes arido „ſolo capere poſſe videatur; ipſique Hiſpani, ſi maris noſtri accolas excipias, etſi multitudine abundant, vicos potiùs quàm urbes ædificent in-

Cic. pro L. Manl.

„colantque: nec pauci in ſylvis ferinam propè vitam agant, infeſti circà „degentibus. Sed Celtiberorum nomen finitimas gentes ſœdere cum ipſis „junctas continebat: hinc Arevacos, Carpetanos, Oretanos, alioſque „circum Tagum populos: inde ad Iberum Vaſcones, apud quos Gracchu-„rim oppidum ſtatuit, perpetuum virtutis operumque ſuorum monumen-„tum. Eam urbem anteà Illurcim Hiſpani nominabant. Eâdem æſtate

Feſtus Pompeius. Oroſ. ibid.

„L. Poſtumius pro Prætore Hiſpaniam ulteriorem, adminiſtrans, ſuſis „fugatiſque hoſtibus, millia hominum quadraginta interfecit, & cum „Vaccæis Luſitanos ſubegit.

„IV. At inter hæc A. Manlium Vulſonem, cui Conſuli Galliam obve-„niſſe ſcripſimus, cùm pacata ubique Provincia, nec citra nec ultra Pa-„dum ſpem triumphi ullam oſtenderet, niſi trans Alpes: proferendi ul-„tra fines arma cupido inceſſit. Et commodùm Iſtrorum atque Illyrio-„rum motus (quanquam prædatorii magis terrâ marique excurſus erant „in ſocios, quàm bellici incurſus) ad tranſgrediendum Italiæ terminos „invitabant. Aſſuetas latrociniis gentes tædebat diuturnæ quietis. Roma-„narum quidem virium utrique periculum anteà fecerant. Illyrii pri-„mùm pluribus infracti cladibus ab Teutæ Reginæ temporibus, quam „admotis terreſtribus navalibuſque copiis pars regni mulctatam Cn.

Liv. Epit. 20. Eutrop. 3. 1. Oroſ. 4. 13. Zonar. tom. 2.

„Fulvius Centumalus & A. Poſtumius Albinus ad petendam iniquis „conditionibus pacem compulerant, annis aliquot ante belli Punici „ſecundi primordia. Nec diu poſt Iſtri, ante annos nempè tres & qua-„draginta, à P. Cornelio Scipione Aſina, & M. Minucio Ruſo Conſulibus „victi fuerant, ac magna ex parte ſubacti. Sed poſtmodum auctis cum „ſobole animis ad priſtinum inſtitutum redierant: cum novi utrobique „reges popularium impetus non modò non continerent; ſed ultrò impelle-„rent. Præerat Illyriis Gentius Pleurato genitus, is juventa ferox gentem „à patre in pace habitam armaſſe, eoque juventuti prædandi cupidæ per-„gratus eſſe dicebatur.

NOTÆ.

1. *A patre in pace habitam armaſſe.* Quinque libros qui ſuperſunt ex unico exemplari Germanico vulgati, Sigonius a nemine commentariis editis emendatos, ſe ex ingenio, licèt deficientibus manuſcriptis, correcturum profitetur, aut ubi correctionis indigeant demonſtraturum. Hujus libri & ſequentium lacunas, quæ & magnæ & multæ ſunt, ego utcumque ex paucis veterum monumentis, quæ ad nos his de rebus pervenerunt, (quoad perurgentis aſſiduè Bibliopolæ feſtinationem, meaſque ineviſabiles & publicas occupationes licebit) ſupplere conabor. Quæ quidem ſupplementa ſuis quæque initialibus di-

V. Con-

V. Consilium 2 de Istrico bello quum haberet consul, alii, gerendum extemplo, antequam contrahere copias hostes possent; alii, consulendum prius senatum censebant. Vicit sententia, 3 quæ diem non proferebat. Profectus ab Aquileja consul, castra 4 ad lacum Timavi posuit. imminet mari is lacus. Eodem decem navibus C. Furius duumvir navalis venit. Adversus Illyriorum classem creati duumviri navales erant, 5 qui tuendam viginti navibus mari superiore Anconam, veluti cardinem haberent: inde L. Cornelius dextra litora usque ad Tarentum, C. Furius læva usque ad Aquilejam tueretur. Eæ naves ad proximum portum in Istriæ fines cum onerariis & magno commeatu missæ: secutusque eum legionibus consul, quinque fermè millia à mari posuit castra. In portu emporium brevi perfrequens factum, omniaque hinc in castra supportabantur. & quò id tutius fieret, stationes ab omnibus castrorum partibus circumdatæ sunt: 6 in Istriam quæ suum præsidium stativum, repentina cohors Placentina opposita inter mare & castra: &, ut idem

Urb. cond. an. 575. Coss. M. Jun. Brutus, & A. Manlio Vulsone.

NOTÆ.

At nos suis locis insequimur;

Sinctâ literis, ad calcem Liviani totius operis subjicientur. Principium autem hujus XLI. Libri, est de rebus quas A. Manlius Consul, ex provincia sua Gallia in Istriam transgressus cum Istris egit. Sed multa hic deesse ostendit Sigon. ut fortitionem provinciarum, tum consularium tum prætoriarum: prætereà quæ de Igne Vestæ extincto; de rebus à Tib. Graccho & L. Albino in Celtiberia & Lusitania gestis; Antiocho Epiphane; de lustro à censoribus condito; de lege Q. Voconii in Epitome traduntur.

2. *De Istrico bello.*] *Istria* Extrema Italiæ regio est, versus Illyricum, cujus olim pars fuisse videtur, Venetis & Carnis finitima. Ea nomen adhuc retinet sub ditione partim Venetorum, partim Austriacorum. Ab *Istro* flumine, sive is Danubius est, quem Colchi missi ab Ææte rege, à Ponto intraverunt; alveo deinde Savi fluminis penitùs invecti, cùm vestigia Argonautarum insequerentur, sive potiùs ab alio flumine in Adriaticum defluente, qui post *Aquilis* & *Nauportus*: hodie vulgò *Quieto* dicitur, vel potiùs *Formione*: qui sex millia passuum à Tergeste in Adriaticum effunditur. Nisi potiùs veteres *Timavum* per subterraneos meatus è Danubio originem trahere crediderunt.

3. *Quæ diem non proferebat.*] Gallicè *qui ne vouloit point de delay.*

4. *Ad lacum Timavi.*] *Timavus* lacus nunc vulgo *della Pietra Rossa*, non plus uno milliari distat à mari: portus autem *Timavi* ipsum fluminis ostium est.

5. *Qui tuendam viginti navibus mari superiore Anconam veluti cardinem haberent.*] Favet non immeritò Sigon. emendationi Florebelli, quam Mureto Gron. adscribit: *qui tuenda viginti navibus mari superiora Anconam velut cardinem haberent.*

6. *In Istriam, quæ suum præsidium stativum.*] Legit rectè Gron. *in Istriam*

Urb. cond. an. 575. Coſſ. M. Junio Bruto, & A. Manlio Vulſone.

aquatoribus ad fluvium eſſet præſidium, M. Æbutius tribunus militum ſecundæ legionis duos manipulos militum adjicere juſſus eſt. T. & C. Ælii tribuni militum legionem tertiam, quæ pabulatores & lignatores tuerentur, via quæ Aquilejam fert, duxerant. Ab eadem regione mille fermè paſſuum caſtra erant Gallorum: Carmelus pro regulo erat tribus aut amplius millibus armatorum.

VI. Iſtri, ut primùm ad lacum Timavi caſtra ſunt Romana mota, ipſi poſt collem occulto loco conſederunt: & inde obliquis itineribus agmen ſequebantur, in omnem occaſionem intenti: nec quicquam eos, quæ terrà marique agerentur, fallebat. Poſtquàm [1] ſtationes invalidas eſſe pro caſtris, eorum turba inermis frequens inter caſtra & mare mercantium, ſine ullo terreſtri aut maritimo munimento viderunt; duo ſimul præſidia, Placentinæ cohortis, & manipulorum ſecundæ legionis, aggrediuntur. Nebula matutina texerat inceptum: quâ dilabente ad primum tenorem ſolis, perlucens jam aliquid, incerta tamen, ut ſolet, lux ſpeciem omnium multiplicem intuenti reddens, tum quoque fruſtrata Romanos, multò majorem iis quàm erat, hoſtium aciem oſtendit: quâ territi utriuſque ſtationis milites, ingenti tumultu quum in caſtra confugiſſent, [a] haud paulò ibi plus, quàm quod ſecum ipſi attulerant, terroris fecerunt. Nam neque dicere quid fugiſſent, nec percontantibus reddere reſponſum poterant: & clamor in portis (ut ubi nulla eſſet ſtatio, quæ ſuſtineret impetum) audiebatur: & concurſatio in obſcuro incidentium aliorum in alios incertum fecerat, an hoſtis intra vallum eſſet. Una vox audiebatur, ad mare vocantium. Id fortè temerè ab uno exclamatum totis paſſim perſonabat caſtris. Itaque primò velut juſſi id facere, pauci armati, major pars inermes, ad mare decurrunt: dein plures; poſtremò prope omnes, & ipſe conſul; quum fruſtra revocare fugientes conatus, nec imperio, nec auctoritate, nec precibus, ad extremum valuiſſet. Unus remanſit M. Licinius Strabo, tribunus militum tertiæ legionis, cum tribus ſignis ab legione ſuâ relictus. Hunc in vacua caſtra impetu facto Iſtri, quum alius armatus iis nemo obviam eſſet, [2] in prætorio inſtruentem atque adhortantem ſuos oppreſſerunt. Prælium atrocius quàm pro paucitate reſiſtentium fuit: nec antè finitum eſt, quàm

INTERPRETATIO.

a *Multò majori motu eos qui in caſtris erant, affecerunt atque impleverunt, quàm quo ipſi eo fugientes laborabant.*

NOTÆ.

verſum præſidium ſtativum, repentina cohors Placentina appoſita inter mare & caſtra.

1. *Stationes invalidas eſſe pro caſtris eorum turma inermis.*] Rectè Joſ. Scaliger loco pronominis *eorum*, ad marginem ſcripſiſſe videtur *forum*: unde Gronovius legit: *forum turmâ inermi frequens inter caſtra & mare mercantium ſine ullo terreſtri munimento.*

2. *In Prætorio.*] Gallicè *près de la tente du General*;

tribunus militum, quique circa eum constiterant, interfecti sunt. Prætorio dejecto, direptis quæ ibi fuerunt, 3 ad Quæstorium forum, Quintanamque, hostes pervenerunt. Ibi quum omnium rerum paratam expositamque copiam, & stratos lectos in quæstorio invenissent, regulus accubans epulari cœpit. mox idem cæteri omnes armorum hostiumque obliti faciunt: &, ut quibus insuetus liberalior victus esset, avidius vino ciboque corpora onerant. Urb. cond. an. 575. Cos. M. Junio Bruto, & A. Manlio Vulsone.

VII. Nequaquam eadem est tum rei forma apud Romanos: terra mari trepidatur, nautici tabernacula detendunt, commeatumque in litore expositum in naves rapiunt: milites in scaphas & mare territi ruunt: nautæ metu ne complcantur navigia, alii turbæ obsistunt, alii ab litore naves in altum expellunt. inde certamen, mox etiam pugna cum vulneribus & cæde inviccm militum nautarumque oritur, donec jussu consulis procul à terra classis submota est. Secernere inde inermes ab armatis cœpit, vix mille docenti ex tanta multitudine, qui arma haberent, perpauci equites, qui equos secum eduxissent, inventi sunt: cætera deformis turba, velut lixarum calonumque, præda verè futura, si belli hostes meminissent. 1 Tunc demùm nuncius ad tertiam legionem revocandam, & Gallorum præsidium: & simul ex omnibus locis ad castra recipienda, deinemque ignominiam rediri cœptum est. tribuni militum tertiæ legionis 2 pabulum lignaque projicere jubent: centurionibus imperant, ut graviores ætate milites binos in ea jumenta, ex quibus onera dejecta erant, imponant: equites, ut singulos è juvenibus pedites secum in equos tollant. *Egregiam gloriam legionis fore, si castra, a metu secundarum amissa, sua virtute recipiant: & recipi facile esse, si in præda occupati barbari subito opprimantur: 3 sicut ceperint, posse capi.* Summa militum alacritate adhortatio audita est. Ferunt citati signa, nec signiferos armaci mo-

INTERPRETATIO.

a *Qua secunda legionis milites per metum amiserant.*

NOTÆ.

3. *Ad Quæstorium forum, Quintanamque.*] Gallice *dans la place qui estoit devant la tente du Thresorier, & dans la grande rue qui separoit le quartier des hauts Officiers d'avec celuy des simples soldats.*

1. *Tunc demùm nuncius ad tertiam legionem revocandam & Gallorum præsidium.*] Fruſtra huic loco, qui sanus erat, mederi voluit Sigon. duas voces post nomen *præsidium*, adjiciendo; nempè *opprimendum venit*: quarum hæc minùs necessaria; (satis enim intelligitur, aut *venit*, aut *missus ipse nuncius*, aut quid simile) prior autem vox *opprimendum*, non modò non desideratur, sed contra mentem auctoris inseretetur; *Gallorum* enim *præsidium* non *opprimendum*, sed defendendum Romanis erat: Galli quippe illi in Romanorum partibus.

2. *Pabulum lignaque projicere jubent.*] Iusserunt nempe Tribuni jumenta ligonis & pabulo, quibus onusta erant, exonerari; ut milites jumentis ipsis ad iter adversus hostes fortiandum uterentur.

3. *Sicut ceperint, posse capi.*] Fieri posse jubebant, ut Iſtri incogitantes caperen-

Ueb. cond. an. 575. Coss. M Iunio Bruto, & A. Manlio Vulsone.

rantur: priores tamen consul copiæque, quæ à mari reducebantur, ad vallum accesserunt. L. Aruns tribunus primus secundæ legionis, non hortabatur modò milites, sed docebat etiam, *Si victores Istri, quibus armis cepissent castra, iisdem capta retinere in animo haberent, primum exutum castris hostem ad mare persecuturos fuisse, deinde stationes certè pro vallo habituros. vino somnoque veri simile esse mersos iacere.*

VIII. Sub hæc A. Bæculonium signiferum suum, notæ fortitudinis virum, inferre signum iussit. Ille * si unum se sequerentur, [1] quo celeriùs fieret, facturum dixit: connixusque, quum trans vallum signum trajecisset, primus omnium portam intravit. Et parte aliâ T. & C. Ælii tribuni militum tertiæ legionis cum equitatu adveniunt. confestim & quos binos onerabant in jumenta impositos secuti; & consul cum toto agmine. At Istrorum pauci, [2] qui modicè vinosi erant, memores fuerunt fugæ; aliis somno mors continuata est: integraque sua omnia Romani, præterquàm quòd vini cibique absumptum erat, receperunt. Ægri quoque milites, qui in castris relicti fuerant, postquàm intra vallum suos senserunt, armis arreptis eadem ingentem fecerunt. Ante omnes insignis opera fuit C. Popilii equitis. Sabello cognomen erat. is pede saucio relictus, longè plurimum hostium occidit. Ad octo millia Istrorum sunt cæsa, captus nemo. quia ira & indignatio immemores prædæ fecit. Rex tamen Istrorum temulentus ex convivio raptim à suis in equum impositus fugit. Ex victoribus ducenti triginta septem milites perierunt; plures in matutina fuga quàm in recipiendis castris.

IX. Forte ita evenit, ut Cn. & L. Gavilli, * novelli Aquilejenses, cum commeatu venientes, ignari propè in capta castra ab Istris inciderent. Ii quum Aquilejam relictis impedimentis refugissent, omnia terrore ac tumultu, non Aquilejæ modò, [1] sed Romæ quoque post paucos dies implerunt: quo non capta tantùm castra ab hostibus, nec fuga quæ vera erat,

INTERPRETATIO.

a *Aquilejæ colonia recentes civet.*

NOTÆ.

tur in castris Romanorum, eadem facilitate, qua ipsi eadem capserant.

1. *Quocelerius fieret facturum dixit.* Congruentius erit responsum si ex mente Gronov. corrigas, scribentis: *notæ rè sequantur milites. Id aliàs factum, fortitudinis virum inferre signum jussit. Ille unum, si se sequerentur, quo celerius fieret, facturum dixit.* id est, hoc solum respondit se signum in hostes jacturum; sive, non tantùm illaturum, quod jubebatur; sed, modò milites sequerentur, illud faciendo effecturum; ut quàm citissimè illud ad hostes perveniret. Confirmatur ea sententia hoc libri 26. loco. *Secundi hastati signum admonuerunt in medios eos minitans, ni se propere signum inferrent.* Iactum milites. Id aliàs factum, ut lib. 34. cap. 46. *ut milites ad recuperanda de manibus hostium signa fortiùs dimicarent.*

2. *Qui modicè vinosi erant.*] Dicuntur *vinosi* propriè qui vino dediti sunt: sed hic *vinosi* pro ebriis & temulentis.

1. *Sed Romæ quoque post paucos dies implerunt.*] Non quòd Romam profe-

ſed perditas res deletumque exercitum omnem, allatum eſt. Itaque, quod in tumultu fieri ſolet, delectus extra ordinem non in urbe tantùm, ſed toâ Italiâ indicti. Duæ legiones civium Romanorum conſcriptæ, & decem millia peditum cum equitibus quingentis ſociis nominis Latini imperata. M. Junius conſul tranſire in Galliam, & ab civitatibus provinciæ ejus, quantum quæque poſſet, militum exigere juſſus. Simul decretum, *ut Ti. Claudius prætor militibus legionis quartæ, & ſociſm Latini nominis quinque millibus, equitum ducentis quinquaginta, Piſas ut convenirent, ediceret, eamque provinciam, dum conſul inde abeſſet, tutaretur: M. Titinius prætor legionem primam, parem numerum ſociorum peditum equitumque Arimini convenire juberet.* Nero paludatus Piſas in provinciam eſt profectus. Titinius C. Caſſio tribuno militum Ariminum, qui præeſſet legioni, miſſo, delectum Romæ habuit. M. Junius conſul ex Liguribus in Provinciam Galliam tranſgreſſus, auxiliis, protinùs per civitates Galliæ, militibuſque colonis imperatis, Aquilejam pervenit. Ibi certior factus, exercitum incolumen eſſe, ſcriptis literis Romam ne tumultuarentur, ipſe remiſſis auxiliis quæ Gallis imperaverat, ad collegam eſt profectus. Romæ magna ex nec opinato lætitia fuit: delectus omiſſus eſt. exautorati qui ſacramento dixerant: & exercitus, qui Arimini peſtilentiâ affectus erat, domum dimiſſus. Iſtri magnis copiis, quum caſtra haud procul conſulis caſtris haberent, poſtquam alterum conſulem cum exercitu novo adveniſſe audierunt, paſſim in civitates dilapſi ſunt: conſules Aquilejam in hiberna legiones reduxerunt.

X. Sedato tandem iſtrico tumultu Senatuſconſultum factum eſt, ne conſules inter ſe compararent, uter eorum ad comitia habenda Romam rediret. Quum abſentem Manlium tribuni plebis, A. Licinius Nerva, & C. Papirius Turdus, in concionibus lacerarent, rogationemque promulgarent, ne Manlius poſt Idus Martias (prorogatæ namque conſulibus jam in annum provinciæ erant) imperium retineret: uti cauſam extemplo dicere, quum abiſſet magiſtratu, poſſet; huic rogationi Q. Ælius collega interceſſit, magniſque contentionibus obtinuit, ne perferretur. Per eos dies Tib. Sempronius Gracchus, & L. Poſtumius Albinus ex Hiſpania Romam quum revertiſſent, ſenatus iis à M. Titinio prætore datus in æde Bellonæ, [1] ad differendas res quas geſſiſſent, poſtulandoſque honores meritos, ut Diis immortalibus haberetur honos. Eodem tempore & in Sardinia magnum tumultum eſſe, literis T. Æbutii prætoris co-

Urb. cond. an. 575. Coſſ. M. Junio Bruto, & A. Manlio Vulſone.

NOTÆ.

Æti ſint hi Gavillii: ſed quòd rumor ab ipſis ſparſus, Aquileja Romam brevi delatus fuerit.

2. *Militibuſque colonis imperatis.*] Num potiùs *coloniis*, ut Romanæ per Galliam Cisalpinam coloniæ milites darent juſſæ ſunt.

1. *Ad differendas res quas geſſiſſent.*] Verius opinatur Gron. *ad ædificandas res:* dicimus enim *ædificare* aliquid, & *differre* de aliquo.

Urb. cond. an. 575. Coss. M. Junio Bruto & A. Manlio Vulsone.

gnitum est, quas filius ejus ad senatum attulerat. 2 Ilienses adjunctis Balarorum auxiliis, pacatam provinciam invaserant: nec eis invalido exercitu, & magnâ parte pestilentiâ absumpto, resisti poterat. Eadem & Sardorum legati nunciabant; orantes ut urbibus saltem (jam enim agros deploratos esse) opem senatus ferret. Hæc legatio totumque quod ad Sardiniam pertinebat, ad novos magistratus rejectum est. Æquè miserabilis legatio Lyciorum, qui crudelitatem Rhodiorum, quibus ab L. Cornelio Scipione attributi erant, querebantur: *fuisse sub ditione Antiochi: eam regiam servitutem collatam cum præsenti statu, præclarum libertatem visam. non publico tantum se premi imperio, sed singulos 3 justum pati servitium. 4 justos se conjuges liberosque vexari: in corpus, in tergum sævire: famam, quod indignum sit, maculari dehonestarique: & palam res odiosas fieri; juris etiam usurpandi causa. ne pro dubio habeant, nihil interse & argento parata mancipia interesse.* Motus his senatus, literas Lyciis ad Rhodios dedit: *nec Lycios Rhodiis 5 nec ullos alicui quam, qui nati liberi sint, in servitutem dari placere. Lycios ita sub Rhodiorum simul imperio & tutela esse, ut in ditione populi Romani civitates sociæ sint.*

XI. Triumphi deinde ex Hispania duo continui acti. Prior Sempronius Gracchus de Celtiberis, sociisque eorum; posterò die L. Postumius de Lusitanis aliisque ejusdem regionis Hispanis triumphavit. 1 quadraginta millia pondo argenti Tib. Gracchus transtulit, 2 viginti millia Albinus. Militibus 3 denarios A quinos vicenos, duplex centurioni, triplex equiti ambo diviserunt; sociis tantumdem quantum Romanis. Per eosdem fortè dies M. Junius consul ex Istria comitiorum causâ Romam venit. Eum quum in senatu fatigassent interrogationibus tribuni plebis Papirius & Licinius, de his quæ in Istria essent acta, in concionem quoque produxerunt.

NOTÆ.

2. *Ilienses adjunctis Balarorum auxiliis.*] Hos Sardiniæ populos memorat Strabo.

3. *Justum pati servitium.*] Non fatentur quidem Lycii se justam in servitutem à Rhodiis esse redactos: sed ita premi & vexari, quasi jure gentium facti essent illorum servi; ita ut justum servitium dicatur pro servili tractatione, omnibusque servitutis incommodis.

4. *Justos conjuges liberosque vexari.*] Non video cur hic mendum suspicari debuerit Sigonius; & reposuerit *juxta se conjuges*, &c. Scio quidem *juxta se* idem esse ac *æquè pariter secum*: sed novi *justas nuptias justam uxorem, justosque liberos* rectè dici, pro legitimis: indigniusque esse si justa conjux, justique liberi malè habeantur, quàm si in concubinam, aut in filios, sive spurios, sive naturales, sæviatur.

5. *Nec ullos alicui quam.*] Sic veteres editiones ex scripto, rectè. Est en im Latina vox *aliquisquam*, pro *aliquispiam*: utraque Ciceroni usurpata. Exempla refert Gron. ex 2. de divinat. cap. 50. *Epicurusne*, qui *negat aliquidquam Deos*, *nec aliens curare*, *nec sui*. Et ex 3. Tusc. cap. 9. *non aliquidpiam membrum tumidum ac turgidum non vitiosè sudet*.

1. *Quadraginta millia pondo argenti.*] Gallicè *la valeur d'un million quatre cens quarante mille livres d'argent en masse*.

2. *Viginti millia Albinus.*] Nobis essent *sept cens vint mille livres*.

3. *Denarios quinos vicenos.*] Gallicè *dix livres*.

Ad quæ quum conſul, ſe dies non plus undecim in ea provincia fuiſſe, reſponderet; quæ ſe abſente acta eſſent, ſe quoque, ut illos, fama compertа habere; exequebantur deinde quærentes, *Quid ita non potius Ad Manlius Romam veniſſet, ut rationem redderet populo Romano, cur ex Gallia provincia, quam ſortitus eſſet, in Iſtriam tranſiſſet: quando id bellum ſenatus decreviſſet, quando id bellum populus Romanus juſſiſſet? At hercule, privato quidem conſilio bellum ſuſceptum eſſe, 4 ſed geſtum prudenter fortiterque. Immo, utrum ſuſceptum ſit nequius, an incauſtius geſtum, dici non poſſe. Stationes duas nec opinantes ab Iſtris oppreſsas, caſtra Romana capta; quod peditum quod equitum in caſtris fuerit. 5 ceteros inermes fuſoſque, ante omnes conſulem ipſum, ad mare ac naves fugiſſe. Privatum rationem redditurum earum rerum eſſe, quoniam conſul noluiſſet.*

Urb. cond. an. 575. Coſſ. M. Junio Bruto, & A. Manlio Vulſone.

XII. Comitia deinde habita. conſules creati, C. Claudius Pulcher, Tib. Sempronius Gracchus: & poſtero die prætores facti, P. Ælius Tubero iterum, C. Quintius Flamininus, C. Numiſius, & C. Mummius, Cn. Cornelius Scipio, P. Valerius Lævinus. Tuberoni urbana juriſdictio, Quintio peregrina evenit, Numiſio Sicilia, Mummio Sardinia: ſed ea, propter belli magnitudinem, [1] provincia conſularis facta. Gracchus eam ſortitur; Iſtriam Claudius, Scipio & Lævinus [2] Galliam in duas diviſam provincias ſortiti ſunt. Idibus Martiis, quo die Sempronius Claudiuſque conſulatum inierunt; mentio tantùm de provinciis Sardinia Iſtriaque & utriuſque hoſtibus fuit, qui in his provinciis bellum conciviſſent. Poſtero die legati Sardorum, qui ad novos magiſtratus dilati erant, L. Minucius Thermus, qui legatus Manlii conſulis in Iſtria fuerat, [3] in ſenatum venit. Ab his edoctus eſt ſenatus, quantum belli eæ provinciæ habe-rent. Moverunt ſenatum & legationes ſociûm nominis Latini, [4] quæ & cenſores, & priores conſules fatigaverunt, tandem in ſenatum introductæ. Summa querelarum erat, *Cives ſuos Romæ cenſos plaroſque Romam commigraſſe. Quod ſi permittatur, perpaucis luſtris futurum, ut deſerta oppida, deſerti agri, nullum militem dare poſſent. Eregellas quoque mil-*

NOTÆ.

4. *Sed geſtum prudenter fortiterque.*] Hæc ſibi per ironiam objiciebant tribuni plebis, ut fortiùs contradicerent.

5. *Ceteros inermes fuſoſque.*] Victi quidem non fuerant; ſed non expectato adventu hoſtium, per metum relictis caſtris, effuſo curſu naves petierant, ut cap. 2. hujus libri ſcribitur. Nec mutandum tamen quidquam: neque enim mirum ſi ab adverſariis Conſulis in ejus invidiam incommoda exercitus in majus augeantur.

1. *Provincia conſularis facta.*] Hactenus prætoria fuerat Sardinia: belli nunc magnitudo conſularem fieri fuaſit.

2. *Galliam in duas diviſam provinciam.*] An Ciſpadanam & Tranſpadanam? an verò in Galliam propriè dictam, (Ciſalpinam ſcilicet) & Venetiam, aut Liguriam?

3. *In ſenatum venit.*] Nimirùm Minucius Thermus. Vellet tamen Gron. nec abs re, *in ſenatum venerunt*, ut referatur etiam ad Sardorum legatos.

4. *Quæ & cenſores & priores prætores fatigaverunt.*] Lege cum Gronovio *fatigaverant*.

Urb. cond. an. 571. Coſ. M. Junio Bruto, & A. Manlio Vulſone.

lia quatuor familiarum tranſiſſe ab ſe, Samnites Pelignique querebantur: 5 neque eo minus aut hos aut illos plus in delectum militum dare. Genera autem fraudis duo mutandæ viritim civitatis inducta erant. Lex ſociis ac nominis Latini, 6 qui ſtirpem ex ſeſe domi relinquerent, dabat, ut cives Romani fierent. eâ lege malè utendo, alii ſociis, alii populo Romano injuriam faciebant. Nam &, ne ſtirpem domi relinquerent, liberos ſuos quibusquibus Romanis in eam conditionem, ut manumitterentur, mancipio dabant, libertinique cives eſſent: & quibus ſtirps deeſſet, quam relinquerent, cives Romani fiebant. Poſteà his quoque imaginibus juris ſpretis, promiſcuè ſine lege, ſine ſtirpe, in civitatem Romanam per migrationem & cenſum tranſibant. Hæc ne poſteà fierent, petebant legati. *& ut redire in civitates juberent ſocios, deinde ut lege caverent, ne quis quem 7 civitatis mutandæ causâ ſuum faceret, neve alienaret: 8 &, ſi quis ita civis Romanus factus eſſet.* **

XIII. Hæc impetrata ab ſenatu. Provinciæ deinde, quæ in bello erant, Sardinia atque Iſtria decretæ. In Sardiniam duæ legiones ſcribi juſſæ; quina millia in ſingulas, & duceni pedites, treceni equites, & duodecim millia peditum ſociorum ac Latini nominis, & ſexcenti equites, & decem quinqueremes naves, 1 ſi deducere ex navalibus vellet. Tantumdem peditum equitumque in Iſtriam, quantum in Sardiniam, decretum.

NOTÆ.

5. *Neque eo minus aut hos aut illos plus in delectum militum dare.*] Vellet ſanè ratio ut ſecundùm eundem Gron. legeretur, *neque eo aut minus hos* (nempè Samnites & Pelignos) *aut plus illos* (ninirum Fregellanos) *in delectum militum dare*. Perizon tamen non deſiderat Τὸ *plus*, ſi quis dicat ſenſum eſſe Samnites Pelignoſque conqueri quatuor millia familiarum ab ſe tranſiſſe in aliam civitatem: *neque tamen aut hos aut illos*, id eſt, Samnites Pelignoſve, *τὸ minùs militum in delectum dare*: eſtque hæc vera ſententia, nec erat cur Gron. illud *plus* obtrudieret.

6. *Qui ſtirpem ex ſe domi relinquerent.*] Nihil hic etiam cauſæ videtur cur inferenda ſit negatio, legaturque ut idem Gronov. cenſet, *qui ſtirpem ex ſeſe domi non relinquerent*: lex enim exigebat ut reverà liberos in civitate ſua relinquerent, qui Romani cives fieri vellent; quo ſtirps eorum in patria prorogaretur ad ſubeunda ejus onera. Huic autem legi fraus fiebat duplici ratione. Primò quòd qui liberos habebant, (ipſi in colonia ſua remanentes) eos oneribus patriæ ſubtrahebant. civi cuivis Romano mancipando in imaginariam ſervitutem, contractâ tamen fiduciâ eos manumittendi, ut manumiſſione fierent cives Romani; non quidem ingenui, ſed libertini. Qua ratione populo Romano injuria fiebat, qui externo ſanguine ſic dehoneſtabatur: alio modo fraudem legi, & coloniæ ſuæ injuriam faciebant, qui, cùm liberis carerent, nec poſſent ſtirpem domi relinquere, irrepebant in civitatem Romanam: nec perſe nec per ſuos munera patriæ ſubibant, cùm cogi non poſſent ſtirpem quam nullam habebant, pro ſe relinquere.

7. *Civitatis mutandæ causâ ſuum faceret, neve alienaret.*] *Suum facere* eſt accipere in ſervum: *alienare* verò hic eſt *manumittere*.

8. *Et, ſi quis ita civis Romanus factus eſſet.*] Apparet hic aliquid deeſſe. Sigon. ſubjicit: *civis non eſſet*: formula in his recepta exigere videtur *civis ne eſſet*, quod malim, quàm quod affertur à Grotio; *& ne quis ita civis Romanus factus eſſet.*

1. *Si deducere ex navalibus vellet.*] Vi-

Et le-

Et legionem unam cum equitibus trecentis, & quinque millia peditum sociorum, & ducentos quinquaginta mittere equites in Hiſpaniam conſules ad M. Titinium juſſi. Priuſquàm conſules provincias ſortirentur, prodigia nunciata ſunt. Lapidem in agro Cruſtumino in lacum Martis de cœlo cecidiſſe. Puerum trunci corporis in agro Romano natum: & quadrupedem anguem viſum: & Capuæ multa in foro ædificia de cœlo tacta: & Puteolis duas naves fulminis ictu conflagratas eſſe. Inter hæc, quæ nunciabantur, lupus etiam Romæ interdiu agitatus, quum Collinâ portâ intraſſet, per Æſquilinam magno conſectantium tumultu evaſit. Eorum prodigiorum causâ conſules majores hoſtias immolarunt, & diem unum circa omnia pulvinaria ſupplicatio fuit. Sacrificiis ritè perfectis, provincias ſortiti ſunt: Claudio Iſtria, Sempronio Sardinia obvenit. [2] Legem deinde ſociis C. Claudius tulit Senatuſconſulto, & edixit: *qui ſocii ac nominis Latini ipſi majoreſve eorum M. Claudio, T. Quintio cenſoribus, poſtque ea apud ſocios nominis Latini cenſi eſſent, ut omnes in ſuam quiſque civitatem ante Calendas Novembris redirent.* Quæſtio, qui ita non rediſſent, L. Mummio prætori decreta eſt. ad legem & edictum conſulis Senatuſconſultum adjectum eſt: [3] *ut dictator, conſul, interrex, cenſor, prætor, ꝟ qui tunc eſſet apud forum, ** quem manumitteretur, in libertatem vindicaretur, ut juſjurandum daret: qui cum manumitteret, civitatis mutandæ causâ manu non mittere: qui id non juraret, cum manumitteudum non cenſuerunt.* Hæc in poſterum cauſa juriſque dictio C. Claudio conſuli decreta eſt. Urb. cond. an. 576. Coſſ. Tib. Sempronio Gracchо, & C. Claudio Pulchro.

XIV. Dum hæc Romæ geruntur, M. Junius, & A. Manlius, qui priore anno conſules fuerant, quum Aquilejæ hibernaſſent, principio veris in fines Iſtrorum exercitum introduxerunt: ubi quum effuſè popularentur, dolor magis & indignatio diripi res ſuas cernentes Iſtros, quam certa ſpes ſatis ſibi virium adverſus duos exercitus, excivit. concurſu ex omnibus

NOTÆ.

detur Gronovio ſcripſiſſe Livius: *& decem quinqueremes naves, quas deduceret ex quibus navalibus vellet.*

2. *Legem deinde ſociis C. Claudius tulit.*] Non video cur Gronovius ſcribi jubeat *legem dein de ſociis C. Claudius tulit*: revera enim, ſi electio detur, malim *ſociis* ſcriptam legem, id eſt, ſociorum causâ, & ſecundùm quam ſocii viverent, quam *de ſociis*: illud rectè quòd latam vult ex Senatuſconſulto.

3. *Ut Dictator, Conſul, Interrex, Cenſor, Prætor, qui tunc eſſet apud forum ** manumitteretur*, &c.] Impreſſam hanc ſententiam ſic explet Sigon. *qui tunc eſſent apud forum, darent operam ut qui manumitteretur in libertatem vindicaretur*, &c. At Gron. advertit illarum vocum *darent operam*, nullum veſtigium fuiſſe in autographo, ſed ſcriptum fuiſſe, *forum quem manumitteretur, in libertatem vindicaretur, ut juſjurandum daret*: ex quo faciendum cenſet *Prætor, qui tunc eſſet apud forum, quem manumitterent in libertatem vindicaretur, ſi juſjurandum daret*. Ego ſic legendum cenſeo, *Prætor qui tunc eſſet apud forum quum manumitteretur, in libertatem vindicaret, ubi juſjurandum daret qui eum manumitteret*, &c. hoc eſt, ut magiſtratus apud quem fieret manumiſſio; non aliter unumquemque ſervum manumittendum, in libertatem vindicaret, quàm ſi manumiſſor juraſſet, &c.

Urb. cond. an. 576. Coſſ. Tib. Sempronio Graccho, & C. Claudio Pulchro.

populis juventutis facto, repentinus & tumultuarius exercitus acrius primo impetu quàm perſeverantiùs pugnavit. Ad quatuor millia eorum in acie cæſa: cæteri omiſſo bello in civitates paſſim diffugerunt. inde legatos primùm ad pacem petendam in caſtra Romana, deinde obſides imperatos, miſerunt. Hæc quum Romæ cognita literis proconſulum eſſent, Claudius conſul, veritus ne fortè ea res provinciam exercitumque ſibi adimeret, 1 non votis nuncupatis, non paludatus, ſine lictoribus, uno omnium certiore facto collegâ, nocte profectus præceps in provinciam abiit: ubi inconſultiùs, quàm venerat, ſe geſſit. nam quum concione advocatâ fugam è caſtris A. Manlii adverſis auribus militum (quippe qui primi ipſi fugiſſent) jactaſſet; ingeſſiſſetque probra M. Junio, quod ſe dedecoris ſocium collegæ feciſſet; ad extremum utrumque decedere provinciâ juſſit. 2 Quod quum milites conſulis imperio dicto audientes futuros ſeſe dicerent, quum is more majorum ſecundùm vota in Capitolio nuncupata, cum lictoribus, paludatus profectus ab urbe eſſet; furens iræ, vocatum qui pro quæſtore Manlii erat, catenas poposcit; vinctos ſe Junium Manliumque minitans Romam miſſurum. Ab eo quoque ſpretum conſulis imperium eſt: & circumfuſus exercitus favens imperatorum cauſæ, & conſuli infeſtus, animos ad non parendum addebat. Poſtremò fatigatus conſul, & contumeliis ſingulorum, & multitudinis (nam inſuper irridebant) ludibriis, nave eadem quâ venerat, Aquilejam rediit. Inde collegæ ſcripſit, ut militum novorum ei parti, quæ ſcripta in Iſtriam provinciam eſſet, ediceret, Aquilejam ut conveniret. ne quid ſe Romæ teneret, quo minùs votis nuncupatis paludatus ab urbe exiret. a Hæc collegæ obſequenter facta, breviſque dies ad conveniendum edicta

5 10 15 20 25

INTERPRETATIO.

a *Ea libenter ac ſtudiosè facta ſunt à collega* Sempronio Graccho.

NOTÆ.

1. *Non votis nuncupatis paludatus ſine lictoribus.*] Vulgaris lectio *non votis nuncupatis, non paludatis lictoribus*: Gron. diſplicet, adeo ut plures paginas rationibus & exemplis auctorum impleat. quò demonſtret *paludamenta* imperatoribus convenire, non *lictoribus*, quibus ſagula tantùm conveniant; unde ubicunque *paludati* apud noſtrum *lictores* leguntur, mendum ſubeſſe contendit, relato *paludati* vocabulo ad imperatorem. Et ſanè id ſuadet optimorum ſcriptorum uſus: contrariis autem rationibus ipſe ſuæ reſpondet.

2. *Quod quum milites conſulis imperio dicto audientes futuros ſeſe dicerent, &c.*] Gronov. expungit nomen *milites*, quoniam Manlii & Junii res agebatur, qui jubebantur provinciâ decedere. Scribi ergo vult: *ad extremum utrumque decedere provinciâ juſſit: quumque illi ſe cecidere juſſi imperio dicto audientes futuros eſſe dicerent*, &c. teſtaturque in ſcripto fuiſſe verbum *eſſe* loco pronominis *ſeſe*; quod contra membranæ fidem ſubjectum fuit. Mihi nulla mutationis cauſa occurrit: ſed ſcribendum ex autographo, *quod quum milites conſulis imperio dicto audientes futuros eſſe dicerent*: ſive milites videri voluerint, ipſi parati ad parendum conſuli, ſive judicaverint paratos Manlium & Junium: utrumque enim ſenſum ferret ea lectio. Et congruentius eſt à militari turba confuſè ortas voces reſiſtentium conſuli, quàm à ducibus, quemadmodum in L. Papirii dictatoris & Q. Fabii Magiſtri equitum diſſidio lib. 8. cap. 32.

est. Claudius propè consequutus est literas suas. Concione adveniens de Manlio & Junio habita, non ultra triduum moratus Romæ paludatus, cum lictoribus, votisque in Capitolio nuncupatis, in provinciam 3 æquè ac prius præcipiti celeritate abit. Urb. cond. an. 576. Coss. Tiber. Sempronio Graccho, & C. Claudio Pulchro.

XV. Paucis antè diebus Junius Manlius[1] oppidum Nesattium, quo se principes Istrorum & regulus ipse Æpulo receperat, summâ vi oppugnant. Eo Claudius duabus legionibus novis adductis, vetere exercitu cum suis ducibus dimisso, ipse oppidum circumsedit, & vineis oppugnare intendit: amnemque præterfluentem mœnia, qui & impedimento oppugnantibus erat, & aquationem Istris præbebat, multorum dierum opere exceptum novo alveo avertit. Ea res barbaros miraculo terruit absciſſæ aquæ: & ne tum quidem memores pacis, in cædem conjugum ac liberorum versi; etiam ut spectaculo hostibus tam fœdum facinus esset, palam in muris trucidatos præcipitabant. Inter simul complorationem fœminarum puerorumque, simul nefandam cædem, milites transgressi murum, oppidum intrarunt. cujus capti tumultum ut ex pavido clamore fugientium accepit rex, trajecit ferro pectus, ne vivus caperetur: cæteri capti, aut occisi. Duo deinde oppida, [2] Mutila & Faveria, vi capta, & deleta. Præda, ut in gente inopi, spe major fuit, & omnis militibus concessa est. Quinque millia capitum, sexcenta triginta duo, sub corona venierunt. auctores belli virgis cæsi, & securi percussi. Istria tota trium oppidorum excidio, & morte regis pacata est: omnesque undique populi obsidibus datis in dictionem venerunt. Sub Istrici finem belli, apud Ligures concilia de bello haberi cœpta.

XVI. T. Claudius proconsul, qui prætor priore anno fuerat, cum præsidio legionis unius Pisis præerat. cujus literis senatus certior factus, eas ipsas literas ad C. Claudium (nam alter consul jam in Sardiniam trajecerat) deferendas censet: & adjicit decretum, quoniam Istria provincia confecta esset; si ei videretur, exercitum traduceret in Ligures. Simul ex literis consulis, quas de rebus in Istria gestis scripserat, in biduum supplicatio decreta. Et ab altero consule Tiberio Sempronio in Sardinia prosperè res gestæ. Exercitum in agrum Sardorum [1] Ilienſium induxit.

NOTÆ.

3. *Æquè ampliùs præcipiti celeritate abit.*] Gruterus delet illud, *ampliùs* Gron. quærit: *Quid ſi æquè ac priùs præcipiti?* quid autem *ſi æquè aut ampliùs præcipiti?*

1. *Oppidum Neſattium.*] Oppidum fuit in extrema Istria ultra Polam, ad Liburniæ confinia, atque ad ostia fluminis Arſiæ in Flanaticum sinum sese exonerantis: hodie *Caſtelnovo*.

2. *Mutila & Faveria.*] Istrica quoque oppida, quorum incertus est situs. Claverius *Mutila* putat succeſſiſſe locum, cui nomen hodie *Medolino* ad Polaticum promontorium: *Faveria* autem succeſſiſſe oppidum mediterraneum *Prara* Arſiæ fluvio appositum.

1. *Ilienſium.*] Sardiniæ populi *Ilienſes* dicti, quòd è Trojanorum reliquiis, pars eorum, qui cum Æneæ incolumes evaſerant, acti tempestatibus in eam insulam pervenerant. Hi Græcis, qui partem insulæ tenuerant, per Afros ad internecionem excisis, in montanâ insulæ regionem confugerunt, ut Pausan. in Phocicis scribit.

Urb. cond. an. 576. Coss. Tiber. Sempronio Graccho, & C. Claudio Pulchro.

2 Balarorum magna auxilia Ilienſibus venerant. Cum utraque gente ſignis collatis conflixit. fuſi fugatique hoſtes, caſtriſque exuti: duodecim millia armatorum cæſa. Poſtero die arma lecta conjici in acervum juſſit conſul, ſacrumque id Vulcano cremavit. Victorem exercitum in hiberna ſociarum urbium reduxit. Et C. Claudius literis T. Claudii & Senatuſconſulto acceptо, ex Iſtria legiones in Ligures tranſduxit. 3 ad Scultennam flumen in campos progreſſi caſtra habebant hoſtes. Ibi cum his acie dimicatum, quindecim millia cæſa, plus ſeptingentis in prœlio, aut in caſtris (nam ea quoque expugnata ſunt) capti: & ſigna militaria unum & quinquaginta capta. Ligures reliquiæ cædis, in montes refugerunt paſſim: populantique campeſtres agros conſuli nulla uſquam apparuerunt arma. Claudius duarum gentium uno anno victor, duabus quod rarò alius, in conſulatu pacatis provinciis, Romam revertit.

XVII. Prodigia eo anno nunciata: in Cruſtumino 2 avem ſangualem (quam vocant) 2 ſacrum lapidem roſtro cecidiſſe. Bovem in Campania locutum. Vaccam æneam Syracuſis ab agreſti tauro, qui pecore aberraſſet, initam ac ſemine aſperſam. In Cruſtumino diem unum in ipſo loco ſupplicatio fuit. & in Campania bos alenda publicè data: Syracuſanumque prodigium expiatum, editis ab aruſpicibus Diis, quibus ſupplicaretur. Pontifex eo anno mortuus eſt M. Claudius Marcellus, qui conſul cenſorque fuerat. in ejus locum ſuffectus eſt pontifex filius ejus M. Marcellus. & Lunam colonia eodem anno duo millia civium Romanorum ſunt deducta. Triumviri deduxerunt, P. Ælius, L. Egilius, Cn. Sicinius. quinquagena & ſingula jugera & ſemiſſes agri, in ſingulos dati ſunt. de Ligure captus is ager erat. Etruſcorum antè, quàm Ligurum fuerat. C. Claudius conſul ad urbem venit: cui (quum in ſenatu de rebus in Iſtria Liguribuſque prolatis diſſeruiſſet) poſtulanti triumphus eſt decretus. triumphavit in magiſtratu de duabus ſimul gentibus. Tulit in eo triumpho 3 denarium trecenta ſeptem millia. & 4 victoriatûm octoginta quinque millia ſeptin-

NOTÆ.

2. *Balarorum magna auxilia.*] In eadem inſula celebres fuere populi hoc nomine, inter Montanos vel præcipui, in ſpecubus degentes. Hi ſic dicti à Corſis, quibus interjecto freto vicini erant.

3. *Ad Scultennam flumen.*] Fluvius eſt Galliæ Ciſpadanæ Strabonі, *Scultana* vulgò, Mutinenſem agrum dirimens à Bononienſi, atque in Padum defluens, nomen retinet circa fontes.

1. *Avem ſangualem.*] Hæc avis alio nomine *oſſifraga* dicta ex Plinio, aquilæ ſimilis, teſte Ariſtotele, ſed major & fuſci coloris.

2. *Sacrum lapidem.*] Videtur intelligi lapideum Dei alicujus ſignum, quale opinor cauſam dedit jurandi *per Jovem Lapidem*: vel certè religione quadam conſeceratus lapis, cujuſmodi apud Apulejum in Floridis citante Gronovio: *neque enim juſtius religioſam moram viatori objecerit lapis, unguine delibutus*: Arnobius lib. 1. *Lubricatum lapidem, & ex olivi unguine ordinatum* vocat.

3. *Denarium trecenta ſeptem millia.*] Gallicâ pecuniâ hodiernâ *cent vint-ſept mille huit cens livres*.

4. *Victoriatûm octoginta quinque millia.*] Librarum noſtrarum triginta & quatuor millia.

gentos duo. militibus 5 in ſingulos ā quini deni denarii dati: duplex centurioni, triplex equiti. Socijs dimidio minus, quàm civibus datum. itaque taciti, ut iratos eſſe ſentires, ſecuti ſunt currum. Urb. cond. an. 577. Coſſ. Cn. Cornel. Scipione, & Q. Petillio.

XVIII. Dum is triumphus de Liguribus agebatur, Ligures, poſtquàm ſenſerunt, non conſularem tantùm exercitum Romam abductum, ſed legionem ab T. Claudio Piſis dimiſſam, ſoluti metu clam exercitu indicto, per tranſverſos limites ſuperatis montibus in campos degreſſi, agrum Mutinenſem populati, repentino impetu coloniam ipſam ceperunt. Id ubi Romam allatum eſt, ſenatus C. Claudium conſulem comitia primo quoque tempore habere juſſit, creatiſque in annum magiſtratibus, in provinciam redire, & coloniam ex hoſtibus eripere. Ita, uti cenſuit ſenatus, comitia habita. Conſules creati, Cn. Cornelius Scipio Hiſpalus, Q. Petillius Spurinus. Prætores inde facti, M. Popillius Lænas, P. Licinius Craſſus, M. Cornelius Scipio, L. Papirius Maſo, M. Aburius, L. Aquilius Gallus. C. Claudio conſuli prorogatum in annum imperium, & Gallia provincia: &, ne Iſtri quoque idem, quod & Ligures facerent, ſocios nominis Latini in Iſtriam mitteret, quos triumphi causâ [1] de provincia deduxiſſet. Cn. Cornelio, & Q. Petillio conſulibus, quo die magiſtratum inierunt, immolantibus Jovi ſingulis bubus, uti ſolet, in ea hoſtia, quâ Q. Petillius ſacrificavit, in jecinore caput non inventum. id quum ad ſenatum retuliſſet, bove perlitare juſſus. De provinciis deinde conſultus ſenatus, Piſas & Ligures provincias conſulibus decrevit. Cui Piſæ provincia obveniſſet, quum magiſtratuum creandorum tempus eſſet, ad comitia reverti juſſit. additum decreto, ut duas legiones novas ſcriberent, & trecentos equites: & dena millia peditum ſociis nominique Latino, & ſexcentos imperarent equites. Ti. Claudio prorogatum eſt imperium in id tempus, quo in provinciam conſul veniſſet.

[1] XIX. Dum de his rebus in ſenatu agitur, C. Cornelius, evocatus à viatore, quum templo egreſſus eſſet, paulò poſt rediit confuſo vultu; & expoſuit Patribus Conſcriptis, [1] bovis ſeſcenaris, quem immolaviſſet, [2] jecur defluxiſſe. id ſe victimario nuntianti parum credentem, ipſum aquam effundi ex olla, ubi exta coquerentur, juſſiſſe. & vidiſſe cæteram integram partem extorum, jecur omne inenarrabiliter abſumptum. Territis eo prodigio Patribus, & alter conſul curam adjecit: qui ſe, quod caput

NOTÆ.

5. *In ſingulos quini deni denarii dati.*] Gallicè *la valeur de ſix livres.*

1. *De provincia deduxiſſet.*] Adjici vult Muretus *mandatum:* quod ſatis per ſe intelligi videtur.

1. *Bovis ſeſcenaris.*] An à *ſacena*, quæ & *ſcena*, & fortè *ſeſcena* (quo nomine appellatur dolabra pontificalis apud Feſtum) dictus *Bos ſeſcenaris* eo cultri genere percuſſus à victimariis? an legendum *ſagenaris*; quaſi opimi & publicè *ſaginati* bovis, quod Gronovio non diſplicet. Varro certè *ſaginantur*, pro *ſaginantur*, dixit.

2. *Jecur defluxiſſe.*] Legi vult Perizon. *diſfluxiſſe*, hoc eſt, in aqua diſſipatum atque abſumptum eſſe, & ferè in liquorem abiiſſe. Nam *defluere* eſt è

Urb. cond. an. 577. Coſſ. Cn. Cornel. Scipione, & Q. Petillio.

jecinori defuiſſet, [a] tribus bobus perlitaſſe negavit. Senatus majoribus hoſtiis uſque ad litationem ſacrificari juſſit. Cæteris Diis perlitatum ferunt. Saluti Petillium perlitaſſe negant. Inde conſules prætoreſque provincias ſortiti. Piſæ Cn. Cornelio, Ligures Petillio obvenerunt. Prætores L. Papirius Maſo urbanam, M. Aburius inter peregrinos, ſortiti ſunt. M. Cornelius Scipio Maſſinenſis Hiſpaniam ulteriorem, L. Aquilius Gallus Siciliam habuit. Duo deprecati ſunt, ne in provincias irent: M. Popillius in Sardiniam. Gracchum eam provinciam pacare, & T. Æbutium prætorem adjutorem ab ſenatu datum eſſe. Interrumpi tenorem rerum, in quibus peragendis continuatio ipſa efficaciſſima eſſet, minimè convenire. Inter traditionem imperii, novitaremque ſucceſſoris, quæ noſcendis priùs quàm agendis rebus imbuenda ſit, ſæpè benè gerendæ rei occaſiones intercidere. Probata Popillii excuſatio eſt. P. Licinius Craſſus ſacrificiis ſe impediri ſolennibus excuſabat, ne in provinciam iret. Citerior Hiſpania obvenerat. Cæterùm aut ire juſſus, aut jurare pro concione, ſolenni ſacrificio ſe prohiberi. id ubi in P. Licinio ita ſtatutum eſt, & ab ſe uti jusjurandum acciperent, M. Cornelius poſtulavit, ne in Hiſpaniam ulteriorem iret. Prætores ambo in eadem verba jurejurarunt. M. Titinius & T. Fonteius, proconſules, manere eum eodem imperii jure in Hiſpania juſſi: & ut in ſupplementum his tria millia civium Romanorum cum equitibus ducentis, quinque millia ſociûm Latini nominis, & trecenti equites mitterentur.

XX. Latinæ feriæ fuere ante diem tertium Nonas Maii, in quibus, quia in una hoſtia magiſtratus Lanuvinus precatus non erat, *populo Romano Quiritium*, religioni fuit. Id quum ad ſenatum relatum eſſet, ſenatuſque ad collegium pontificum rejeciſſet; pontificibus, quia non rectè factæ Latinæ eſſent; inſtauratis Latinis, placuit Lanuvinos, [1] quorum opera inſtauratæ eſſent, hoſtias præbere. Acceſſerat ad religionem, quod Cn. Cornelius conſul ex monte Albano rediens concidit: & parte membrorum captus, ad Aquas Cumanas profectus, ingraveſcente morbo Cumis deceſſit. ſed inde mortuus Romam allatus, & funere magnifico elatus, ſepultuſque eſt. Pontifex idem fuerat. Conſul Q. Petillius, quum primùm per auſpicia poſſet, collegæ ſubrogando, comitia habere juſſus, & Latinas edicere. comitia in ante diem tertium Nonas Sextiles, Latinas in ante diem tertium Idus Sextiles edixit.

INTERPRETATIO.

a *Dixit ſe litare non potuiſſe, quamvis tres boves immolaſſet.*

NOTÆ.

loco ſuperiore delabi. | *tiâ*, vel potiùs *culpâ*, hæc facta iteranda
1. *Quorum operâ.*] Imò *quorum gra-* eſſent.

Plenis religionum animis prodigia insuper nunciata: Tusculi facem in in cœlo visam: Gabiis ædem Apollinis, & privata ædificia complura, Graviscis murum portamque de cœlo tacta. Ea Patres procurari, uti pontifices censuissent, jusserunt. Dum Consules, primùm religiones, deinde alterum alterius mors, & comitia, & Latinarum instaurationes impediunt, interim C. Claudius exercitum ad Mutinam, quam Ligures priore anno ceperant, admovit. [2] Ante triduum, quàm oppugnare ceperat, receptam ex hostibus, coloniis restituit. Octo millia ibi Ligurum intra muros cæsa: literæque Romam exemplo scriptæ, quibus non modò rem exponeret, sed etiam gloriaretur, suâ virtute ac felicitate neminem jam eis Alpes hostem populi Romani: [3] agrique aliquantum captum, qui multis millibus hominum dividi viritim posset. Urb. cond. an. 577. Coss. Cn. Cornel. Scipione, & Q. Petillio.

XXI. Et Tib. Sempronius eodem tempore in Sardinia multis secundis prœliis Sardos perdomuit. Quindecim millia hostium sunt cæsa. Omnes Sardorum populi, qui defecerant, in ditionem redacti. stipendiariis veteribus duplex vectigal imperatum, exactumque: cæteri frumentum contulerunt. Pacatâ provinciâ, obsidibusque ex totâ insulâ ducentis triginta acceptis, legati Romam, qui ea nunciarent, missi: quique ab senatu peterent, ut ob eas res, ductu auspicioque Tib. Sempronii prosperè gestas, Diis immortalibus honos haberetur: ipsique decedenti de provincia exercitum secum deportare liceret. Senatus in æde Apollinis legatorum verbis auditis, supplicationem in biduum decrevit, & quadraginta majoribus hostiis consules sacrificare jussit: Tib. Sempronium proconsulem exercitumque eo anno in provincia manere. Comitia deinde consulis unius subrogandi, quæ in ante diem tertium Nonas Sextiles edicta erant, eo ipso die sunt confecta. Q. Petillius consul collegam, qui extemplo magistratum acciperet, creavit, M. Valerium Lævinum. Is jam diu cupidus provinciæ, quum opportunæ cupiditati ejus literæ allatæ essent, Ligures rebellasse; Nonis Sextilibus paludatus, [1] literis auditis, tumultus ejus causa legionem tertiam ad C. Claudium proconsulem in Galliam proficisci jussit: & duumviros navales cum classe Pisas ire, qui Ligurum oram,

INTERPRETATIO.

1 *Cum hominum mentes terrore propter prodigia essent affectæ.*

NOTÆ.

2. *Ante triduum quàm oppugnare ceperat.*] Absurdum Perizonio videtur urbem post triduum quàm ab hostibus recepta erat, oppugnari: jubetque reponi *intra triduum*, quod quidem rectum esset. Verum non hoc voluit Livius: sed indicare non totorum trium dierum oppugnatione receptam ex hostibus: qui sensus auctoris est in his verbis, non quem ille nescio quâ ratione sibi finxit.

3. *Agrique aliquantum captum.*] Num potiùs, *agrique à se tantum captum*, aut quid simile? si enim *aliquantum* legas, non ita multis millibus hominum sufficiat.

1. *Literis auditis.*] Non abs re notat Grut. has voces turbandæ potiùs sententiæ esse, quàm firmandæ.

Urb. cond. an. 577. Coss. Q. Petillio & C. Valer. Lævino.

maritimum quoque terrorem admoventes, circumvectarentur. Eodem & Q. Petillius consul ad conveniendum exercitui diem edixerat. Et C. Claudius proconsul, audita rebellione Ligurum, præter eas copias quas secum Parmæ habebat, subitariis collectis militibus exercitum ad fines Ligurum admovit.

XXII. Hostes sub adventum C. Claudii, à quo duce se meminerant nuper ad Scultennam flumen victos fugatosque, locorum magis præsidio adversus infeliciter expertam vim quàm armis se defensuri, duos montes Letum & Baliſtam ceperunt: muroque insuper amplexi, tardiùs ex agris demigrantes, oppressi ad mille & quingentos perierunt. Cæteri montibus se tenebant, & ne in metu quidem feritatis ingenitæ obliti, sæviunt in prædam, quæ Mutinæ parta erat: captivos cum fœda laceratione interficiunt: pecora in fanis trucidant veriùs passim quam ritè sacrificant. Satiati cæde animantium, quæ inanima erant parietibus affigunt, vasa omnis generis usui magis quàm ornamento in speciem factâ. Q. Petillius consul, ne absente se debellaretur, literas ad C. Claudium misit, ut cum exercitu ad se in Galliam veniret: [1] Campis Macris se eum expectaturum: Literis acceptis, Claudius ex Liguribus castra movit; exercitumque ad campos Macros, consuli tradidit. Eodem paucis post diebus C. Valerius consul alter venit. Ibi divisis copiis, priusquàm digrederentur, communiter ambo exercitus lustraverunt. tum sortiti, quia non ab eadem utrumque parte aggredi hostem placebat, regiones quas peterent. Valerium auspicato sortitum constabat, quòd in templo fuisset: in Petillio id vitio factum, postèà augures responderunt, quòd extra templum sortem in stellam in templum latam foris ipse posuerit. Profecti inde in diversas regiones. Petillius adversus Baliſtæ & Leti jugum, quod eos montes perpetuo dorso inter se jungit, castra habuit. Ibi adhortantem eum pro concione milites, immemorem ambiguitatis verbi ominatum ferunt: [2] *se eo die Letum capturum esse*. Duabus simul partibus subire in adversos montes cœpit. Ea pars, in qua ipse erat, impigrè succedebat. Alteram hostes quum propulissent, ut restitueret rem inclinatam, consul equo advectus, suos quidem à fuga revocavit; ipse, dum incautiùs ante signa obversatur, missili trajectus cecidit. Nec hostes ducem occisum senserunt: & suorum pauci, qui viderant, haud nogligenter, ut qui in eo victoriam verti scirent, corpus occultavere. Alia multitudo peditum equitumque, deturbatis hostibus, montes sine duce cepêre. ad quinque millia Ligurum occisa: ex Romano exercitu duo & quinquâginta ceciderunt. Super tam evidentem tristis ominis eventum, etiam ex pullario auditum est, virium in auspicio fuisse,

NOTÆ.

1. *Campis Macris.*] In Gallia Cisp- dana fuit hic locus, nunc *Val de Montirone* Leandro, circa *Secchiam* amnem inter *Carpum* & *Mirandulam*.

2. *Se eo die Letum capturum esse.*] De *Leto* monte Petillius loquebatur: eventus aliò vertit ad *lethum* seu mortem ipsius: sibi itaque funestum omen fecit, quâ de re Valer. Maxim. lib. 1. cap. 5.

nec id conſulem ignoraſſe. 3 C. Valerius audita „morte Q. Petilii collegæ, Urb. cond.
„exercitum in Ligures ducit; junctiſque copiis ſuis cum iis quæ jam illius an. 577.
„auſpiciis hoſtes è montibus dejecerant, eos ita incluſit, fuditque, ut Coſſ. Q. Petillio, & C.
„collegæ manibus egregiè parentaret. Inde Romam reverſus, ubi res à Valer. Lævino.
„ſe atque à Petillio geſtas, Senatu in Æde Bellonæ habito, commemora-
„vit: & ſibi triumphum popoſcit, & collegæ honores qui in mortuos ca-
„dunt. Decreta in biduum ſupplicatio: decretus & ipſi triumphus; Cluver. Ital. ant.
„in legionem verò à qua, ſi non deſertus, certè minus fortiter defenſus Sig. ac Pigh.
„dicebatur Petillius, ſeverè animadverti placuit. Militibus qui pro ſalute Valer. Max.
„Imperatoris telis hoſtium ſe non obtulerant, ne ſtipendium anni proce- lib. 2. c. 7.
„deret, cautum ſenatuſconſulto eſt. Paucis poſt diebus invectus quadrigis num. 14.
„per urbem in Capitolium Valerius de Liguribus triumphavit. Inde actum v. Froatin.
„de comitiis Conſulum ac Prætorum; qua de re non mediocris in Senatu
„diſceptatio incidit, quod qui unus ſupereret è tribus anni prioris Conſu-
„libus C. Valerius Lævinus, non initio anni creatus, ſed in locum Cn. Priſcian. l. 7.
„Cornelii Scipionis Hiſpali in magiſtratu mortui, fuerat ſubrogatus. At
4 Periti Religionum Juriſque publici, quando duo ordinarii Conſules ejus
anni, alter morbo, alter ferro periiſſet, ſuffectum Conſulem negabant
comitia habere poſſe. „Cùm ſecundum hos conſulti Pontifices pronun-
„ciaſſent, res ad interregnum rediit. Ab Interrege itaque habita comitia Pighius.
„ſunt, per quem creati conſules P. Mucius Scævola, M. Æmilius Lepi-
„dus iterùm. Poſtridie Prætores facti ſunt C. Popillius Lænas, T. Annius
„Luſcus, C. Memmius Gallus, C. Cluvius Saxula, Sex. Cornelius Sulla,
„App. Claudius Centho. Sorte deinde diviſæ provinciæ. Conſulares tum
„erant Gallia Ciſalpina & Liguria: illa M. Lepido obvenit, Ligures Mu-
„cio. At Prætores, Cluvius Urbanam Juriſdictionem, Annius inter ci-
„ves & Peregrinos, Popillius Lænas Siciliam, Memmius Hiſpaniam cite-
„riorem ſortiti videntur. Cornelius Sulla Sardiniam obtinuit, Centho Urb. cond.
„ulteriorem Hiſpaniam. Quot & quæ legiones, quæ Latinorum ſociorum an. 578.
„copiæ unicuique attributæ fuerint, ſilentibus priſcorum Auctorum mo- Coſſ. P. Muc. Scævolâ, &
„numentis, enucleare arioli fuerit: ſed vix ambigi poteſt quin Deûm M. Æmil.
„exorandæ paci, antequàm in Provincias iretur; conſulti fuerint Senatus Lepido.
„decreto libri fatales, factaque à Conſulibus ex Decemvirûm reſponſo ſa- Liv. inf. c. 21.

NOTÆ.

3. *C. Valerius audita.*] Deſiderantur hic quæ audita morte Petillii collega ejus geſſiſſet, tum comitia Coſſ. P. Mucii Scævolæ, & M. Æmilii Lepidi, & Prætorum qui eo anno fuerunt, cum ſortitione provinciarum, & quæ ab his conſulibus geſta fuerunt in Gallia & Liguria. Adde quod ex Valerio Maximo lib. 2. cap. 7. refert Grut. de pœna legioni à Senatu inflicta, quòd paſſa eſſet occidi Petillium.

4. *Periti religionum.*] Ex Priſciano eſt hoc fragmentum comitiorum, ubi *ordinarii* Conſules dicuntur, qui primis comitiis creati erant. His opponuntur *ſuffecti*, hoc eſt, in demortuorum locum ſubrogati. Fuerant autem *ordinarii* Conſules Cn. Cornelius Scipio Hiſpalus, & Q. Petillius Spurinus: quorum ille mortuus, hic ferro interierat: *ſuffectus* autem in Scipionis locum C. Valerius Lævinus.

Urb. cond. an. 578. Coss. P. Mucio Scævolâ, & M. Æmil. Lepidô.

„ crificia, & indictæ supplicationes. Etenim sæva in homines, sævior in
„ armenta pestis incubuerat, quæ in annum insequentem propagata est.
„ Et cum strata passim per agros, ipsaque in urbe cadavera jacerent, ne
„ vultures quidem, avidum taliuni ciborum genus, ea depasti, ac nec at-
„ tigisse dicebantur: tam dira mephitis, tamque atrox, corrupto cœlo,
„ halabat tabidis è visceribus lues. Post hæc peractis Latinis Feriis, &
„ Consulum abeuntium solemni sacro, paludati cum lictoribus profecti in
„ Provincias sunt. Et Lepidus brevi nec magno negotio fusis compulsisque
„ ad quietem Boiis, Gallisque aliis qui circum Padum colunt; ad compri-
„ mendos à tergo Ligures mediterraneos, ne se cum maritimis adversus
„ Mutium collegam conjungere possent, exercitum deduxit.

XXIII. Cis Apenninum [1] Garuli & Lapicini, & Hercates, trans Apenninum Briniates fuerant. [2] Inter Audenam amnem P. Mutius cum iis, qui Lunam Pisasque depopulati erant, bellum gessit: omnibusque in ditionem redactis, arma ademit. Ob eas res in Gallia Liguribusque gestas duorum consulum ductu auspicioque, senatus in triduum supplicationes decrevit, & quadraginta hostiis sacrificari jussit. Et tumultus quidem Gallicus & Liguslinus, qui principio ejus anni exortus fuerat, haud magno conatu brevi oppressus erat. Belli Macedonici subibat jam cura, miscente Perseo 3 inter Dardanos Bastarnasque certamina. & legati, qui missi ad res visendas in Macedoniam erant, jam reverterant Romam, renunciaverantque bellum in Dardania esse. Simul venerant & ab rege Perseo oratores, qui purgarent, nec accitos ab eo Bastarnas, nec auctore eo quicquam facere. Senatus 4 nec liberavit ejus culpæ regem, neque arguit: moneri eum tantummodò jussit, ut etiam atque etiam curaret, 5 ut sanctum haberet fœdus, quod ei cum Romanis esse videri posset. Dardani quum Bastarnas non modò non excedere finibus suis, quod speraverant, sed gravióres fieri in dies cernerent, subnixos Thracum accolarum & Scordiscorum, auxiliis; audendum aliquid vel temerè rati, omnes undique armati ad oppidum, quod proximum castris Bastarnarum erat, convenerunt. Hiems erat, & id anni tempus elegerant, ut Thraces Scordiscique in fines suos abirent. quod ubi ita factum, & solos jam esse Bastarnas audierunt, bifariam dividunt copias. pars, ut recto itinere ad lacessendum ex aperto iret: pars devio saltu circumducta, ab tergo aggrederetur. Cæterùm

NOTÆ.

1. *Garuli & Lapicini & Hercates.*] Hos Liguriæ populos montanos ponit Cluver. circa fontes *Labeniæ* fluvii, qui vulgò nunc *Lavagna*.

2. *Inter Audenam amnem.*] Nunc *Lavia*, sive *Laula* dicitur hic amnis Cluverio, in finistram *Macræ* ripam defluens.

3. *Inter Dardanos Bastarnasque.*] Vide lib. 40. cap. 57.

4. *Nec liberavit ejus culpa regem.*] Ita dixit *liberare culpa*, ut dicimus *plenum iræum, vacuum vini*, &c. Receptior loquendi forma est *liberare culpâ*.

5. *Ut sanctum haberet fœdus.*] Recte Jac. Gronov. translatâ literâ finali *s* à verbo *haberet* ad verbum *esset*, sic emendat: *ut sanctum habere fœdus, quod ei cum Romanis esset, videretur.*

priuſquàm circumire caſtra hoſtium poſſent, pugnatum eſt: victique Dardani compelluntur in urbem, quæ ferè duodecim millia ab caſtris Baſtarnarum aberat. Victores confeſtim circumſidunt urbem: haud dubiè poſtero die aut metu dedituris ſe hoſtibus, aut vi expugnaturi. Interim Dardanorum altera manus, quæ circumducta erat, ignara cladis ſuorum, caſtra Baſtarnarum 6 ſine præſidio relicta, „atque aperta cernentes (Dardani) „fraudem primùm veriti, hærere: tum nemine prohibente ingreſſi, jam „diripere parabant, cùm nunciato ſuorum periculo conſternati, ea, & „quidquid in illis relictum, incendere ſatius duxerunt, ne quid ad ſolvendam urbis ſuæ obſidionem properantes remorari poſſet. Baſtarnæ cùm „ſimul ardere caſtra ſua, ſimul imminere à tergo novos hoſtes viderent: „hinc commeatu, quem è vicina omni regione convectum diutinâ populatione in longum ſibi proſpexerant, cæteroque apparatu bellico deſtituti: „inde ſuſpecta quoque Perſei, à quo acciti fuerant, fide; fugam magis „agitare animis quàm prœlium (& meminerant, velut manifeſtâ Numinum ira, immiſſæ nuper popularibus cladis.) Itaque omnibus circa evaſtatis, quærendi victûs causâ ad remotiora feſtinant. Ingens quidem multitudo campos replebat; ſed imbellis ſexûs atque ætatis infirmæ, non „minor quàm armatorum. Sic ſparſim nullo ferè communi certove conſilio, ſed prout quemque ſua ſpes, ſuaſve metus & domeſtica erga proximas neceſſitudines charitas curaque agebat: ita ſaluti ſuæ ac ſuorum conſulere conabantur: in hoc tantùm concordes ut ſuas quam primùm ſedes „reviſerent. Nec Dardani abeuntibus pertinaciter inſtitere, inæqualium „virium ſibi conſcii; atque excedente ultrò Dardaniæ finibus hoſte, id „adepti cujus causâ ad arma concitari fuerant. Baſtarnæ, ubi dierum aliquot itinere atque inopiâ fatigati, ad Iſtrum pervenerunt, quo eorum „fines terminabantur; exultare gaudio ad aſpectum patrii ſoli: & craſſa „duritieque, quàm pro conſuetо hibernæ etiam tempeſtatis & gelidæ regionis more, obdu&ta flumini glacies, quæ nullum onus recuſare videbatur, facilem ſine ope navigiorum, traje&tum promittebat. Verùm incumbente feſtinantium ſeque curſu agglomerantium hominum ac jumentorum „toto ſimul agmine, glacies immenſo impar oneri, medio tandem amni „longè laceque diſſiliens, ſuperſtantem multitudinem ita deſtituit, ut tem„poris ferè momento vaſtis hauſti gurgitibus, miſerum in modum perie„rint. Sunt qui Baſtarnarum hanc cladem in tempus ſuperius conferant, „velintque primùm è patrio ſolo appulſos ad Iſtri fluenta, dum tranſgredi tentant ex ulteriori citeriorem ad ripam, in ipſo conatu cum conjugibus liberiſque abſorptos. Sed Dardanorum adverſus eos opem orantium „Romam miſſa legatio, jam tranſgreſſos evincit, progreſſoſque proximam uſque in Thraciam. Nec deſunt qui Perſeum, ancipiti auxilio diffiſum, in eorum perniciem cum Dardanis conjuraſſe, hinque ſubmiſiſſe

Urb. cond. an. 578. Coſſ. P. Muc. Scæv. & M. Æmil. Lepido.

Ex conjectura.

Oroſ. lib. 4. cap. 20.

NOTÆ.

6. *Sine præſidio relicta.*] Hic addenda Baſtarnarum cum Dardanis certamina.

Urb. cond. an. 578. Coſſ. P. Muc. Scæv. & M. Æmil. Lepido.

„ſubſidia exiſtiment. Lætum certè an triſte hoc ipſi nuncium acciderit, „ambigitur: adeo avaritiâ, ſpes, franſque ac timor huc illuc diverſum „agebant. Nunc ſolutione præmiorum, quorum promiſſis barbaros in „Thraciam allexerat, metuque abiis, ſi merces denegaretur, imminen„te, liberatum ſe pro ingenti lucro ducere: ad hæc eo quoque ſibi blan„diri, quòd Romanorum ſuſpiciones ob accita ea ſubſidia in ſe ortas, his „procul amandatis purgari facilè ac dimoveri poſſe arbitrabatur; indeque „certam impoſterum cum præpotente populo pacem futuram, cujus ſpe „ludificari ſe à Marcio paſſus fuerat. At poſtquam appropinquante bello, „perterritus incredibili apparatu & copiis Romanorum, ſibi diffidere cœ„pit; amiſſam tantam virium acceſſionem dolere; Dardanoſque perpe„tuos Macedonum hoſtes, hoc exempto fræno Romanis à fronte premen„tibus regnum à tergo liberè invaſuros metuere. Itaque his ſuperandis „malis ad nova fœdera ſociandaque arma vicinorum regum ac populorum „ſerò reſpexit: nec tamen eâ, quâ par erat, curâ conſtantiâque perſtitit „in tam neceſſario incepto. Hæc adultâ hieme in Macedonia geſta.

Liv. Epit. Appian. in Syriac. n. 116. Juſtin. lib. 34. cap. 2.

„XXIV. Per ea tempora Antiochus Magni Antiochi filius, mortuo „fratre Seleuco, in Syriæ regnum ſucceſſit. Seleucus quippe Antiochi fi„liorum natu maximus, paternis cladibus debilitatus, poſt otioſum nul„liſque admodum rebus geſtis nobilitatum, annorum fermè duodecim re„gnum, fratrem, miſſo Romam in ejus locum filio ſuo Demetrio, revo„caverat in Syriam. Et vix Athenas pervenerat Antiochus, cum Seleucus „inſidiis Heliodori Purpurati oppreſſus interiit. Hunc jura regni affectan„tem Eumenes atque Attalus, tanquam à regia ſtirpe alienum, ab teme„rariis auſis prohibuerunt: Antiochum verò navigantem in patriam, omni „honore atque ope proſecuti, in regno collocarunt. Eorum in novum re„gem officia commendationi populi Romani, an propriæ fratrum pro„penſioni tribuenda ſint, haud facilè ſtatuerim. Neque enim deſunt, qui „pronam eorum in Antiochum voluntatem ſubortis per ea tempora inter „ipſos Romanoſque offenſionibus adſcribant, aut ſuſpicionibus. Antio„chus his auxiliis regnum ingreſſus, ſubjectis gentibus ita gratum ſe ino„pinato adventu præſtitit, ut ei cognomen indiderint Epiphani, quòd

Appian. Syriac. n. 117.

„regnum uſurpantibus extrancis, ipſe avitæ ditionis aſſertor exortus, ſuis „velut novum quoddam ſidus illuxiſſet. Ubi Syria, & longinquis ſuperio„ris Aſiæ, etiam ultra Euphratem ac Tigrim regionibus, adverſante ne„mine potitus eſt: firmatâ cum Eumene amicitiâ, conſtitutoque fœdere, „bellum Artaxiæ intulit Armeniæ regi, eumque prœlio cepit. Verùm, „ut dominantium, quibus quantum libet tantum licet, proclives plerum„que ſunt in deterius mores; nec minùs mobilia populorum, ac præſertim „Syrorum ingenia: haud diuturna manſere regnanti ſtudia ſuorum: adeo„que verſa in contrarium ſunt, ut quem honoris causâ paulò antèà inſigni „cognomine decorandum ex admiratione ceciderant, eundem mox Epima„nem vocarent, ac pro Illuſtri dicerent Inſanum. Et vero, poſt hæc „quæ diximus regni primordia, brevi novam prorſus, cæteriſque inuſita-

„ tam Regibus iniit vitæ rationem; ut civem ac privatum, potiùs quam Urb. cond.
„ Regem, aut virum in mediocri Republica principem ageret. Ejus insti- an. 578.
„ tuti causæ in incerto sunt: sive suorum amorem omni popularitatis gene- Coss. P. Muc.
„ re allicere, sive gratiam Romanorum his morum civilium imitamentis Scæv. & M.
„ demereri se posse putabat: seù potiùs insita levitas animi ac vanitas eò Æmil. Le-
„ impulere. Plerumque igitur è regia clam atque insciis ministris digres- pido.
„ sus, per urbem duobus tribusve comitantibus famulis vagari instituit: Diod. Frag.
„ nunc per sculptorum opificumque aliorum officinas discurrens, & de cu- apud Vales.
„ jusque arte ambitiosè differens: nunc cum obvio quoque plebejorum homi- Polyb. ap.
„ num nulla de causa sermones in publico miscens: nunc popinas oberrans Athen. l. 5.
„ & compotationi indulgens cum vilissimis advenarum. Secundum hæc,
„ sic ubi juvenum interdiu, aut noctu familiariùs inter se convivantium cœ-
„ tus haberi audiebat, ipse statim ultrò cum poculo & symphonia impro-
„ visus aderat, eorumque se comessationibus inferebat: ita ut inexpectatâ
„ ejus præsentiâ exterriti plerique dilaberentur, alii rei novitate attoniti præ
„ metu conticescerent: illo interim nec figlina vasa, nec inconditos inter
„ vini lasciviasque cantillantium sonos aspernante. In publicis quoque balneis
„ cum turba eum sæpenumero lavasse constat, & exquisiti odoris magnique
„ pretii referta unguentis fictilia juxtà lavantibus divisisse. Denique sumptâ
„ loco vestis regiæ togâ, quemadmodum Romæ ab ambientibus honores
„ fieri viderat, forum velut candidatus circumibat, & singulos è plebe pre-
„ hensans amplexansque, modò ædilitatem, modò præturam demissis
„ precibus petebat, ac denique populi suffragiis magistratum adeptus,
„ Romano [1] more sella eburnea posita [2] jus dicebat, disceptabatque con-
troversias minimarum rerum. adeoque [3] nulli fortunæ adhærebat animus,
per omnia genera vitæ errans, uti nec sibi, nec aliis, quinam homo esset,
satis constaret.

XXV. Non alloqui amicos, vix notis familiariter arridere: munificen-
tiâ inæquali sese aliosque ludificari: quibusdam honoratis magnoque æsti-

NOTÆ.

1. *More sellâ eburneâ positâ jus dicebat.*] Hic inferi debent ex parte quæ à Diodoro, & præsertim à Polybio apud Athenæum narrantur de moribus Antiochi Epiphanis.

2. *Jus dicebat disceptabatque.*] Hæc ex Polybio vertit noster, ac penè ad verbum transcripsit Diodorus, ut notat Henr. Vales. Idem dicendum de hominum circa Antiochi hujus facta opinione.

3. *Nulli fortunæ adhærebat animus.*] Scribe cum Rubenio *nulli formæ*: sic apud Tacit. 1. Annal. *qui formam vitæ iniit, quam posteà celebrem miseriis temporum, & audacia hominum fecerunt.* Hujus Antiochi imago hæc est ex nummis.

Urb. cond. an. 578. Coss. P. Muc. Scæv. & M. Æmil. Paulo.

mantibus ſe puerilia, ut eſcæ aut luſus, munera dare: alios nihil expectantes ditare. Itaque neſcire quid ſibi vellet quibuſdam videri. quidam ludere cum ſimpliciter, quidam haud dubiè inſanire ajebant. In duabus tamen magnis honeſtiſque rebus verè regius erat animus, in [a] 4 urbium donis, & Deorum cultu. 5 Megalopolitanis in Arcadia murum ſe circumdaturum urbi eſt pollicitus, majoremque partem pecuniæ dedit. Tegeæ theatrum magnificum è marmore facere inſtituit. Cyzici 6 in Prytaneum, id eſt, penetrale urbis, ubi publicè quibus is honos datus eſt, veſcuntur, vaſa aurea menſæ unius poſuit. Rhodiis, ut nihil unum inſigne, ita omnis generis, utque uſus eorum poſtulaverunt, dona dedit. Magnificentiæ verò in Deos, vel Jovis Olympii templum Athenis, unum in terris inchoatum pro magnitudine Dei, poteſt teſtis eſſe. Sed & Delon aris inſignibus ſtatuarumque copiâ exornavit. & Antiochiæ Jovis Capitolini magnificum templum, non laqueatum auro tantùm, ſed parietibus totis lamina inauratum, & alia multa in aliis locis pollicitus, quia perbreve tempus regni ejus fuit, non perfecit. Spectaculorum quoque omnis generis magnificentiâ ſuperiores reges vicit; 7 reliquorum ſui moris & copiâ Græcorum artificum. Gladiatorum munus Romanæ conſuetudinis, primò majore cum terrore hominum inſuetorum ad tale ſpectaculum, quàm voluptate dedit: deindeſaepiùs dando, & modò vulneribus tenus, modò ſine miſſione etiam, & familiare oculis gratumque id ſpectaculum fecit, & armorum ſtudium plerisque juvenum accendit. Itaque, qui primò ab Roma magnis præmiis paratos gladiatores arceſſere ſolitus erat, jam ſuo „ è regno voluntatiis uti gladiatoribus heuerit, operam ultrò ad depugnan-

INTERPRETATIO.

[a] *In pecunia ad uſum & ornamentum civitatum munificè conferenda.*

NOTÆ.

4. *Urbium donis.*] In Græco ex Polybii textu apud Athenæum legitur ἐν ἀναθήσεσι τῶν πρώτων πόλεων θυσίαις; quod eſſet in ſacrificiis; ſed Livii verſio docet ſcribendum eſſe ἀναθήσεσι, vel ἀναθέσεσι.

5. *Megalopolitanis.*] His ſumptibus erogandis hanc Antiochum reges cunctos priores ſuperaſſe Polybius ait, apparetque ex ſequentibus non ſolùm ad ornandas ditionis ſuæ urbes, ſed & Græcas provincias poſitas, magnum pecuniæ numerum erogaſſe.

6. *In Prytaneum.*] *Prytaneum* apud Græcos locus erat, quò Prytanes, ſeu Magiſtratus juri dicendo præpoſiti, conveniebant, & in quo publicis ſumptibus alebantur ac ſimul epulabantur.

7. *Reliquorum ſui moris.*] Intelliguntur ſpectacula Græcorum, ſive ludos Olympicorum more celebratos: unde miror Cronovio hic duo excidiſſe. Primò quòd pro *reliquorum* conjicit *religione ſui moris*: deinde quod velit Τὸ *magnificentia* accipi in nominativo caſu, cùm dicitum ſit in auferendi caſu; eſt enim *ſpectaculorum quoque omnis generis magnificentia ſuperiores reges vicit: reliquorum* (ſpectaculorum ſcilicet) *ſui moris* (nempe Macedonici,) *& copiâ Græcorum artificum*, ſupple ex ſuperioribus, *ſuperiores reges vicit*. Dicit autem *ſui moris*, ut excludat ſpectacula moris Romani, & præſertim Gladiatorum.

„dum exiguâ mercede offerentibus. Verùm ut hæc fortè non indigna, ita „secuta per simulacrum decurrentis exercitûs pompa, epulumque populo „exhibitum, mixtam cum incredibili opulentia, non minorem habuere „ex scurrilibus ejus actibus utilitatem. Etenim cùm ad insolitum spectaculum celeberrimos undecunque artifices advocasset; & quidquid exciri poterat principum virorum, ex Asia Græciaque universa invitasset; in ludorum quidem apparatu, sive hominum equorumque purpura, argento, auro, ac lapillis fulgentium numerum atque ornatum in decursione, sive in convivio ciborum omnis generis exquisitas profusasque delicias spectes, longo intervallo superiores principes haud dubiè superavit. Cæterùm ipsa totius ludicri dispositio, quod ipse per se ordinabat, indecora & prorsus rege indigna apparuit. Modico quippe canterio vectus, ultrò citroque pompæ adequitabat: ita illos progredi, hos subsistere jubens, ut tumultus plena decursio nihil gravitatis haberet aut ordinis militaris. Jam quod ad publicum convivium attinet, epulantium huic vel illi sine discrimine modò adsidere cœpit, modò resupinus accumbere. Tum repentè exsiliens singula circumcursare triclinia, & stans propinatos sibi hinc inde calices haurire. Tandem productis in noctem comessationibus, cùm multi jam cœnaculis excessissent, linteo involutus potiùs quàm indutus à scenicis illatus est: mox & sui & adstantium & omnis oblitus decôris, quasi symphoniacorum harmoniâ exsuscitatus, repentè erupit nudus, & cum mimis tripudians saltationes adeo ridiculas peregit, ut cuncti præ pudore ablcederent. Itaque qui ad hujusmodi spectaculum undequaque convenerant, quoties magnitudinem apparatûs ac totius ludicri magnificentiam recordabantur, Regis ac regni opes suprà modum admirari: at ubi in Regem ipsum pravaque ejus studia convertebant oculos, vix sibi in animum inducere, qui fieri posset ut in uno eodemque ingenio cum egregiis virtutibus regioque animo, tot simul abjectissimorum vitiorum monstra habitarent. Verùm ejus vesaniam atque insaniissimos sumptus verbis assequi difficile, nec operæ fuerit. Hoc tantùm adjicere lubet, illum, dum florentis atque amplissimi regni tributa, vectigalia, proventus innumerabiles effundendi atque abliguriendi, aut veriùs dum surendi nec finem ullum, nec modum facit, seque ac suos per inania exhaurit in tantum egestatis ex prodigentia fuisse perductum, ut non profana modò expilare coactus sit, sed tandem consumptis Syriæ, atque ultimi Orientis, direptæque postèa Ægypti opibus, ne Deorum quidem fanis donariisque abstinuerit. Inter alia Hierosolymis per fraudem potitus, inviolatum Alexandro Macedoni templum, in quo Judæi, moris sui religioni pertinacissimè addicta gens, non adspectabile, sed mente dumtaxat intellectum numen effusissimo & nullis parcente impensis cultu prosequuntur, per immanem civium stragem diripuit, ablato quidquid auri argentique ac pretiosæ suppellectilis conquisitum undique longa ætas & profusa populorum veneratio coacervaverat. Demùm inclytum religione, donisque refertissimum, seu Dianæ seu Veneris apud Elymæos templum (in

Urb. cond. an. 578. Cos. P. Mac. Scæv. & M. Æmil. Lepido.

Polyb. ubi suprà. Diodor. in excerpt. Val. p. 318. & seq.

1. Machab. c. 1. Joseph Antiquit. lib. 12. cap. 7. & belli Jud. lib. 1. cap. 1.

Appian. Syr. n. 131.

Urb. cond. an. 578. Coss. P. Muc. Scæv. & M. Æmilio Lepido. Joseph. Ant. lib. 12. c. 13. & Polyb. 2. Machab. 1. v. 13. & 14. Strabo l. 17. Justin. lib. 32. cap. 2. Frontin. Aut. de Vir. Illustribus. V. Liv. sup. & Pigh. hic.

„quo præter cætera asservari Alexandri Magni loricæ & scuta dicebantur, „ingeniibus splendoris eximii gemmis illuminata) spoliare aggressus est. „Sed concursu facerdotum ac popularium non sine clade repulsus, Babylonem fugâ repetere est adactus, ubi tædio rei malè gestæ contabuit, atque „immaturâ morte Numini, cujus sedem sacrilego ausu temeraverat, meritas dedisse creditur pœnas. Sunt qui cæsum cum suis in ipso conatu „volunt. Alii haud absimilia de Antiochi patris interitu memorant, cùm „ditissimum Jovis aut Beli in eadem Elymaide templum exinanire tentasset. „At externa hæc, & magnam partem aliquot post annis gesta, nos diutiùs „quàm pro more ab serie rerum domesticarum avocarunt. Longiorem in „his moram insolentia rei excuset.

„XXVI. Fine anni Ti. Sempronius Gracchus proconsul, devictis Sar- „dis, provinciam Prætori Sex. Cornelio tradidit; reversusque in urbem est „triumphi causâ, quem ut meritus justissimè fuerat, ita refragante nemine „impetravit. Tantam captivorum ex ea insula multitudinem secum abdu- „xisse ferunt, ut longa eorum sub corona auctione homines fatigati, *Sar- „dos venales* per ludibrium dicerent: idque proverbio locum fecit, quo „nullius vel minimi pretii res indicantur. Triumpharunt & Consules ambo „de Liguribus Gallisque; & quantum ex monumentis veteribus conjicere „licet, P. Scævolæ triumpho locum navalis victoria dedit. Hic, an ejus „collega M. Lepidus comitia sequentis anni habuerit, in incerto est. Crea-

Valer. Max. 4. 5. & 5. 5.

„ti Consules sunt Sp. Postumius Albinus, Q. Mucius Scævola. Prætoriis „comitiis fortuna inter *cæteros candidatos* P. Africani filium, L. Corne- „lium Scipionem, sive is Cnejus fuit, non sine magna invidia commisit „cum Q. Cicerejo, qui sub ejus patre scripturam fecerat: adeoque à patriis „virtutibus degeneratsse, tot vitiorum maculis Cornelium nomen dedeco- „rare visus est Scipio, ut omnium centuriarum suffragiis ei jamjam antefe- „rendum Cicerejum appareret; nisi hic, sive fortunæ crimen, sive comi- „tiorum errorem modestia sua emendasset. In hoc campestri certamine „patroni filium vincere non sustinuit. Templo itaque descendens, abjecta- „que candida toga, ex competitore de victoria certo, gratum clientem, „& competitoris sui suffragator fieri maluit. Sic honorem, quem à populo „impetraturus Scipio non videbatur, ope Cicereii consecutus est, majori „Cicereii gloria quàm sua. Additi sunt Scipioni Prætores C. Cassius Longi- „nus, P. Furius Philus, L. Claudius Asellus, M. Atilius Serranus, Cn. „Servilius Cæpio. Retulere de provinciis deque Republica Consules ad „Senatum. Is ambobus Ligures provinciam assignavit, divisis regionibus. „Sed ne statim proficiscerentur delectus præsertim & sacrorum cura obsti- „tit, eaque, opinor, causa fuit, ne quicquam memoria dignum ab iis ge- „reretur. Jam suas Prætores sortiti provincias erant, C. Cassius Longi- „nus urbanam, [1] L. Cornelius Scipio inter peregrinos. M. Atilio prætori

Pigh.

NOTÆ.

1. *L. Corn. Scipio.*] Supplenda hic nis: itemque comitia consularia & præquædam ex Athenæo de moribus Epiphatoria cum sortitione provinciarum.

provincia Sardinia obvenerat: sed eum legione nova, quam consules conscripserant, quinque millibus peditum, trecentis equitibus in Corsicam jussus est transire. Dum is ibi bellum gereret, Cornelio prorogatum imperium, ut obtineret Sardiniam. Cn. Servilio Cæpioni in Hispaniam ulteriorem, & P. Furio Philo in citeriorem tria millia peditum Romanorum, equites centum quinquaginta, & sociûm Latini nominis quinque millia peditum, trecenti equites: Sicilia L. Claudio sine supplemento decreta. Duas præterea legiones consules scribere jussi, cum justo numero peditum equitumque, & decem millia peditum sociis imperare, & sexcentos equites. Delectus consulibus eò difficilior erat, quòd pestilentia, quæ priore anno in boves ingruerat, eo [2] verterat in homines. in morbos qui inciderant, haud facilè septimum diem superabant: qui superabant, longinquo, maximè quartanæ implicantur morbo. Servitia maximè moriebantur. eorum strages per omnes vias insepultorum erat. [3] Ne liberorum quidem funeribus Libitina sufficiebat. Cadavera intacta à canibus ac vulturibus, tabes absumebat: satisque constabat, nec illo, nec priore anno in tanta strage boum hominumque vulturium usquam visum. Sacerdotes publici eâ pestilentiâ mortui sunt, Cn. Servilius Cæpio pontifex, pater prætoris, & Tib. Sempronius C. F. Longus decemvir sacrorum & P. Ælius Pætus augur, & Tib. Sempronius Gracchus, & C. Mamilius Vitulus, curio maximus, & M. Sempronius Tuditanus pontifex. [4] pontifices suffecti sunt, C. Sulpicius Galba in locum Tuditani. Augures suffecti sunt, in Gracchi locum T. Veturius Gracchus Sempronianus: in P. Ælii, Q. Ælius Pætus. Decemvir sacrorum C. Sempronius Longus; curio maximus C. Scribonius curio sufficitur. Quum pestilentiæ finis non fieret, senatus decrevit, uti decemviri libros Sibyllinos adirent. Ex decreto eorum, diem unum supplicatio fuit. & Q. Marcio Philippo verba præeunte, populus in foro votum concepit: *Si morbus pestilentiaque ex agro Romano emota esset, biduum ferias ac supplicationem se habiturum.* In Vejenti

Urb. cond. an. 579. Coss. Sp. Postum. Albino, & Q. Mucio Scævolâ.

NOTÆ.

2. *Verterat in hominum morbos, qui inciderant.*] Correxerat Sigon. *verterat in homines: in morbos qui inciderant*; nolebat enim *incidendi* verbum absque nomine & præpositione. Verùm præterquàm quod loco referri possunt τὸ *qui inciderant*, ad nomen *morbos*, quod præcedit: egregiè fecit etiam ipse eo verbo simpliciter usus aliquando auctores. Sic noster lib. 29. *ne negletti qui incidissent, morerentur.* Cic. quoque in Pisonem, *neque se recreare quisquam posset qui semel incidisset.* Opponit verò hic Livius hominum morbos pestilentiæ, quæ priùs in boves ingruerat.

3. *Ne liberorum quidem funeribus Libitina sufficiebat.*] Venerem alii, alii probabiliùs Proserpinam interpretantur hanc Deam apud Plut. in Numa, cujus in æde locabantur aut vendebantur quæ ad apparatum funerum pertinebant. Sed hic sumitur hoc vocabulum pro exequiarum apparatu: aliquando accipitur pro morte, ut apud Horat.

pars melior mei vitabit Libitinam.

4. *Pontifices suffecti sunt.*] Unum tantùm nominat C. Sulpicium Galbam in locum Tuditani: excidit itaque nomen Pontificis suffecti in locum Cn. Servilii Cæpionis demortui: quod notatum à Sigonio.

Urb. cond. an. 579. Coss. Sp. Postum. Albino, & Q. Mucio Scævolâ.

agro biceps natus puer, & Sinuessæ unimanus, & 5 Oximi puella cum dentibus, & arcus interdiu sereno cœlo super ædem Saturni in foro Romano intentus, & tres simul soles effulserunt: & faces eâdem nocte plures per cœlum lapsæ sunt in Lanuvino. Ceritesque anguem in oppido suo jugulatum, aureis maculis sparsum, apparuisse affirmabant. & in agro Campano bovem locutum esse satis constabat.

5

XXVII. 1 Legati Nonis Junii ex Africa redierunt, qui convento priùs Masinissâ rege, Carthaginem jerant: cæterùm certiùs aliquantò quæ Carthagine acta essent ab rege resciebant, quàm ab ipsis Carthaginiensibus. compertum tamen affirmaverunt, legatos ab rege Perseo venisse, iisque noctu senatum in æde Æsculapii datum esse. ab Carthagine legatos in Macedoniam missos, & rex affirmaverat, & ipsi parum constanter negaverant. In Macedoniam quoque mittendos legatos senatus censuit. tres missi sunt, C. Lælius, M. Valerius Messala, Sex. Digitius. Perseus per id tempus, quia quidam Dolopum non parebant, &, de quibus ambigebatur, rebus disceptationem ab rege ad Romanos revocabant; cum exercitu profectus, sub jus judiciumque suum totam coegit gentem. Inde per Oetæos montes transgressus, religionibus quibusdam animo objectis, oraculum aditurus Delphos ascendit. Quum in mediâ repentè Græciâ apparuisset, magnum non finitimis modò urbibus terrorem præbuit, sed in Asiam quoque ad regem Eumenem nuncius tumultus ejus venit. Triduum non plus Delphis moratus, 2 per Phthiotidem Achajam, Thessaliamque, sine damno injuriâque agrorum per quos iter fecit, in regnum rediit. Nec earum tantùm civitatum, per quas iturus erat, satis habuit animos sibi conciliare: sed aut legatos, aut literas dimisit, petens, ne diutius simultatum, quæ cum patre suo fuissent, meminissent. nec enim tam atroces fuisse eas, ut non cum ipso potuerint ac debuerint finiri. Secum quidem omnia illis integra esse ad instituendam fideliter amicitiam. Cum Achæorum maximè gente reconciliandæ gratiæ viam quærebat.

10

15

20

25

XXVIII. Hæc una ex omni Græciâ gens, & Atheniensium civitas, eò processerat irarum, ut finibus interdiceret Macedonibus. Itaque servitiis ex Achaja fugientibus receptaculum Macedonia erat: quia quum finibus suis interdixissent, intrare regni terminos ipsi non audebant. Id quum Perseus animadvertisset; 1 comprehensis omnibus literas ***

30

NOTÆ.

5. *Oximi puella.*] *Oximum* urbs est Piceni, vulgo *Osmo*.

1. *Legati Nonis Junii.*] Rectè observe videtur Sigon. legendum *Calendis Junii*: neque enim probabile est Livium hisce temporibus *Julias* nominasse, sed Quintiles, si cogitasset de mense Quintili, qui nonnisi longo post tempore nomen Julii accepit.

2. *Per Phthiotidem Achajam, Thessaliamque.*] Intellige regiones duas Thessaliæ latè sumptæ, quarum aliam Thessaliotidem dixere, id est, Thessaliam strictiùs dictam; aliam verò Achajam, Phthiotidem cognomine, ad discrimen Achajæ Peloponnesiacæ: nam & in Thessaliæ parte fuit Argos Achaicum.

1. *Comprehensis omnibus.*] Hic quædam

Urb. cond. an. 579. Conſ. Sp. Poſtum. Albino, & Q. Muc. Scæv.

cæterum ne ſimilis fuga ſervorum poſtea fieret, cogitandum & illis eſſe. Recitatis his literis per Xenarchum prætorem, qui privatæ gratiæ aditum apud regem quærebat; & pleriſque moderatè & benignè ſcriptas eſſe cenſentibus literas, atque his maximè, qui præter ſpem recepturi eſſent amiſſa mancipia. Callicrates ex iis qui in eo verti ſalutem gentis crederent, ſi cum Romanis inviolatum fœdus ſervaretur: *Parva*, inquit, *aut mediocris res, Achæi, quibuſdam videtur agi.* [2] *Ego ſ maximè graviſſimam omnium, non agique tantum arbitror, ſed quodammodo actam eſſe. Nam qui regibus Macedonum, Macedonibuſque ipſis, finibus interdixiſſimus,* [3] *manereque id decretum, ſcilicet ne legatos, ne nuncios admitteremus regum, per quos aliquorum ex nobis animi ſollicitarentur; ii concionantem quodammodo abſentem audimus regem: & ſi Diis placet, orationem ejus probamus. & quam feræ beſtiæ cibum ad fraudem ſuam poſitum plerumque aſpernentur & refugiant, nos cæci, ſpecie parvi beneficii, ineſcamur: & ſervulorum minimi pretii recipiendorum ſpe, noſtram ipſorum libertatem ſubrui & tentari patimur. Quis enim non videt, viam regiæ ſocietatis quæri, quæ Romanum fœdus, quo noſtra omnia continentur, violetur? Niſi hoc dubium alicui eſt, bellandum Romanis cum Perſeo eſſe, & quod vivo Philippo expectatum, morte ejus interpellatum eſt, id poſt mortem Philippi futurum. Duos, ut ſcitis, habuit filios Philippus, Demetrium & Perſea. Genere materno, virtute, ingenio, favore Macedonum, longe præſtitit Demetrius. Sed* [2] *quia in Romanos odii regnum poſuerat præmium, Demetrium nullo alio crimine, quàm Romanæ amicitiæ initæ, occidit: Perſea, quem populus Romanus prius pœnæ quàm regni hæredem futurum ſciebat, regem fecit. Itaque quid hic poſt mortem patris egit aliud, quàm bellum paravit? Baſtarnas primùm ad terrorem omnium in Dardaniam immiſit: qui ſi ſedem eam tenuiſſent, graviores eos accolas Græcia habuiſſet, quàm Aſia Gallos habeat. Ea ſpe depulſus, non tamen belli conſilia omiſit: imo, ſi vera volumus dicere, jam inchoavit bellum. Dolopiam armis ſubegit,* [4] *nec ſ provinciis de controverſis ad diſceptationem populi Romani adivit. inde tranſgreſſus Oetam, ut repentè in medio umbilico*

INTERPRETATIO.

[2] *Quia* Philippus *regnum ſuum propoſuerat pro præmio odii adverſus Romanos.*

NOTÆ.

exciderunt, quæ ita ſupplet Sigon. ad Achæos miſit, quibus ſe ſervos eorum qui ad ſe tranſfugerant benignè remittere illis ſcripſit. Cæterum, &c.

2. *Ego maximè graviſſimam*, &c.] Lege ex Gronovii conjectura *maximam & graviſſimam omnium, neque agi tantum*, &c.

3. *Manereque id decretum.*] Reſtè idem emendat, *manereque id decretum*, ſcilicet *legatos*, &c.

4. *Nec provinciis de controverſis.*] Probabilis emendatio Gronovii ejuſdem: *Dolopiam armis ſubegit, nec provocantem*, vel *provocantes*, ſcilicet Dolopas, *de controverſiis ad diſceptationem populi Romani*, audivit.

Urb. cond. an. 579. Coss. Sp. Postum. Albino, & Q. Muc. Scæv.

Græciæ conspiceretur, Delphos ascendit. Hæc usurpatio itineris insoliti quo vobis spectare videtur? Thessaliam deinde peragravit. quod sine ullius eorum quos oderat, noxia, hoc magis tentationem metuo. Inde literas ad nos cum nuncio specie missit: & cogitare jubet, quomodo in reliquum hoc munere non egeamus. hoc est, ut decretum, quo arcentur Peloponneso Macedones, tollamus: rursus legatos regios, & hospitia cum principibus, & mox Macedonum exercitus, ipsum quoque à Delphis (5 quantum enim interluit fretum?) trajicientem in Peloponnesum videamus, immisceamur Macedonibus armantibus se adversus Romanos. Ego nihil novi censeo decernendum, servandaque omnia integra, 6 donec ad certum dirigatur, vanusne hic timor noster an verus fuerit. Si pax inviolata inter Macedonas Romanosque manebit; nobis quoque amicitia & commercium sit: nunc de eo cogitare periculosum, & immaturum videtur.

XXIX. Post hunc Arco frater Xenarchi prætoris ita disseruit: *Difficilem orationem Callicrates, & mihi & omnibus, qui ab eo dissentimus, fecit: agendo enim Romanæ societatis causam ipse, tentarique & oppugnari dicendo, quam nemo neque tentat, neque oppugnat, effecit, ut, qui ab se dissentiret, adversus Romanos dicere videretur. Ac primum omnium tanquam non hic nobiscum fuisset, sed aut ex curia populi Romani veniret, aut regium arcanis interesset, omnia scit & nunciat quæ occultè facta sunt. Divinat etiam 1 quæ futura fuerant, si Philippus vixisset. quid ita Perseus regni hæres sit, quid parent Macedones, quid cogitent Romani. Nos autem, qui nec ob quam causam, nec quemadmodum perierit Demetrius, scimus; nec quid Philippus, si vixisset, facturus fuerit; ad hæc, quæ palam geruntur, consilia nostra accommodare oportet. 2 Ac scimus, Perseæ regno accepto ad legatos Romanos venisse, ac regem Perseæ à populo Romano appellatum: audimus, legatos Romanos venisse ad regem, & eos benignè acceptos. Hæc omnia pacis equidem signa esse judico, non belli: nec Romanos offendi posse, si, ut bellum gerentes eos secuti sumus, nunc quoque pacis auctores sequamur. cur quidem nos inexpiabile omnium soli, bellum adversus regnum Macedonum geramus, non video. Opportuni propinquitate ipsa Macedoniæ sumus: an infirmissimi omnium, tanquam quos nuper subjecit, Dolopes? 3 imo contra ea vel viribus nostris, Dum benignitate, vel regionis intervallo*

NOTÆ.

5. *Quantum enim interluit fretum?*] Revera inter Phocidem, ubi Delphi, & Achajam Peloponnesiacam, brevis est trajectus Corinthiaci sinûs.

6. *Donec certum dirigatur.*] Melius haud dubiè quod Gron. suggerit, *ad certum redigatur.*

1. *Quæ futura fuerant.*] Reponendum ex Donato & Prisciano Grammaticis, *quæ futura fuerint.*

2. *Ac scimus Perseæ regno accepto ad legatos Romanos venisse.*] Id verò nescimus ex Livio: sed ut legendum censet Gronov. *Perseæ regno accepto legatos Romam misisse, ac regem à populo Romano appellatum: audimus legatos Romanos venisse ad Regem, & ab eo benignè exceptos.* Ex lib. 40. cap. 58. extremo.

3. *Imò contra ea.*] Vult Gron. *contra vim*: fortè legendum *contra eam*, supple *Macedoniam*: quanquam *contra ea* suam habet significationem: est enim *contra ea*

tuti. 4 Sed ſumus æquè ſubjecti ac Theſſali × *Ætolique. nihilo plus fidei auctoritatiſque habemus adverſus Romanos, qui ſemper ſocii atque amici fuimus; quam Ætoli, qui paulo antè hoſtes fuerunt. Quod Ætolis, quod Theſſalis, quod Epirotis, omni denique Græciæ, cum Macedonibus juris eſt, idem & nobis ſit. cur execrabilis iſta nobis ſolis velut defertio juris humani eſt? Fecerit aliquid Philippus, cur adverſus eum armatum & bellum gerentem hoc decerneremus: quid Perſeus novus rex, omnis injuriæ inſons, ſuo beneficio paternas ſimultates obliterans, mernit? cur ſoli omnium hoſtes ei ſumus? Quamquam & illud dicere poteram, tanta priorum Macedoniæ regum merita erga nos fuiſſe, ut Philippi unius injurias, 5 ſi quæ fortè fuerunt, * utique poſt mortem, quum claſſis Romana Cenchreis ſtaret, conſul cum exercitu Elatiæ eſſet, triduum in concilio fuimus; conſultantes, utrum Romanos an Philippum ſequeremur. Nonnihil motus præſens ab Romanis ſententias noſtras inclinarit. fuit certè tamen aliquid, quod tam longam deliberationem faceret: id quod erat vetuſta conjunctio cum Macedonibus, vetera & magna in nos regum merita. Valeant & nunc eadem illa, non ut præcipuè amici, ſed ne præcipuè inimici ſimus. Ne id, quod non agitur, Callicrates, ſimulaverimus. nemo novæ ſocietatis aut novi fœderis, quo nos temerè illigemus, conſcribendi eſt auctor: ſed commercium tantum juris præbendi repetendique ſit, ne interdictione finium noſtrorum & nos quoque regno arceamus: ne ſervis noſtris aliquo fugere liceat. Quid hoc adverſus Romana fœdera eſt? Quid rem parvam & apertam, magnam & ſuſpectam facimus? Quid vanos tumultus ciemus? Quid, ut ipſi locum aſſentandi Romanis habeamus, ſuſpectos alios ac inviſos efficimus? Si bellum erit, nec Perſeus quidem dubitat quin Romanos ſecuturi ſimus. in pace etiamſi non oda ſimiuntur, intermittantur.* Quum iidem hujc orationi 6 qui literis regis adſentiebant, adſentirentur; indignatione principum, quod quam rem ne legatione quidem dignam judicaſſet Perſeus, 7 literis paucorum verſuum impetraret, decretum differtur. Legati deinde poſteà miſſi ab rege, quum Megalopoli concilium eſſet: dataque opera eſt ab iis, qui offenſionem apud Romanos timebant, ne admitterentur.

Urb. cond. an. 579. Coſſ. Sp. Poſtum. Albino, & Q. Muc. Scæv.

XXX. Per hæc tempora Ætolorum in ſemetipſos verſus furor, mutuis

NOTÆ.

quæ dicuntur ab adverſariis, ut oſtendat ea vera non eſſe, ſed quæ ipſe contra proferat.

ut erant Theſſali ex parte: Ætoli autem ſubditi non erant Perſeo. Quid ſi *Almopique?*

4. Sed ſumus æquè ſubjecti ac Theſſali Ætolique.] Aut delendam vocem *Ætolique*, aut pro *Ætolis* ſcribendum *Dolopeſque*, vel *Epirotaque*, ratiocinatur Gronovius enim Arcon objicit (quod mox diſſuit) eos qui cum potentiori fœdus inierunt (qualis Perſeus reſpectu Achæorum) ei ſe addicere, tanquam ſubjectos, & ſic Achæos futuros quaſi in ditione Perſei, minùs idoneo.

5. Si quæ fortè fuerunt.] Adde *oblivioni ſcreremur*, aut *oblivioni tradenda eſſent*, *utique poſt mortem*.

6. Qui literis Regis aſſentiebant.] Corrige meâ fide *aſſenſi erant*.

7. Literis paucorum verſuum impetraret.] Digna Gronovio emendatio; cùm anteà ſcriberetur *imperaret*, ſenſu paulò

Urb. cond. an. 579. Coſſ. Sp. Poſtum. Albino, & Q. Muc. Scæv.

cædibus ad internecionem adducturus videbatur gentem. Feſti deinde & Romam utraque pars miſerunt legatos, & inter ſe ipſi de reconcilianda concordia agebant: quæ novo facinore diſcuſſa res, veteres etiam iras excitavit. [1] Exulibus Hypataeis, qui factionis Proxeni erant, quum reditus in patriam promiſſus eſſet, fideſque data per principem civitatis Eupolemum, octoginta illuſtres homines, quibus redeuntibus inter cæteram multitudinem Eupolemus obvius exierat, quum ſaluratione benignè excepti eſſent, dextræque datæ, ingredientes portam, fidem datam Deoſque teſtes nequicquam invocantes, interfecti ſunt. Inde gravius de integro bellum exarſit. C. Valerius Lævinus, & Appius Claudius Pulcher, & C. Memmius, & M. Popillius, & L. Canulejus miſſi ab ſenatu venerant. Apud eos quum Delphis utriuſque partis legati magno certamine agerent; Proxenus maximè, quum causâ, tum eloquentiâ, præſtare viſus eſt, qui paucos poſt dies ab Orthobulâ uxore veneno eſt ſublatus: [2] damnataque eo crimine, in exilium abiit. Idem furor & Cretenſes lacerabat. adventu deinde Q. Minucii legati, qui cum decem navibus miſſus ad ſedanda eorum certamina erat, in ſpem pacis venerant. 3. ceterùm induciæ & anteà ſex menſium fuerunt: inde multò gravius bellum exarſit. Lycii quoque per idem tempus ab Rhodiis bello vexabantur. Sed externorum inter ſe bella, quo quæque modo geſta ſunt, perſequi non operæ eſt; ſatis ſuperque onoris ſuſtinenti res à populo Romano geſtas ſcribere.

XXXI. Celtiberi in Hiſpania, qui bello domiti ſe Tib. Graccho dediderant, pacati manſerant M. Titinio prætore obtinente provinciam, rebellarunt ſub adventum Ap. Claudii, orſique bellum ſunt ab repentina oppugnatione caſtrorum Romanorum. Prima luxfermè erat, quum vigiles in vallo, quique in portarum ſtationibus erant, quum vidiſſent procul venientem hoſtem, ad arma conclamaverunt. Ap. Claudius ſigno propoſito pugnæ, ac paucis adhortatus milites, tribus ſimul portis eduxit. Obſiſtentibus ad exitum Celtiberis, primò par utrinque prœlium fuit; quia propter anguſtias [a] non omnes in faucibus pugnare poterant Romani: urgentes deinde alii alios ſecuti evaſerunt extra vallum, ut pandere aciem, [1] & exæquari cornibus hoſtibus, quibus circumibantur, poſſent. ita re-

INTERPRETATIO.

a *Non licebat omnibus Romanis*, qui è caſtris erumpebant, *inter anguſtias portarum prœlium committere*.

NOTÆ.

1. *Exulibus Hypataeis.*] An igitur *Hypata hoc crimine*; etſi vulgata lectio ſatis rem ſignificat.

3. *Caterùm induciæ & anteà ſex menſium fuerunt.*] Probabilis ejuſdem Grotovii correctio; *caterùm induciæ tantùm ſex menſium fecerunt.*

2. *Damnataque eo crimine.*] Melius videtur quod ſuggerit Gron. *quæ damnata hoc crimine*; etſi vulgata lectio ſatis ſit: ſed pars aliqua Theſſaliæ per hæc tempora in Ætolorum erat ditione circa Sperchium fluvium; uti anteà vidimus.

1. *Et exæquari cornibus hoſtibus, quibus circumibantur.*] Stare poſſet hæc le-

pentè eruperunt, ut ſuſtinere eorum impetum Celtiberi nequirent. Ante horam ſecundam pulſi ſunt: ad quindecim mille cæſa aut capta: ſigna adempta duo & triginta. Caſtra etiam eo die expugnata; debellatumque. nam qui ſuperfuere prœlio, in oppida ſua dilapſi ſunt: quieti deinde paruerunt imperio. Urb. cond. an. 579. Coſſ. Sp. Poſtum. Albino, & Q. Muc. Scæv.

XXXII. Cenſores eo anno creati, Q. Fulvius Flaccus, & A. Poſtumius Albinus, legerunt ſenatum: princeps lectus M. Æmilius Lepidus pontifex maximus. De ſenatu novem ejecerunt. inſignes notæ fuerunt M. Cornelii Maluginenſis, qui biennio antè prætor in Hiſpania fuerat: & L. Cornelii Scipionis prætoris, cujus tum inter cives & peregrinos juriſdictio erat: & Cn. Fulvii, qui frater germanus, &, ut Valerius Antias tradit, a conſors etiam cenſoris erat. Conſules votis etiam in Capitolio nuncupatis in provincias profecti ſunt. Ex iis 1 A M. Æmilio ſenatus negotium dedit, ut Patavinorum in Venetia ſeditionem comprimeret, quos certamine factionum ad inteſtinum bellum exarſiſſe & ipſorum legati attulerant. Logari, qui in Æroliam ad ſimiles motus comprimendos jerant, renunciarunt, coerceri rabiem gentis non poſſe. Patavinis ſaluti fuit adventus conſulis: neque aliud quod ageret in provincia quum habuiſſet, Romam rediit. Cenſores vias ſternendas ſilice in urbe, glarea extra urbem ſubſternendas, b marginandaſque primi omnium locaverunt, ponteſque multis locis faciendos: c & ſcenam ædilibus prætoribuſque prœbendam: 2 & carceres in circo, & 3 ova ad notas curriculis numerandis.

INTERPRETATIO.

a *Commune cum Cenſore, & indiviſum habens patrimonium.*

b *Non tantùm vias ſternendas terra lapidibus mixta, ſed etiam marginibus lapideis muniendas primi inter Cenſores locaverunt.*

c *Locarunt iidem Cenſores faciendam ſcenam quæ uterentur Ædiles atque Prætores in edendis theatralibus ludis.*

NOTÆ.

ctio. Sed tamen non illibenter amplector Gronovii conjecturam ſic emendantis: *& exaquari cornibus boſſium, à quibus circumdabantur, poſſent.*

1. *M. Æmilio Senatus negotium dedit.*] Hic M. Æmilius priore anno conſulatum geſſerat: hoc autem anno conſules fuerunt Sp. Poſtumius Albinus, & Q. Mucius.

2. *Et carceres in circo.*] Quid *carceres* fuerint *in circo* ſatis notum: fuit nempè locus in quo equi ad curſum deſtinati paratique coercebantur, ne intempeſtivè exirent, ſed ſignum expectarent, quod aurigis à magiſtratu mappâ ferè explicatâ, dabatur ab eo nimirum qui ludis præſidebat.

3. *Ova ad notas curriculis numerandis.*] Ova dicebantur fabricæ quædam ex ligno, ovali formâ, juxta poſtremas circi metas, binis aut quaternis columnis ſuſtæ; ac veluti lectulo impoſitæ: quinæ quandoque numero, ut plurimùm ſeptenæ. Horum uſus erat, ut aurigantibus oſtenderent quot circuitus in curſu perficiendi eſſent. Itaque primo curriculo ſeu circuitu perfecto, tollebatur ovum unum è medio; ſecundo curriculo facto, alterum; & ſic deinceps, ut colligitur ex Varrone & Caſſiodoro, qui ait *quod metarum circuitus ovorum exemptionibus exprimatur.* Quod depravatam hic lectionem Marcellus Donatus ſuſpicatur: falli

Urb. cond. an. 579. Coss. Sp. Postum. Albino, & Q. Muc. Scæv.

4 & *dam, & metas trans * & caveas ferreas pe * intromitterentur * * 5 ferreis in monte Albano consulibus, & clivum Capitolinum silice sternendum curaverunt, & porticum 6 ab æde Saturni in Capitolium ad fenaculum, ac super id curiam. & extra portam Trigeminam emporium lapide straverunt, stipitibusque sepserunt: & porticum Æmiliam reficiendam curarunt: gradibusque ascensum ab Tiberi in Emporium fecerunt. & extra eandem portam in Aventinum porticum silice straverunt, & eo publico ab æde Veneris fecerunt. Iidem Calatiæ & Oximi muros faciendos locaverunt: venditisque ibi publicis locis, pecuniam, quæ redacta erat, tabernis utrique foro circumdandis consumpserunt. & alter ex iis Fulvius Flaccus (nam Postumius nihil nisi senatus Romani populive jussu se locaturum 8 ipsorum pecunia ****) Jovis ædem Pisauri & Fundis 9 & Pollentiæ, etiam aquam adducendam, & Pisauri viam silice sternendam, 10 & (Sinuessam aga * aviariæ. In his 11 & cloacam *circumducendam & forum porticibus tabernisque claudendum, 12 & Janos tres faciendos. Hæc ab uno censore opera locata cum magna gratia colonorum. Moribus quoque regendis diligens & severa censura fuit. multis equi adempti.

NOTÆ.

eum censeo. Parum certè necessaria mihi videtur emendatio ab eo prolata, *& ova ad notas curriculis numeranda*. Vult enim Livius adjecta circo ova cum basi quâ sisti possent & erigi, ut essent notæ quibus curriculorum numerus iniretur: unde melius est *ad notas curriculis numerandis*, quàm *ad notas curriculis numerandas*. Neque enim notæ per circuitus numerabantur, nec de numerandis notis agebatur; sed de numerandis curriculis per notas, sive de ovis, quæ tanquam notæ & signa quædam inservirent ineundo curriculorum numero.

4. *Et *dam & metas*, &c.] Non malè fortè Marcellus Donatus syllabas & voces quæ hic desunt ita supplet: *& rhedam & metas transitus, & caveas ferreas, per quas intromitterentur feræ*.

5. *Ferreis in monte Albano*.] Sigon. *Ferriis* putat legendum: vultque intelligi de Latinis, quæ in monte Albano agebantur. Cæterum hunc locum ne conjecturâ quidem sanari posse ait. Indicantur haud dubiè ornamenta aut instrumenta quædam quæ Censores in eo monte ad Consulum usum fieri curaverint.

6. *Ab æde Saturni in Capitolium*.] Fuit haud dubiè Ædes Saturni in monte Capitolino, qui antè Saturnius, sed non propriè in ipso Capitolio. Quod autem additur, *ad fenaculum*, vult, ni fallor, eam porticum usque ad *fenaculum* pertigisse. Dicitur autem *fenaculum* locus ubi consultandi causâ conveniunt non solùm Senatores, sed & ubi eorum matronæ.

7. *Et eo publico ab æde Veneris fecerunt*.] Fortè inquit Gron. *& Basilicam ad ædes Veneris fecerunt*, fortè *eo publico* pro ex emporii, cujus paulò antè meminit, proventu, factam vult porticum ab æde Veneris, quæ, opinor, in regione Circi maximi, in Aventino.

8. *Ipsorum pecunia*.] Addit Sigonius *dicebat*: alioqui non constat sententia.

9. *Et Pollentiæ*.] Imò *& Potentiæ*, ut monet Sigon.

10. *Et Sinuessam & Ga * aviaria*.] Legendum Marcell. Donatus putat: *& Sinuessæ glaream aviaria*.

11. *Clo...um circumducend.*] Sigon. hic censet legendum, *in iis & cloacam in fluvium circumducendam, & forum*, &c.

12. *Et Jano tres*.] Ut Romæ Jani signa in foro, ita & apud Sinuessam Fulvius Flaccus facienda locavit.

XXXIII. Exi-

XXXIII. Exitu prope anni diem unum ſupplicatio fuit, ob res proſperè geſtas in Hiſpania, ductu auſpicioque Ap. Claudii proconſulis. & majoribus hoſtiis viginti ſacrificatum: & alterum diem ſupplicatio ad Cereris Liberi Liberæque fuit, quod ex Sabinis terræmotus ingens cum multis ædificiorum ruinis nunciatus erat. Quum Ap. Claudius ex Hiſpaniâ Romam rediſſet, decrevit ſenatus, ut ovans urbem iniret. Jam conſularia comitia appetebant, quibus magnâ contentione habitis propter multitudinem petentium, creati, L. Poſtumius Albinus, & M. Popillius Lænas. Prætores inde facti, Numerius Fabius Buteo, M. Macienus, C. Cicereius, & M. Furius Craſſipes iterum, A. Atilius Serranus iterum, C. Cluvius Saxula iterum. Comitiis perfectis Ap. Claudius Cento ex Celtiberis ovans quum in urbem iniret,[1] decem millia pondo argenti, [2] quinque millia auri in ærarium tulit. Flamen Dialis inauguratus eſt Cn. Cornelius. Eodem anno tabula in æde matris Matutæ cum indice hoc poſita eſt: *Tib. Sempronii Gracchi conſulis imperio auſpicioque legio exercituſque populi Romani Sardiniam ſubegit. in ea provincia hoſtium cæſa aut capta ſupra octoginta millia. Republica feliciſſime geſta,* 3 *atque liberatis vectigalibus & reipublicæ reſtitutis exercitum ſalvum atque incolumem pleniſſimum præda domum reportavit. iterum triumphans in urbem Romam rediit. Cujus rei ergo hanc tabulam donum Jovi dedit.* 4 Sardiniæ inſulæ forma erat, atque in ea ſimulacra pugnarum picta. Munera gladiatorum eo anno aliquot parva alia data: unum ante cætera inſigne fuit T. Flaminini, quod mortis causâ patris ſui, cum viſceratione epuloque, & ludis ſcenicis quatriduum dedit. magni tamen muneris ea ſumma fuit, ut per triduum quatuor & ſeptuaginta homines pugnarint.

Urb. cond. an. 579. Coſſ. Sp. Poſtum. Albino, & Q. Muc. Scæv.

NOTÆ.

1. *Decem millia pondo argenti.*] Gallicè *trois cens ſoixante mille livres*.

2. *Quinque millia auri.*] Gallicè *cinq mille livres Romaines d'or en lingots, qui vaudroient deux millions huit cens mille livres*.

3. *Atque liberatis vectigalibus reſtitutis.*] Deeſt hic aliquid, cui ſupplendo Sigon. legit. *& rep. reſtitutis*: Pighius, *reipublicaque reſtitutis*: at feliciùs, ni fallor, Gron. conjicit, *ſociſque reſtitutis*: ut ſcilicet vecti galia quæ Sardi montani deficiendo à Romanis imminuerant atque averterant, liberaſſe ab eorum vi Gracchus intelligatur: Sardos autem alios, qui in fide & ſocietate Romanorum manſerant, rebuſque ſuis magna ex parte ſpoliati fuerant, in priſtinum ſtatum reſtituiſſe.

4. *Sardiniæ Inſulæ forma erat.*] Huic ſcilicet victoriarum, quas Gracchus de Sardis reportaverat, adjecta erat figura ſive deſcriptio Sardiniæ.

FINIS LIBRI XLI.

TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM LIBER XLII.

EPITOME EJUSDEM LIBRI.

FULVIUS Flaccus cenſor templum Junonis Laciniæ tegulis marmoreis ſpoliavit, ut ædem, quam dedicaverat, tegeret, tegulæ ex ſenatuſconſulto reportatæ. Eumenes Aſiæ rex in ſenatu de Perſeo, Macedoniæ rege, quæſtus eſt: cujus injuriæ in populum Romanum referuntur. ob quas bello ei indicto, P. Licinius Craſſus Conſul, [1] cui Macedonia decreta erat, in Macedoniam tranſiit, levibuſque expeditionibus, equeſtribus prœliis, in Theſſalia cum Perſeo parum felici eventu pugnavit. Inter Maſaniſſam & Charthaginienſes [2] de agro ſuis dies ad diſceptandum à Senatu datus. Legati miſſi ad civitates ſocias 3 & reges rogandos, an in fide permanerent, dubitantibus Rhodiis. Luſtrum à cenſoribus conditum eſt. Cenſa ſunt civium capita ducenta quinquaginta ſeptem millia ducenta triginta unum. Res prætereà adverſus Corſos & Ligures proſpere geſtas continet.

Urb. cond. an. 580. Coſſ. L. Poſtumius Albino, & M. Popillio Lænate.

L. POSTUMIUS Albinus, M. Popillius Lænas, quum omnium primum de provinciis exercitibuſque ad ſenatum retulissent: Ligures utrique decreti ſunt: ut novas ambo, quibus eam provinciam obtinerent, legiones (binæ ſingulis decretæ) & ſocium Latini nominis dena millia peditum, & ſexcentos equites, & ſupplementum Hiſpaniæ tria millia peditum Romanorum ſcriberent, & ducentos equites. Ad hoc, mille & quingenti pedites Romani cum centum equitibus ſcribi juſſi; cum quibus prætor, cui Sardinia obtigiſſet, in Corſicam tranſgreſſus bellum gereret; interim M. Atilius vetus prætor provin-

NOTÆ.

1. *Cui Macedonia decreta erat in Macedoniam tranſiit.*] Membr. *cui mandatum, erat*: quibus adductus Gron. ſcribi jubet: *P. Licinius Craſſus Coſ. cui id mandatum erat, in Macedoniam tranſiit.*

2. *De agro ſuis dies ad diſceptandum à ſenatu datus.*] Loco nominis *dies*, legit idem Gronov. ex membrana Barberina, *arbiter*.

3. *Et reges an in fide permanerent.*] Mavult idem ex ejuſdem libri auctor itate: *ut in fide permanerent.*

ciam obtineret Sardiniam. Prætores deinde provincias sortiti sunt; Atilius Serranus urbanam, C. Cluvius Saxula inter cives & peregrinos, Num. Fabius Buteo Hispaniam citeriorem, M. Matienus ulteriorem, M. Furius Crassipes Siciliam, C. Cicereius Sardiniam. Priusquàm magistratus proficiscerentur, senatui placuit, L. Postumium consulem, ad agrum publicum à privato terminandum, in Campaniam ire: cujus indentem modum possidere privatos, paulatim proferendo fines, constabat. Hic iratus Prænestinis, quòd, cum eò privatus sacrificii in templo Fortunæ faciundi causâ profectus esset, nihil in se honorificè, neque publicè, neque privatim factum à Prænestinis esset: priusquàm ab Roma proficiscereturr, literas Prænestè misit, ut sibi magistratus obviam exiret, locum publicè pararet, ubi diverteretur, jumentaque, quum exiret inde, præsto essent. 1 Ante hunc consulem nemo unquam sociis in ulla re oneri aut sumptui fuit. ideo magistratus mulis tabernaculisque, & omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent sociis: privata hospitia habebant; ea benignè comiterque colebant: domusque eorum Romæ hospitibus patebant, apud quos ipsis 2 diverti mos esset. Legati, qui repentè aliquò mitterentur, singula jumenta per oppida, a iter qua faciendum erat, imperabant: aliam impensam socii in magistratus Romanos non faciebant. « 3. Injuria consulis etiamsi justa, non tamen in magistratu exercenda, & silentium nimis aut modestum, aut timidum Prænestinorum, jus, velut probato exemplo, magistratibus facit graviorum in dies talis generis imperiorum.

A. Urb. cond. an. 580. Coss. L. Postumius Albinus, & M. Popillio Lænate.

II. Principio hujus anni, legati qui in Ætoliam & Macedoniam missi erant, renunciarunt, *sibi conveniendi regis Persei, quum alii abesse eum, alii ægrum esse, falsò utrumque fingerent, potestatem non factam. Facile tamen apparuisse sibi bellum parari, nec ultra ad arma ire dilaturum. Item in Ætolia seditionem gliscere in dies, neque discordiarum principes auctoritate sua coercere potuisse.* Quum bellum Macedonicum in expectatione esset, priusquam id susciperetur, prodigia expiari 1 pacemque Deûm peti precationibus; quæ editæ ex fatalibus libris essent, pla-

INTERPRETATIO.

2 *In locis per quæ eundum erat.*

NOTÆ.

1. *Ante hunc Cos.*] Nota initium vexandi socios, exigendo ab iis hospitia, jumenta, aliosque sumptus à magistratibus Romanis in provincias proficiscentibus: ab hoc nempe L. Postumio Cos.

2. *Diverti mos esset.*] Hic *diverti* deponenter dictum pro *diverterc*, sive *hospitari*; ut paulo antè *diverteretur*, pro *diverteret*.

3. *Injuria Consulis.*] Probanda Schefferi & Gron. Scriptura: *ira Consulis etiamsi justa*.

1. *Pacemque Deûm peti precationibus quæ editæ.*] Verisimilis lectio Gronovii. *pacemque Diûm peti precationibus, qui editi ex fatalibus libris essent.* Neque enim de precum formula ambigebatur, sed dubitabatur qui Dii sacrificiis essent placandi, ut patet ex sequentibus: *editumque ab decemviris est, quibus Di-*

Priv. cond. an. 580. Coſſ. L. Poſtum. Albino, & M. Popillio Lænate.

cuit. Lanuvii claſſis magnæ a ſpecies in cœlo viſæ dicebantur: & Priverni lana pulla terra enata; & 2 in Vejenti apud Rementem lapidatum: 3 Pomptinum omne velut nubibus locuſtarum coopertum eſſe: in Gallico agro qua induceretur arratrum, ſub exiſtentibus glebis piſces emerſiſſe. Ob hæc prodigia libri fatales inſpecti, editumque ab decemviris eſt, & quibus Diis, quibuſque hoſtiis ſacrificaretur, & ut ſupplicatio prodigiis expiandis fieret: altera quæ priore anno valetudinis populi causâ vota eſſet, ea uti feriæque eſſent. itaque ſacrificatum eſt, ut decemviri ſcriptum ediderunt.

III. Eodem anno ædes Junonis Laciniæ detecta. Q. Fulvius Flaccus cenſor, ædem Fortunæ Equeſtris, quam in Hiſpania prætor bello Celtiberico voverat, faciebat enixo ſtudio, ne ullum Romæ amplius aut magnificentius templum eſſet. Magnum ornamentum ſe templo ratus adjecturum, ſi tegulæ marmoreæ eſſent; profectus in Brutios, ædem Junonis Laciniæ ad partem dimidiam detegit. id ſatis fore ratus ad tegendum quod ædificaretur. Naves paratæ fuerunt, quæ tollerent atque asportarent; auctoritate cenſoriâ ſociis deterritis, id ſacrilegium prohibere. Poſtquàm cenſor rediit, tegulæ expoſitæ de navibus, ad templum portabantur. quamquam unde eſſent ſilebatur, non tamen celari potuit. Fremitus igitur in curia ortus eſt; ex omnibus partibus poſtulabatur, ut conſules eam rem ad ſenatum referrent. Ut verò accerſitus in curiam cenſor venit, multò infeſtiùs ſinguli univerſique præſentem lacerare: *Templum auguſtiſſimum regionis ejus, quod non Pyrrhus, non Annibal violaſſent, violare parum habuiſſe, niſi detexiſſet fœdæ ac prope diruiſſet. Detractum culmen templo, nudatum tectum patere imbribus putrefaciendum. cenſorem moribus regendis creatum, cui ſarta tecta exigere ſacris publicis & locis tuenda more majorum traditum eſſet, cum per ſociorum urbes diruentem templa, nudantemque tecta ædium ſacrarum, vagari: & quod, ſi in privatis ſociorum ædificiis faceret, indignum videri poſſet, id Deûm immortalium templa demolientem facere, & obſtringere religione populum Romanum, ruinis templorum templa ædificantem: tanquam non iidem ubique Dii immortales ſint, ſed ſpoliis aliorum alii colendi exornandique.* Quum, priuſquàm referretur, appareret quid ſentirent Patres relatione; factâ in unam omnes ſententiam jerunt, ut hæ tegulæ reportandæ in templum lo-

INTER RETATIO.

a *Dicebatur apparuiſſe in cœlo formas ternas inuſitatas.*

NOTÆ.

quibuſque hoſtiis ſacrificaretur.

2. *In Vejenti apud Rementem.*] Auguratur Cluver. legendum: *apud Cremeram*: ſed num potiùs tractus aut locus quidam agri Vejentis conſecratus fuerat memoriæ *Remi*, qui Romuli frater: indeque *Rementi* appellatus, quemadmodum *Remuria*: Romæ ſic à Lauris *Laurens* ager, & Laurentes populi.

3. *Pomptinum omne.*] Dicitur *Pomptis-*

carentur, [a] piacularia[que] Iunoni fierent. Quæ ad religionem pertinent, cum cura facta: tegulas relictas in area templi, quia reponendarum nemo artifex inire rationem potuerit, redemptores nunciarunt. Urb. cond. an. 580. Coss. L. Postumius Albinus, & M. Popillio Lænate.

IV. Ex prætoribus, qui in provincias jerant, Num. Fabius Massiliæ moritur, quum in citeriorem Hispaniam iret. Itaque, quum id nunciatum à Massiliensibus legatis esset, senatus decrevit, ut P. Furius, & Cn. Servilius, quibus succedebatur, [1] inter se sortirentur, uter citeriorem Hispaniam prorogato imperio obtineret. Sors opportuna fuit. P. Furius idem, [2] cujus ea provincia fuerat, remaneret. Eodem anno, quum agri Ligustini & Gallici quod bello captum erat, aliquantum vacaret, Senatusconsultum factum, [3] ut is ager viritim dividerentur. Decemviros in eam rem ex Senatusconsulto creavit, A. Atilius prætor urbanus, M. Æmilium Lepidum, C. Cassium, T. Æbutium Carum, C. Tremellium, P. Cornelium Cethegum, Q. & L. Appulejos, M. Cæcilium, C. Salonium, C. Munatium. Diviserunt dena jugera in singulos, sociis nominis Latini terna. Per idem tempus, quo hæc agebantur, Legati ex Ætolia Romam venerunt, de discordiis seditionibusque suis; & Thessali legati, nunciantes quæ in Macedonia gererentur.

V. Perseus jam bellum vivo patre cogitatum in animo volvens, omnes non gentes modò Græciæ, sed civitates etiam, legationibus mittendis, pollicendo plura quàm præstando, sibi conciliabat. Erant tamen magna ex parte hominum ad favorem ejus inclinati animi, & aliquantò quàm in Eumenem propensiores: quum Eumenis beneficiis muneribusque omnes Græciæ civitates & plerique principum obligati essent: & ita se in regno suo gereret, ut quæ sub ditione ejus urbes essent, nullius liberæ civitatis fortunam secum mutatam vellent. contra Persea fama erat post patris mortem uxorem manu suâ occidisse: Apellem ministrum quondam fraudis

INTERPRETATIO.

a *Et celebrarentur sacrificia quibus Iuno placaretur.*

NOTÆ.

num pro universo agro *Pomptino*, ab urbe Volscorum Suessa Pometia dicto.

1. *Inter se sortirentur.*] Conjicit Sigon. ex consuetudine Livii legendum: *inter se compararent, aut sortirentur*: Gron. tamen probat Latinè dici, *inter se sortiri*, auctore Cicer. lib. de fato: *num sortiuntur inter se, quæ declinet, quæ non.* Et quamvis ut plurimùm præcipi a senatu consueviset, ut consules, vel prætores, inter se provincias compararent aut sortirentur: nihil tamen vetat aliquando præcipi sortitionem fine comparatione, vel contrà.

2. *Cujus ea provincia fuerat, remaneret.*] Legi vult Gron. *remansit*: mihi non displicet *Tò remaneret*: subintelligitur enim, *ut*, estque sensus; *sors opportuna fuit*, quippe quæ in P. Furium cecidit, ut qui anteà citeriorem Hispaniam obtinuerat, in eadem *remaneret*, prorogato in annum imperio.

3. *Ut is ager viritim dividerentur.*] Patet divisum esse tum Romanis, tum Latinis. Ager igitur dena jugera singulis Romanis civibus, terna singulis Latinis sociis ex agro, qui bello captus erat, assignari potuerunt? Debuit, ni fallor, Livius aperte dicere, eum agrum veteranis exercitûs Ligustici & Gallici dividi jussum, tam legionariis, quàm sociis.

Urb. cond. an. 583. Coss. L. Postum. Albino, & M. Popillio Lænate.

in fratre tollendo, atque ob id requisitum à Philippo ad supplicium, exulantem, accessitum post patris mortem ingentibus promissis ad præmia tantæ præparatæ rei, clam interfecisse. intestinis externisque præterea multis cædibus infamem, nec ullo commendabilem merito, præferebant vulgò civitates, tam pio erga propinquos, tam justo in cives, tam munifico erga omnes homines regi: seu famâ & majestate Macedonum regum præoccupati ad spernendam [1] originem novi regni: seu mutationis rerum cupidi; seu quia eum objectum esse Romanis volebant. Erant autem non Ætoli modò in seditionibus propter ingentem vim æris alieni, sed Thessali etiam: eâ contagione velut tabes [2] in Perrhæbiam quoque id pervaserat malum. Quum Thessalos in armis esse nunciatum est, Ap. Claudium legatum ad eas res aspiciendas componendasque senatus misit. Qui utriusque partis principibus castigatis, quum [a] injusto fœnore gravatum æs alienum, ipsis magna ex parte concedentibus, qui onerarant, levasset, justi crediti solutionem in annorum pensiones distribuit. Per eundem Appium eodemque modo compositæ in Perrhæbia res. Ætolorum causas Marcellus Delphis per idem tempus hostilibus actas animis, [3] quas intestino gesserant bello, cognovit. Quum certatum utrinque temeritate atque audaciâ cerneret, decreto quidem suo neutram partem aut levare aut onerare voluit: communiter ab utrisque petiit, abstinerent bello, & oblivione præteritorum, discordias finirent. Hujus reconciliationis inter ipsos fides obsidibus ultrò citroque datis firmata est. Corinthum, ut ibi deponerentur obsides, convenitur.

VI. A Delphis & Ætolico concilio Marcellus in Peloponnesum trajecit, quo Achæis edixerat conventum. Ubi collaudata gente, quod constanter vetus decretum de arcendis aditu finium regibus Macedonum tenuissent; [1] insigne adversus Persea odium Romanorum fecit: quod ut maturiùs erumperet, Eumenes rex, commentariis ferens secum, quod de apparatibus belli omnia inquirens fecerat, Romam venit. Per idem tempus

INTERPRETATIO.

a *Cùm publica nomina, per immodicas fuerant:* populorum onera levavit jubendo, *ut quod vere debebatur pluribus per annos pensionibus solveretur.*

NOTÆ.

1. *Originem novi regni.*] Nam Eumenes, secundus ex familia sua, Pergami & in Asia regnabat,

2. *In Perrhæbiam.*] Intra Thessaliam latè sumptam erant hi *Perrhæbi*: sed extra Thessaliotidem, sive Thessaliam strictiùs sumptam in Pelasgiotide. Eorum tamen pars in Epiri finibus inter Ætoliam & Thessaliotidem.

3 *Quas intestino gesserant bello*] Sic picatur & meritò Gron. scriptum fuisse à Livio: *hostilibus actas animis quasi intestino bello*: neque enim bellum revera fuerat, sed factionum furor & quasi rabies.

1. *Insigne adversus Persea odium Romanorum fecit*] Dubitabam num legendum esset, *patefecit*: sed posteà animadverti si verum *fecit* conjungatur cum adjectivo nomine *insigne*, eandem exi-

quinque legati ad regem missi, qui res in Macedonia aspicerent. Alexandriam iidem ad Ptolemæum renovandæ amicitiæ causâ proficisci jussi. Legati erant hi, C. Valerius, Cn. Lutatius Cerco, Q. Bæbius Sulca, M. Cornelius Mammula, M. Cæcilius Denter. Et ab Antiocho rege sub idem tempus legati venerunt: quorum princeps [2] Apollonius in senatum introductus multis justisque causis regem excusavit. *Quod stipendium serius quo ad diem præstaret. id se omne advexisse,* [2] *ne cujus nisi temporis gratia regi fieret. Donum præterea afferre,* [3] *vasa aurea quingentûm pondo. Petere regem, ut quæ cum patre suo socictas atque amicitia fuisset, ea secum renovaretur: imperaretque sibi populus Romanus, quæ bono fidelique socio regi essent imperanda. se nullo usquam cessaturum officio. Ea merita in se senatus fuisse, quum Romæ esset, eam comitatem juventutis, ut pro rege, non pro obside omnibus ordinibus fuerit.* Legatis benignè responsum, & societatem renovare cum Antiocho, quæ cum patre ejus fuerat. A. Atilius prætor urbanus jussus. Quæstores urbani stipendium, vasa aurea censores acceperunt: eisque negotium datum est, ut ponerent ea in quibus templis videretur: legatoque [4] β centum millium æris munus missum, & [5] ædes liberæ hospitio datæ [6] sumptusque decretus, donec in Italia esset. Legati, qui in Syria fuerant, renunciaverunt, in maximo eum honore apud regem esse, amicissimumque populo Romano. Urb. cond. an. 580. Coss. L. Postumius Albino, & M. Popillio Lænate.

VII. In provinciis eo anno hæc. C. Cicerejus prætor in Corsica signis collatis pugnavit: septem millia Corsorum cæsa: capti amplius mille & & septingenti. Voverat in ea pugna prætor [1] ædem Junoni Monetæ. Pax deinde data petentibus Corsis, & exacta ceræ ducena millia pondo. Ex Corsica subacta Cicerejus in Sardiniam transmisit. Et in Liguribus in agro

INTERPRETATIO.

[2] *Ut nihil Senatûs veniâ opus haberet Antiochus, nisi quantum ad tempus:* quia tardiùs solvebat stipendium.

NOTÆ.

re sententiam. Nihil certè ad ingens odium concitandum adversùs Perseum pertinebant laudes Achæis tributæ, ob servatum de arcendis Macedonibus decretum: sed valdè faciebant ad odium illud manifestandum.

2. *Apollonius.*] Qui principem gratiæ locum obtinebat apud Antiochum Epiphanem Magni filium, Syria regem.

3. *Vasa aurea quingentûm pondo.*] Hæ quingentæ auri libræ, si materiam solam spectes, reddent pecuniâ nostrâ hodiernâ ducenta octoginta millia librarum 280000.

4. *Centum millium æris.*] Si asses ponas semunciales, sicut Gallicè *deux mille neuf cens seize livres treize sols quatre deniers:* si libras æris, quod probabiliùs videtur, erunt monetâ nostrâ *soixante sept mille cinq cens livres.*

5. *Ædes liberæ hospitio datæ.*] Rectè *ades liberas* Turnebus interpretatur, quas is cui dabantur cum sua familia incoleret, sine alio vel inquilino, vel habitatore.

6. *Sumptusque decretus.*] Gallicè, *& l'on ordonna qu'il seroit defrayé pendant qu'il seroit en Italie.*

1. *Ædem Junoni Monetæ.*] *Moneta* cognomen Junoni haud dubiè inditum à

Urb. cond. an. 580. Coss. L. Postum. Albino, & M. Popillio Lænate.

Statiellati pugnatum [2] ad oppidum Caryſtum. Eo ſe magnus exercitus Ligurum conculerat. Primò ſub adventum M. Popillii conſulis mœnibus ſeſe continebant: deinde, poſtquàm oppidum oppugnaturum Romanum cernebant, progreſſi ante portas, aciem ſtruxerunt: nec conſul, (a ut qui idipſum oppugnatione comminanda quæſiſſet) moram certamini fecit. Pugnatum eſt amplius tres horas, ita ut neutro inclinaret ſpes. Quod ubi conſul vidit, nullâ parte moveri Ligurum ſigna, imperat equitibus ut equos conſcendant, ac tribus ſimul partibus in hoſtes quanto maximo poſſent tumultu incurrant. Pars magna equitum, mediam trajecit aciem, & ad terga pugnantium pervaſit. Inde terror injectus Liguribus. diverſi in omnes partes fugerunt. perpauci retro in oppidum, quia inde ſe maximè objecerat eques. & pugna tam pervicax multos abſumpſerat Ligurum, & in fuga paſſim cæſi ſunt. Decem millia hominum cæſa traduntur: amplius ſeptingenti paſſim capti: ſigna militaria relata octoginta duo. Nec incruenta victoria fuit. amplius tria millia militum amiſſa, [b] quum cedentibus neutris ex parte utraque primores caderent.

VIII. Poſt hanc pugnam ex diverſâ fugâ in unum collecti Ligures, quum majorem mulcò partem civium amiſſam quam ſupereſſe cernerent (nec enim plus decem millia hominum erant) dediderunt ſeſe; nihil quidem illi pacti. ſperaverant tamen non atrociùs quàm ſuperiores imperatores, conſulem in ſe ſæviturum. At ille armâ omnibus ademit, oppidum diruit, ipſos bonaque eorum vendidit: literaſque ſenatui de rebus à ſe geſtis miſit. Quas quum A. Atilius prætor in curia recitaſſet (nam conſul alter Poſtumius agris recognoſcendis in Campania occupatus aberat) atrox res viſa ſenatui: *Statiellates, qui uni ex Ligurum gente non tuliſſent arma adverſus Romanos, tum quoque oppugnatos, non ultrò inferentes bellum, deditos in fidem populi Romani, omni ultimæ crudelitatis exemplo laceratos ac deletos eſſe: tot millia capitum innoxiorum, fidem implorantia populi Romani, ne quis unquam ſe poſteà dedere auderet, peſſimo exemplo veniſſe: & diſtractos paſſim,* [1] *juſtis quondam hoſtibus populi Romani*

INTERPRETATIO.

a *Utpote qui minando ſe oppugnaturum oppidum, nihil aliud quæſiviſſet, quam uti hoſtes alliceret ad pugnam.*

b *Cùm utrinque æqui eſſent qui in prima acie ſtabant.*

NOTÆ.

monendo, cujus variæ afferuntur cauſæ à Livio, Macrob. Suid. In ejus æde ſervabantur libri lintei, de quibus Decade primâ.

2. *Ad oppidum Caryſtum.*] Statiellorum oppidum fuit, quorum caput *Aqua*, nunc *Acqui*, in Montis Ferrati Ducatu: *Caryſtum* autem oppidum Cluver. ſubdubitans ait fuiſſe eum locum, qui hodie circa viam quâ Dertonam itur à Genua vulgò dicitur *Garuſco*.

1. *Juſtis quondam hoſtibus populi Romani*

pacatis servire. 2 Quas ob res ** *Placere senatui M. Popillium Consulem Ligures, pretio emptoribus reddito, ipsos restituere in libertatem:* 3 *bonaque ut iis, quicquid ejus recuperari possit, reddantur curare. Arma primo quoque tempore fieri in ea gente. consulem de provincia decedere, quum deditos in sedem suam Ligures restituisset. Claram victoriam vincendo & oppugnantes, non sæviendo in afflictos fieri.*

Urb. cond. an. 580. Coss. L. Postum. Albino, & M. Popillio Lænate.

IX. Consul, quâ ferociâ animi usus erat in Liguribus, eandem ad non parendum senatui habuit. Legionibus extemplo Pisas in hibernacula missis, iratus Patribus, 1 infestus prætori, Romam rediit; senatuque extemplo ad ædem Bellonæ vocato, multis verbis invectus est in prætorem: *qui quum ob bello rem bene gestam, uti Diis immortalibus honos haberetur, referre ad senatum debuisset, adversus se pro hostibus senatusconsultum fecisset, quo victoriam suam ad Ligures transferret, dedique iis prope consulem prætor juberet. Itaque multam ei se dicere. A Patribus postulare, ut senatusconsultum in se factum tolli juberent:* 2 *supplicationemque, quam absentes ex literis de bene gesta republica missis decernere debuerint, præsentes honoris Deorum primum causa, deinde & sui aliquo tandem respectu decernerent.* Nihilo lenioribus quàm absens senatorum aliquot orationibus increpitus, neutrâ impetratâ re in provinciam rediit. Alter Consul Postumius, consumpta æstate in recognoscendis agris, ne visa quidem provincia sua, comitiorum causa Romam rediit: consules, C. Popillium Lænatem, P. Ælium Ligurem, creavit. Prætores deinde facti, C. Licinius Crassus. M. Junius Pennus, Sp. Lucretius, Sp. Cluvius, Cn. Sicinius, C. Memmius iterum.

X. Eo anno lustrum conditum est. Censores erant, Q. Fulvius Flaccus, L. Postumius Albinus. 1 Postumius condidit. Censa sunt civium Romanorum capita ducenta sexaginta novem millia & quindecim. Minor aliquanto numerus, quia L. Postumius consul pro concione edixerat, qui

NOTÆ.

mani.] Per *justos hostes* intelligit alios Ligures, vicinosque Gallos, qui olim hostes fuerant Romanorum, iique justi, *ennemis declarez*: nunc verò datâ pace quieti agebant. His autem addicti pretio erant Statiellates, quos fine causâ aggressus fuerat M. Popillius.

2. *Quas ob res placere Senatui.*] Suspicatur Sigon. legendum: *quamobrem Senatusconsultum factum est placere Senatui.* Quod mihi non magis placet, quàm Gron. Satis enim eo ipso quod scriptum fuit *placere Senatui*, apparet factum esse Senatusconsultum, quamvis non exprimatur.

3. *Bonaque ut iis quidquid recuperari possit, reddantur.*] Præter Grammaticæ regulas illa, *quidquid ejus*, cùm numeri pluralis nomen quod præcedit, nempè *bona*, desiderare videatur plurale quoque pronomen, *eorum*. Sed ita dicitur: *quidquid ejus recuperari possit*, quemadmodum *quod ejus fieri possit*: est enim *ejus* pro *ejus rei*, vel *in ea re*.

1. *Infestus Prætori.*] Ita legendum ex Sigonio, non *Prætoribus*: designatur enim A. Atilius.

2. *Quàm absentes ex litteris.*] Mavult Gron. *quam absenti sibi*: quod sanè rectius videtur. Sed tamen subjicit postea Livius: *præsentes*: non *præsenti*. Et *absentes à se* intelligere potuit Popillius Cos. sive ab eo loco ubi ipse erat.

1. *Postumius condidit.*] Repete ex superioribus *lustrum*.

Urb. cond. an. 580. Coss. L. Postumm. Albino, & M. Popillio Lænate.

socium Latini nominis ex edicto C. Claudii Consulis redire in civitates suas debuissent, ne quis eorum Romæ, sed omnes in suis civitatibus censerentur. Concors & è republica censura fuit. omnes, quos senatu moverunt, quibusque equos ademerunt, ærarios fecerunt, & tribu moverunt: [2] neque ab altero notatum alter probavit. Fulvius ædem Fortunæ Equestris, quam proconsul in Hispania dimicans cum Celtiberorum legionibus voverat, annos sex postquam voverat, dedicavit: & scenicos ludos per quatriduum, [3] unum diem in circo fecit. L. Cornelius Lentulus, decemvir sacrorum eo anno mortuus est. in locum ejus suffectus A. Postumius Albinus. Locustarum tantæ nubes à mari vento repente in Apuliam illatæ sunt, ut examinibus suis agros late operirent. ad quam pestem frugum rollendam, C. Sicinius prætor designatus cum imperio in Apuliam missus, ingenti agmine hominum ad colligendas eas coacto, aliquantum temporis absumpsit. Principium insequentis anni, quo C. Popillius & P. Ælius fuerunt consules, rediduas contentiones ex priore anno habuit. Patres referri de Liguribus renovarique senatusconsultum volebant, & consul Ælius referebat. Popillius & collegam & senatum pro fratre deprecabatur: præ se ferens, si quid decernerent, intercessurum, collegam deterruit. Patres eo magis utrique pariter consulum infensi, in cœpto perstabant. Itaque, quum de provinciis ageretur, & Macedonia jam imminente Persei bello peteretur, Ligures ambobus consulibus decernuntur. Macedoniam decreturos negant, ni de M. Popillio referretur. Postulantibus deinde, ut novos exercitus scribere; [4] aut supplementum veteribus liceret, utrumque negatum est. Prætoribus quoque in Hispaniam supplementum petentibus negatum: M. Junio in citeriorem, Sp. Lucretio in ulteriorem. C. Licinius Crassus urbanam jurisdictionem, Cn. Sicinius inter peregrinos erat sortitus: C. Memmius Siciliam, Sp. Clavius Sardiniam. 4 Consules ob ea irati senatui, Latinis feriis in primam quamque diem indictis, in provinciam abituros se denunciarunt: nec quicquam reipublicæ acturos; præterquam quod ad provinciarum administrationem attineret.

XI. Attalum regis Eumenis fratrem legatum venisse Romam, Valerius Antias his consulibus scribit; ad deferenda de Perseo crimina, indican-

INTERPRETATIO.

a *Cum peterent Consules ut sibi permitteretur ex novo delectu, vel exercitus integros conficere, vel certè supplere vetera exercitus qui jam erant.*

NOTÆ.

2. *Neque ab altero notatum alter probavit.*] Hoc latis fatum, ait ex Cicer. pro Cluentio Sigonius observat: *atque ipsi inter se Censores sua judicia tantis esse arbitrantur, ut alter alterius judicium non modò rescindat, sed etiam rescindat, ut alter ire senatu movere velit, alter vetet.*

3. *Unum diem in circo.*] Ludos opinor, Circenses indicit.

4. *Consules ob ea irati Senatui.*] Ob ea *ut alter ire senatu movere velit, alter vetet; alterum ærarios referri, aut tribu moveri jubeat, alter vetet.*

dolque apparatus belli. Plurium annales, & quibus credidiſſe malis, ipſum Eumenem veniſſe tradunt. Eumenes igitur ut Romam venit, exceptus cum tanto honore, quantum non meritis tantùm ejus, ſed beneficiis etiam ſuis, ingentia quæ in eum congeſta erant, exiſtimaret deberi populus Romanus, in ſenatum eſt introductus. *Cauſam veniendi ſibi Romam fuiſſe*, dixit, *præter cupiditatem viſendi Deos hominesque, quorum beneficio in ea fortuna eſſet, ſupra quam ne optare quidem auderet: etiam ut coram moneret ſenatum, ut* 1. *Perſei conatis obviam iret.* Orſus inde à Philippi conſiliis, necem Demetrii filii retulit, adverſantis Romano bello; *Baſtarnarum gentem excitam ſedibus ſuis, quorum auxiliis fretus in Italiam tranſiret. Hæc cum volutantem in animo, oppreſſum fato regnum ei reliquiſſe, quem inſtabiliſſimum eſſe ſenſiſſet Romanis. itaque Perſea, hæreditarium à patre relictum bellum, & ſimul cum imperio traditum,* 2. *jamjam primum alere ac fovere omnibus conſiliis.* a *Florere præterea juventute, quam ſtirpem longa pax ediderit: florere opibus regni, florere etiam ætate. Quæ quum corporis robore ac viribus vigeat, animum eſſe inveteratum diutinâ arte atque uſu belli. jam inde à puero,* b *patris contubernio, Romanis quoque bellis, non finitimis tantum aſuetum, miſſum à patre in expeditiones multas, variaſque. Jam ex quo ipſe accepiſſet regnum, multa, quæ, non vi, non dolo, Philippus omnia expertus potuiſſet moliri, admirando rerum ſucceſſu tenuiſſe. Acceſſiſſe ad vires eam, quæ longo tempore, multis magnisque meritis pararetur, auctoritatem.*

Urb. cond. an. 581. Coſſ. C. Pollio Lænate, & P. Ælio Ligure.

XII. *Nam apud Græciæ atque Aſiæ civitates, vereri majeſtatem ejus omnes. nec pro quibus meritis, pro qua munificentia, tantum ei tribuatur, cernere: nec dicere pro certo poſſe, utrum felicitate id quadam ejus accidat, an, quod ipſe vereatur dicere, invidia adverſus Romanos favorem illi conciliet. Inter ipſos quoque reges ingentem auctoritate,* 1 *Seleuci filiam duxiſſe eum; non petentem ſed petitum ultro: ſororem dediſſe Pruſiæ precanti ac oranti: celebratas eſſe utriuſque nuptias gratulatione doniſque innumerabilium legationum, & velut auſpicibus nobiliſſimis populis deductas eſſe. Bœotorum gentem captatam Philippo, nunquam ad ſcribendum amicitiæ fœdus adduci potuiſſe: tribus nunc locis cum Perſeo fœdus inci-*

INTERPRETATIO.

a *Magnam habere copiam juvenum ad arma idoneorum, ſobole mirum in modum aucta per diuturnam pacem.*

b *Quòd educatus ſit à patre in caſtris, & in eodem tabernaculo cum eo militans diu egerit.*

NOTÆ.

ſcilicet quæ priùs dicta ſunt. Mavult Gronovius *Conſules objurati Senatui.*

1. *Perſei conatis.*] Minùs usitatâ inflexione *conatis* dixit pro *conatibus.*

2. *Jamjam primum alere & fovere.*] Legit Gron. *tanquam primum alere. Primum* autem dixit bellum Romanum, vel quaſi præcipuum, vel quaſi jamdiu inter cætera conceptum animo.

1. *Seleuci filiam duxiſſe eum.*] Perſei Macedonum regis uxor Laodice, Seleuco Philopatore Syriæ rege nata erat, qui Antiochi Magni filius, Demetrii Soteris pater fuit.

Urb. cond. an. 581. Coss. C. Popillio Lænate, & P. Ælio Ligure.

sum literis esse: uno Thebis, altero ad Delum augustissimo & celeberrimo in templo: tertio Delphis. in Achaico concilio vero, nisi discussa res per paucos Romanum imperium intentantes esset, eo rem prope adductam, ut aditus & in Achajam daretur. At, hercule, a suos honores, cujus merita in eam gentem privatim an publice sint majora, vix dici posset, partim desertos per incultum ac negligentiam, partim hostiliter sublatos esse. Jam Ætolos quem ignorare in seditionibus suis non ab Romanis, sed à Perseo præsidium petiisse? His eum fultum societatibus atque amicitiis, eos domesticos apparatus belli habere, ut externis non egeat; triginta millia peditum: quinque millia equitum: in decem annos frumentum præparare, ut abstinere & suo & hostium agro frumentandi causa possit. Jam pecuniam tantam habere, ut decem millibus mercenariorum militum, præter Macedonum copias, stipendium in totidem annos præparatum habeat, præter annuum, 3 quod ex metallis regiis capiat, vectigal. Arma vel 4 tribus tantis exercitibus in armamentaria congessisse. a Juventutem, ut jam Macedonia deficiat, velut ex perenni fonte unde hauriat, Thraciam subjectam esse.

XIII. Reliquum orationis adhortatio fuit. *Non ego hæc*, inquit, *incertis jactata rumoribus, & cupidius credita, quia vera esse de inimico crimina volebam, adfero ad vos, Patres Conscripti; sed comperta & explorata, haud secus, quàm si speculator missus à vobis a subjecta oculis referrem. Neque relicto regno meo, quod amplum & egregium vos fecistis, mare tantum trajecissem, ut vana ad vos afferendo fidem abrogarem mihi. Cernebam nobilissimas Asiæ & Græciæ civitates in dies magis b denudantes judicia sua: mox, si permitteretur, eo processuras unde receptum ad pœnitendum non haberent. Cernebam Persea, non continentem se Macedoniæ regno, alia armis occupantem: alia, quæ vi subigi non possunt, favore ac benevolentiâ complectentem. Videbam quàm impar esset fors, quum 1 ille vobis bellum, vos ei securam pacem præstaretis, quanquam mihi quidem non parare,*

INTERPRETATIO.

a *Etiamsi contingeret Macedoniam exhaustam esse viris ad militiam idoneis; futurum tamen ut ex Thracia ei finitima, & Philippo magnam partem subdita, regione, milites tanquam ex fonte quodam inexhausto, arcessere posset.*

2 *Vobis afferrem ea quæ ipse propriis oculis vidissem.*

b *Aperientes quid sentirent, & quis illorum animus esset circa Persæum.*

NOTÆ.

2. *Suos honores.*] Eumenis nempè, qui loquitur.

3. *Quod ex metallis regiis.*] Apud Philippos, præfertim ubi auri metalla ex Strabon. Epit. lib. 7.

4. *Tribus tantis exercitibus.*] Intellige exercitibus tribus, quorum singuli pares jam comparato triginta millium peditum, quinque equitum exercitui.

1. *Ille vobis bellum, vos ei securam pacem præstaretis.*] Non abs re notat Muretus *præstandi* verbum non convenire utrique; neque enim dicimus *præstare bellum alicui*. Libens itaque accedo Gronovii conjecturæ, sic legentis: *cùm ille vobis bellum pararet, vos ei pacem præstaretis*: elicitur hæc emendatio ex eo quod statim sequitur: *quan-*

sed gerere pene bellum videbatur. 2 *Abrupolim socium atque amicum vestrum regno expulit.* 3 *Aretarum Illyrium, quia scripta ab eo quædam vobis comperit, socium item atque amicum vestrum, interfecit.* 4 *Everſam* 5 *& Callicritum, Thebanos principes civitatis, quia liberius adverſus eum in concilio Bœotorum locuti fuerant, delaturoſque ad vos quæ agerentur profeſſi erant, tollendos curavit.* 6 *Auxilium Byzantiis adverſus fœdus tulit,* 7 *Dolopiæ bella intulit, Theſſaliam & Doridem cum exercitu pervaſit, ut in bello inteſtino deterioris partis auxilio meliorem affligeret. Confudit & miſcuit omnia in Theſſalia Perrhæbiaque* c *ſpe novarum tabularum, ut manu debitorum obnoxia ſibi optimates opprimeret. Hæc quam vobis quieſcentibus & patientibus fecerit, & conceſſam ſibi Græciam eſſe à vobis videat: pro certo habet, neminem ſibi, antequam in Italiam trajecerit, armatum occurſurum. Hoc quam vobis tutum aut honeſtum ſit, vos videritis: ego certe mihi turpe eſſe duxi, prius Perſea ad bellum inferendum, quam me ſocium ad prædicendum, ut caveretis, venire in Italiam. Functus neceſſario mihi officio, & quodammodo liberata atque exonerata fide mea, quid ultra facere poſſim, quàm uti Deos Dæſque precer, ut vos & veſtræ reipublicæ, & nobis ſociis, atque amicis, qui ex vobis pendemus, conſulatis?*

Urb. cond. an. 581. Coll. C. Petillio Lanate, & P. Ælio Ligure.

XIV. Hæc oratio movit Patres Conſcriptos. cæterum in præſentia nihil, præterquàm, fuiſſe in curia regem, ſcire quiſquam potuit: a eo ſilentio clauſa curia erat. bello denique perfecto, quæque dicta ab rege, quæque reſponſa eſſent, emanavêre. Perſei deinde regis legatis poſt paucos dies ſenatus datus eſt. Cæterùm, præoccupatis non auribus magis quàm animis ab Eumene rege, omnis & defenſio & deprecatio legatorum reſpuebatur: & 1 exaſperavit animos ferocia animi Harpali, qui princeps legationis erat. *Is, velle quidem & laborare* dixit *regem, ut purganti ſe nihil*

INTERPRETATIO.

c *Infecta debitoribus ſpe abolendi debita.*

a *Adeo tacebantur, & velut undique concluſa erant arcana Senatus.*

NOTÆ.

quam mihi quidem non parare, ſed gerere pene bellum videbatur. Hoc enim nemo intellexerit, niſi dictum priùs aliquid fuerit de bello parando.

2. *Abrupolim ſocium.*] Fuit *Abrupolis* Thraciæ rex, de quo Polybius in excerptis legationum, & Appian.

3. *Aretarum.*] Hic Illyriorum regulus à Polybio *Arthetarus* vocatur.

4. *Everſam.*] Mavult Henr. Valeſius *Euercam*, quod nomen Græcum eſt.

5. *Et Callicritum.*] Alius fuit hic Thebanus à Callicrate Achæo, qui Polybio & Pauſaniæ notus: confundit utrumque per errorem Fulv. Urſinus, quemadmodum Gron. notat.

6. *Auxilium Byzantiis adverſus fœdus tulit.*] Hanc pacis Macedonicæ legem non memorat noſter lib. 33. cap. 30.

7. *Dolopia bella intulit.*] Recte advertit idem Gron. *bellum* unum fuiſſe, non plura bella.

1. *Exaſperavit animos ferocia animi Harpali.*] Lego cum Gronovio *ferocia animia Harpali*. Hunc Harpalum App. in excerptis apud Fulv. Urſinum, ait

Urb. cond. an. 581. Coss. C. Popillio Lænate, & P. Ælio Ligure.

hostile dixisse aut fecisse fides habeatur: cæterum si pervicacius causam belli quæri videat, forti animo defensurum se. Martem communem esse, & evecturum incertum belli. Omnibus civitatibus Græciæ atque Asiæ curæ erat, quid Persei legati, quid Eumenes in senatu egissent: & propter adventum ejus, quem moturum aliquid rebantur, miserant pleræque civitates, alia in speciem præferentes, legatos. 2 & legatio Rhodiorum erat, ac Satyrus princeps, haud dubius, quin Eumenes civitatem quoque suam Persei criminibus junxisset. itaque omni modo per patronos hospitesque disceptandi eum rege locum in senatu quærebat. Quod quum contigisset, 3 libertate intemperantiùs invectus in regem, quòd Lyciorum gentem adversus Rhodios concitasset, graviorque Asiæ esset, quàm Antiochus fuisset; popularem quidem ac gratam populis Asiæ (nam eò quoque jam favor Persei venerat) orationem habuit: cæterùm invisam senatui, inutilemque sibi & civitati suæ. Eumeni verò conspiratio adversus eum favorem apud Romanos fecit. ita omnes ei honores habiti, donaque quàm amplissima data, cum sella euruli atque eburneo Scipione.

XV. Legationibus dimissis, quum Harpalus, 1 quantâ eximiâ celeritate poterat, regressus in Macedoniam, nunciasset regi; nondum quidem parantes bellum reliquisse se Romanos, sed ita infestos, ut facilè appareret non dilaturos: & ipse, præterquàm quod & ita credebat futurum, jam etiam volebat, in flore virium se credens esse. Eumeni ante omnes infestus erat: a à cujus sanguine ordiens bellum, Evandrum Cretensem ducem auxiliorum, & Macedonas tres assuetos ministeriis talium facinorum ad cædem regis subornat: literasque eis dat ad Praxo hospitam, principem auctoritate & opibus Delphorum. Satis constabat, Eumenem, ut sacrificaret Apollini, Delphos ascensurum. 2 Progressi cum Evandro insidiatores, nihil aliud ad peragendum inceptum, quàm loci opportunitatem, omnia circumeuntes, quærebant. 3 Ascendentibus ad templum 4 à Cirrha priusquàm perveniretur ad frequentia ædificiis loca, maceria erat ab læva semitæ paulùm extans à fundamento, quâ singuli transirent, dex-

INTERPRETATIO.

a *Bellum inchoatum Persei à cæde Eumenis.*

NOTÆ.

missum à Perseo fuisse, ut Eumeni & Rhodiis contradiceret apud Senatum.

2. *Et legatio Rhodiorum erat.*] Videtur Gronovio, nec absre, quidpiam hic deesse, veluti *inter cæteras & legatio Rhodiorum*, &c.

3. *Libertate intemperantiùs invectus in regem.*] Mavult idem Gron. *intemperanti*: & Appianus Rhodios legatos graviter questos reiert, & immodicâ loquendi licentiâ usos.

1. *Quantâ eximiâ celeritate poterat.*] Haud dubiè legendum cum Gronovio post Muretum: *quantâ maximâ*.

2. *Progressi cum Evandro.*] Suspicatur Gron. *progressi*, non improbabiliter.

3. *Ascendentibus ad templum.*] A mari ad Parnassum, quo loco Delphi, ascendendum est, utpote à litore ad montana venientibus.

4. *A Cirrha.*] Ubi Delphorum portus, seu navale.

tra pars labe terræ in aliquantum altitudinis diruta erat. Poſt macieriam ſe abdiderunt, gradibus aſtructis; ut ex ea, velut è muro, tela in præterentem conjicerent. 5 Primo à mari circumfuſa turba amicorum ac ſatellitum procedebat: deinde extenuabant paulatim anguſtiæ agmen. Ubi ad eum locum ventum eſt, quâ ſingulis eundum erat, primus semitam ingreſſus Pantaleon Ætoliæ princeps, cum quo inſtitutus regi ſermo erat. Tum inſidiatores exorti, ſaxa duo ingentia devolvunt: quorum altero caput ictum eſt regi, 6 altero humerus ſopitus; ex ſemita proclivi in declive multis ſuper prolapſum jam ſaxis congeſtis. & cæteri quidem etiam amicorum & ſatellitum, poſtquam cadentem vidêre, diffugiunt: Pantaleon conſtanter impavidus manſit ad protegendum regem. Urb. cond. an. 581. Coſſ. C. Popillio Lænate, & P. Ælio Ligure.

XVI. Latrones, quum brevi circumitu maceriæ decurrere ad conficiendum facinus poſſent, velut perfectâ re, in jugum Parnaſſi refugerunt, eo curſu, ut, quum unus, non facilè ſequendo per invia atque arduа, moraretur fugam eorum, ne comprenſo indicium emanâret, occiderint comitem. Ad corpus regis primò amici, deinde ſatellites ac ſervi concurrerunt; tollentes ſopitum vulnere, ac nihil ſentientem. Vivere tamen ex calore & ſpiritu remanente in præcordiis ſenſerunt; victurum exigua ac propè nulla ſpes erat. Quidam ex ſatellitibus ſecuti latronum veſtigia, quum uſque ad jugum Parnaſſi nequiequam fatigati perveniſſent; re infecta redierunt. Aggreſſi facinus Macedones ut inconſultè, ita audaciter cœptum, nec conſultè & timidè reliquerunt. Comportem jam ſui regem, amici poſtero die deferunt ad navem: inde Corinthum: à Corintho per Iſthmi jugum navibus traductis Æginam trajiciunt. Ibi adeo ſecreta ejus curatio fuit, admittentibus neminem, ut fama mortuum in Aſiam perferret. Attalus quoque celeriùs, quàm dignum concordiâ fraternâ erat, credit. nam & cum uxore fratris, & præfecto arci, tanquam jam haud dubius regni hæres, eſt locutus. Quæ poſteà non fefellere Eumenem: & quanquam diſſimulare & tacitè habere id parique ſtaturat, tamen in primo congreſſu non temperavit, quin [1] uxoris perendæ præmaturam feſtinationem fratri objiceret. Romam quoque fama de morte Eumenis perlata eſt.

XVII. Sub idem tempus C. Valerius ex Græcia, qui legatus ad viſendum ſtatum regionis ejus, ſpeculandaque conſilia Perſei regis miſſus erat,

NOTÆ.

5. *Primo à mari circumfuſa turba.*] Multe videtur Gron. *primo agmine*: ſed parum neceſſaria correctio; revera enim à mari veniebant.

6. *Altero humerus ſopitus.*] *Vulnere ſopitum* dicitur membrum cui ſenſus ablatus eſt, propterea quod ſomno conſopiti nihil ſentiamus, ut Turnebus ait.

1. *Uxoris perendæ præmaturam*, &c.] Refert Plut. in Apophthegm. Eumenem, cùm fratrem primo congreſſu ſalutaret, in aurem dixiſſe, *ne feſtina uxorem ducere, ne an æquam mortuam videris.*

Urb. cond. an. 581. Coss. C. Popillio Lænate, & P. Ælio Ligure.

rediit; [a] congruentiaque omnia criminibus ab Eumene allatis referebat. simul & adduxerat secum Praxo à Delphis, cujus domus receptaculum latronum fuerat: & L. Rammium Brundusinum, qui talis indicii delator erat. [b] Princeps Brundusii Rammius fuit; hospitio quoque & duces Romanos omnes, & legatos, exterarum quoque gentium insignes, præcipuè regios, accipiebat. ex eo notitia ei cum absente Perseo fuerat: literisque spem amicitiæ interioris magnæque inde fortunæ facientibus, ad regem profectus; brevi perfamiliaris haberi; trahique magis quàm vellet in arcanos sermones est cœptus. Promissis enim ingentibus præmiis petere instituit ab eo rex, [c] *Quoniam duces omnes legatique Romani hospitio ejus uti assuessent, quibus eorum ipse scripsisset, ut venenum dandum curaret. cujus scire se comparationem plurimum difficultatis & periculi habere, pluribus conscriis comparari. eventu præterea incerto esse, ut aut satis efficacia ad rem peragendam, aut tuta ad rem celandam dentur. Se daturum, quod nec in dando, nec datum, ullo signo deprehendi posset.* Rammius veritus ne, si abnuisset, primus ipse veneni experimentum esset, facturum pollicitus proficiscitur. nec Brundusium antè redire, quà convento C. Valerio Legato, qui circa Chalcidem esse dicebatur, voluit. Ad eum primum indicio delato, jussu ejus Romam simul venit. Introductus in curiam, quæ acta erant expositi.

XVIII. Hæc ad ea quæ ab Eumene delata erant, accessere, quo maturiùs hostis Perseus judicaretur. quippe quem non justum modò apparare bellum regio animo; sed per omnia clandestina grassari scelera latrociniorum ac veneficiorum cernebant. Belli administratio ad novos consules rejecta est: in præsentia tamen Cn. Sicinium prætorem, cujus inter cives & peregrinos jurisdictio erat, scribere milites placuit: qui Brundusium ducti primo quoque tempore Apolloniam in Epirum trajicerentur, ad occupandas maritimas urbes, ubi consul, cui provincia Macedonia obvenisset, classem appellere turbò & copias per commodum exponere posset. Eumenes aliquandiu Æginæ retentus periculosa & difficili curatione, quum primùm tutò potuit, profectus Pergamum, præter pristinum odium recenti etiam scelere Persei stimulante, summa vi parabat bellum. Legati eo ab Roma, gratulantes quod è tanto periculo evasisset, venerunt. Quum Macedonicum bellum in annum dilatum esset, cæteris prætoribus jam in provincias profectis, M. Junius, & Sp. Lucretius, quibus

INTERPRETATIO.

a *Et cuncta quæ retulit conveniebant cum iis quorum Perseus insimulatus fuerat ab Eumene apud Senatum.*

b *Brundusii inter primates erat*, vel præcipuum obtinebat locum *Rammius*.

c *Posulavit, sapius à Romano Perseus ut veneno de medio tolli curaret Romanos duces & legatos, quos Perseus ipse de medio tollendos ei per literas indicaret; quandoquidem omnes apud eum divertere seu hospitari soliti erant: sibi quidem periculum esse venena, nec sine periculo emi, &c.*

Hiſpaniæ provinciæ obvenerant, fatigato ſæpè idem petendo ſenatu, tandem pervicerunt, ut ſupplementum ſibi ad exercitum daretur. tria millia peditum, centum & quinquaginta equites in Romanas legiones, in ſocialem exercitum quinque millia peditum, & trecenti equites, imperare ſociis juſſi. Hoc copiarum in Hiſpanias cum prætoribus novis portatum eſt. Urb. cond. an. 581. Coſſ. C. Popillio Lænate, & P. Ælio Ligure.

XIX. Eodem anno quia [a] per recognitionem Poſtumii conſulis magna pars agri Campani, quem privati ſine diſcrimine paſſim poſſederant, recuperata in publicum erat, M. Lucretius tribunus plebis promulgavit, ut agrum Campanum cenſores fruendum locarent. quod factum tot annis poſt captam Capuam non fuerat, [b] ut in vacuo vagaretur cupiditas privatorum. Quum [c] in expectatione ſenatus eſſet, bello etſi non indicto, tamen jam decreto, qui regum ſuam, Perſei qui ſcienturi amicitiam eſſent, legati Ariarathis, puerum filium regis ſecum adducentes, Romam venerunt. quorum oratio fuit: *regem educandum filium Romam miſiſſe, ut jam inde à puero aſſueſceret moribus Romanis, hominibuſque. Petere, ut eum non ſub hoſpitum modo privatorum cuſtodia, ſed publicæ etiam curæ ac velut tutelæ vellent eſſe.* Ea regis legatio grata ſenatui fuit. Decreverunt, ut Cn. Sicinius prætor [1] ædes inſtructas locaret, ut filius regis comiteſque ejus habitare poſſent. Et Thracum legatis, apud ſe diſceptantibus, & ſocietatem amicitiamque petentibus; & quod petebant, datum eſt, & [2] munera binum millium æris ſummæ in ſingulos miſſa. Hos utique populos, quòd ab tergo Macedoniæ Thracia eſſet, aſſumptos in ſocietatem gaudebant. Sed ut in Aſia quoque & inſulis explorata omnia eſſent, Ti. Claudium Neronem, M. Decimium legatos miſerunt. adire eos Cretam, & Rhodum juſſerunt, ſimul renovare amicitiam, ſimul ſpeculari, num ſollicitati animi ſociorum ab rege Perſeo eſſent.

XX. In ſuſpenſa civitate ad expectationem novi belli, nocturna tempeſtate [a] columna roſtrata in Capitolio, bello Punico priore poſita à M. Æmilio conſule, cui collega Ser. Fulvius fuit, tota ad imum fulmine diſcuſſa eſt. Ea res, prodigii loco habita ad ſenatum relata eſt. Patres ad aruſpi-

INTERPRETATIO.

a *Poſtumio Coſ. inquirente.*

b *Ita ut privatorum avaritia liberam haberet facultatem vagandi per agros à nemine occupatos.*

c *Cum dubius Senatus expectaret quinam à regibus amplecterentur partes Romanorum, & quinam Perſeo eſſent adhæſuri.*

a *Columna roſtris navium ornata.*

NOTÆ.

1. *Ædes inſtructas locaret.*] Gallicè, *que le Preteur prit à loüage une maiſon garnie & meublée, où le Roi de Cappadoce puſt loger avec ſon train.*

2. *Munera binum millium æris.*] Ex tot aſſibus ſemuncialibus fierent tantum octo & quinquaginta libræ Francicæ cum ſex aſſibus noſtratibus atque octo denariis.

Urb. cond. an. 581. Coss. C. Popillio Lænate, & P. Ælio Ligure.

ces referre, & decemviros adire libros jusserunt. 1 Decemviri lustrandum oppidum, supplicationem obsecrationemque habendam, victimis majoribus sacrificandum, & in Capitolio Romæ & in Campania 2 ad Minervæ promontorium, renuntiarunt: ludos per decem dies Jovi optimo maximo primo quoque die faciendos. Ea omnia cum cura facta. aruspices, in bonum versurum id prodigium, prolationemque finium, & interitum perduellium portendi responderunt; quod ex hostibus spolia fuissent ea hostra, quæ tempestas disjecisset. Accesserunt, quæ cumularent religiones animis. 3 Saturniæ nunciatum erat, sanguine per triduum in oppido pluisse: Calatiæ asinum tripedem natum: & taurum cum quinque vaccis uno ictu fulminis exanimatos. Oximi terra pluisse. Horum quoque prodigiorum causa res divinæ factæ, & supplicatio unum diem feriæque habitæ.

XXI. Consules ad id tempus in provincias non exierant: a quia neque uti a de M. Popillio referrent senatui obsequebantur, & nihil aliud decernere priùs, statutum Patribus erat. Aucta etiam invidia est Popillii literis ejus, quibus iterùm cum Statiellatibus Liguribus proconsul pugnasse se scripsit, 2 ac se decem millia eorum occidisse. propter cujus injuriam belli, cæteri quoque Ligurum populi ad arma ierunt. tum verò non absens modò Popillius, qui deditis contra jus ac fas bellum intulisset; 3 & paratos ad rebellandum incitasset, sed consules, quòd non exirent in

INTERPRETATIO.

a *Quandoquidem neque volebant senatui parere in referendo M. Popillii negotio, & senatus decrevrat de nullo alio negotio deliberare, nisi hoc priùs ventilato.*

NOTÆ.

1. *Decemviri lustrandum oppidum.*] Hoc prodigium Romæ contigerat: urbs ergo Roma *oppidi* nomine hic designatur.

2. *Ad Minervæ promontorium.*] Ad Surrentum in Campaniæ & Picentinorum confinio, est hoc promontorium, è regione Caprearum insulæ, vulgo *Capo Campanella*, aut *Capo di Capri*; aliquibus etiam retento veteri vocabulo, *Capo di Minerva.*

3. *Saturniæ nunciatum erat.*] Vetus fuit urbis Romæ nomen à Saturno deductum, ut Janiculi ei oppositi vocabulum à Jano. At hic indicatur Etruriæ urbs Saturnæ vicina, ad occasum: nunc *Sitorna*, aut etiam priscо nomine servato *Saturnia.*

1. *De M. Popillio.*] Vide suprà cap. 8. §. item 10. ubi memoratur M. Popillii bellum, qui consul prioris anni, frater C. Popillii hocce anno consulis.

2. *Ac se decem.*] Non dubito quin unâ voce scribendum sit, *sedecim*: quod subdubitans Perizon. prodidit: neque enim ferenda videtur illa inutilis repetitio pronominis, *se*, quæ vulgo legitur: *pugnasse se scripsit, ac se decem millia eorum occidisse.*

3. *Et paratos ad rebellandum incitasset.*] Ex codice unico hujus libri quem secuti erant primi editores, legebatur: *ad rebellium incitasset*: idque tuetur Gronov. quòd ut dicitur, *contagium & contagio, consortium & consortio, obsidium & obsidio*: ita ejus sententiâ *rebellium* & *rebellio* commodissimè dicantur. Sed illorum exempla suppeditant passim auctores: *rebellii* vellem exemplum aliquod protulisset; aut certè plures Livii co-

provinciam, in senatu increpiti. Hoc consensu Patrum accensi, M. Marcius Sermo, & Quintus Marcius Scylla, tribuni plebis, & consulibus multam se dicturos, nisi in provinciam exirent, denuntiarunt: & rogationem, quam de Liguribus deditis promulgare in animo haberent, in senatu recitarunt. Sanciebatur, ut qui ex Staticellis deditis in libertatem restitutus ante Calendas Sextiles primas non esset, cujus dolo malo is in servitutem venisset. 5 ut juratus senatus b decerneret, qui eam rem quæreret, animadverteretque. Ex auctoritate deinde senatûs eam rogationem promulgarunt. Priusquàm proficiscerentur consules, Cajo Cicerejo prætori prioris anni ædem Bellonæ senatus datus est. Is expositis, quæ in Corsica res gessisset, postulatoque frustra triumpho, in monte Albano, quod jam in morem venerat ut sine publica auctoritate fieret, triumphavit. c Rogationem Marciam de Liguribus magno consensu plebes scivit jussitque. ex eo plebiscito Cajus Licinius prætor consuluit senatum, quem quærere ex rogatione vellet. Patres ipsum eum quærere jusserunt.

Urb. cond. an. 581. Coss. C. Popillio Lænate, & P. Ælio Ligure.

XXII. Tum demum consules in provinciam profecti sunt; 1 exercitumque à M. Popillio ceperunt. Neque tamen M. Popillius reveri Romam audebat, ne causam diceret adverso senatu, infestiore populo, apud prætorem, qui de quæstione in se posita senatum consuluisset. Huic detrectationi ejus, tribuni plebis alterius rogationis denunciatione occurrerunt: ut, si non ante Idus Novembris Romam introisset, de absente eo C. Licinius statueret ac judicaret. 2 Hoc tractus vinculo quum rediisset, ingenti cum invidia in senatum venit. Ibi quum laceratus jurgiis multorum esset, senatusconsultum factum est, ut qui Ligurum post Q. Fulvium, L. Manlium consules hostes non fuissent, ut eos C. Licinius, Cn. Sicinius prætores in libertatem restituendos curarent, agrumque iis trans Padum

INTERRETATIO.

b *Aliquem nominaret, qui de ea re quæstionem institueret, & reos puniendos curaret.*

c *Plebiscitum à tribunis plebis M. & Q. Marciis latum.*

NOTÆ.

dices in eo convenirent. Interim Gruteri lectionem improbare non ausim, ut quæ mendo careat: habet enim, *ad rebellandum incitasset*.

4. *In servitutem venisset.*] Mavult Gronov. *in servitute mansisset*.

5. *Ut juratus Senatus decerneret.*] De iis quæ majoris momenti essent, sæpè jurati Senatores sententiam rogabantur, ut lib. 26. cap. 34. Porrò iteratio vocularum, non tantùm vitio vacat, sed emphasin quandam habet. Ejusmodi certè loquendi formâ sæpè auctor utitur veluti proximè seq. cap. 22. *Senatusconsultum factum est, ut qui Ligurum post Q. Fulvium, L. Manlium Coss. hostes non fuissent, ut eos*, &c. Ita & cap. 28. & 30. Itemque lib. 38. cap. 9.

1. *Exercitumque à M. Popillio cepêre.*] Imò *acceperunt*, ut Gron. advertit.

2. *Hoc tractus vinculo.*] Metaphoricè dicit prò *plebiscito*.

Urb. cond. an. 581. Coss. C. Popillio Lænate, & P. Ælio Ligure.

consul C. Popillius daret. Multa millia hominum hoc senatusconsulto re-
stituta in libertatem, traductiſque Padum ager eſt aſſignatus. M. Popil-
lius rogatione Marciâ bis apud C. Licinium cauſam dixit: tertiò prætor,
gratiâ conſulis abſentis & Popilliæ familiæ precibus victus, Idibus Martiis
adeſſe reum juſſit, quo die novi magiſtratus inituri erant honorem: [a] ne
diceret jus, qui privatus futurus eſſet. Ita rogatio de Liguribus arte fallaci
eluſa eſt.

XXIII. Legati Carthaginienſes eo tempore Romæ erant, & [1] Guluſſa
filius Maſiniſſæ: inter eos magnæ contentiones in ſenatu fuêre. Carthagi-
nienſes querebantur, *præter agrum, de quo ante legati ab Roma, qui in re
præſenti recognoſcerent, miſſi eſſent, amplius ſeptuaginta oppida caſtellaque
agri Carthaginienſis biennio proximo Maſiniſſam vi atque armis poſſediſſe.
Id illi, cui nihil penſi ſit, facile eſſe. Carthaginienſes fœdere illigatos ſilere.
Prohiberi enim extra fines efferre arma. Quanquam ſciant in ſuis finibus, ſi
inde Numidas pellerent, ſe geſturos bellum, illo haud ambiguo capite fœderis
deterreri, quo diſerte tenetur cum ſociis populi Romani bellum gerere. Sed
jam ultra ſuperbiam, crudelitatemque, & avaritiam ejus, non pati poſſe
Carthaginienſes. miſſos eſſe qui orarent ſenatum, ut trium harum rerum
unam ab ſe impetrari ſinerent: ut vel ex æquo apud ſocium populum, quid
cujuſque eſſet, diſceptarent: vel permitterent Carthaginienſibus, ut adver-
ſus injuſta arma pio juſtoque ſe tutarentur bello: vel ad extremum, ſi gratia
plus quàm veritas apud eos valeret, ſemel ſtatuerent, quid donatum ex alie-
no Maſiniſſæ vellent. Modeſtiùs certe daturos eos & ſcituros quid dediſſent:
ipſum nullum, præterquàm ſuæ libidinis arbitrio, finem facturum. Horum
ſi nihil impetrarent, & aliquod ſuum poſt datam à P. Scipione pacem deli-
ctum eſſet, ipſi potius animadverterent in ſe. Tutam ſervitutem ſe ſub do-
minis Romanis, quàm libertatem expoſitam ad injurias Maſiniſſæ malle.
Perire namque ſemel ipſis ſatius eſſe, quàm ſub acerbiſſimi carnificis arbitrio
ſpiritum ducere.* Sub hæc dicta lacrymantes procubuerunt, ſtratique hu-
mi, [2] non ſibi magis miſericordiam, quàm regi **.

XXIV. Interrogari Guluſſam placuit, quid ad ea reſponderet, aut, ſi
prius mallet, expromeret, ſuper qua re Romam veniſſet. Guluſſa, *Neque
ſibi facile eſſe*, dixit, *de iis rebus agere, de quibus nihil mandati à*

INTERPRETATIO.

[a] *Ne ipſa cogeretur ea de re cognoſcere, imo nec poſſet; quoniam eo die magiſtra-
tu exiiſſet.*

NOTÆ.

1. *Guluſſa filius Maſiniſſæ.*] Inter filios natu maximus *Guluſſa* erat, eique ſucceſſit in regno. Cæterùm etſi Græci *Maſaniſſam* ſcribant, Latinis tamen *Maſiniſſam* dici Turneb. notat.

2. *Non ſibi magis miſericordiam quàm regi.*] Exiguam hic lacunam non improbabiliter duobus verbis explet Sigon. legens: *quam regi invidiam concitarunt*: ac deinde *interrogari Guluſſam placuit*.

patre haberet: neque patri facile fuisse mandare, quum Carthaginienses nec de qua re acturi essent, nec omnino ituros se Romam, indicaverint. [1] *In æde Æsculapii clandestinum eos per aliquot noctes consilium principum habuisse;* [2] *unde prætereà legatos occultis cum mandatis Romam mitti. Eam causam fuisse patri mittendi se Romam; qui deprecaretur senatum, ne quid communibus inimicis criminantibus se crederent, quem ob nullam aliam causam, nisi propter constantem fidem erga populum Romanum odissent.* His utrinque auditis, senatus, de postulatis Carthaginiensium consultus, [2] respondere ita jussit: *Gulussam placere exemplo in Numidiam proficisci: & nunciare patri, ut de iis, de quibus Carthaginienses querantur, legatos quamprimùm ad senatum mittat: denunciet que Carthaginiensibus, ut ad disceptandum veniant. Si aliquid possent Massinissæ honoris causa, & fecisse & facturos esse:* [a] *jus gratiæ non dare. Agrum, qua cujusque sit, possideri velle: nec novos statuere fines, sed veteres observari, in animo habere. Carthaginiensibus victis se & urbes & agros concessisse, non ut in pace eriperent per injuriam, quæ jure belli non ademissent.* Ita regulus Carthaginiensesque dimissi. Munera ex instituto data utrisque, aliaque hospitalia comiter conservata.

Urb. cond. an. 581. Cos. C. Popillio Lænate, & P. Ælio Ligure.

XXV. Sub idem tempus Cn. Servilius Cæpio, Ap. Claudius Cento, T. Annius Luscus, legati, ad res repetendas in Macedoniam, [1] renunciandamque amicitiam regi missi, redierunt: qui jam suâ sponte [2] infestum Persi senatum insuper accenderunt, relatis ordine quæ vidissent, quæque audissent. *Vidisse se per omnes urbes Macedonum summa vi parari bellum. Quum ad regem pervenissent, per multos dies conveniendi ejus potestatem non factam: postremo quum desperato jam colloquio profecti essent, tum demum se ex itinere revocatos, & ad eum introductos esse. Suæ orationis summam fuisse, fœdus cum Philippo ictum, cum ipso eo post mortem patris renovatum: in quo diserte prohiberi eum extra fines arma efferre, prohiberi socios populi Romani lacessere bello.* Exposita deinde ab se ordine, quæ ipsi nuper in senatu Eumenem vera omnia & comperta referentem audissent. *Samothraciæ prætereà per multos dies occultum consilium cum legationibus civitatum Asiæ regem habuisse. Pro his injuriis satisfieri senatum æquum censere, reddique sibi res sociisque suis.*

INTERPRETATIO.

[a] *Nolle gratificari contra jus.*

NOTÆ.

1. *In æde Æsculapii.*] Carthagine haud dubiè fuit hoc templum, & in arce, cui nomen *Byrsæ* Græci fecere, teste Strabone lib. 17.

2. *Respondere ita jussit.*] Mallem, *restitia alicujus*, & *renunciare amicitiam alipondere.* Potest tamen intelligi: *responsa dare consules.*

1. *Renunciandamque amicitiam regi.*] Quod Sigon. mavult *regi*, parum equidem refert existimo. Ut enim rectè dicitur *renunciare alicui amicitiam, hospitium, familiaritatem*; sic & *renunciari amicitiæ*

2. *Infestum Perse senatum.*] Ita scripturæ & Aldina editio: alii *Perseæ*, haud ma-

Urb. cond. an. 581. Coss. C. Popillio Lænate, & P. Ælio Ligure.

quas contra jus fœderis habeat. Regem adea primo accensum ira inclementer locutum; avaritiam superbiamque Romanis objicientem frequenter: quod alii super alios legati venirent speculari dicta factaque sua, quod se ad nutum imperiumque eorum omnia dicere ac facere æquum censerent. Postremo multum ac diu vociferatum, reverti postero die jussisse. scriptum se responsum dare velle. Tum ita sibi scriptum traditum esse: *Fœdus cum patre ictum, ad se nihil pertinere. Id se renovari, non quia probaret, sed quia in nova possessione regni patienda omnia esset, passum. Si novum fœdus secum facere vellent; convenire prius de conditionibus debere; & si in animum inducerent, ut ex æquo fœdus fieret; & se visurum quid sibi faciundum esset, & illos credere reipublicæ consulturos. Atque ita se proripuisse, & sic nonnoveri è regia omnes cœptos. Tum se amicitiam & societatem renunciasse. quæ voce eum accensum restitisse, atque voce clara denunciasse sibi, ut triduo regni sui decederent finibus. Ita se profectos: nec sibi aut venientibus aut manentibus quicquam hospitaliter aut benigne factum.* Thessali deinde Ætolique legati auditi. Senatui, ut scirent quam primùm quibus ducibus usura respublica esset, literas mitti consulibus placuit: ut uter eorum posset, Romam ad magistratus creandos veniret.

XXVI. Nihil magnopere quod memorari attineat reipublicæ eo anno consules gesserunt. magis è republica visum erat, comprimi ac sedari exasperatos Ligures. Quum Macedonicum bellum expectaretur, Gentium quoque Illyriorum regem suspectum Issenses legati fecerunt: simul questi, fines suos secundò populatum, simul nuntiantes, [a] uno animo vivere Macedonum atque Illyriorum regem: communi consilio parare Romanis bellum: & specie legatorum Illyrios speculatores Romæ esse, Perse auctore missos, ut quid ageretur scirent. Illyrii vocati in senatum. qui quum legatos se esse missos ab rege dicerent ad purganda crimina, si qua de rege Issenses deferrent; quæsitum, ecquid ita non adissent magistratum, ut ex instituto [b] loca lautia acciperent: scirentur denique venisse eos, & super qua re venissent? Hæsitantibus in responso, ut curiâ excederent dictum. Responsum, tanquam legatis, ut qui adire senatum non postulassent, dari non placuit: mittendosque ad regem legatos censuerunt, qui nunciarent; 1 ℞ quid socii quererentur apud senatum exustum à rege agrum.

INTERPRETATIO.

a *Concordes atque unanimes esse, & quasi uno spiritu degentes conjunctim agere reges Macedoniæ atque Illyrici.*

b *Acciperent hospitium & munera hospitalia.*

NOTÆ.

1. *Quod socii quererentur*, &c.] Gronovio ita fuisse apud auctorem videtur: *quod socii quererentur apud senatum exustum à rege agrum* (suum) *non æquum*

esse, qui ab sociis suis (Romanorum) *non abstinerent injuriam.* Ubi Tò *quod*, est *quoniam*, sive *quandoquidem*. *Abstinere* autem à *sociis injuriam* pro *ab sociis abstinere ab injuria sociis inferenda*.

Digitized by Google

non æquum eum facere qui ab ſociis ſuis non abſtineret injuriam. In hanc legationem miſſi, A. Terentius Varro, C. Pletorius, C. Cicerejus. Ex Aſia, qui circa ſocios reges miſſi erant legati, redierunt, qui renuntiarunt. *Eumenem in ea, Antiochum in Syria,* [2] *Ptolemæum in Alexandria ſeſe convenisse. Omnes ſolicitatos legationibus Perſei, ſed egregiè in fide permanere, pollicitoſque omnia, quæ populus Romanus imperaſſet, præſtaturos, & civitates ſocias adiſſe: cæteras ſatis fidas; ſolos Rhodios fluctuantes, & imbutos Perſei conſiliis inveniſſe.* Venerant Rhodii legati ad purganda ea quæ vulgò jactari de civitate ſciebant: cæterum ſenatum iis dari, quum novi conſules magiſtratum iniſſent, placuit. Urb. cond. an. 581. Coſſ. C. Popillio Lænate, & P. Ælio Ligure.

XXVII. Belli apparatum non differendum cenſuerunt. C. Licinio prætori negotium datur, ut ex veteribus quinqueremibus in navalibus Romæ ſubductis, quæ poſſent uſui eſſe, reficeret; pararetque naves quinquaginta. Si quid ad eum numerum explendum deeſſet, C. Memmio collegæ in Siciliam ſcriberet, ut eas, quæ in Sicilia naves eſſent, reficeret atque expediret, ut Brundiſium primo quoque tempore mitti poſſent. Socios navales libertini ordinis in viginti & quinque naves ex civibus Romanis C. Licinius prætor ſcribere juſſus, in quinque & viginti parem numerum Cn. Sicinius ſociis imperaret: idem prætor poſtea octo millia, quadringentos equites à ſociis Latini nominis exigeret. Hunc militem qui Brundiſii acciperet, atque in Macedoniam mitteret, A. Atilius Serranus, qui priore anno prætor fuerat, deligitur: [1] Cn. Sicinius prætor, [2] qui exercitum paratum ad trajiciendum haberet, C. Popillio conſuli ex auctoritate ſenatus C. Licinius prætor ſcribit, ut & legionem ſecundam, [a] quæ maximè veterana in Liguribus erat, & ſocium Latini nominis quatuor millia peditum, ducentos equites Idibus Februariis Brundiſii adeſſe juberet. Hac claſſe & hoc exercitu Cn. Sicinius provinciam Macedoniam obtinere, donec ſucceſſor veniret, juſſus: prorogato in annum imperio. Ea omnia, quæ ſenatus cenſuit, impigrè facta ſunt. Duodequadraginta quinqueremes ex navalibus deductæ. qui deduceret eas Brundiſium, L. Porcius Licinus præpoſitus: duodecim ex Sicilia miſſæ. Ad frumentum claſſi exercituique coemendum in Apuliam Calabriamque tres legati miſſi,

INTERPRETATIO.

[a] *Quæ inter cæteras legiones maximè veteranorum militum numero conſtabat,*

NOTÆ.

2. *Ptolemæum in Alexandria.*] In ſuperioribus Grammaticorum regulis pro habitis *Alexandria.*

2. *Cn. Sicinius Prætor.*] Ut conſtet ſenſus, ſcribi Gron. jubet *Deligitur. Cn. Sicinius prætor, quo exercitum paratum ad trajiciendum haberet, C. Popillio Coſ. ex auctoritate Senatûs C. Licinius prætor ſcribit ut legionem ſecundam*, &c. *Quo* pro *qui*: ut ſenſus ſit ſcripſiſſe Licinium Popillio, &c. ut Cn. Sicinio prætori paratus eſſet exercitus in Macedoniam trajiciendus.

Urb. cond. an. 581. Coss. C. Popillio Lænate, & P. Ælio Ligure.

Sexi Digitius, T. Juventius, M. Cæcilius. Ad omnia præparata Cn. Sicinius prætor, paludatus ex urbe profectus, Brundisium venit.

XXVIII. Exitu prope anni C. Popillius consul Romam rediit; aliquantò seriùs quàm senatus censuerat, [1] cui primo quoque tempore magistratus creare, quum tantum bellum immineret, jussum erat. Itaque non secundis auribus patrum auditus est consul, quum in æde Bellonæ de rebus in Liguribus gestis differret. Sucsclamationes frequentes erant, interrogationesque, cur scelere fratris oppressos Ligures in libertatem non restituisset? Comitia consularia, in quam edicta erant diem, ante diem XII. Calendas Martias sunt habita. Creati consules P. Licinius Crassus, C. Cassius Longinus. Postero die prætores facti, C. Sulpicius Galba, L. Furius Philus, L. Canulejus Dives, C. Lucretius Gallus, C. Caninius Rebilus, L. Villius Annalis. His prætoribus provinciæ decretæ: duæ jure Romæ dicendo, Hispania, & Sicilia, & Sardinia; [2] ut uni sors integra esset, quo senatus censuisset. Consulibus designatis imperavit senatus, ut, qua die magistratum inissent, hostiis majoribus ritè mactatis precarentur, ut quod bellum populus Romanus in animo haberet gerere, ut id prosperum eveniret. Eodem die decrevit senatus, C. Popillius consul ludos per dies decem Jovi Optimo Maximo voveret, donaque circa omnia pulvinaria dari, si respublica decem annos in eodem statu fuisset. Ita ut censuerant, in Capitolio vovit consul ludos fieri donariaque dari, quanta ex pecunia decrevisset senatus. quum centum & quinquaginta non minus adessent, præeunte verba Lepido pontifice maximo, id votum susceptum est. Eo anno [2] sacerdotes publici mortui, L. Æmilius Papus, decemvir sacrorum, & Q. Fulvius Flaccus pontifex, qui priore anno fuerat censor, hic fœdâ morte periit. Ex duobus filiis ejus, qui tum in Illyrico militabant, nunciatum alterum decessisse, alterum gravi & periculoso morbo ægrum esse. Obruit animum simul luctus, metusque: manè ingressi cubiculum servi, laqueo dependentem invenêre. Erat opinio, post censuram minus comptem fuisse sui: vulgò Junonis Laciniæ iram ob spoliatum templum alienasse mentem ferebant. Suffectus in Æmilii locum decemvir, M. Valerius

INTERPRETATIO.

[1] Ut è numero sex prætorum *unus superesset, cui nulla assignata esset provincia, reservatus ad id munus, quod ipse postea* à Senatu *attribueretur.*

NOTÆ.

[1] *Cui primo quoque tempore.*] Vulg. *quid alicui jubere.*

Gron. *quippe primo quoque tempore magistratus creare, cùm tantum bellum immineret; jussus erat,* vel *quem jussum erat.* Sed quidni potius *qui ..... jussus erat?* quanquam aliquando dicitur, *alicui jubere.*

[2] *Sacerdotes publici.*] An igitur *privati sacerdotes?* Certè privata & familiaria sacra apud Romanos fuisse non ambigitur.

Messala:

Urb. cond. an. 582. Coss. P. Licinio, & C. Cassio.

Messalâ: in Fulvii, pontifex Cn. Domitius Ænobarbus, oppido adolescens sacerdos lectus.

XXIX. P. Licinio, C. Cassio consulibus, non urbs tantùm Roma, nec terra Italia, sed omnes reges civitatesque, quæ in Europa, quæque in Asia erant, converterant animos in curam Macedonici ac Romani belli. Eumenem quum vetus odium stimulabat, tum recens ira, quod scelere ejus prope ut victima mactatus Delphis esset. Prusias Bithyniæ rex statuerat abstinere armis, eventumque expectare. nam neque pro Romanis se æquum censere [1] adversus fratrem uxoris arma ferre: & apud Persea victorem veniam per sororem impetrabilem fore. Ariarathes Cappadocum rex, præterquam quod Romanis suo nomine auxilia pollicitus erat, ex quo est [2] junctus Eumeni affinitate, in omnia belli paciscue se consociaverat consilia. Antiochus imminebat quidem Ægypti regno: & pueritiam regis, & inertiam tutorum spernens, & [3] ambigendo de Cœlesyria, causam belli se habiturum existimabat, gesturumque sine ullo impedimento, occupatis Romanis in Macedonico bello, id bellum: tamen omnia & per suos legatos senatui, & ipse legatis eorum eximiè pollicitus erat. Ptolemæus propter ætatem alieni etiam tum arbitrii erat. tutores & bellum adversus Antiochum parabant, quo vendicarent Cœlesyriam, & Romanis omnia pollicebantur ad Macedonicum bellum. Masinissa & frumento juvabat Romanos, & auxilia cum elephantis, [4] Misagenenque filium mittere ad bellum parabat. consilia autem in omnem fortunam ita disposita habebat; Si penes Romanos victoria esset, suas quoque in eodem statu mansuras res, neque ultra quidquam movendum; non enim passuros Romanos vim Carthaginiensibus afferri. Si fractæ essent opes Romanorum, quæ tum protegerent Carthaginienses, suam omnem Africam fore. [5] Gentius rex Illyriorum fecerat potius cur suspectus esset Romanis, quàm satis statuerat utram foveret partem; impetuque magis quàm consilio his aut illis se adjuncturus videbatur. [6] Cotys Thrax, Odrysarum rex, evidenter Macedonum partis erat.

NOTÆ.

1. *Adversus fratrem uxoris.*] Uxorem habebat Prusias Philippi Macedoniæ regis filiam, Persei sororem.

2. *Junctus Eumeni affinitate.*] Stratonice Ariarathis Cappadociæ regis filia Eumeni Pergameno regi nupserat: eadem postea in matrimonio quoque Attali Junioris fuit.

3. *Ambigendo de Cœlesyria.*] *Syriam Cælen* sive Cavam cum Phœnicia & Judæa occuparat Antiochus Magnus: sed eam Ptolemæo Epiphani Ægypti regi restituerat Cleopatrâ filiâ in uxorem data. Ex his natus Ptolemæus eo nomine Sextus inter Ægypti reges, contra vim Antiochi Epiphanis avunculi sui servatus est à Romanis.

4. *Misagenemque filium.*] Inter Masinissæ filios tertio loco numeratur hic *Misagenes* ex concubina genitus.

5. *Gentius rex Illyriorum.*] Pleurati filius, à Perseo promissis delusus in utrisque perniciem.

6. *Cotys Thrax.*] Plures hoc nomine in Thracia regnarunt: in quibus postea Tacito memoratus lib. 2. Annal. Rhœ-

Urb. cond. an. 582. Coss. P. Licinio, & C. Cassio.

XXX. Hæc sententia regibus quum esset de bello, in liberis gentibus populisque plebs utique omnis fermè, ut solet, [1] deteriоribus erat ob regem Macedonasque inclinata. Principum diversa cerneres studia. pars ita in Romanos effusi erant, ut auctoritatem immodico favore corrumperent: pauci ex iis justitiâ imperii Romani capti: plures ita, si præcipuam operam navassent, potentes sese in civitatibus suis futuros rati. [2] pars altera regiæ adulationis erat, quos æs alienum & desperatio rerum suarum, eodem manente statu, præcipites ad novanda omnia agebat: quosdam ventosum ingenium, [a] quia Perseus magis auræ popularis erat. tertia pars optima eadem & prudentissima, si utique optio domini potioris daretur, sub Romanis quàm sub rege malebat esse. si liberum inde arbitrium fortunæ esset; neutram partem volebant potentiorem alterâ oppressâ fieri: sed illibatis potiùs viribus utriusque partis, 3 pacem ex eo manere. ita inter utrosque optimam conditionem civitatum fore; protegente altero semper inopem ab alterius injuria. Hæc sentientes, certamina fautorum utriusque partis taciti ex tuto spectabant. Consules, quo die magistratum inierunt ex Senatusconsulto, quum circa omnia sana, in quibus lectisternium majorem partem anni esse solet, majoribus hostiis immolassent, inde preces suas acceptas ab Diis immortalibus ominati, senatui ritè sacrificatum, precationemque de bello factam, renunciarunt. Aruspices ita responderunt, *si quid rei novæ inciperetur, id maturandum esse. victoriam, triumphum, prorogationem imperii portendi.* Patres, *quod faustum fœlixque populo Romano esset, centuriatis comitiis primo quoque die ferre ad populum consules jusserunt, ut quod Perseus Philippi filius Macedonum rex adversus fœdus cum patre Philippo ictum, & secum post mortem ejus renovatum, sociis populi Romani arma intulisset,*

INTERPRETATIO.

a *Gratior populo Perseus erat.*

NOTÆ.

metalcis filius, à Rhescuporide patruo interfectus Tiberio imperante. Meminit idem auctor lib. 11. *Cotyos*, qui minoris Armeniæ rex, à Mithridate Ibero pulsus Armeniâ majori, quam affectabat.

1. *Deteriоribus erat ob regem Macedonasque inclinata.*] Videtur Gron. magis probare: *deterioris erat*, ut referatur ad nomen *sententia*: agnoscit tamen posse retineri vulgatam lectionem *deteriоribus*, ut in hoc vocabulo intelligi voluerit Livius *Tò studiis*: statim enim subjicitur: *principum diversa cerneres studia.*

2. *Pars altera regiæ adulationis erat.*] Vult auctor ex duabus partibus, in quas divisæ civitates erant, cùm alia Romanis effusè adhæreret, aliam fuisse, quæ Perseo regi ex adulatione favebat, qua ii continerentur qui egestate & necessitate rerum suarum ad res novas propendebant, ideo quòd propter æs alienum, quo laborabant, de rebus suis desperarent, quandiu civitas sua in eodem statu permaneret.

3. *Pacem ex eo manere.*] Commodius fortè quod legit Gronov. *pacem ex æquo manere*: quanquam *ex eo* rectè intelligas ex æqualitate rerum inter Macedonas & Romanos.

agros vaſtaſſet, urbeſque occupaſſet, 4 quodque belli parandi adverſus populum Romanum conſilia iniiſſet, arma, milites, claſſem ejus rei causâ comparaſſet; ut, niſi de iis rebus ſatisfeciſſet, bellum cum eo iniretur. Hæc rogatio ad populum lata eſt. Urb. cond. an. 582. Coſſ. P. Licinio, & C. Caſſio.

XXXI. Senatuſconſultum inde factum eſt, *Ut conſules inter ſe provincias Italiam & Macedoniam compararent ſortirenturve. Cui Macedonia obvenifſet, ut is regem Perſea, 1 quique ejus ſectam ſecuti eſſent, niſi populo Romano ſatisfeciſſent, bello perſequeretur.* Legiones quatuor novas ſcribi placuit, binas ſingulis conſulibus. Id præcipuè provinciæ Macedoniæ datum, quod quum alterius conſulis legionibus quina millia & ducenti equites ex vetere inſtituto darentur in ſingulas legiones, in Macedoniam ſena millia peditum ſcribi juſſa, 2 equites treceni æqualiter in ſingulas legiones. & in ſociali exercitu conſuli alteri auctus numerus: ſexdecim millia peditum, octingentos equites (præter eos quos Cn. Sicinius duxiſſet, ſexcentos equites) in Macedoniam trajiceret. Italiæ ſatis viſa duodecim millia ſociorum peditum, ſexcenti equites. Illud quoque præcipuum datum ſorti Macedoniæ, ut centuriones militeſque veteres ſcriberet, a quos vellet conſul uſque ad quinquaginta annos. In tribunis militum novarum eo anno propter Macedonicum bellum, quod conſules ex Senatuſconſulto ad populum tulerunt, 3 ne Tribuni militum eo anno ſuffragiis crearentur, ſed conſulum prætorumque in iis faciendis judicium arbitriumque eſſet. Inter prætores ita partita imperia. prætorem, cujus ſors fuiſſet, ut iret quò ſenatus cenſuiſſet, Brundiſium ad claſſem ire placuit: utque ibi recognoſceret ſocios navales, dimiſſiſque, ſi qui parum idonei eſſent, ſupplementum legeret ex libertinis: & daret operam ut duæ partes civium Romanorum, tertia ſociorum eſſet. Commeatus claſſi legio-

INTERPRETATIO.

a *Qui eligerentur à conſule* in Macedoniam ituro, ita tamen ut ei non liceret eos retinere invitos, qui *anni quinquaginta majores* eſſent.

NOTÆ.

4. *Quodque belli parandi.*] Placet omnino Gronovii conjectura, qua ſubjicit *belli parandi*, id eſt, *gerendi*.

1. *Quique ejus ſectam ſecuti eſſent.*] Solennis eſt formula, qua indicantur hoſtium ſocii, ſive qui illorum partibus adhæſerunt.

2. *Quina millia & treceni equites æqualiter in ſingulas legiones.*] Cùm præcipua vis belli in Macedoniam deſtinaretur, nihil mirum mille peditibus & centum equitibus auctas fuiſſe legiones ſingulas, quæ conſuli bellum adverſus Perſeum geſturo aſſignabantur: nec malè exprimitur æqualiter unicuique legioni, è duabus ſcilicet Macedonici exercitûs, ſena millia peditum, & trecentos equites fuiſſe attributos. Quod autem dicitur *quina millia & ducenos equites ex vetere inſtituto* data ſingulis alterius conſulis legionibus; id non ex inſtituto Romuli fuit, ſed poſteriorum temporum.

3. *Ne tribuni militum eo anno ſuffragiis crearentur.*] *Suffragiis* ſcilicet *populi*; etenim cautum antea fuerat atque uſu receptum, ut tribuni militum, qui antea magiſtratuum & belli ducum judicio elegebantur, in comitiis à populo pro dimidia parte eligerentur.

Urb. cond. an. 582. Coss. P. Licinio, & C. Cassio.

nibusque, ut ex Sicilia Sardiniaque subveherentur, prætoribus, qui eas provincias sortiti essent, mandari placuit, [b] ut alteras decumas Siculis Sardisque imperarent, utque id frumentum ad exercitum in Macedoniam portaretur. Siciliam C. Caninius Rebilus est sortitus, L. Furius Philus Sardiniam, L. Canulejus Hispaniam, C. Sulpicius Galba urbanam jurisdictionem, L. Villius Annalis inter peregrinos. C. Lucretio Gallo, quo senatus censuisset, fors evenit.

XXXII. Inter consules magis cavillatio, quàm magna contentio de provincia fuit. Cassius, 1 *sine forte se Macedoniam oppugnaturum*, dicebat, *nec posse collegam salvo jurejurando secum sortiri. Prætorem cum, nè in provinciam iret, in concione juravisse, se statos locos statisque diebus sacrificia habere, quæ absente se rectè fieri non posset: quæ non magis consule, quàm prætore absente rectè fieri posse*nt. 2 *Si senatus, non quid vellet in consulatu potiùs quàm quid in prætura juraverit P. Licinius, animadvertendum esse censeat; se tamen futurum in senatus potestate.* Consulti Patres, cui consulatum populus Romanus non negasset, ab se provinciam negari superbum rati, sortiri consules jusserunt. P. Licinio Macedonia, C. Cassio Italia obvenit. Legiones inde sortiti sunt. prima & tertia in Macedoniam trajicerentur, secunda & quarta ut in Italia remanerent. Delectus consules multò intentiorem quàm aliàs curam habebant. Licinius veteres quoque scribebat milites centurionesque: & multi voluntate nomina dabant, quia locupletes videbant, qui priore Macedonico bello aut adversus Antiochum in Asia stipendia fecerant. 3 Quum tribuni militum centuriones, sed primum quemque citarent, tres & viginti centuriones, qui primospilos duxerant, citati tribunos plebis appellarunt. Duo ex collegio, M. Fulvius Nobilior, & M. Claudius Marcellus, 4 ad consules rejiciebant: *Eorum cognitionem esse debere, quibus delectus, quibus-*

INTERPRETATIO.

b *Decimam duplicem.*

NOTÆ.

1. *Sine forte se Macedoniam oppugnaturum.*] Lubens cum Rubenio legerim, *optaturum*.

2. *Si Senatus non quid vellet in consulatu.*] Particulam negativam delet Gron. sensus enim est: si senatus adeo indulgendum Licinio censeret, ut rationem potiùs haberet desiderii, quo nunc flagraret Licinius cùm consul esset, quàm jurisjurandi ab eo præstiti in prætura, se, (Cassium scilicet) hoc Senatui concessurum, ut contra quam justum ipse Cassius censeret, provinciæ in sortem mitterentur.

3. *Cum tribuni militum centuriones, sed primum quemque citarent.*] Hinc apparet quod & Polyb. lib. 6. apertè tradidit, delectum à tribunis haberi solitum, ut & Turneb. observat: citabantur itaque nunc ab illis etiam qui veterum centurionum primores erant dignatione ac numero stipendiorum.

4. *Ad consules rejiciebant.*] Facilè intelligitur *rem rejiciebant*, vel *eos rejiciebant*: etsi non scribatur. Rejiciebant autem duo illi tribuni plebis ad consules, quòd ad eos pertinere censerent, ut delectum, ita & cognitionem eorum.

quæ bellum mandatum eſſet. cæteri, cognituros ſe, de quo appellati eſſent, ajebant, & , ſi injuria fieret, auxilium civibus laturos. Urb. cond. an. 582. Coſſ. P. Licinio, & C. Caſſio.

XXXIII. Ad ſubſellia tribunorum res agebatur, eò M. Popillius conſularis advocatus, centuriones & conſul venerunt. Conſuli inde poſtulanti, ut in concione ea res ageretur, populus in concionem advocatus. Pro centurionibus M. Popillius, qui biennio antè conſul fuerat, ita verba fecit: *Militares homines & ſtipendia juſta, & corpora & ætate & aſſiduis laboribus confecta habere: nihil recuſare tamen, quominus operam reipublicæ dent. id tantum deprecari, ne inferiores iis ordines, quàm quos, quum militaſſent, habuiſſent, attribuerentur.* P. Licinius conſul Senatuſconſultum recitari juſſit. Primum, quòd [1] bellum ſenatus Perſeo juſſiſſet: deinde [2] quòd veteres centuriones, quamplurimùm ad id bellum ſcribi cenſuiſſet: neo ulli, qui non major annis quinquaginta eſſet, vacationem militiæ eſſe. Deprecatus eſt deinde, ne novo bello tam propinquo Italiæ, adverſus regem potentiſſimum, aut tribunos militum, delectum habentes impediret: aut prohiberent conſulem, quem cuique ordinem aſſignari è republica eſſet, eum aſſignare. Si quid in ea re dubium eſſet, ad ſenatum rejicerent.

XXXIV. Poſtquam conſul, quæ voluerat, dixit; *Sp.* Liguſtinus ex eo numero, qui tribunos plebis appellaverant, à conſule, & ab tribunis petiit, ut ſibi paucis ad populum agere liceret. Permiſſu omnium ità locutus fertur. *Sp. Liguſtinus tribus Cruſtuminæ ex Sabinis ſum oriundus, Quirites. Pater mihi jugerum agri reliquit, & parvum tugurium, in quo natus educatuſque ſum: hodieque ibi habito.* [1] *Quum primùm in ætatem veni,* [2] *pater mihi uxorem fratris ſui filiam dedit: quæ ſecum nihil attulit præter libertatem, pudicitiamque, & cum his fœcunditatem, quanta vel in diti domo ſatis eſſet. Sex filii nobis, duæ filiæ ſunt,* [3] *utræque jam nuptæ. Filii quatuor togas viriles habent, duo prætextati ſunt. Miles ſum factus, P. Sulpicio, C. Aurelio conſulibus. In eo exercitu, qui in Macedoniam*

NOTÆ.

qui ad delectum citarentur.

1. *Bellum Senatus Perſeo juſſiſſet.*] Mavult Sigon. *cum Perſeo.* Grut. nihil mutat, quia infrà cap. 36. ſcribitur: *cum jam bellum regi eorum & Senatus decreſſet, & populus juſſiſſet.* Perinde igitur eſt, *bellum cum aliquo jubere*, & *bellum jubere alicui*, ſupple *fieri*, aut *inferri*.

2. *Quod veteres centuriones, quamplurimum.... ſcribi.*] Legi Gronov. jubet, *quamplurimos*: videtur tamen *quamplurimùm* dici poſſe pro *maximè, imprimis, præſertim*. Nam & *plurimùm* apud comicos ſumitur pro *ut plurimùm*, ſeu *magna ex parte*.

1. *Cum primùm in ætatem.*] *Ætatis* nomine adoleſcentiam intelligi obſervat Turneb. quaſi puerilia inter ætates habenda non ſit. Hinc *ab ineunte ætate*, idem eſt, ac ab adoleſcentiæ principio. In eandem ſententiam Cic. 1. de Legib. *nam à primo tempore ætatis juri ſtudere temini*.

2. *Pater mihi uxorem fratris ſui filiam dedit.*] Hinc patet vetuſto jure Romanorum licitas fuiſſe patruelium nuptias. Qua de re videntur nonnulli ambigere.

3. *Utraque jam nupta.*] Num melius in ſingulari numero: *utraque jam nupta*.

Urb. cond. an. 582. Coss. P. Licinio, & C. Cassio.

est transportatus, biennium miles gregarius fui adversus Philippum regem: tertio anno virtutis causâ mihi T. Quintius Flamininus 4 *decumum ordinem hastatum assignavit. Devicto Philippo Macedonibusque, quum in Italiam portati ac dimissi essemus, continuo miles voluntarius cum M. Porcio consule in Hispaniam sum profectus. Neminem omnium imperatorum, qui vivant, acriorem virtutis spectatorem ac judicem fuisse scimus, qui & illum & alios duces longa militia expertisunt. hic me imperator dignum judicavit, cui* a *primum hastatum prioris centuriæ assignaret. Tertio iterum voluntarius miles factus sum in eum exercitum, qui adversus Ætolos & Antiochum regem est missus. à Man. Acilio* b *mihi primus princeps prioris centuriæ est assignatus. Expulso rege Antiocho, subactis Ætolis, reportati sumus in Italiam.* 5 *& deinceps bis, quæ annua merebant legiones, stipendia feci. Bis deinde in Hispania militavi, semel Q. Fulvio Flacco, iterum Ti. Sempronio Graccho prætore. A Flacco inter cæteros, quos virtutis causâ secum ex provincia ad triumphum deducebat, deductus sum. à Tib. Graccho rogatus, in provinciam ii. Quater intra paucos annos* c *primumpilum duxi: quater & tricies virtutis causâ donatus ab imperatoribus sum: sex civicas coronas accepi: viginti duo stipendia annua in exercitu emerita habeo, & major annis sum quinquaginta. Quod si mihi nec stipendia omnia emerita essent,* 6 *necdum ætas vacationem daret, tamen quum* 7 *quatuor milites pro me uno vobis dare, P. Licini posset, æquum erat me dimitti. Sed hæc pro causa mea dicta accipiatis velim: ipse me, quoad quisquam qui exercitus scribit idoneum militem judicabit, nunquam sum excusaturus.* 8 *Ordi-*

INTERPRETATIO.

a *Munus prioris centuriatus in primo hastatorum ordine.*

b *Creatus sum prior centurio in primo principum ordine.*

c *Functus sum munere prioris centuriatus in primo ordine triariorum.*

NOTÆ.

4. *Decumum ordinem hastatum.*] Cùm in legione triginta ordines essent, in tres divisi classes, hastatorum, principum, ac triariorum, ut lib. 8. cap. 8. fusius explicuimus: primus gradus ascendentium è gregaria militia in centurionum numerum fuit eorum qui decimum ordinem hastatorum ducerent; erant enim hi ultimi inter centuriones, qui scilicet uni è duabus postremis ejus ordinis centuriis præerant, dicebanturque *decimus hastatus prior*, vel *posterior*.

5. *Et deinceps bis, quæ annua merebant legiones.*] Ait Sp. pro sedecim annis, quo vetustis temporibus finiebatur apud Romanos militia, sedquos ac triginta implevisse, & sic consuetum militiæ tempus continuando duplicasse.

6. *Necdum ætas vacationem daret.*] Immunes erant à militia jure communi tanquam veterani, qui annos quinque & quadraginta impleverant: sed nunc ex senatusconsulto quod refertur cap. 31. justus fuerat consul, cui obtigisset Macedonici belli sors, veteres centuriones militesque scribere usque ad quinquagenarios.

7. *Quatuor milites pro me vobis dare.*] Filios intelligit, qui togas habebant virides, id est, militari erant ætate.

8. *Ordinem quo me dignum judicent.*] Exigeret vulgaris constructio, *ordine*.

Urb. cond. an. 582. Coſſ. P. Licinio, & C. Caſſio,

nem quo me dignum judicent tribuni militum, ipſorum eſt poteſtatis: ne quis me virtute in exercitu præſtet, dabo operam; 9 ut ſemper ita feciſſe me & imperatores mei, & qui ſua ſtipendia fecerunt, teſtes ſint. Vos quoque æquum eſt, commilitones, etſi appellationis vobis uſurpatis jus, quum adleſcentes nihil adverſus magiſtratuum ſenatuſque auctoritatem uſquam feceritis, nunc quoque in poteſtate ſenatus ac conſulum eſſe, & omnia honeſta loca ducere, quibus rempublicam defenſuri ſitis.

XXXV. Hæc ubi dixit, collaudatum multis verbis conſul ex concione in ſenatum duxit. Ibi quoque ei ex auctoritate ſenatûs gratiæ actæ, tribunique militares in legione prima primum pilum virtutis causâ ei aſſignarunt. cæteri centuriones, omiſsâ appellatione, ad delectum obedienter reſponderunt. Quò maturiùs in provincias magiſtratus proficiſcerentur, 1 Latinæ Calendis Junii fuere: eoque ſolenni perfecto C. Lucretius prætor, omnibus quæ ad claſſem opus erant præmiſſis, Brundiſium eſt profectus. Præter eos exercitus quos conſules comparabant, C. Sulpicio Galbæ prætori negotium datum, ut quatuor legiones ſcriberet urbanas; 2 juſto numero peditum equitumque: 3 iiſque quatuor tribunos militum ex ſenatu legeret, qui præeſſent. Sociis Latini nominis imperaret quindecim millia peditum, mille & ducentos equites. Is exercitus uti paratus eſſet, quo ſenatus cenſuiſſet. P. Licinio conſuli [a] ad exercitum civilem ſocialemque petenti addita auxilia, Ligurum duo millia, Cretenſes ſagittarii (incertus numerus, quantum [4] rogati auxilia Cretenſes miſiſſent) Numidæ item equites, elephantique. In eam rem legati ad Maſiniſſam Carthagineſque miſſi, L. Poſtumius Albinus, Q. Terentius Culleo, C. Aburius. In Cretam item legatos tres ire placuit, A. Poſtumium Albinum, C. Decimium, A. Licinium Nervam.

INTERPRETATIO.

a *Conſuli ita poſtulanti adjecit Senatus auxilia exterorum militum, præter eum exercitum qui jam ipſi aſſignatus erat tam ex civibus Romanis, quàm ex Latinis ſociis.*

NOTÆ.

Similè huic Helleniſmo illud Virgilii. *Meme adſum qui feci.*

9. *Ut ſemper ita feciſſe me.*] Meliùs, *& ſemper*, ex Gron. ſententia.

1. *Latinæ Calendis Junii fuere.*] Poſteriortibus temporibus v. Calendas Majas feriæ Latinæ in monte Albano celebrabantur: aliàs longè tardiùs, veluti lib. 41. cap. 16. ante diem iij. Nonas Maii. Et lib. 45. cap. 3. (fortè extra ordinem) Latinæ edictæ à conſule ſunt ante quartum & tertium, & pridie Idus Novembris.

2. *Juſto numero peditum equitumque.*] Ante hoc tempus juſtus legionum numerus erat quatuor millium peditum, equitum ducentorum: nunc peditum numerus auctus erat ad quinque millia, ut ſcriptum cap. 31. non nunc primùm, ſed ex more qui jam invaluerat.

3. *Iiſque quatuor tribunos militum ex Senatu.*] Quarta nimirum pars tribunorum è Senatorum numero jubebatur eligi: in ſingulis quippe legionibus ſedecim erant tribuni.

Urb. cond. an. 582. Coss. P. Licinio, & C. Cassio.

XXXVI. Per idem tempus legati ab rege Perseo venerunt. eos [1] in oppidum intromitti non placuit, quum jam bellum regi eorum & Macedonibus & senatus decrevisset, & populus jussisset. In ædem Bellonæ in senatum introducti, ita verba fecerunt. *Mirari Persea regem, quid in Macedoniam exercitus transportati essent. Si impetrari à senatu posset ut ii revocentur, regem de injuriis, si quas sociis factas quererentur, arbitratu senatûs satisfacturum esse.* Sp. Carvilius, ad eam ipsam rem ex Græcia remissus ab Cn. Sicinio, in senatu erat. is Perræbiam expugnatam armis, Thessaliæ aliquot urbes captas, cætera quæ aut aperiret rex, quum argueret; respondere ad eas legati jussi. Postquam hæsitabant, negantes sibi ultra quicquam mandatum esse, jussi renunciare regi, *Consulem P. Licinium brevi cum exercitu futurum in Macedoniæ esse. ad eum, si satisfacere in animo esset, mitteret legatos. Romam quod prætereà mitteret, non esse: [2] neminem eorum per Italiam ire liciturum.* [3] Ita dimissis, P. Licinio consuli mandarum intra undecimum diem juberet eos Italiâ excedere, & Sp. Carvilium mitteret, qui, donec navem conscendissent, custodiret. Hæc Romæ acta nondum profectis in provinciam consulibus. Jam Cn. Sicinius, qui, priusquàm magistratu abiret, Brundisium ad classem, & ad exercitum præmissus erat, trajectis in Epirum quinque millibus peditum, trecentis equitibus, [4] ad Nymphæum in agro Apolloniati castra habebat. Inde tribunos cum duobus millibus militum, ad occupanda Dassaretiorum & Illyriorum castella, ipsis arcessentibus præsidia, ut tutiores à finitimorum impetu Macedonum essent, misit.

XXXVII. Paucis post diebus Q. Marcius, A. Atilius, & P. & Ser. Cornelii Lentuli, & L. Decimius legati in Græciam missi, Corcyram [1] peditum millo secum advexerunt: ibi inter se & regiones quas obirent, & milites diviserunt. Decimius missus est ad Gentium regem Illyriorum, quem, si aliquem respectum amicitiæ cum habere cerneret, tentare: aut etiam ad belli societatem pellicere jussus. Lentuli in Cephalleniam missi,

NOTÆ.

1. *In oppidum intromitti.*] Hic iterùm *oppidum* pro urbe Roma. Et sanè si ab ope ferenda id nominis deducatur, profitebantur Romani præ cæteris omnibus gentibus se ad opitulandum sociis atque afflictis paratos: eoque imprimis colore magnam orbis terrarum partem suæ ditionis fecerunt. Id probat vel responsum Persei nuncio redditum à legatis, capite proximè sequenti: *præsidii causâ ipsarum urbium Romanos facere.*

2. *Neminem eorum per Italiam ire liciturum.*] Id est, *fore ut nemini liceret.* Quod non est cur mutetur: idque conjiciebam, nondum visâ Jacobi Gronov. notâ: etsi Gron. patri videretur non displicuisse, *neminem iter facturum.*

3. *Ita dimissis.*] Absolutè dictum, pro *ubi dimissi sunt*: vel *post eos dimissos*: maluit tamen Gron. in accusandi casu, *ita dimissos*: ut referatur ad sequens verbum *excedere.*

4. *Ad Nymphæum.*] Sic dictum promontorium Macedoniæ occidentalis sive Illyricæ ad Aoum flumen: unde ingentem ignem exhalare qui vicina non incendat, testatur Plinius: nunc *Capo Palo* dicitur, auctore Lucaro.

1. *Peditum mille.*] Idem valet ac *mille pedites.*

ut in

ut in Peloponnesum trajicerent, oramque maris in occidentem versi ante hiemem circumirent. Marcio & Atilio Epirus, Ætolia & Thessalia, circumeundæ assignantur. Inde Bœotiam atque Eubœam aspicere jussi. tum in Peloponnesum trajicere: ibi congressuros se cum Lentulis constituunt. Priusquàm digrederentur à Corcyra, literæ à Perseo allatæ sunt: quibus quærebat, quæ causa Romanis aut in Græciam trajiciendi copias, aut urbes occupandi esset? Cui rescribi nihil placuit: nuncio ipsius qui literas attulerat dici, præsidii causá ipsarum urbium Romanos facere. Lentuli circumeuntes Peloponnesi oppida, quum sine discrimine omnes civitates adhortarentur, ut, quo animo, quâ fide adjuvissent Romanos, Philippi primùm, deinde Antiochi bello, eodem adversus Persea juvarent; fremitum in concionibus audiebant: Achæis indignantibus, eodem se loco esse (qui omnia à principiis Macedonici belli præstitissent Romanis, & Macedonum Philippi bello hostes fuissent) quo Messenii atque Elii, qui pro Antiocho hoste arma adversus populum Romanum tulissent: ac nuper in Achaicum contributi concilium; [a] velut præmium belli se victoribus Achæis tradi quererentur. Urb. cond. an. 582. Coss. P. Licinio, & C. Cassio.

XXXVIII. Marcius & Atilius [1] ad Gitanas Epiri oppidum decem millia ab mari quum ascenderent, concilio Epirotarum habito, cum magno omnium assensu auditi sunt: & quadringentos juventutis eorum in Oreстas, ut præsidio essent [2] liberatis ab se Macedonibus, miserunt. Inde in Ætoliam progressi, ac paucos ibi morati dies, dum in prætoris mortui locum alius sufficeretur, & Lycisco [1] præfecto facto, quem Romanorum favere rebus satis compertum erat, transierunt in Thessaliam. Eo legati Acarnanum & Bœotorum exules venerunt. Acarnanes nunciare jussi, *Quæ Philippi primum, Antiochi deinde bello decepti pollicitationibus regis adversus Romanum commisissent, ea corrigendi occasionem illis oblatam. Si male meriti clementiam populi Romani experti essent, bene merendo liberalitatem experirentur.* Bœotis exprobratum, societatem eos cum Perseo junxisse. iis, quum culpam in Ismeniam principem alterius partis conferrent, [a] & quaedam civitates dissentientes in causam deductas; appariturum id esse, Marcius respondit: singulis enim civi-

INTERPRETATIO.

[a] *Et urbes aliquas* Bœotiæ, quamvis *dissentirent*, coactas tamen in partes Persei transire.

NOTÆ.

2. *Velut præmium belli se victoribus Achæis tradi.*] Hæc ab Achæis dicebantur, ut discrimen notarent inter veteres Romanorum socios, & Messenios atque Elienses, qui eorundem Romanorum hostes anteà fuerant.

1. *Ad Gitanas.*] *Gitana*, seu potiùs *Gineta* oppidum fuit Chaoniæ in Epiro, inter Oricum & Panormum.

2. *Liberatis ab se Macedonibus.*] Ipsis nimirum Orestis, ac vicinis Occidentalis Macedoniæ populis.

Liv. cond. an. 582. Conf. P. Lizano, & C. Caſſio.

tatibus de ſeipſis conſulendi poteſtatem facturos. Theſſalorum Lariſſæ fuit concilium. ibi & Theſſalis benigna materia gratias agendi Romanis pro libertatis munere fuit; & legatis, quod & Philippi priùs & poſt Antiochi bello enixè adjuti à gente Theſſalorum eſſent. Hac mutuâ commemoratione meritorum, accenſi animi multitudinis ad omnia decernenda, quæ Romani vellent. Secundùm hoc concilium legati à Perſeo rege venerunt, privati maximè hoſpitii fiduciâ, quod ei paternum cum Marcio erat. Ab hujus neceſſitudinis commemoratione orſi, petierunt legati, in colloquium veniendi regi poteſtatem faceret. Marcius, *Et ſe ita à patre ſuo acceptiſſe dixit: amicitiam hoſpitiumque cum Philippo fuiſſe. minime immemorem neceſſitudinis ejus, legationem eam ſuſcepiſſe. Colloquium, ſi ſatis commode valeret, non fuiſſe dilaturum: nunc ubi primum poſſet, ad Peneum flumen, qua tranſitus 3 ab Omolio Dium eſſet, præmiſſis qui nunciarent regi, venturos.*

XXXIX. Et tum quidem ab Dio Perſeus in interiora regni recepit ſe; levi auræ ſpei objectâ, quòd Marcius ipſius causâ ſuſcepiſſe ſe legationem dixiſſet. Poſt dies paucos ad conſtitutum locum venerunt. Magnus comitatus fuit regius, quum amicorum, tùm ſatellitum turbâ ſtipante. non minore agmine legati venerunt, & ab Lariſſâ multis proſequentibus, & legationibus civitatum, quæ convenerant Lariſſam & renuntiare domum certa, quæ audiſſent, volebant. Inerat cura inſita mortalibus videndi congredientes nobilem regem, & populi principis terrarum omnium legatos. Poſtquam in conſpectu ſteterunt dirimente amne, pauliſper internunciando cunctatio fuit, uti tranſgrederentur. aliquid illi regiæ majeſtati, aliquid hi populi Romani nomini, quum præſertim Perſeus petiſſet colloquium, exiſtimabant deberi. Joco etiam Marcius cunctantes movit. 1 *Minor*, inquit, *ad majorem, &c.* (2 quòd Philippo ipſi cognomen erat) *Filius ad patrem tranſeat*. Facilè perſuaſum id regi eſt. Aliud deinde ambigebatur, cum quam multis tranſiret. Rex, cum omni comitatu tranſire æquum cenſebat: legati, vel cum tribus venire jubebant, vel ſi tantum agmen traduceret, 3 obſides daret, nihil fraudis fore in colloquio. Hippian & Pantaucum, quos & legatos miſerat, prin-

NOTÆ.

3. *Ab Omolio Dium.*] *Omolus* Stephano dicitur, *Homole* Virgilio, mons Theſſaliæ altiſſimus, Pauſaniâ teſte Centaurorum ſedes, Pelii pars, Thebis Phthiotidis imminens, atque Othry vicinus: hinc *Homolium* ſeu *Omolium* oppidum Magneſiæ apud Plin. & alios: Moletto eſt hodie *Lamaun*, quod alii nomen *Lamiæ* tribuunt.

1. *Minor inquit ad majorem.*] Ætate ſcilicet.

2. *Quod Philippo ipſi cognomen erat.*] Ipſi Q. Marcio inditum videtur Philippi nomen, ex amicitia & hoſpitio patris cum Philippo Macedoniæ rege, Perſei patre: atque eo nomine patrem ſe Perſei Marcius per jocum dixit.

3. *Obſides daret.*] Meliùs, *obſides daro*, ut monet Gronov. Nec tamen eſt quod quis arguat verbum, *daret*, poſt verbum *jubebat*: eſt enim idem ac *jubebat ut daret*.

cipes amicorum obſides dedit. nec tam in pignus fidei obſides deſiderati erant, quàm ut appareret ſociis, nequaquam ex dignitate pari congredi regem cum legatis. Salutatio non tam juxta hoſtium, ſed hoſpitalis ac benigna fuit. poſtilque ſedibus conſederunt. Urb. cond. an. 582. Coſſ. P. Licinio, & C. Caſſio.

XL. Quum paulliſper ſilentium fuiſſet: *expectari nos*, inquit Marcius, *arbitror, ut reſpondeamus literis tuis quas Corcyram miſiſti, in quibus quæris, quid ita legati cum militibus venerimus, & præſidia in ſingulas urbes dimittamus? Ad hanc interrogationem tuam, & non reſpondere vereor, ne ſuperbum ſit; & vera reſpondere, ne nimis acerbum audienti tibi videatur. Sed quum aut verbis caſtigandus aut armis ſit, qui fœdus rumpit; ſicut bellum adverſus te alii quàm mihi mandatum malim, ita orationis acerbitatem adverſus hoſpitem, utcumque eſt, ſubibo: ſicut medici, quum ſalutis cauſa tristia remedia adhibent. Ex quo regnum adeptus es, unam rem te quæ facienda fuerit ſenatus feciſſe cenſet: quod legatos Romam ad renovandum fœdus miſeris, quod tamen ipſum tibi fuiſſe non renovandum judicat potius, quàm quum renovatum eſſet violandum. Abrupolim ſocium atque amicum populi Romani regno expulſti. Arcetari interfectores, ut cæde (ne quid ultrà dicam) lætatum appareret, recepiſti: qui omnium Illyriorum fidiſſimum Romano nomini regulum occiderant. Per Theſſaliam[2] & Malienſem agrum cum exercitu 3 contra fœdus Delphos iſti. Byzantiis item contra fœdus miſiſti auxilia. Cum Bœotis ſociis noſtris ſecretam tibi ipſi ſocietatem, quam non licebat, jurejurando pepigiſti. Thebanos legatos, Everſam & Callicritum, venientes à nobis, quærere malo quis interfecerit, quàm aguere. In Ætolia bellum inteſtinum, & cædes principum, per quos niſi per tuos facta videri poſſunt? Dolopes à te ipſo evaſtati ſunt. Emmenes rex ab Roma quum in regnum rediret, 4 prope ut victima Delphis in ſacrato loco ante aras mactatus, quem inſimulet, piget referre. 5 Quæ hoſpes Brundiſinus occulta facinora indicet, certum habeo, & ſcripta tibi omnia ab Roma eſſe, & legatos tuos renunciaſſe. Hæc ne dicerentur à me, uno modo vitare potuiſti, non quærendo, quam ob cauſam exercitus in Macedoniam trajicerentur, aut præſidia in ſociorum urbes mitteremus.*

NOTÆ.

1. *Ad renovandum.*] Quæ deſunt hoc loco, ita ſupplet ad perficiendam ſententiam Sigon. *Quod legatos Romam ad renovandum fœdus miſeris: quod ipſum tamen tibi non fuiſſe renovandum judicat potiùs quàm cum renovatum eſſet violandum.*

2. *Et Malienſem agrum.*] A *Malea* Phthiotidis in Theſſalia latiùs ſumpta oppido, ubi & Maliacus ſinus. Hæc nomine videtur Livius Theſſaliotidem ferè ſemper ſignificare.

3. *Contra fœdus Delphos iſti.*] Fœdere quidem inter leges pacis Philippo Perſei patri datæ à Romanis continebatur ne bellum extra Macedoniæ fines injuſſu Senatûs gereret; ſed extra Macedoniam ire non apertè vetabatur. Verùm quòd cum exercitu Delphos iviſſet, id quaſi belli movendi cauſâ factum interpretabantur, arguebantque Romani.

4. *Prope ut victima, &c. mactatus.*] Supra cap. 15.

5. *Quæ hoſpes Brundiſinus.*] L. Rammius, de quo ſupra cap. 17. à Polybio apud Veſtinum *Hirennius* vocatur.

Urb. cond. an. 582. Coss. P. Licinio, & C. Cassio.

Quærenti tibi, superbiùs tacuissemus, quàm vera respondimus. Equidem pro paterno nostro hospitio 6 *faveo orationi tuæ, & opto ut aliquam mihi materiam præbeas agendæ tuæ apud senatum causæ.*

XLI. Ad ea rex: *Bonam causam, si apud judices æquos ageretur, apud eosdem & accusatores & judices agam. Eorum autem, quæ objecta sunt mihi, partim ea sunt quibus nescio an gloriari debeam, partim quæ fateri non erubescam, partim quæ verbo objecta,* a *verbo negare sit. Quid enim, si legibus vestris hodie reus sim, aut index Brundisinus, aut Eumenes mihi objiciat, ut accusare potius vere quàm conviciari videantur? Scilicet nec Eumenes, quum tam multis gravis publice ac privatim sit, alium quàm me inimicum habuit: neque ego potiorem quemquam ad ministeria facinorum, quàm Rammium (quem neque unquam antè videram, nec eram posteà visurus) invenire potui. Et Thebanorum, quos naufragio periisse constat, & Artetaricadis mihi reddenda ratio est. in qua tamen nihil ultrà objicitur, quàm interfectores ejus in regno exulasse meo. Cujus conditionis iniquitatem ita non sum recusaturus, si vos quoque accipitis, ut quicunque exules in Italiam aut Romam se contulerunt, his facinorum, propter quæ damnati sunt, auctores vos fuisse fateamini. Si hoc & vos recusabitis, & omnes aliæ gentes, ego quoque inter cæteros ero. Et hercule quid attinet cuiquam exilium patere, si nusquam exuli futurus locus est? Ego tamen istos, ut primum in Macedonia esse admonitus à vobis comperi, requisitos abire ex regno jussi, & in perpetuum interdixi finibus meis. Et hæc quidem mihi tanquam causam dicenti reo objecta sunt: illa, tanquam regi, & quæ de fœdere quod mihi est vobiscum, disceptationem habeant. Nam si est in fœdere ita scriptum, ut ne, si bellum quidem quis inferat, tueri me regnumque meum liceat, mihi fatendum est, quod me armis adversus Abrupolim socium populi Romani defenderim, fœdus violatum esse. Sin autem hoc & ex fœdere licuit, & jure gentium ita comparatum est, ut arma armis propulsentur; quid tandem me facere decuit, quum Abrupolis fines mei regni usque ad Amphipolim pervastasset, multa libera capita, magnam vim mancipiorum, multa millia pecorum abegisset? Quiescerem & paterer, donec Pellam & in regiam meam armatus pervenisset? Atenim bello quidem justo sum persecutus; sed vinci non oportuit eum, neque ea quæ victis accidunt, pati: quorum casum quum ego subierim, qui sum armis lacessitus, qui potest queri sibi accidisse, qui causa belli fuit? Non sum eodem modo defensurus, Romani, quod Dolopas armis coercuerim. quia, etsi non merito eorum, jure feci meo: quum mei regni, meæ ditionis essent, vestro decreto patri attributi meo.*

INTERPRETATIO.

a *Negare verbo licuit,*

NOTÆ:

6. *Faveo orationi tuæ.*] Sigon. legit, tera o ex voce *faveo* repetita sit; *favco orationi tuæ*; id est, *causæ*, quasi li-

Urb. cond. an. 582. Coss. P. Licinio, & C. Cassio.

Nec, si causa reddenda sit, non vobis, nec fœderatis, sed iis qui ne in servos quidem sæva atque injusta imperia probant, plus æquo & bono sævisse in eos videri posſum. quippe Euphranorem præfectum à me impoſitum ita occiderunt, ut mors pœnarum ejus levissima fuerit.

XLII. Æ quum proceſſiſsem inde ad viſendas Lariſsam, [1] & Antronam, & Pylleon, quo in propinquo multo ante debita vota perſolverem, Delphos ſacrificandi cauſa aſcendi. Et hic criminis augendi cauſa cum exercitu me fuiſse adjicitur. ſcilicet, ut, quod nunc vos facere queror, urbes occuparem, arcibus imponerem præſidia. Vocate in concilium Græciæ civitates, per quas iter feci: queratur unuſquiſque militis mei injuriam; non recuſabo quin ſimulato ſacrificio aliud petiſse videar. Ætolis & Byzantiis præſidia miſimus, & cum Bœotis amicitiam fecimus. Hæc qualiacunque ſunt, per legatos meos non ſolùm indicata ſed etiam excuſata ſunt ſæpe in ſenatu veſtro: ubi aliquos ego diſceptatores, non tam æquos quàm te, Q. Marci, paternum amicum & hoſpitem, habebam. Sed nondum Romam accuſator Eumenes venerat, qui calumniando omnia detorquendoque ſuſpecta & inviſa efficeret; & perſuadere vobis conaretur, non poſſe Græciam in libertate eſſe, & veſtro munere frui, quoad regnum Macedoniæ incolume eſſet. Circumagetur hic orbis: erit mox qui arguat, nequidquam Antiochum ultra juga Tauri remotum: graviorem multo Aſiæ, quàm Antiochus fuerit, Eumenem eſſe: nec conquieſcere ſocios veſtros poſſe, quoad regia Pergami ſit: eam arcem ſupra capita finitimarum civitatum impoſitam. Ego hæc, Q. Marci & A. Atili, quæ aut à vobis objecta, aut purgata à me ſunt, talia eſſe ſcio, ut aures, ut animi audientium ſint: nec tam referre, quid ego aut qua mente fecerim, quàm quomodo id vos factum accipiatis. Conſcius mihi ſum, nihil me ſcientem deliquiſſe: & ſi quid fecerim imprudentiâ lapſus, corrigi me & emendari caſtigatione hac poſſe. Nihil certe inſanabile, nec quod bello & armis perſequendum eſſe cenſeatis, commiſi: aut fruſtra clementiæ gravitatiſque veſtræ fama vulgata per gentes eſt, ſi talibus de cauſis, quæ vix querela & expoſtulatione dignæ ſunt, arma capitis, & regibus ſociis bella infertis.

XLIII. Hæc dicenti tum aſsenſus Marcius, auctor fuit mittendi Romam legati, quum experienda omnia ad ultimum, nec prætermittendam ſpem ullam cenſuiſset. Reliqua conſultatio erat, quonam modo tutum iter legatis eſſet. ad id quum neceſsaria petitio induciarum videretur, cupereturque Marcius, neque aliud colloquio petiſset; gravatè & in magnam gratiam petentis conceſſit. nihil enim ſatis paratum ad bellum in præſentia habebant Romani, non exercitum, non

NOTÆ.

1. *Et Antronam & Pylleon.*] Theſſaliæ oppida ſunt, legendumque *Antronam* & *Ptelleon* probat Turneb. vel ex Homeri catalogo. Hoc oppidum in confinio Phthiotidis & Bœotiæ ad Spercheium fluvium, nunc *Fitleo*: quanquam *Pyleam* memorat Herodotus oppidum Thrachiniæ ad Oetam montem, eodem ſcilicet tractu, unde & *Pylaicus* conventus juxta Thermopylas.

Urb. cond. an. 582. Coss. P. Licinio, & C. Cassio.

ducem: quum Perseus (ni spes vana pacis oceæcasset consilia) omnia præparata atque instructa haberet: & suo maximè tempore atque alieno hostibus incipere bellum posset. Ab hoc colloquio, fide induciarum interpositâ, legati Romani [1] in Bœotiam [o] comparati sunt. Ibi jam motus cœperat esse, discedentibus à societate communis concilii Bœotorum [2] quibusdam populis; ex quo renunciatum erat, respondisse legatos, apparaturum, quibus populis propriè societatem cum rege jungi displicuisset. Primi à Chæronea legati, deinde à Thebis, in ipso itinere occurrerunt; affirmantes non interfuisse se, quo societâs ea decreta esset, concilio, [2] queis legati nullo in præsentia responso dato, Chalcidem se sequi jusserunt. Thebis magna contentio orta erat [b] ex alio certamine. [c] Comitiis prætoriis Bœotorum victa pars injuriam persequens, coactâ multitudine decretum fecit Thebis, ne Bœotarchæ urbibus reciperentur. Exules Thespias universi concesserunt: inde (recepti enim sine cunctatione erant) Thebas jam mutatis animis revocati decretum faciunt, ut duodecim, qui privati cœtum & concilium habuissent, exilio mulctarentur. Novus deinde prætor, (Ismenias is erat, vir nobilis ac potens) capitalis pœnæ absentes eos decreto damnat. Chalcidem fugerant: inde ad Romanos Larissam profecti, causam cum Perseo societatis in Ismeniam conteulerant. Ex contentione ortum certamen: utriusque tamen partis legati ad Romanos venerunt, & exules accusatoresque Ismeniæ, & Ismenias ipse.

XLIV. Chalcidem ut ventum est, aliarum civitatum principes, id quod maximè gratum erat Romanis, suo quique proprio decreto Persei societatem aspernati, Romanis se adjungebant: Ismenias gentem Bœotorum in fidem Romanorum permitti æquum censebat. inde certamine orto,

INTERPRETATIO.

a *Quibus Bœotiæ urbibus sive civitatibus.*

b *Alia ex causa discordiæ quam fœdere inito cum Perseo contra Romanos.*

c *In comitiis quibus creati fuerant Bœotiæ prætores; cum divisi fuissent Bœoti in partes, ea pars cujus suffragia non prævaluerant, quasi injuriam accepisset, ultionis avida novis comitiis plebe convocatâ habitis in urbe Thebana decerni curavit, ne qui Bœotia prætores dicti fuerant in urbibus regionis pro Magistratibus acciperentur.*

NOTÆ.

1. *In Bœotiam comparati sunt.*] Vult Sigon. ita hic dici, *comparare legatos*, ut *comparare consules & censores*: quod stare posset, si ex pluribus legatis selecti aliqui essent, qui in Bœotiam irent reliquis alio ituris: sed iidem, qui apud Persea fuerant, & de quibus hic agitur, Marcius, nempe & Atilius, in Bœotiam ambo transierunt, ut ex cap. seq. constat. Idcirco posse perinde legi, *profecti, delati*. Quid si *in Bœotiam comparati sunt*? Gronov. mallet, *in Bœotiam conversi sunt*.

2. *Queis legati.*] Si referas ad verbum *jusserunt*, quod sequitur, rectius fuerit quod monet Gronov. relativum *quo*, in accusandi casu: sed rectè poterit referri dativus *queis* ad participium *dato*.

nisi in tribunal legatorum perfugisset, haud multùm abfuit quin ab exulibus fautoribusque eorum interficeretur. Thebæ quoque ipsæ, quod Bœotiæ caput est, in magno tumultu erant; aliis ad regem trahentibus civitatem, aliis ad Romanos: & turba Coronæorum [1] Haliartiorumque convenerat ad defendendum decretum regiæ societatis. sed constantia principum, docentium, cladibus Philippi Antiochique, quanta esset vis & fortuna imperii Romani, victa eadem multitudo, &, ut tolleretur regia societas, decrevit, & eos, qui auctores pacis cendæ amicitiæ fuerant, ad satisfaciendum legatis Chalcidem misit, fideique legatorum commendari civitatem jussit. Thebanos Marcius & Atilius læti audierunt; [2] auctoresque & hi separatim singulis fuerunt ad renovandam amicitiam mittendi Romam legatos. Ante omnia exules restitui jusserunt: & auctores regiæ societatis decreto suo damnarunt. Ita, quod maximè volebant, discusso Bœotico concilio, Peloponnesum proficiscuntur. Ser. Cornelio Chalcidem accersito, Argis præbitum est iis concilium: ubi nihil aliud à gente Achæorum petierunt, quàm ut mille milites darent. id præsidium ad Chalcidem tuendam, dum Romanus exercitus in Græciam trajiceretur, missum est. Marcius & Atilius, peractis, quæ agenda in Græcia erant, principio hiemis Romam redierunt.

Urb. cond. an. 582. Cos. P. Licinio, & C. Cassio.

XLV. Inde legatio sub idem tempus in Asiam circum insulas missa. tres erant legati, Ti. Claudius, P. Postumius, M. Junius. ii circumeuntes, hortabantur socios ad suscipiendum adversus Persea pro Romanis bellum. & quò quæque opulentior civitas erat, eò accuratiùs agebant: quia minores secuturæ majorum auctoritatem erant. Rhodii maximi ad omnia momenti habebantur: quia non favere tantùm, sed adjuvare etiam viribus suis bellum poterant; quadraginta navibus [1] auctore Hegesilocho comparatis. qui quum in summo magistratu esset (2 Prytanin ipsi vocant) multis rationibus pervicerat Rhodios, ut omissa, quam

NOTÆ.

1. *Haliartiorumque.*] Sic dicti ab *Haliarto* antiqua Bœotiæ civitate, ad Copaidem lacum, juxta Permessum amnem, ad meridiem Coronex.

2. *Auctoresque & his separatim singulis.*] Vix dubia videtur Gronovii sententia scribentis: *& his* (Thebanis) *& separatim singulis* (Bœotiæ civitatibus) *is* enim erat animus Romanorum ut populos dissociarent, ne quidquam communi consilio agerent, sed singuli seorsim fœdus facerent cum populo Romano.

1. *Auctore Hegesilocho.*] Apud nostrum vulgò legebatur, *auctore Hegesilo*: Polybio, *Gesilochus* rectè, ni fallor. Utrumque ex utroque corrigendum suspicatur Fulv. Ursinus, ut sit utrobique *Hegesilochus*.

2. *Prytana ipsi vocant.*] Hoc Magistratûs nomen ab Athenienſibus usurpatum, quo significabantur quinquaginta administratores seu moderatores, qui decimam partem concilii publici & Curiæ quingentorum conficiebant, in orbem imperantes, mutatis in singulos mensibus vicibus: sed per eminentiam πρύτανις propriè dicebatur princeps & præfectus τῶν πρύτανων, quem ἐπιστάτην vocabant, quod ejus nomine Fasti inscribebantur, quemadmodum nominibus consulum apud Romanos. Iidem judicia exercebant, ut Romæ prætores. Origo nominis à voce πρῶτος, quæ triti-

Urb. cond. an. 582. Coss. P. Licinio, & C. Cassio.

sæpè vanam experti essent, regum fovendorum spe, Romanam societatem (unam tum in terris vel viribus, vel fide stabilem) retinerent. *Bellum imminere cum Perseo: desideraturos Romanos eundem navalem apparatum, quem nuper Antiochi, quem Philippi antè bello vidissent. trepidaturos tum repente paranda classe, quum mittenda esset, nisi reficere naves, nisi instruere navalibus sociis cœpissent. Ideo magis enixè faciendum esse, ut crimina delata ab Eumene, fide rerum refellerent.* His incitati, quadraginta navium classem instructam ornatamque, legatis Romanis advenientibus, [a] ut non expectatam adhortationem esse appareret, ostenderunt. Et hæc legatio magnum ad conciliandos animos civitatum Asiæ momentum fuit. Decimius unus sine ullo effectu (captarum etiam pecuniarum [3] ab regibus Illyriorum suspicione infamis) Romam rediit.

XLVI. Perseus, quum à colloquio Romanorum in Macedoniam recepisset sese, legatos Romam de inchoatis cum Marcio conditionibus pacis misit: & Byzantium & Rhodum literas legatis ferendas dedit. In literis eadem sententia ad omnes erat: collocutum se cum Romanorum legatis, quæ audisset quæque dixisset, [a] ita disposita, ut superior fuisse in disceptatione videri posset. Apud Rhodios legati addiderunt, *Confidere pacem futuram: auctoribus enim Marcio atque Atilio, missos Romam legatos. Si pergerent Romani contra fœdus movere bellum; tum omni gratia, omni ope, enitendum fore Rhodiis, ut reconcilient pacem. Si nihil deprecando proficiant: id agendum ne omnium rerum jus ac potestas ad unum populum perveniat. quum cæterorum id interesse, tum præcipuè Rhodiorum, qui plus inter alias civitates dignitate atque opibus excellant:* [1] *quæ serva atque obnoxia fore, si nullus alio sit quàm ad Romanos respectus.* Magis & literæ & verba legatorum benignè sunt audita, quàm momentum ad mutandos animos

INTERPRETATIO.

[a] *Quòd manifestum esset Rhodios ante sus Perseum ferendam: invitationem legatorum Romanorum, sponte suâ paratos fuisse ad opem adver-*

[a] *Sic in literas congesta & ordinata.*

NOTÆ.

cum significat; quòd inter horum Magistratuum munia annonæ imprimis cura eis incumberet. Athenienſium imitatione Rhodii quoque ab eis orti hac voce utebantur.

3. *Ab regibus Illyriorum.*] Plures in Illyrico reges erant, regnaque diversa, eòque minoris potentiæ: sed præ cæteris eminebat Gentius Plevrati filius, ut scribit noster lib. 44. cap. 30. Plevratus Scerdilædi filius dicitur lib. 31. cap. 28. quanquam Scerdilaedus Thracum rex nominatur lib. 26. cap. 24. Legitur & Gentii filius Scerdilædus alius, 34. 42. Verùm plures non solùm ejusdem, sed & diversarum gentium reges eodem nomine appellari nihil vetat. Et Gentii sedes Medeon urbs Labeatium gentis memoratur lib. 44. cap. 32. Vrbs tamen regni primaria fuisse videtur *Scodra*: Regio *Pravalis* postea dicta.

1. *Quæ serva atque obnoxia fore.*] Gallicè, *que la puissance que les Rhodiens ont avec avantage sur les autres villes, seroit assujettie, & dans une absolue dependance, si l'on ne pouvoit*

animos habuerunt: potentior esse partis melioris auctoritas cœperat. Responsum ex decreto est, *Optare pacem Rhodios, si bellum esset, ne quid ab Rhodiis speraret aut peteret rex, quod veterem amicitiam, multis magnisque meritis pace belloque partam, disjungeret sibi ab Romanis.* Ab Rhodo rodeuntes, Bœotiæ quoque civitates, & Thebas, & Coronæam, & Aliartum, adierunt: quibus expresum invitis existimabatur, ut relicta regiâ societate Romanis adjungerentur. Thebani nihil moti sunt, quanquam nonnihil, & damnatis principibus & restitutis exulibus, succensebant Romanis. Coronæi & Aliartii favore quodam insito in reges, legatos in Macedoniam miserunt: præsidium petentes, quo se adversus impotentem superbiam Thebanorum tueri possint. Cui legationi responsum ab rege est, *præsidium se propter inducias cum Romanis factas mittere non posse: tamen suadere, ita Thebanorum injuriis qua possent ut se vindicarent, ne Romanis præberent causam in se sæviendi.* Urb. cond. an. 582. Coss. P. Lirinio, & C. Cassio.

XLVII. Marcius & Atilius Romam quum venissent, [a] legationem in Capitolio ita renuntiarunt, *Ut nulla re magis gloriarentur, quàm decepto per inducias & spem pacis rege. Adeo enim apparatibus belli fuisse instructum, ipsis nulla parata re, ut omnia opportuna loca præoccupari ante ab eo potuerint, quàm exercitus in Græciam trajiceretur. Spatio autem inducarum sumpto, venturum illum nihilo paratiorem; Romanos omnibus instructiores rebus cœpturos bellum. Bœotorum quoque se concilium arte distraxisse, ne conjungi amplius ullo consensu Macedonibus posset.* Hæc, ut summâ ratione acta, magna pars senatus approbabat: veteres, & moris antiqui memores *negabant se in ea legatione Romanas agnoscere artes. Non per insidias & nocturna prœlia, nec simulatam fugam, improvisosque ad incautum hostem reditus; nec ut aut magis quàm vera virtute gloriarentur, bella majores gessisse. indicere prius quàm gerere solitos bella, denunciare etiam; interdum locum finire in quo dimicaturi essent. Eadem fide [1] indicatum Pyrrho regi medicum, vitæ ejus insidiantem: eadem Falisci vinctum traditum [2] proditorem liberorum [3] regis. Hæc Romana esse, non versutiarum Punicarum, neque callidi atis Græcæ: apud quos fallere hostem quàm vi superare gloriosius fuerit. Interdum in præsens tempus pius*

INTERPRETATIO.

[a] *Retulerunt* senatui qui ipsis datus est *in Capitolio, qua gesta erant in sua legatione.*

NOTÆ.

avoir recours ailleurs qu'aux Romains.

2. *Disjungeret sibi.*] *Sibi* (Rhodiis) *auferret* atque *avelleret* amicitiam Romanorum; an *sibi* & in gratiam sui (Perses) veterem amicitiam Rhodiorum à Romanis sejungeret ac separaret?

1. *Indicatum Pyrrho medicum.*] Vide Liv. Epit. *lib.* 13. Flor. *lib.* 1. *cap.* 18. Cic. *lib.* 3. *de Offic.* Valer. Max. *lib.* 6. *cap.* 5 Aul. Gell. *lib.* 3. *cap.* 8. Plut. in Apophtegm. & Front. *lib.* 4. *cap.* 4. *Stratagem.*

3. *Proditorem liberorum Regis.*] Lib. 8.

Urb. cond. an. 582. Coss. P. Licinio, & C. Cassio.

profici dolo, quàm virtute: sed ejus demum animum in perpetuum vinci, cui confessio expressa sit, se neque arte, neque casu, sed collatis cominus viribus justo ac pio bello esse superatum. Hæc seniores, quibus nova hæc minùs placebat sapientia. vicit tamen ea pars senatus, cui potior utilis quàm honesti cura erat, ut comprobaretur prior legatio Marcii: & eodem rursus in Græciam cum quinqueremibus remitteretur, jubereturque cætera, uti è republica maximè visum esset, agere. A. quoque Atilium miserunt ad occupandam Larissam in Thessalia: timentes, ne, si induciarum dies exisset, Perseus præsidio misso, caput Thessaliæ in potestate haberet. duo millia peditum Atilius ab Cn. Sicinio accipere ad eam rem agendam jussus. & P. Lentulo, qui ex Achaja redierat, treceni milites Italici generis dati, ut Thebis daret operam, ut in potestate Bœotia esset.

XLVIII. His præparatis, quanquam ad bellum consilia erant destinata, senatum tamen præberi legatis placuit. Eadem ferè, quæ in colloquio ab rege dicta erant, relata ab legatis. Insidiarum Eumeni factarum crimen, & maxima cura, & minimè tamen probabiliter (manifesta enim res erat) defensum. Cætera deprecatio erat: sed non eis animis audiebantur, qui aut doceri aut flecti possent. Denunciatum, [1] extemplo mœnibus urbis Romæ, Italia intra trigesimum diem excederent. P. Licinio deinde consuli, cui Macedonia provincia obvenerat, denunciatum, ut exercitui diem primam quamque diceret ad conveniendum. C. Lucretius prætor, cui classis provincia erat, cum quadraginta quinqueremibus ab urbe profectus: nam ex refectis navibus alias in alium usum retineri ad urbem placuit. Præmissus à prætore est frater Lucretius cum quinquereme una: jussusque ab sociis ex fœdere acceptis navibus ad Cephaleniam classi occurrere. ab Rheginis triremi una, ab Locris duabus, [2] ab *Uritibus* quatuor, præter oram Italiæ supervectus Calabriæ extremum promonto-

NOTÆ.

cap.27. ubi ea res memoratur, nulla liberorum regis mentio fit: sed & Valer Max. loco citato, Plut. *in Camillo*, Flor. *lib.* 1. *cap.*22. & Auctor de Viris illustribus nobilissimos tantùm Falisconum pueros proditos dicunt, non regis.

1. *Extemplo mœnibus urbis Romæ*, &c.] Eadem omnibus Macedonibus, qui Romæ erant, edixit Consul: & natim poſt decretum tumultus ingens fuit, tot virorum, qui paucas intra horas simul abire coacti, nec jumenta adeo brevi ſpatio ſibi comparare poterant, quibus res ſuas avenerent: & feſtinantes alii quidem pervenire non poterant ad *mansiones* ſeu diverſoria, ſed in mediis viis hærebant; alii verò ad portas urbis cum pueris & uxoribus ſeſe projiciebant, ut Appian. teſtatur apud Fulv. Urſinum.

2. *Ab Uritibus.*] Turneb. *à Brutiis*. Cluver. *ab Thuriis*. Gron. *ab Uriatibus*; & *Uria* quidem Apuliæ oppidum fuit adjinum ſui nominis; ſed nec maritimis opibus clarum, & à Rheginis ac Locris, qui hic memorantur, longiùs diſſitum. Itaque quum de populis ſive oppidis, non de gente agatur, ſuſpicor legendum *ab Velsatibus*, potiùs quàm *à Brutiis*. Dicti autem *Velsates à Velia*, ſeu *Helia* Lucaniæ urbe ad Auſonium mare, quemadmodum & Rhegium,

rium In Jonio mari, Dyrrhachium trajicit. Ibi decem ipsorum Dyrrhachinorum, duodecim Issæorum, quinquaginta quatuor Gentii regis lembos nactus; simulans se credere eos, in usum Romanorum comparatos esse; omnibus abductis, die tertio Corcyram, inde protinus in Cephalleniam trajicit. C. Lucretius prætor ab Neapoli profectus, superato freto die quinto in Cephalleniam transmisit. Ibi stetit classis: simul opperiens, ut terrestres copiæ trajicerentur, simul ut onerariæ ex agmine suo per alcum dissipatæ consequerentur. Urb. cond. an. 582. Coss. P. Licinio, & C. Cassio.

XLIX. Per hos fortè dies P. Licinius consul, votis in Capitolio nuncupatis, paludatus ab urbe profectus est. Semper quidem ea res cum magna dignitate ac majestate geritur: præcipuè tamen convertit oculos animosque, quum ad magnum nobilemque, aut virtute, aut fortunâ hostem, euntem consulem prosequuntur. Contrahit enim non officii modò cura, sed etiam studium spectaculi, ut videant ducem suum; cujus imperio consilioque summam rem publicam tuendam permiserint. Subit deinde cogitatio animum; qui belli casus, quàm incertus fortunæ eventus, communisque Mars belli sit. *Adversa, secunda, quæque insolitia & temeritate ducum clades sæpe acciderint; quæ contrà bona prudentia & virtus attulerit. Quem scire mortalium, utrius mentis, utrius fortunæ consulem ad bellum mittant: triumphantemne mox cum exercitu victore scandentem Capitolium, ad eosdem Deos à quibus proficiscatur, visuri: an hostibus eam præbiturі lætitiam sint.* Persi autem regi, adversus quem ibatur, famam, & bello clara Macedonum gens, & Philippus pater, inter multa prosperè gesta, Romano etiam nobilitatus bello, præbebat: tum ipsius Persei nunquam, ex quo regnum accepisset, desitum belli expectatione celebrari nomen. eum his cogitationibus omnium ordinum homines proficiscentem consulem prosecuti sunt. Duo consulares tribuni militum cum eo missi, C. Claudius, Q. Mucius: & tres illustres juvenes, P. Lentulus, & duo Manlii Acidini. alter M. Manlii, alter L. Manlii filius erat. Cum iis consul Brundisium ad exercitum, atque inde cum omnibus copiis transvectus, ad Nymphæum in Apolloniati agro posuit castra.

L. Paucos ante dies Perseus, postquàm legati ab Roma regressi præciderant spem pacis, concilium habuit. Ibi aliquandiu diversis sententiis certatum est. Erant quibus vel stipendium pendendum; si injungeretur, vel agri parte cedendum, si multarent: quidquid denique aliud pacis causâ patiendum esset, non recusandum videretur: nec committendum, ut in aleam tanti casus le regnumque daret. Si possessio haud ambigua regni maneret, multa diem tempusque afferre posse, quibus non amissa modò recuperare, sed timendus ultro iis esse, quos nunc timeret, posset. Cæterùm multò major pars ferocioris sententiæ erat: *Quicquid cessisset, cum eo simul regno protinus cedendum esse* affirmabant. *Neque enim Romanos pecunia aut ære egere: sed hoc scire quum omnia humana, tum maxima quæque & regna & imperia sub casibus multis esse. Carthaginiensium*

Urb. cond. an. 582. Coss. P. Licinio, & C. Cassio.

opes fregisse sese, & cervicibus eorum præpotentem finitimum regem imposuisse: Antiochum progeniemque ejus ultra juga Tauri remotum. Unum esse Macedoniæ regnum, & regione propinquum, & quod, 1 sicubi populus Romanus sua fortuna labet, antiquos animos regibus suis videatur posse facere. 2 Dum integræ res sint, cogitare, apud animum suum Persea debere; utrum singula concedendo, nudatus ad extremum opibus extorrisque regno, Samothraciam aliamve quam insulam petere ab Romanis, ubi privatus superstes regno suo in contemptu atque inopia consenescat, malit: an armatus vindex fortunæ dignitatisque suæ, ita ut viro forti dignum sit, patiatur quodcunque casus belli tulerit: aut victor liberet orbem terrarum ab imperio Romano. Non esse admirabilius Romanos Græcia pelli, quam Annibalem Italia pulsum esse. neque hercule videre, qui conveniat 3 fratri affectanti per injuriam regnum, summa vi restitisse; alienigenis bene parto eo cedere. 4 Postremo ita bello & pace quæri, ut inter omnes conveniat, nec turpius quicquam esse, quàm sine certamine cessisse regno: nec præclarius quicquam, quàm pro dignitate ac majestate omnem fortunam expertum esse.

Li. Pellæ in vetere regia Macedonum hoc concilium erat. *Geramus ergo*, inquit, *Diis bene juvantibus, quando ita videtur, bellum:* literisque circa præfectos dimissis, 1 Citium (Macedoniæ oppidum est) copias omnes contrahit. ipse centum hostiis sacrificio regaliter Minervæ, 2 quam vocant Alcidem, confecto, cum purpuratorum & satellitum manu profectus Citium est. eo jam omnes Macedonum externorumque auxiliorum convenerant copiæ. Castra ante urbem ponit, omnesque armatos in campo struxit. Summa omnium 3 quadra-

N. O. T. Æ.

1 *Sicubi populus Romanus suâ fortunâ labet.*] Idem Gron. sic haud necessariò invertit, *& quod, sicubi populi Romani fortuna labet, sua fortuna antiquos animos regibus suis videatur posse facere.*

2. *Dum integra res* * *apud animum suum.*] Imperfectum hujus loci sensum ita explet Sigon. *dum integra res sint, agitare apud animum suum Persea debere.*

3. *Fratri affectanti per injuriam regnum.*] Demetrius indicatur, quem frater Perseus everterat: & hic Aulici Perseo adulantur.

4. *Postremo ita bello & pace quæri.*] Potius, inquit Gron. *ita bellum & pacem quæri.* Mihi neutra lectio idoneum sensum ostendit: puto non inelegantem scriptum fuisse ab auctore: *postremò ita bello & pacem quæri*, id est, bellum necessarium esse ad pacem tolerabilem obtinendam: & tentandam belli sortem, quando quidem omnium confessione finem bello regnum abdicare probrosum, ad regni majestatem tuendam omnem belli aleam subire præclarum habetur.

1. *Citium.*] In Amphaxitide fuit supra Thessalonicam inter Chidonum & Chabrium amnes.

2. *Quam vocant Alcidem.*] Scribendum Turneb. suspicatur, *Alcidemum*, quasi dicas, populi robur vel præsidium, quod Minervæ non minùs convenit quam ἀλκὴ Διὸς epitheton. Observat præterea Deos fuisse quosdam apud Lacedæmonios, qui Ἀλκεῖται vocabantur: sed an eo in numero fuerit Minerva non aperit. Quid si *Alcimum* Livius scripsit, id est, *fortem*: vel potius Minervam *Alcida* sive Herculis, à quo Macedonum reges originem ducebant.

3. *Quadraginta millia armata.*] Videtur posuisse Livius xliij. *millia*, cum paulò pòst scribat, *summa totius exercitus, xxxix. millia peditum erant, qua-*

Urb. cond. ann. 581. Coſſ. P. Licinio, & C. Caſſio.

ginta millia armata fuere: 4 quorum pars fermè dimidia phalangitæ erant. 5 Hippias Berœæus præerat. Delecta deinde & viribus & robore ætatis ex omni cetratorum numero duo erant agemata: hanc ipſi legionem vocabant. Præfectos habebant 6 Leonatum & Thraſippum Eulyſtas. Cæterorum cetratorum trium fermè millium hominum dux erat 7 Antiphilus Edeſſæus 8 Pæones, 9 & ex Paroræa & 10 Parſtrymonia (ſunt autem ea loca ſubjecta Thraciæ) 11 & Agriyanes, admixtis etiam Thracibus incolis, trium millium fermè & ipſi expleverunt numerum. Armaverat contraxeratque eos Didas Pæon, qui adoleſcentem Demetrium occiderat. Et armatorum duo millia Gallorum erant, præfecto Aſclepiodoro. 12 Ab Heraclea ex Sinticis tria millia Thracum liberorum ſuum ducem habebant. Cretenſium par pene numerus ſuos duces ſequebatur, Surum 13 Phalaſarnenſis & Syllum Gnoſſium. Et Leonides Lacedæmonius quingentis ex Græcia, mixto generi hominum præerat. Regii is generis ferebatur: exul damnatus frequenti concilio Achæorum, literis ad Perſea deprenſis. Æolorum, & Bœorum, qui non explebant plus quàm quingentorum omnes numerum, Lyco Achæus præfectus erat. Ex his mixtis tot populorum, tot gentium auxiliis, duodecim millia armatorum fermè efficiebantur. Equitum ex tota Macedonia contraxerat tria millia. Venerat eodem 14 Cotys Seuthæ filius, rex gentis Odryſarum, cum mil-

NOTÆ.

tuor equitum. At Plut. equitum quatuor millia numerat, peditum XL. millia in phalangem diſpoſita, vel non multò minus.

4. *Quorum pars fermè dimidia phalangitæ*.] Conſtat in phalange ſedecim peditum millia fuiſſe; quem numerum ſi quis duplare voluerit, fient duo & triginta millia, at pedites ſaltem xxxix. millium quantitatem æquabant in exercitu Perſei ex Livio. Fuerint ergo phalanges duæ cum dimidia.

5. *Hippias Berœæus*.] A *Beroa*, ſeu à *Berroea* Emathiæ urbe.

6. *Leonatum & Thraſippum Eulyſtas*.] Corrigit Turneb. *Elymiotas*, qui in Macedonia Illyrica, ex qua nulli Perſeo res eſſent *Heraclea* in Macedonia, hæc in duces elit. Geonov. ſuſpicatur *Lynceſtas*, qui populi media in Macedonia inter Axium & Erigonem fluvios. Scripſit forte auctor *Eurytios* ab *Eurytio*, ſive *Andariſto* Pelagoniæ urbe ad lævam Axii.

7. *Antiphilus Edeſſæus*.] Ab *Edeſſa*, ſive *Ægea* patria, quæ vetuſtiſſima fuerat Macedonum regia, in Emathiæ regionis finibus, ad Erigonum amnem: nunc *Vedena*.

8. *Pæones*.] Macedonici populi nomen ad Axii ſuperiora, inter Pelagoniam & Daſſaretios.

9. *Et Paroræa*.] Septentrionalis Macedoniæ montana regio, ut nomen indicat, Thraciæ confinis & procul à Paroræis ad Pindum, qui in Epiri & Macedoniæ occiduæ confinio.

10. *Parſtrymonia*.] Ad Strymonem amnem, pars videtur fuiſſe Edonidis, vel Odomantices.

11. *Et Agrianes*.] Ad fluvium cognominem in Thracia ſiti erant hi populi.

12. *Ab Heraclea ex Sinticis*.] Cùm plures eſſent *Heraclea* in Macedonia, hæc in *Sintica* regione fuit, ſubjecta Orbelo montis: quæ pars Macedoniæ maximè borealis.

13. *Phalaſarnenſis*.] A *Phalaſarna* oppido Cretæ, in ora inſulæ occidentali, & Polyrhenorum tractu, nunc *Canarini*.

14. *Cotys Seuthæ filius rex gentis Odryſarum*.] In Thracia: in qua *Seuthes* alius

Urb. cond. an. 582. Coſſ. P. Licinio, & C. Caſſio.

le delectis equitibus pari fermè peditum numero. Summa totius exercitus triginta novem millia peditum erant, quatuor equitum. Satis conſtabat, ſecundum eum exercitum, quem magnus Alexander in Aſiam trajecit, nunquam ullius Macedonum regis copias tantas fuiſſe.

Lll. 7 1 Sextus & viceſimus annus agebatur, ex quo perenti Philippo data pax erat: per id omne tempus quieta Macedonia, & progeniem ediderat, cujus magna pars matura militiæ eſſet, & levibus bellis Thracum accolarum, quæ exercerent magis, quàm fatigarent, ſub aſſidua tamen militia fuerat: & diu meditatum Philippo primo, deinde & Perſi Romanum bellum, omnia ut inſtructa paratæque eſſent, effecerat. Mora parumper acies 2 non juſto decurſu tamen, ne ſtetiſſe tantum in armis viderentur. armatoſque, ſicut erant ad concionem vocavit. Ipſe conſtitit in tribunali, circa ſe habens filios duos: 3 quorum major Philippus, natura frater, adoptione filius: minor, quem Alexandrum vocabant, naturalis erat. Cohortatus eſt milites ad bellum. injuriam populi Romani in patrem ſeque commemoravit: *Illum omnibus indignitatibus, compulſum ad rebellandum, inter apparatum belli fato oppreſſum, ad ſe ſimul legatos, ſimul milites ad occupandas Græciæ urbes miſſos. Fallaci deinde colloquio per ſpeciem reconciliandæ pacis extractam hiemem, 4 ut tempus ad comparandum haberent. Conſulem nunc venire 5 cum duabus legionibus Romanis, quæ * trecenos equites habeant, & pari ferme numero ſociorum peditum equitumque. Eo ut accedant regum auxilia Eumenis & Maſiniſſæ, non plus ſeptem millia peditum, duo equitum futura. Auditis hoſtium copiis, reſpicerent ſuum ipſi exercitum, quantum numero, quantum genere militum præſtarent tyronibus raptim ad id bellum conſcriptis, ipſi à pueris eruditi artibus militiæ, a tot ſubactis atque duratis bellis.*

INTERPRETATIO.

a *Tot bellis exercitati atque indurati.*

NOTÆ.

jam tempore Xenophontis regnaverat.

1. *Sextus & viceſimus annus.*] A conſulatu numerum C. Corneli & Q. Minucii, quo tempore pacem Philippus à Quintio impetraverat, ut conſtat ex *lib.* 33. *cap.* 12 & 13. Quanquam Quintius, qui de Philippo & Nabide triumphavit, è Græcia, nonniſi triennio poſt, receſſerit, *lib.* 34 *cap.* 48. & 52. quæ cauſa erroris Sigonio fuit, quemadmodum obſervat Perizon.

2. *Non juſto decurſu tamen, ne ſtetiſſe tantùm in armis viderentur.*] Placet Gronovio Mureti lectio ſic tranſponentis: *non juſto decurſu tamen: tantum ne ſtetiſſe viderentur.* Verùm non abſimilem ſententiam reddet ſcriptura vulgaris interje to commate, & ſubintellecta particula adverſativa, *ſed*: *non juſto decurſu tamen*: (ſed) *ne ſtetiſſe tantùm in armis viderentur.*

3. *Quorum major Philippus natura frater, adoptione filius.*] Oportet hanc Philippam à Philippo patre ex concubina genitum, adoptatum fuiſſe à Perſeo fratre ſuo.

4 *Ut tempus ad comparandum haberent.*] Romani.

5 *Cum duabus legionibus Romanis quæ* * *trecenos equites habeant.*] Pro, *trecenos*,

Urb. cond. an. 582. Coss. P. Licinio, & C. Cassio.

6 *Auxilia Romanis Lydos, & Phrygas, & Numidas esse: sibi Thracas, Gallosque, ferocissimas gentium. Arma illos habere ea, quæ sibi quisque paraverit pauper miles; Macedonas prompta ex regio apparatu, per tot annos patris sui cura & impensa facta. Commeatum illis quum procul, tum omnibus sub casibus maritimis fore: se & pecuniam & frumentum, præter reditus metallorum, in decem annos sepositisse. Omnia, quæ Deorum indulgentia, quæ regia cura præparanda fuerant, plena cumulataque habere Macedonas. animum habendum esse, quum habuerint majores eorum: qui Europa omni domita, transgressi in Asiam, 7 incognitum famæ aperuerint armis orbem terrarum: nec ante vincere desierint, 8 quam Rubro mari inclusis, quod vincerent, defuerit. At, hercule, nunc non de ultimis Indiæ oris, sed de ipsius Macedoniæ possessione certamen fortunam indixisse. Cum patre suo gerentes bellum Romanos, 9 speciosum Græciæ liberandæ tulisse titulum. nunc propalam Macedoniam in servitutem petere: ne rex vicinus imperio sit Romano, ne gens bello nobilis arma habeat. Hæc enim tradenda superbis dominis esse cum rege regnoque, si absistere bello & facere imperata velint.*

LIII. Quum per omnem orationem satis frequenti assensu succlamatum esset; tum verò ea vociferatio, simul indignantium minitantiumque, partim jubentium bonum animum habere regem, exorta est, ut finem dicendi faceret. tantùm jussis ad iter parari, (jam enim dici, movere castra ab Nymphæo Romanos) concione dimissa, ad audiendas legationes civitatum Macedoniæ se contulit. venerant autem ad pecunias, pro facultatibus quæque suis, & frumentum pollicendum ad bellum. Omnibus gratiæ actæ, remissum omnibus; satis regios apparatus ad ea dictum sufficere: vehicula tantùm imperata, ut tormenta, telorumque missilium ingentem vim præparatam, bellicumque aliud instrumentum veherent. Profectus inde, toto exercitu [1] Eordæam petens, ad Begorritem quem vocant lacum, positis castris,

NOTÆ.

recte Sigon. legit, *trecenos*: Gron. totum locum sic supplendo reformat: *consulem nunc venire cum duabus legionibus Romanis, quæ singula sena millia peditum & trecenos equites habeant; & parem fermè numerum sociorum peditum equitumque.*

6. *Auxilia Romanis Lydos & Numidas & Phrygas.*] Priores ab Eumene missos, Numidas à Massinissa.

7 *Incognitum fama.*] Sigon. *incognitum famæ.* Sed nihil refert quantum ad sensum, qui elegantiùs dici videtur: *ipsi fama incognitum.* Et revera Persicæ dictionis & Indiarum regiones incognitæ fuerant: antequàm ab Alexandro Magno [2] Perirentur.

8. *Quam Rubro mari inclusis.*] *Rubrum* mare plerique veterum dixere, Arabicum & Indicum: nec deerat Alexandro quod vinceret ultra Indum & Gangem; sed ejus victorias Persæus sive ex ignoratione, sive data opera exaggerat, quò Macedonibus suis addat animos.

9. *Speciosum Græcia liberanda tulisse titulum.*] Legit Gron. *pratulisse.*

1. *Eordæam petens.*] Urbs erat Mygdoniæ, quæ provincia fuit Macedoniæ septentrionalis, ad dexteram Axii fluminis. Huic urbi cum Eordæis Macedoniæ occiduæ populis nihil præter nomen commune.

Urb. cond. an. 582. Coss. P. Licinio, & C. Cassio.

postero die [2] in Elimeam 3 ad Haliacmona fluvium processit. Deinde saltu angusto superatis 4 montibus, quos Cambunios vocant, descendit ad (Tripolim vocant) Azorum, Pythium, & Dolichen incolentes. Hæc tria oppida paulisper cunctata, quia obsides Larissæis dederant; victa tamen præsenti metu, in deditionem concesserunt. Benignè his appellatis, haud dubius Perræbos quoque idem facturos, urbem, [5] nihil cunctatis qui incolebant, primo adventu recipit. Cyretias [6] oppugnare conatus, primo etiam die acri concursu ad portas armatorum est repulsus: postero die omnibus copiis adortus, in deditionem omnes ante noctem accepit.

LIV. [1] Mylæ proximum oppidum, ita munitum, ut inexuperabilis munimenti spes incolas ferociores faceret; non portas claudere regi satis habuerunt, sed [2] probris quoque in ipsum Macedonasque procacibus jaculati sunt. quæ res quum infestiorem hostem ad oppugnandum fecisset, ipsos desperatione veniæ ad tuendos sese acriùs accendit. Itaque per triduum ingentibus utrimque animis & oppugnatæ sunt, & defensæ. Multitudo Macedonum ad subeundum invicem prœlium haud difficulter succedebat: oppidanos diem, noctem, eosdem tuentes mœnia, non vulnera modò, sed etiam vigiliæ & continens labor conficiebat. quarto die quum & scalæ undique ad muros erigerentur, & porta vi majore oppugnaretur; oppidani depulsi muris ad portam tuendam concurrunt, eruptionemque repentinam in hostes faciunt. quæ quum iræ magis inconsultæ, quàm veræ fiduciæ virium esset, pauci & fessi ab integris pulsi terga dederunt, fugientesque per patentem portam hostes acceperunt. Ita capta urbs ac direpta est. libera quoque corpora, quæ cædibus superfuerunt, venudata. Diruto magna ex parte & incenso oppido, [3] progressus ad Phalannam castra movit: inde postera die Gyrtonem pervenit. Quò quum T. Minucium Rufum, & Hippiam, Thessalorum prætores, cum præsidio Macedoniæ latiùs sumptæ regione.

NOTÆ.

2. *In Elymeam.*] Emathiæ regionis Macedonicæ urbs fuit *Elymea*, ad lævam Erigoni fluvii, supra Edessam sive Ægeam: diversa ab ea quæ nomen dedit Elymiotis Macedoniæ Illyricæ, sive occidentalis populis

3. *Ad Haliacmona fluvium.*] Hic fluvius in Emathia ortus XXX. fermè passuum millibus ab Elymea meridiem versus; ad oram Pieriæ sese in Thermaicum sinum exonerat

4. *Montibus quos Cambunios vocant.*] *Cambunii montes* (quos videntur non nulli cum Candaviis confundere) Emathiam sive Macedoniam propriè dictam, & Deuriopes dividunt à Pelasgiotide Thessalica, & à Pelagonia Tripolitide

5. *Urbem, nihil cunctatis.*] Quænam fuit illa Perræborum urbs non explicat Liv. num *Mallea Pelasgiotarum*?

6. *Oppugnare coactus.*] Mss. codice Sigon. perspicuè legi testatur *conatus*.

1. *Mylæ proximum oppidum.*] In Pelasgiotide quoque fuit oppidum *Mylæ*, inter Pamisum & Peneum fluvios, interque urbes Phæstum & Atracem.

2. *Probris in ipsum jaculati sunt.*] Malim, *jocularia* aliqui legendum videtur: *probra quoque in ipsum jaculati sunt*.

3. *Progressus ad Phalannam.*] *Phalanna* Pelasgiotidis oppidum erat, & Peneo flumini ad septentrionem, Pierio monti ad Austrum.

dio

dio intrasse accepisset; ne tentatâ quidem oppugnatione prætergressus, Elatiam & Gonnum, perculsis inopinato adventu oppidanis, recepit. Utraque oppida [4] in faucibus sunt, quæ Tempe adeunt; magis Gonnus itaque & firmiore id præsidio tutum equitum peditumque, ad hoc, fossa triplici ac vallo munitum, reliquit. Ipse ad Sycurium progressus, opperiri ibi hostium adventum statuit: simul & frumentari passim exercitum jubet in subjecto hostium agro. namque [5] Sycurium est sub radicibus Ossæ montis, quà in meridiem vergit, subjectos habet Thessaliæ campos: ab tergo Macedoniam atque Magnesiam. ad has opportunitates accedit summa salubritas & copia pluribus circumjectis fontibus perennium aquarum. Urb. cond. an. 582. Coss. P. Licinio, & C. Cassio.

LV. Consul Romanus per eosdem dies Thessaliam cum exercitu petens, iter expeditum primò per Epirum habuit: deinde postquàm in Athamaniam est transgressus, [a] asperi ac propè invii soli, cum ingenti difficultate parvis itineribus ægrè Gomphos pervenit: cui si vexatis hominibus equisque tyronem exercitum ducenti acie instructa & loco suo & tempore obstitisset rex, ne Romani quidem abnuunt, magna sua cum clade fuisse pugnaturos. Postquàm Gomphos sine certamine ventum est, præter gaudium periculosi saltûs superati, contemptus quoque hostium, adeo ignorantium opportunitates suas, accessit. Sacrificio ritè perfecto consul, & frumento dato militibus, paucos ad requiem jumentorum hominumque moratus dies; quum audiret vagari Macedonas effusos per Thessaliam, vastarique sociorum agros; satis jam refectum militem ad Larissam ducit. Inde quum tria millia fermè abesset [1] à Tripoli (Sceam vocant) super Peneum amnem posuit castra. Per idem tempus Eumenes ad Chalcidem navibus accessit cum Attalo atque Athenæo fratribus; Philetærò fratre relicto Pergami ad tutelam regni. inde cum Attalo & quatuor millibus peditum, mille equitum ad consulem venit. Chalcide relicta duo millia peditum, quibus Athenæus præpositus. Et alia eodem auxilia Romanis ex omnibus undique Græciæ populis convenerunt, quorum pleraque (adeo parva erant) in oblivionem adducta. Apolloniatæ trecentos equites, centum pedites miserunt. Ætolorum alæ

INTERPRETATIO.

[a] *Qua regio habet solum montosum, & pene inaccessum.*

NOTÆ.

4. *In faucibus qua Tempe adeunt.*] Melius haud dubiè videtur Gronovio, *quà Tempe adeuntur.*

5. *Sycurium.*] Non procul Gonno fuisse patet ex descriptione quam mutuatus est à Polybio Livius. In Magnesia tamen non in Pelasgiotide, atque inter Gonnum & Gyrtonem locandum augurar, sub Ossa monte:

1. *A Tripoli Sceam vocant.*] Hæc Tripolis, aliis auctoribus parum cognita, inter Larissam & Tempe fuisse videtur: *Scea* cognomen sinistram Græcè significat, vel occidentalem. Probabile est ad lævam Penei ripam fuisse, non longè à Gonno.

Uris. cond. an. 582. Coſſ. P. Licinio, & C. Caſſio,

unius inſtar, quantum in tota gente equitum erat, venerant: & Theſſalorum omnis equitatus ſeparatus erat. non plus quàm trecenti erant equites in caſtris Romanis. Achæi juventutis ſuæ, Cretico maximè armatu, ad mille dederunt.

LVI. Sub idem tempus & C. Lucretius prætor, qui navibus præerat ad Cephallenian, M. Lucretio fratre cum claſſe 1 ſuper Maleam Chalcidem juſſo petere, ipſe triremem conſcendit; ſinum Corinthium petens ad præoccupandas in Bœotia res: tardior ei navigatio propter infirmitatem corporis fuit. M. Lucretius Chalcidem adveniens, quum à P. Lentulo Haliartum oppugnari audiſſet, nuncium, prætoris verbis, qui abſcedere eum inde juberet, miſit. Bœotorum juventute, quæ pars cum Romanis ſtabat, eam rem aggreſſus legatus, à mœnibus abſceſſit. Hæc ſoluta obſidio locum alteri novæ obſidioni dedit. namque extemplo M. Lucretius cum exercitu navali decem millibus armatorum, ad hoc duobus millibus regiorum, qui ſub Athenæo erant, Haliartum circumſedit: parantibuſque jam oppugnare, ſupervenit à 2 Creuſa prætor. Ad idem ferè tempus & ab ſociis naves Chalcidem convenerunt: duæ Punicæ quinqueremes, duæ ab Heraclea ex Ponto triremes, quatuor Chalcedone, totidem Samo, tum quinque Rhodiæ quadriremes. Prætor, quia nuſquam erat maritimum bellum, 3 remiſit ſociis. & Q. Marcius Chalcidem navibus venit, 4 Alope captâ, Lariſſâ, quæ Cremaſte dicitur, oppugnatâ. Quum hic ſtatus in Bœotia eſſet, Perſeus quum ad Sycurium (ſicut antè dictum eſt) ſtativa haberet, frumento undique circà ex agris convecto, ad vaſtandum agrum Pheræorum miſit: ratus ad juvandas ſociorum urbes longiùs ab caſtris abſtractos deprehendi Romanos poſſe. Quos quum eo tumultu nihil motos, animadvertiſſet, 5 prædam quidem, præterquàm hominum (pecora autem maximè omnis generis fuere) diviſit ad epulandum militibus.

LVII. Sub idem deinde tempus conſilium & conſul & rex habuerunt, unde bellum ordirentur. Regis creverunt animi vaſtatione conceſſâ ſibi ab hoſte Pheræi agri. itaque, eundum inde ad caſtra, nec dandum ultrà ſpatium cunctandi, cenſebat. Et Romani cenſebant, cunctationem ſuam infamem apud ſocios eſſe; maximopere indignè ferentes non latam Pheræis opem. Conſultantibus quid agerent (aderant autem Eumenes & Attalus in conſilio) tropidus nuncius affert, hoſtem magno agmine adeſſe. Conſilio dimiſſo, ſignum extemplo datur, ut arma capiant. Interim placet ex regiis auxiliis centum equites & parem numerum jaculatorum pedi-

NOTÆ.

1. *Super Maleam.*] Intelligepromontorium Peloponneſi, quod nunc *Capo di Maſepan*, longe ab urbe Theſſalica, a qua Maliacus ſinus.

2. *Creuſa.*] Oppidum Bœotiæ, Theſpiarum navale ad Corinthium ſinum.

3. *Remiſit ſocios.*] Vult ſocios liberatos onere ferendi mari auxilii. Sic Tac. 4. Annal. *remiſſa Ædilibus talis cura.*

4. *Alope.*] Locrorum Opuntiorum oppidum, non procul Cnemide ad Euripum.

5. *Prædam quidem.*] Gronov. fortè: *prada quod erat, præterquàm hominum,*

tum exire. Perſeus horâ fermè diei quartâ, quum paulò plus mille paſſus abeſſet à caſtris Romanis, conſiſtere ſigna peditum juſſit. prægreſſus ipſe cum equitibus ac levi armaturâ, & Cotys cum eo ducesque aliorum auxiliorum præceſſerunt. Minus quingentos paſſus ab caſtris aberant, quum in conſpectu fuere hoſtium equites: duæ alæ erant magna ex parte Gallorum (Caſſignatus præerat) & levis armaturæ centum ferè & quinquaginta, Myſi aut Cretenſes. Conſtitit rex; incertus quantum eſſet hoſtium. Duas inde ex agmine turmas Thracum, duas Macedonum, cum binis Cretenſium cohortibus & Thracum, miſit. Prœlium, quum pares numero eſſent, neque ab hac aut illa parte nova auxilia ſubvenirent, incertâ victoriâ finitum eſt. Eumenis fermè triginta interfecti: inter quos Caſſignatus dux Gallorum cecidit, & tunc quidem Perſeus ad Sycurium copias reduxit: poſtero die circa eandem horam in eumdem locum rex copias admovit; plauſtris cum aqua ſequentibus. nam [1] duodecim millium paſſuum via omnis ſine aqua & plurimi pulveris erat: affectoſque ſiti, ſi primo in conſpectu dimiſiſſent, pugnaturos fuiſſe apparebat. Quum Romani quieſſent, ſtationibus etiam intra vallum reductis, regii quoque in caſtra redeunt. Hoc per aliquot dies fecerant; ſperantes fore ut Romani equites abeuntium noviſſimum agmen aggrederentur. inde certamine orto, quum longiùs à caſtris eos elicuiſſent, facilè ubiubi eſſent, ſe, qui equitatu & levi armaturâ plus poſſent, converſuros aciem.

LVIII. Poſtquam inceptum non ſuccedebat, caſtra propiùs hoſtem movit rex, & à quinque millibus paſſuum communiit. inde luce primâ in eodem quo ſolebat loco peditum acie inſtructâ, equitatum omnem levemque armaturam ad caſtra hoſtium ducit. Viſus & plurium & propior ſolito pulvis, crepidationem in caſtris Romanis fecit. & primo vix creditum nuncianti eſt; quia prioribus continuis diebus, nunquam ante horam quartam hoſtis apparuerat. tum ſolis ortus erat. Deinde ut plurium clamore & curſu à portis dubitatio exempta eſt; tumultus ingens oboritur: tribuni præfectique, & centuriones, in prætorium: miles ad ſua quiſque tentoria diſcurrit. Minus quingentos paſſus à vallo inſtruxerat Perſeus hoſtes, circa tumulum, quem Callicinum vocant. Lævo cornu Cotys rex præerat cum omnibus ſuæ gentis: equitum ordines levis armaturæ interpoſita diſtinguebat. in dextro cornu Macedones erant equites: intermixti turmis corum Cretenſes. Huic armaturæ [1] Milo Berœæus, equitibus [2] & ſummæ partis ejus Meno [3] Antigonenſis præerat. Proximi cornibus conſtiterant regii equites, &, mixtum genus, delecta plurium gentium auxilia: Patrocles

Urb. cond. an. 582. Coſſ. P. Licinio, & C. Caſſio.

NOTÆ.

1. *Duodecim millium paſſuum via.*] Ad Sycurio ſcilicet, ubi caſtra Perſei erant, ad caſtra Romanorum circa Tripolim Scetin.

1. *Milo Berœæus.*] Ita nominat Plut. at Polybio in Fragment. 69. eſt *Midon*.

2. *Et ſummæ partis ejus.*] Non video cur Sigon. malit; *parti*: vult enim noſter ſummum ſive præcipuum imperium ejus partis copiarum Macedonicarum fuiſſe penes Menonem.

3. *Antigonenſis.*] Ex Antigonia urbe,

Urb. cond. an. 582. Coss. P. Licinio, & C. Cassio.

v Antigonensis hic, & Pæoniæ præfectus Didas, erant præpositi. Medius omnium rex erat. circa eum agema quod vocant, equitumque sacræ alæ. Ante se statuit funditores jaculatoresque: quadringentorum manus utraque numerum expleverat. Jonem Thessalonicensem & Timanora Dolopem iis præfecit. sic regii constiterant. Consul intra vallum peditum acie instructâ, & ipse equitatum omnem cum levi armatura emisit. pro vallo instructi sunt. Dextro cornu præpositus C. Licinius Crassus consulis frater cum omni Italico equitatu, velitibus intermixtis: sinistro M. Valerius Lævinus sociorum ex Græcis populis equites habebat, ejusdem gentis levem armaturam. Mediam autem aciem cum delectis equitibus extraordinariis tenebat Q. Mucius. ducenti equites Galli ante signa horum instructi, & de auxiliis Eumenis 4 Cyrtiorum gentis trecenti. Thessali quadringenti equites parvo intervallo super lævum cornu locati. Eumenes rex Attalusque cum omni manu sua ab tergo inter postremam aciem ac vallum steterunt.

LIX. In hunc modum maximè instructæ acies, par fermè utrinque numerus equitum ac levis armaturæ concurrunt; à funditoribus jaculatoribusque, qui præcesserunt prœlio orto. Primi omnium Thraces, haud secus quàm diu claustris retentæ feræ, concitati cum ingenti clamore 1 in dextrum cornu Italicos equites incurrerunt: ut usu belli & ingenio impavida gens turbaretur: 2 gladiis hastas petere pedites, nunc succidere crura equis, nunc ilia suffodere. Perseus in mediam invectus aciem, Græcos primo impetu avertit: quibus quum graviùs ab tergo instaret hostis, Thessalorum equitatus, qui à lævo cornu brevi spatio disjunctus in subsidiis fuerat, extra concursum primò spectator certaminis: deinde inclinatâ re, maximo usui fuit. Cedentes enim sensim integris ordinibus, postquàm se Eumenis auxiliis adjunxerunt; & cum eo tutum inter ordines suos recepcum sociis fugâ dissipatis dabant; &, quum minus conferti hostes instarent, progredi etiam ausi multos fugientium obvios exceperunt. 3 Nec regii sparsi jam ipsi passim sequendo, cum ordinatis & certo incedentibus gradu, manus conserere audebant. Quum victor equestri prœlio rex 4 parvo momento si adjuvisset, debellatum esset; opportunè adhortanti

NOTÆ.

ni fallor, Mygdoniæ ad Sinticæ limitem.

4. *Cyrtiorum gentis.*] Hi *Cyrtii* numerantur inter auxilia Eumenis: ex qua regione Asiæ venerint, non facilè conjicio. Non enim à *Cirtha* Numidiæ civitate in Africa.

1. *In dextrum cornu Italicos equites.*] Appositio est, & vult incurrisse Thraces in equites Italici generis, qui in dextro Romanorum cornu locati.

2. *Gladiis hastas petere pedites.*] Thracicus nempe peditatus hastas equinum Italicorum gladiis petebat, ut eas confringeret, & equorum tum crura succidebat, tum suffodiebat ilia.

3. *Nec Regii sparsi jam ipsi.*] *Regios* intellige Eumenis milites.

4. *Parvo momento si adjuvisset, debellatum esset.*] Sigon. postulare sensum ait, ut legatur, *debellaturus esset*: quod equi etiam videtur Gronov. Conflat tamen sententia absque hac correctione: etenim, *debellatum esset*, sub hypothesi dicitur, *si rex parvo momento adjuvisset*.

Urb. cond. an. 582. Coss. P. Licinio, & C. Cassio.

supervenit phalanx, quàm suâ sponte, 5 ne audaci cœpto deessent, Hippias & Leonatus raptim adduxerant, postquàm prosperè pugnasse equitem acceperant. Fluctuante rege inter spem metumque tantæ rei conandæ, Cretensis Evander, quo ministro Delphis ad insidias Eumenis regis usus erat, 6 postquam agmen impeditum veniensque sub signis vidit, ad regem accurrit, & monere instituit, *Ne elatus felicitate summam rerum temerè in non necessariam aleam daret. Si contentus bene re gesta qui esset eo die, vel pacis honestæ conditionem habiturum, vel plurimos belli socios, qui fortunam se quærentur, si bellare mallet.* In hoc consilium pronior erat animus regis. Itaque collaudato Evandro, signa referri, peditumque agmen redire in castra jubet: equitibus receptui canere.

LX. 1 Cecidêre eo die ab Romanis ducenti equites, duo millia haud minùs peditum: capti fermè ducenti equites. ex regiis autem viginti equites, quadraginta pedites interfecti. Postquàm rediere in castra victores, omnes quidem læti, ante alios Thracum insolens lætitia eminebat: 2 cum cantu enim superfixa capita hostium portantes redierunt. Apud Romanos non mœstitia tantùm ex malè gesta re, sed pavor etiam erat, ne extemplo castra hostis aggrederetur. Eumenes suadere, ut trans Peneum transferret castra: ut pro munimento amnem haberet, dum perculsi milites animos colligerent. Consul moveri flagitio timoris fatendi: victus tamen ratione, silentio noctis transductis copiis, castra in ulteriore ripa communit. Rex postero die ad lacessendos prœlio hostes progressus, postquam trans amnem in tuto posita castra animadvertit; fatebatur quidem peccatum, quòd pridie non instituisset victis: sed aliquantò majorem culpam esse, quòd nocte foret cessatum. nam ut neminem alium suorum moveret, levi armaturâ immissâ, trepidantium in transitu fluminis hostium deleri magna ex parte copias potuisse. Romanis quidem præsens pavor demptus erat; in tuto castra habentibus: damnum inter cætera præcipuè famæ movebat. & in consilio apud consulem pro se quisque in Ætolos conferebant causam; ab iis fugæ terroriſque principium ortum. tecutos pavorem

NOTÆ.

5. *Ne audaci cœpto deesset.*] Reponit Sigon. *decessent.* Refertur enim, inquit, ad Hippiam & Leonatum, non ad phalangem: & rectè quidem referri potest ad hos duces, qui phalangem adduxerant: sed nihil tamen vetat referri ad ipsum Persen, idque suadere videntur superiora.

6. *Postquam agmen impeditum veniens.*] Imò potiùs expediti atque ad pugnam instructi phalangitæ veniebant: scribe itaque, monente Perizonio, *agmen peditum.*

1. *Cecidere eo die ab Romanis ducenti equites.*] Omnium qui è Romano exercitu cæsi aut capti sunt eo die, numerum Plut. in Apophthegm. colligit duo millia octingentos, ut observat Sigon.

2. *Cum cantu enim superfixa hostium capita portantes.*] Esse debuit, *hastis superfixa*, aut quid simile, ut notat Gronov. Porrò quod de Thracibus hic dicitur, id Gallis & Germanis alii tribuunt, & noster imprimis lib. 10. *in conspectu fuere Gallorum equites, pectoribus equorum suspensa gestantes capita & lanceis infixa; ovantesque moris sui carmine.*

Urb. cond. an. 582. Coss. P. Licinio, & C. Cassio.

Ætolorum & cæteros socios Græcorum populorum. Quinque principes Ætolorum primi terga vertentes conspecti dicebantur.

LXI. Thessali pro concione laudati, ducesque eorum etiam virtutis causâ donati. Ad regem spolia cæsorum hostium referebantur: dona ex his aliis arma insignia, aliis equos, quibusdam captivos dono dabat: scuta erant supra mille quingena; loricæ thoracesque [1] ℘ mille ampliùs summam explebant, galearum gladiorumque & missilium omnis generis major aliquantò numerus. Hæc per se ampla, pleraque multiplicata verbis regis, quæ ad concionem vocato exercitu habuit. *Præjudicatum eventum belli habetis. Meliorem partem hostium, equitatum Romanum, quo invictos se esse gloriabantur, fudistis. Equites enim illis principes juventutis, equites seminarium senatus: inde lectos in Patrum numerum consules, inde imperatores creant. Horum spolia paulo ante divisimus inter vos. Nec minorem de legionibus peditum victoriam habetis. quæ nocturna fuga vobis subtractæ, naufragorum trepidatione passim natantium flumen compleverunt. Sed facilius nobis sequentibus victos Peneum superare erit, quàm illis trepidantibus fuit, transgressisque extemplo castra oppugnabimus; quæ hodie cepissemus, ni fugissent. Aut si acie decernere volent, eundem pugnæ pedestris eventum expectate, qui equitum in certamine fuerit.* Et qui vicerant alacres, [2] spolia cæsorum hostium humeris gerentes ante ℵ ora sua, audivere, ex eo quod acciderat spem futuri præcipientes: & pedites aliená gloriâ accensi, præcipuè qui Macedonum phalangis erant, sibi quoque & navandæ regi operæ, & similem gloriam ex hoste pariendi, occasionem optabant. Concione dimissâ, postero die profectus inde [3] ad Mopsium posuit castra. tumulus hic inter Tempe & Larissam medius est.

LXII. Romani non absedentes ab ripa Penei transtulerunt in locum tutiorem castra. Eò Misagenes Numida venit cum mille equitibus; pari peditum numero; ad hoc elephantis duobus & viginti. Per eos dies consilium habenti regi de summa, quum jam consedisset ferocia ab re bene gesta: ausi sunt quidam amicorum consilium dare, [1] ut secundâ fortunâ in

NOTÆ.

1. *Mille ampliùs.*] Legit Gron. *milleàm ampliùs summam.*

2. *Spolia cæsorum hostium humeris gerentes ante ora sua audivere.*] Gron. illa *ante ora suæ* pro monstro habet, quasi referantur ad *Eumenis milites*: qui nisi bifrontes ponantur, non potuerint quæ humeris gerebant, ante ora sua habere. Itaque pro, *ante ora* scribit, *facinora*, vel, *decora sua audivere*: sed si Macedonico more ex imitatione Herculis, imposita capiti atque humeris ponamus spolia, cujusmodi ferarum pelles, (quibus galearum, ac thoracum vice uterentur) nihil vetabit quominus quæ humeris gerebantur potuerint etiam partem oris aliquam vestire. Potuerunt & alacres videri, quòd *super ora sua*, quæ Hebraica loquendi forma idem significat ac, *coram se*, audire quæ à rege de seipsis pronunciata publicè fuerant: fateor tamen non ingeniosam modò, sed valdè probabilem & rebus congruentem hanc Gron. emendationem.

3. *Ad Mopsium posuit castra.*] Urbis *Mopsii* meminit Strabo, & ex eo Steph. lib. 9. eamque Pelasgiotidi Thessaliæ regioni adscribit: hinc *Mopsius*, sive, ut vulgò scribitur, *Mopsellus* collis.

1. *Ut secundâ fortunâ in conditione*

conditione honeſtæ pacis uteretur, potiùs quàm ſpe vanâ evectus in caſum irrevocabilem ſe daret. *Modum imponere ſecundis rebus, nec nimis credere ſerenitati præſentis fortunæ, prudentis hominis & merito felicis eſſe. Mitteret ad conſulem, qui ſœdus in eaſdem leges renovarent, quibus Philippus pater ejus pacem à T. Quintio victore acceperat. Neque finiri bellum magnificentius, quàm à tam memorabili pugna: neque ſpreta firmiorem pacis perpetuæ dari, quàm quæ perculſos adverſo prælio Romanos molliores faciora ſit ad pacifcendum. Quod ſi Romani tum quoque inſita pertinacia æqua aſpernarentur, Deos hominesque, & moderationis Perſei, & illorum pervicacis ſuperbiæ futuros teſtes.* Nunquam ab talibus conſiliis abhorrebat regis animus. itaque plurium aſſenſu comprobata eſt ſententia. Legati ad conſulem miſſi, adhibito frequenti conſilio auditi ſunt. *Pacem petere, vectigal, quantum Philippus pactus eſſet, daturum Perſea Romanis pollicentes. urbibus, agris locisque, quibus Philippus ceſſiſſet,* [2] *ceſſurum Perſeum.* hæc legati. Summotis his, quum conſultarent; Romana conſtantia vicit in conſilio. Ita tum mos erat, in adverſis vultum ſecundæ fortunæ gerere; moderari animos in ſecundis. Reſponderi placuit, *Ita pacem dari, ſi de ſumma rerum liberum ſenatui permittat rex, de ſe deque univerſa Macedonia ſtatuendi jus.* Hæc quum renuntiaſſent legati, [a] miraculo ignaris moris pertinacia Romanorum eſſe: & plerique vetare amplius mentionem pacis facere. ultrò mox quæſituros quod oblatum faſtidiant. Perſeus hanc ipſam ſuperbiam, quippe ex fiducia virium eſſe, timere: & ſummam pecuniæ augens, ſi pretio pacem emere poſſet, non deſtitit animum conſulis tentare. Poſtquàm nihil ex eo, quod primo reſponderat, mutabat; deſperatâ pace ad Sycurium, unde profectus erat, rediit; belli caſum de integro tentaturus.

Urb. cond. an. 582. Coſſ. P. Licinio, & C. Caſſio.

LXIII. Fama equeſtris pugnæ vulgata per Græciam, nudavit voluntates hominum. non enim ſolùm qui partis Macedonum erant, ſed plerique, ingentibus Romanorum obligati beneficiis, [1] ♆ quidam vim ſuperbiamque experti, læti eam famam accepere: non ob aliam cauſam quàm pravo ſtudio, quo etiam in certaminibus ludicris vulgus utitur; deteriori atque

INTERPRETATIO.

[a] *Pro miraculo erat Romanorum pertinacia iis qui conſuetudinem ipſorum ignorabant*, nempè Macedonibus;

NOTÆ.

pacis uteretur.] Malle videtur Gron. *in conditionem pacis*: verùm nomen illud *conditio*, non tam de legibus pacis, ſeu conventionibus, quàm de ipſa pacificatione intelligendum mihi videtur, ut ſit, tanquam *in pace condenda*, ſive cùm pacem faceret. *Conditionem* certè pro *creatione*, *compoſitione*, ſive κτίσει accipi poſſe.

[2] *Ceſſurum primùm.*] Mavult Sigon. *ceſſurum Perſeum*: Gronov. *ceſſurum & ipſum*.

[1] *Quidam vim ſuperbiamque experti.*] Putat Gronovius excidiſſe vocem *Macedonum*: alioqui ſuperbiam Romanorum intelligi poſſe.

Urb. cond. an. 582. Coss. P. Licinio, & C. Cassio.

infirmiori favendo. Eodem tempore in Bœotia summâ vi Haliartum Lucretius prætor oppugnarat: & quanquam nec habebant externa auxilia obsessi, prætor Coronæorum juniores, [2] qui primâ obsidione mœnia intraverant, neque sperabant; tamen ipsi animis magis quàm viribus resistebant. nam & eruptiones in opera crebrò faciebant: & arietem admotum, libramento plumbi gravatum, ad terram urgebant: &, si quà declinarent qui agebant ictum, pro diruto muro novum tumultuario opere, raptim ex ipsa strage congestis saxis extruebant. Quum operibus oppugnatio lentior esset, scalas per manipulos dividi prætor jussit; ut corona undique mœnia aggressurus; eò magis suffecturam ad id multitudinem ratus, quòd, qua parte palus urbem cingit, nec attingebat oppugnari, nec poterat. Ipse ab ea parte, qua duæ turres, quodque inter eas muri prorutum fuerat, duo millia militum delectorum admovit; ut eodem tempore, quo ipse transcendere ruinas conaretur, concursu adversus se oppidanorum facto, scalis vacua defensoribus mœnia capi parte aliqua possent. Haud segniter oppidani vim ejus arcere parant. Nam super stratum ruinis locum, fascibus aridis sarmentorum injectis, stantes cum ardentibus facibus accensuros ea se sæpè minabantur, [a] ut incendio interseptì ab hoste, spatium ad objiciendum interiorem murum haberent. Quod inceptum eorum fors impediit: nam tantus repentè effusus est imber, ut nec accendi facilè patereturr, & extingueret accensa. Itaque & transitus per distracta fumantia virgulta patuit; & in unius loci præsidium omnibus versis, mœnia quoque pluribus simul partibus scalis capiuntur. In primo tumultu captæ urbis seniores impubesque, quos casus obvios obtulit, passim cæsi: armati in arcem confugerunt. & postero die, quum spei nihil superesset, deditione facta, sub corona venierunt. Fuerunt autem duo millia fermè & quinginti: ornamenta urbis, statuæ & tabulæ pictæ, & quicquid pretiosæ prædæ fuit, ad naves delatum: urbs diruta à fundamentis. Inde Thebas ductus exercitus: quibus sine certamine receptis, urbem tradidit exulibus, & qui Romanorum partis erant: adversæ factionis hominum, fautorumque regis ac Macedonum, familias sub corona vendidit. his gestis in Bœotia, ad mare ac naves rediit.

LXIV. Quum hæc in Bœotia gererentur, Perseus ad Sycurium stativa dierum aliquot habuit. Ubi quum audisset, raptim Romanos circa ex agris demessum frumentum convehere, deinde ante sua quemque tentoria spicas falcibus desecantem, quo purius frumentum tereret, ingentes acervos

INTERPRETATIO.

[a] *Ut Haliartii à Romanis circumdati, eos remorarentur incendio excitato, & sic tempus haberent ad novum intus murum eis opponendum.*

NOTÆ.

2. *Qui primâ obsidione mœnia intraverant.*] Paulò ante obsessa fuerat Haliartus à P. Lentulo, suprà hoc eodem lib. cap. 56.

per

per tota castra stramentorum fecisse: ratus incendio opportuna esse, faces, tædamque, [1] & malleolos stuppæ illitos pice parari jubet: atque ita medià nocte profectus, ut primâ luce aggressus falleret. [2] Nequicquam primæ stationes oppressæ, tumultu ac terrore suo cæteros exciverunt: summaque datum est arma extemplo capiendi: simulque in vallo, ad portas, miles instructus erat, & intentus propugnationi castrorum. Perseus & extemplo circumegit aciem, & prima impedimenta ire, deinde peditum signa ferri jussit. ipse cum equitatu & levi armatura subsistit ad agmen cogendum; ratus, id quod accidit, insecuturos ad extrema ab tergo carpenda hostes. Brevè certamen levis armaturæ maximè [3] cum procursatoribus fuit. equites peditesque sine tumultu in castra redierunt. Demessis circà segetibus, Romani ad [4] Crannonium intactum agrum castra movent. Ibi quum securi, & propter castrorum longinquitatem, & viæ inopis aquarum difficultatem, quæ inter Sycurium & Crannona est, statiua haberent, repentè primâ luce in imminentibus tumulis equitatus regius cum levi armatura visus ingentem tumultum fecit. Pridie [5] per meridiem profecti ab Sycurio erant: peditum agmen sub lucem reliquerant in proxima planicie. Stetit paulisper in tumulis, elici posse ratus ad equestre certamen Romanos: qui postquam nihil movebant, equitem mittit, qui petere ad Sycurium signa juberet; ipse mox insecutus. Romani equites modico intervallo sequentes, sicubi sparsos ac dissipatos invadere possent; postquam confertos abire, signa atque ordines servantes, viderunt, & ipsi in castra redeunt. Urb. cond. an 582. Cos. P. Licinio, & C. Cassio.

LXV. Inde orientem longinquitate itineris rex ad Mopsium castra movit, & Romani demessis Crannonis segetibus, in [1] Phalannæum agrum

NOTÆ.

1. *Et malleolos stuppæ.*] *Malleoli* hic dicuntur ex Nonio Marcello manipuli spartei sive fasciculi stuppæ pice contecti, qui incensi in muros aut in testudines jaciebantur. Aliud malleolorum militarium genus efficacius describit Ammianus Marcellinus lib. 23.

Ictum
Sustulit, & gladio Siboles ferit ultima tali,
Nequicquam. jam cuspis inest, nec frag: mina curat
Ambenus.

Ibi cum liceret rationem cur irritus ictus fuisset, indicare per *nam cuspis inest*; maluit tamen auctor, eâ omissâ, *jam cuspis inest*.

2. *Nequicquam. primæ stationes.*] Sigon. hic desiderari aliquid ait, & post adverbium, *nequicquam*, adscribit verbum, *tentavit*. Defendit Oron. vulgatam lectionem, negatque quicquam deesse; vult enim *Τὸ nequicquam*, dici quasi *nec ad quicquam*, sive idem esse ac incassum; & sequentibus verbis, *primæ stationes*, &c. rationem reddi, cur frustrà ceciderit Persei conatus. Idque historicè brevitate; cujus exempla refert. Maximè opportunum videtur illud Valerii Argon. lib. 6.

Contra autem geminis fidens thoracibus

3. *Cum procursatoribus.*] Gallicè *avec les batteurs d'estrade*.

4. *Crannonium agrum.*] *Crannonis* urbis Phthiotidæ inter Apidanum & Enipeum amnes, de qua 36. 14.

5. *Per meridiem.*] Alii *de meridie* dicitur.

1. *Phalannæum agrum.*] Ab urbe Phalanna ad lævam Penei inter Larissam & Gonnum in Thessaliotide.

Urb. cond. an. 582. Coſſ. P. Licinio, & C. Caſſio.

tranſeunt. Ibi quum ex transfuga cognoſſet rex, ſine ullo armato præſidio paſſim vagantes per agros Romanos metere; cum mille equitibus, duobus millibus Thracum & Cretenſium profectus, quum quantum accelerare poterat effuſo agmine iſſent, improviſo aggreſſus eſt Romanos. junctæ vehicula, pleraque onuſta, mille admodum capiuntur: ſexcenti fermè homines. Prædam cuſtodiendam ducendamque in caſtra trecentis Cretenſium dedit. ipſe revocato ab effuſa cæde equite, & reliquis peditum, ducit ad proximum præſidium; ratus haud magno certamine opprimi poſſe. L. Pompejus tribunus militum præerat, qui perculſos milites repentino hoſtium adventu in propinquum tumulum recepit; loci ſe præſidio, quia numero & viribus impar erat, defenſurus. Ibi quum in orbem milites coegiſſet, ut denſatis ſcutis ab jactu ſagittarum & jaculorum ſeſe tuerentur; Perſeus circumdato armatis tumulo, alios aſcenſum undique tentare jubet, & cominus prœlium conſerere; alios eminus tela ingerere. Anceps Romanos terror circumſtabat: nam neque conferti pugnare, propter eos qui aſcendere in tumulum conabantur, poterant: & ubi ordines procurſando ſolviſſent, patebant jaculis ſagittiſve. Maximè 3 ceſtroſphendonis vulnerabantur. hoc illo bello novum genus teli inventum eſt. Bipalme ſpiculum haſtili ſemicubitali infixum erat, craſſitudine digiti: 4 huic ad libramen pinnæ tres, velut ſagittis ſolent, circumdabantur: 5 fundâ mediâ, duo funalia imparia habebant. cum majori ſinu libratum fundiebat habena rotaret, excuſſum velut glans emicabat. Quum, & hoc & alio omni genere telorum, pars vulnerata militum eſſet, nec facilè jam arma feſſi ſuſtinerent, inſtare rex ut dederent ſe, fidem dare, præmia interdum polliceri: nec cujuſquam ad deditionem flectebatur animus; quum ex inſperato jam obſtinatis mori ſpes affulſit. Nam quum ex frumentatoribus refugientes quidam in caſtra, nunciaſſent conſuli circumſideri præſidium; motus periculo tot civium (nam octingenti fermè, & omnes Romani erant) cum equitatu ac levi armatura (acceſſerant nova auxilia Numidæ peditesque equiteſque & elephanti) caſtris egreditur: & tribunis militum imperat, ut legionum ſigna ſequantur. Ipſe velitibus ad firmanda levium armorum au-

NOTÆ.

2. *Ad proximum præſidium.*] Gallicè ſtili inhærebant: poſterius funale majus *au corps de garde des Romains, qui eſtoit le plus proche.*

3. *Ceſtroſphendonis.*] Videtur nomen fundam ſpiculis armatam ſignificare.

4. *Huic ad libramen pinnæ tres.*] Hunc locum ita Turneb. explicat: *ei Pinna tres addita erant, ut libratior certiorque eſſet telorum ictus.*

5. *Funda media duo funalia imparia habebant.* Funalia duplicem fundam interpretatur idem Turneb. alteram alteri commentitiam, quæ ambæ medio ſuſtili factâ, cui inferebatur habena, quâ ejuſque ictum vehementiùs adigeret. Duo autem funalia; quæ fundam unam conficiebant, nec ſeparantur in nodum ancipitis duplicis majorem capacitatem, in qua pendebat & librabatur telum. Addit hoc genus teli nomen adeptum eſſe à funda & Ceſtro, id eſt, vericulo.

xilia adjectis ad tumulum præcedit. consulis latera tegunt, Eumenes, Attalus, & Miſagenes, regulus Numidarum. Urb. cond. an. 582.

LXVI. Quum in conſpectu prima ſigna ſuorum circumſeſſis fuerunt, Romanis quidem ab ultima deſperatione recreatus eſt animus: Perſeus, cui primum omnium fuerat, ut contentus fortuito ſucceſſu, captis aliquot frumentatoribus occiſiſque, non tereret tempus in obſidione præſidii; ſecundum ea quoque tentata utcumque, quum ſciret nihil roboris ſecum eſſe, dum liceret intacto, abire; & ipſe hoſtium adventum clatus ſucceſſu manſit, &, qui phalangem areſſerent, properè miſit. qua & ſeriùs quàm res poſtulabat & raptim acta, turbati curſu adverſus inſtructos & præparatos erant adventuri. Conſul antè veniens, exemplo prælium conſeruit. Primò reſiſtere Macedones: deinde, ut nulla re pares erant, amiſſis trecentis peditibus, viginti quatuor primoribus equitum [1] ex ala quam Sacram vocant, inter quos Antimachus etiam præfectus alæ cecidit, abire conantur. Cæterùm iter prope ipſo prælio tumultuoſius fuit: Phalanx abs trepido nuncio accita quum raptim duceretur, primò in anguſtiis captivorum agmini oblata vehiculiſque frumento onuſtis: iis cæſis, ingens ibi vexatio partis utriuſque fuit; [2] nullo expectante utcunque explicaretur agmen; ſed armatis detrudentibus per præceps impedimenta. (neque enim aliter via aperiri poterat) jumentis quum ſtimularentur in turba ſævientibus. Vix ab incondito agmine captivorum expedierant ſeſe, quum regio agmini perculſiſque equitibus occurrunt. Ibi verò clamor jubentium referre ſigna, ruinæ quoque propeſimilem trepidationem fecit: ut, ſi hoſtes intrroire angustias auſi longiùs inſecuti eſſent, magna clades accipi potuerit. Conſul recepto ex tumulo præſidio, contentus modico ſucceſſu, in caſtra copias reduxit. Sunt, qui eo die magno prælio pugnatum auctores ſint. octo millia hoſtium ſunt cæſa; in his Sopatrum & Antipatrum regios duces: vivos captos circiter duo millia octingentos: ſigna militaria capta viginti ſeptem. Nec ineruentam victoriam fuiſſe: ſupra quatuor millia & trecentos de exercitu conſulis cecidiſſe: ſigna ſiniſtræ alæ quinque amiſſa. Coſſ. P. Licinio, & C Caſſio.

LXVII. Hic dies & Romanis refecit animos, & Perſea perculit: ut dies paucos ad Mopſium moratus, ſepulturæ maximè militum amiſſorum curæ, præſidio laris valido ad Gonnum relicto, in Macedoniam reciperet copias. Timotheum quendam ex regiis præfectis cum modica manu relinquit [1] ad Philam; juſſum Magnetas & propinquos tentare. Quum Pellam veniſſet exercitu in hiberna dimiſſo, ipſe cum Corye Theſſalonicam eſt profectus. Eò fama affertur, *Atheſtum regulum Thracum, & Corragum*

NOTÆ.

1. *Ex ala quam ſacram vocant.*] Gallicè diceremus, *de la Cornette Royalle.*

2. *Nullo expectante utcumque*, &c.] Perſpicuum magis fuerit ſi inferatur ex Gronovii ſententia, *dum utcunque explicaretur agmen:*

1. *Ad Philam.*] Urbs Pieriæ in Macedonia ad confinia Magneſiæ Theſſalicæ regionis à Demetrio Antigoni filio condita, nunc *Felip.*

Urb. cond. ann. 582. Coll. P. Licinio, & C. Cassio.

Eumenis præfectum in Cotys fines impetum fecisse: & 2 regionem Marenem (quam vocant) cepisse. Itaque dimittendum Cotyn ad sua tuenda ratus, magnis proficiscentem donis prosequitur. ducenta talenta, semestre stipendium equitatui numerat, quum primò annuum dare constituisset. Consul, postquàm profectum Persea audivit, ad Gonnum castra movet, si potiri oppido posset. Ante ipsa Tempe in faucibus situm, Macedoniæ claustra tutissima præbet, & in Thessaliam opportunum Macedonibus decursum. Quum & loco & præsidio valido 3 inexpugnabilis res esset, absistit incœpto. In Perræbiam flexis itineribus, Mallœa primo impetu capta ac direpta, Tripoli, 4 aliaque Perræbia receptа; Larissam rediit. inde Eumene atque Attalo domum remissis, Misagenem Numidasque in hiberna in proximis Thessaliæ urbibus distribuit. & partem exercitus ita per totam Thessaliam divisit, ut & hiberna commoda omnes haberent, & præsidio urbibus essent: Q. Mucium legatum cum duobus millibus ad obtinendam Ambraciam misit. Græcarum civitatum socios omnes præter Achæos dimisit. cum exercitûs parte profectus 4 in Achajam Phthiotim; 5 Pteleum desertum fugâ oppidanorum diruit à fundamentis. Antrona, voluntate colentium recepit. Ad Larissam deinde exercitum admovit. urbs deserta erat, in arcem omnis multitudo concesserat: eam oppugnare aggreditur. Primi omnium Macedones, regium præsidium, metu excesserant. à quibus relicti oppidani, in deditionem extemplo veniunt. Dubitari inde, utrum Demetrias priùs aggredienda foret, an in Bœotia adipiscendæ res. Thebani, vexantibus eos Coronæis, in Bœotiam arcessebant. ad horum preces, quia hibernis aptior regio quàm Magnesia erat, in Bœotiam duxit.

INTERPRETATIO.

a *Et aliis Perræbiæ locis acceptis in deditionem.*

NOTÆ.

2. *Regionem Marenen.*] Maronean ut Gron. advertit. Thraciæ urbem norunt Geographi: *Marenen* regionem in eadem Thracia haud observatum est Phthiotas Thessalos etiam memorant. Apparet tamen tractum fuisse Achæos fuisse appellatos.

3. *Inexpugnabilis res esset.*] Imò *urbs* cum finum,

4. *In Achajam Phthiotin.*] Jam antè Athenis Euboicis oppositum, ad Pelasgi-

5. *Pteleum.*] Urbs Phthiotidis fuit Cotys.

FINIS LIBRI XLII.

TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM LIBER XLIII.

EPITOME EJUSDEM LIBRI.

PRÆTORES nonnulli, eo quod avare & crudeliter provincias administrassent, damnati sunt. P. Licinius Crassus proconsul complures in Græcia urbes expugnavit, & crudeliter diripuit. ob id captivi, qui ab eo sub corona venierant, ex senatusconsulto postea restituti sunt. Item à præfectis classium Romanarum multa impotenter in socios facta. Res præterea à Perseo rege in Thracia prospere gestas continet: victis Dardanis, & Illyrico, cujus rex erat Gentius. 1 Motus, qui in Pæonia ab Elonico factus erat, ipso interempto consedit. M. Æmilius Lepidus à censoribus princeps in senatu lectus.

NOTÆ.

1. *Motus, qui in Hispania ab Olonico factus erat.*] Veteres libri, teste Sigonio, habent ab *Elonico*, quem vult eumdem esse qui extremo libro 40. *Clondicus* dicitur dux Bastarnarum, qui à Philippo exciti in Dardaniam venerant, ibique manserant: idcirco pro *in Hispania*, legit, *in Pæonia*, quæ Dardaniæ contigua ex Livio lib. 45. Vult itaque cum in ea regione bellum excitaret, interfectum fuisse à Perseo. Pighius tuetur antiquam lectionem, refertque ad id quod ab injuria ævi supereſt cap. 4. hujus libri: *suſpicatur autem in Hiſpanorum rebellium* exercitu, ex seditione ventum ad arma, & ante prœlium cum Romanis, Olonicum & alios belli incentores ab iis quibus pax cordi erat, occisos: eorumque capita ostentata à reversis in castra, pavorem cæteris intulisse. At Gron. huc refert quod Flor. lib. 2. cap. 17. scribit de *Salondico*, qui argenteam hastam quatiens, velut cœlo missam, & vaticinanti similis, Celtiberos ad arma concitavit: sed quum castra consulis adisset, pilo vigilis exceptus, finem bello ab ipsis initiis fecit. Hinc scribendum conjicit, *motus qui in Hiſpania ab Salondico*.

Urb. cond. an. 582. Coss. P. Licinio, & C. Cassio.

I. EADEM æstate, quâ in Thessalia [1] equestri pugnâ [a] vicere Romani, legatus, in Illyricum à consule missus, opulenta duo oppida vi atque armis coegit in deditionem; omniaque iis sua concessit, ut opinione clementiæ eos, [2] qui Carnuntem munitam urbem incolebant, allicerent. postquam nec, ut dederent se, compellere, neque capere obsidendo poterat; ne duabus oppugnationibus nequicquam fatigatus miles esset, quas priùs intactas urbes reliquerat, diripuit. Alter consul C. Cassius, nec in Gallia, quam sortitus erat, memorabile quicquam gessit: & per Illyricum ducere legiones in Macedoniam vano incœpto est conatus. Ingressum hoc iter consulem, senatus ex Aquilejensium legatis cognovit: qui querentes coloniam suam novam & infirmam, necdum satis munitam, inter infestas nationes Istrorum & Illyriorum esse, quum peterent ut senatus curæ haberet, quomodo ea colonia muniretur; interrogati, vellentne eam rem C. Cassio consuli mandari: responderunt, Cassium Aquilejam indicto exercitu profectum per Illyricum in Macedoniam esse. Ea res primò incredibilis visa. & pro se quisque credere, Carnis forsitan aut istris bellum illatum. Tum Aquilejenses, nihil se ultrà scire, nec audere affirmare, quàm triginta dierum frumentum militi datum. & duces, qui ex Italia itinera in Macedoniam nossent, conquisitos, abductosque. Enimvero senatus indignari, tantum consulem ausum, ut suam provinciam relinqueret, in alienam transiret: exercitum novo & periculoso itinere inter exteras gentes duceret, viam toti nationibus in Italiam aperiret. Decernunt frequentes, ut C. Sulpicius prætor tres ex senatu nominet legatos, qui eo die proficiscantur ex urbe: &, quantum accelerare possent, Cassium consulem ubicumque sit, persequantur, nuncient, ne bellum cum ulla gente moveat, nisi cum qua senatus gerendum censuerat. Legati ii profecti, M. Cornelius Cethegus, M. Fulvius, P. Marcius rex. Metus de consule atque exercitu distulit eo tempore muniendæ Aquilejæ curam.

II. Hispaniâ deinde utriusque legati aliquot populorum in senatum introducti. Ii de magistratuum Romanorum avaritia superbiaque conquesti, nixi genibus ab senatu petierunt, ne se socios fœdiùs spoliari vexarique, quàm hostes, patiantur. Quum & alia indigna quererentur, manifestum autem esset pecunias captas; L. Canulejo prætori, qui Hispaniam sor-

NOTÆ.

1. *Equestri pugnâ vicere Romani.*] Non quidem ea quæ libri superioris cap. 59. describitur: tunc enim victi fuere Romani: sed posteriore prœlio vicerunt, quod habetur cap. 66.

2. *Qui Carnuntem munitam urbem.*] *Carnuntum* in Pannoniæ nemo nescit, ubi nunc Cœnobium S. Petronillæ in Austriæ ad Hungariæ confinia: sed procul ab Illyrico maritimo, ubi tunc Romanorum arma. Est & apud Plin. *Carnus* Sabæorum in Arabia oppidum: verùm in ea Illyrici parte quæ Macedoniæ adjacet, & quò legatum mittere potuit Licinius consul, cui Macedonia attributa erat: *Carnuntem* nullibi invenio.

titus erat, negotium datum eſt, ut in ſingulos, à quibus Hiſpani pecunias peterent; quinos recuperatores ex ordine ſenatorio daret, patronoſque quos vellent ſumendi poteſtatem faceret. Vocatis in curiam legatis recitatum eſt ſenatuſconſultum, juſſique nominare patronos: quatuor nominaverunt, M. Porcium Catonem, P. Cornelium Cn. F. Scipionem, L. Æmilium L. F. Paullum, C. Sulpicium Gallum, cum M. Titinio primum, qui prætor A. Manlio, M. Junio conſulibus in oiteriore Hiſpania fuerat, recuperatores ſumpſerunt. [1] Bis ampliatus, tertiò abſolutus eſt reus. Diſſenſio inter duarum provinciarum legatos eſt orta: citerioris Hiſpaniæ populi M. Catonem & Scipionem; ulterioris L. Paullum & Gallum Sulpicium patronos ſumpſerunt. Ad recuperatores adducti à citerioribus populis P. Furius Philus: ab ulterioribus M. Matienus. Ille Sp. Poſtumio, Q. Mucio conſulibus triennio antè, hic biennio priùs, L. Poſtumio, M. Popillio conſulibus, prætor fuerat. Graviſſimis criminibus accuſati ambo ampliatique: quum dicenda de integro cauſa eſſet, [2] excuſati exilii cauſâ ſolùm vertiſſe. Furius Præneſte, Matienus Tibur exulatum abierunt. Fama erat, prohiberi à patronis nobiles ac potentes compellare: auxitque eam ſuſpicionem Canulejus prætor, quòd omiſsâ eâ re delectum habere inſtituit. dein repentè in provinciam abiit, ne plures ab Hiſpanis vexarentur. Ita præteritis ſilentio obliteratis, in futurum conſultum ab ſenatu Hiſpanis, quod impetrarunt; [3] ne frumenti æſtimationem magiſtratus Romanus haberet: [4] neve cogeret viceſimas vendere Hiſpanos, quanti ipſe vellet: & ne præfecti in oppida ſua ad pecunias cogendas imponerentur.

Urb. cond. an. 582. Coſſ. P. Licinio, & C. Caſſio.

III. Et alia novi generis hominum ex Hiſpania legatio venit. ex militibus Romanis, & ex Hiſpanis mulieribus, [4] cum quibus connubium non eſset, natos ſe memorantes, ſupra quatuor millia hominum, orabant, ut ſibi oppidum, in quo habitarent, daretur. Senatus decrevit, uti no-

NOTÆ.

1. *Bis ampliatus, tertiò abſolutus eſt reus.*] *Ampliari* dicebantur li quorum damnatio vel abſolutio differebatur, quòd nondum plane liqueret de crimine: unde amplius inquirendæ erant idoneæ probationes: ſalliceſ *un : lus amplement enquis*.

2. *Excuſati, exilii cauſa ſolum vertiſſe.*] Qui voluntario exilio damnationem & pœnam antevertebant, damnari ultrà non poterant, nec ad cauſam dicendam cogi; cùm apud Romanos veteres maximum eſset ſuppliciorum in cives exilium, præterquàm ſi Majeſtatis rei convincerentur.

3. *Nec frumenti æſtimationem magiſtratus Romanus haberet.*] Ut ſcilicet frumentum, quod tributi nomine præſtabant provinciales, ſuo pretio, pro ratione liberi commercii, taxatione, non arbitrio magiſtratuum.

4. *Neve cogeret viceſimas vendere Hiſpanos.*] Viceſimarum nomine intelligenda videtur pars vigeſima frumenti, quod in Hiſpanorum regionibus proveniret: impetrarunt autem hoc ſenatuſconſulto, ne triticum ſuum ejuſve partem vendere inviti cogerentur, & ſi venderent, ejus pretium non arbitrarium, & vero minus acciperent.

1. *Cum quibus connubium non erat.*] Tritum Romanis uxores ducere non licuiſſe, niſi Romanas, aut ex iis populis quibus datum extra ordinem connubii jus,

Urb. cond. an. 582. Coss. P. Licinio, & C. Cassio.

mina sua apud a L. Canulejum profiterentur: 3 eorumque si quos manumisisset, eos Cartejam ad Oceanum deduci placere. 4 Qui Cartejensium domi manere vellent, potestatem fore, uti numero colonorum essent, agro assignato. 5 Latissam eam coloniam fuisse, libertinorumque appellari. Eodem tempore ex Africa & Gulussa Masinissæ regis filius, legatus patris, & Carthaginienses venerunt. Gulussa prior in senatum introductus, & quæ missa erant ad bellum Macedonicum à patre suo exposuit: &, si qua præterea vellent imperare, præstaturum merito populi Romani est pollicitus: & monuit Patres Conscriptos, ut à fraude Carthaginiensium cavérent. classis eos magnæ parandæ consilium cepisse; specie pro Romanis, & adversus Macedonas: ubi ea parata instructaque esset, ipsorum fore possessaris quem hostem aut socium habeant. Oravit deinde Senatum, „ne Pœnorum adversus Masinissam querelis crederet. Eas non alio ex fonte, quàm ex innato in Romanos illorum odio, patris sui in ipsos studio proficisci. Patria jura esse dictas à Senatu Populoque Romano fœderis leges, ut eas utilitatibus suis omnibus anteponat: vel potius in Romanorum auctoritate imperioque colendo positam habeat omnem utilitatem. Et ci quidem cordi maximè esse quietem: sed cuendis aut priscis regni paterni finibus, aut Romanorum in se beneficiis; ad arma identidem vi atque artibus Carthaginiensium cogi. Illis priorum cladium aut obliteratâ, aut ad acuendam modò vindictam refricatâ memoriâ, intolerabilem paucorum annorum pacem, cujus nimiâ opulentiâ elati, temperare sibi non possint, quem animos ad pristinum imperium identidem adjiciant, atque adversus vicinos vires experiantur, quibus victoris populi rupto fœdere paulò post exuendi jugum. Hac mente, inquit, nuper cùm Populus Romanus Celtiberico bello distineretur, aliique Hispani oram Numidiæ infestam habe-

Appianus. „rent, Carthalonem auxiliariorum Præfectum in nostros immisere. Is per speciem obeundi fines sibi comminsos, castra Masinissæ in proximo posita ex improviso invasit; copias pacatè & sine cujusquam noxa in assignato à

NOTÆ.

2. *Apud L. Canulejum.*] Is prætor erat Hispaniam fortitus provinciam, supra cap. 31.

3. *Eorumque si quos manumisisset.*] Jure Romano ex concubina vel peregrina geniti manumissione non indigebant ut liberi essent. Dicendum itaque hos Hispanos ex ancillis natos, cujus rei non meminit Livius

4. *Qui Cartejensium domi manere vellent.*] De ipsis *Cartejensibus* accipi non potest: neque enim senatusconsulto est opus, ut qui in colonia nati, aut ejus cives sunt, colonorum numero sint. Quod si Hispanos hybridas intelligamus, dicendum erat, *qui Cartejæ manere vellent*, id est, *apud Cartejam urbem*: nisi ponamus eos jam Cartejæ fuisse: quò tota hæc narratio nequaquam ducit.

5. *Latinam eam coloniam fuisse.*] A quo & quando Cartejam deducta fuerit ante hoc tempus colonia, nullibi quod sciam reperitur. Nunc itaque primum factam coloniam Latinam vult Gron. eò deductis his quatuor millibus Hispanorum: unde legit, *Latinam eam coloniam esse*, quasi id tunc decretum esset à senatu. Obstare tamen videtur quod suprà dicitur, *eorumque si quos manumisisset*: ex quibus verbis colligi potest, hos homines, nec omnes, nec majori ex parte Cartejam missos.

„Legatis

„*Legatis veſtris ſolo agentes adortus, cæſis captiſque non paucis, agreſtes* Urb. cond.
„*Afros concitavit ad rebellandum: nec à vexandis per continuas populationes* an. 582.
„*ac vaſtationes hominibus noſtris deſtitit. His veſtrum eſt P. C. vos pro ve-* Coſſ. P. Li-
„*ſtra tum prudentia tum potentia obviam ire, boſteſque communes ab ejuſ-* cinio Craſ-
„*modi coercere inſultibus, & pacem à vobis datam veſtraque in ſocium* ſo, & C.
„*Regem dona cuare, ut, quemadmodum ipſius in vos fides, perpetua ſint.* Caſſio.
„*Vobis imperium Dii dedere, nobis obtemperandi veſtris velut cæleſtium*
„*juſſis gloria ſola pro Imperio ampliſſimo erit.* Introducti deinde Carthagi-
„nienſium Legati, eadem quæ priori anno pari lamentatione proſecuti Supra lib.
„ſunt. Cùm de re parum conſtaret, vix tamen dubium videbatur, quin 42. cap. 23.
„fretus amicitiâ noſtrâ Maſiniſſa, plurima ultra præſcriptum audereț;
„idque Senatu, qui minui Carthaginis potentiam publicè intereſſe puta-
„ret, non admodùm repugnante. Reſponſum utriſque eſt ituros brevi à Appian.
„Senatu Legatos, qui rem præſentem inſpicerent, & quod jus faſque po- Pun.
„ſtularet, ederent; interim vi armatâ abſtinendum. Nec una hæc erat
„cauſa mittendi Legatos: explorandus erat Carthaginis ſtatus, ſemper Appian. ib.
„quidem in fide nutantis, ſed nunc præſertim inchoato in Macedonem
„bello ad res ſpeſque novas erectæ atque in factiones diſtractæ. Primatum
„quippe pauci Romanarum partium erant. Horum Princeps Hanno, cui
„Magno cognomen indiderant ſui: alii Regi Maſiniſſæ haud magno ſanè
„numero ſtudebant, duce Annibale, quem Pſaris appellatione diſtinxe-
„rant, ſive paſſeris, ſive triremis ſimilitudo ejus cognominis cauſam præ-
„buerat. Pars maxima auræ populari ſerviens Amilcari Samiæ adhære-
„bat, quocum harum partium erat & Carthalo. Legati occupato jam à
„Regiis agro controverſo in Africam venerunt: nec judicum, ſed arbitro-
„rum more, ita res inter Maſiniſſam compoſuerunt, ut velut interdicto,
„cauſâ nec plenè cognitâ, quæ penes quemque tunc eſſent, ea ab iisita poſ-
„ſidenda pronunciarent. Cæterùm non ſine admiratione adeo florentem
„civibus atque opibus urbem videre potuerunt: in tantum enim loci atque
„incolarum ingenio commercioque intra annos viginti creverat, ut nec ſu-
„periorum bellorum, nec duræ obſidionis veſtigia ulla ſupereſſent.

„IV. Sub proſectionem in Africam Legatorum habita in urbe comitia
„Conſules in annum proximum dederunt Hoſtilium Mancinum, Atilium
„Serranum. Aulo utrique prænomen erat. Prætores deinde creati ſegun-
„tur Q. Mænius, M. Recius, L. Hortenſius. His qui addendi ſint Colle-
„gæ, ex Auctoribus qui ad nos pervenêre, certi quod colligas nihil eſt.
„Conſulibus Hoſtilio Macedonia, Atilio Italia obvenit. Urbanam Juriſ-
„dictionem ſortitus eſt Recius, Peregrinam Mænius. Claſſis cum ora ma-
„ritima Hortenſio obtigit. Si quid conjecturæ dandum ex annorum ſequen-
„tium Conſulibus, qui ad hunc honorem vix niſi per Præturam pervenire Pighius ex
„ſoliti, duo ſunt, quorum Præturæ ad hunc annum haud improbabiliter conject.
„referri poſſunt. Q. Ælius Pœtus, T. Manlius Torquatus. Ille tertio hinc
„anno cum M. Junio, hic anno quinto, Collegâ Cn. Octavio, inter Con-
„ſules occurrit in Faſtis Capitolinis. Sextus inter hujus anni Prætores nu-

Urb. cond. an. 582. Coss. P. Licin. Crasso, & C. Cassio.

„meretur Q. Hostilius Tubulus: Hic quippe anno hinc altero C. Popillio
„Lænati Consulari, & C. Decimio Prætorio in Ægyptum ad finiendum
„Antiochi Syriæ Regis & Ptolemæorum fratrum bellum Legatis tertius
„adjungitur: cui legationi cum ejus dignationis viris credibile non est in-
„fertum fuisse nisi curuli honore functum. Hos igitur Siciliam Sardiniam-
„que & Hispaniam Provincias obtinuisse vero non est absimile. Interim P.

Liv. lib. 44. cap. 19.

„Licinius Crassus Consul anni prioris, de cujus minùs prosperis eum Perseo
„ad Peneum prœliis diximus, hiberna partim per Thessaliam, majori ex
„parte per Bœotiam habebat. Nec dignum deinde memoriâ quicquam ges-
„sit, nisi quis inter præclara facinora urbes, agente procul in Macedoniâ
„Rege, expugnatas crudelem in modum, & captis venditisque sub corona
„civibus direptas numerare voluerit. Nec meliùs habitæ à C. Lucretio
„Proprætore, cæterisque classium Præfectis maritimæ civitates. Multa
„ab his impotenter in Socios facta. His postea de injuriis Magistratuum
„Romanorum non immeritò conquerentibus opem tulit, quâ licuit, Se-
„natus, atque imprimis Coronæi, quià Crasso sub Corona venierant, ex
„Senatusconsulto in libertatem sunt restituti.

Epit. Livii lib. 43. Plutarch. in Paull. Æmil.

„V. Cotys ubi Atlesbis vicini Reguli atque Eumenis copiis, quæ sub
„Corrago erant, teneri ditionis suæ partem, seque iis pellendis imparem
„vidit: cum præsertim à tergo Dardani minarentur: à Perse auxilia ex
„mutui fœderis legibus implorare ac flagitare non destitit. Hic sua interesse
„ratus ne perire Cotyn sineret, qui ferè solus fideli societate Macedonum
„partes palam amplectereturr: statim cum equitum alis aliquot quæ in pro-
„ximis urbibus præsidium agitabant, & parte magna phalangis adveniens,
„brevi Marenen regiunculam suis fugatisque hostibus receptam domino
„priori restituit. Inde versis in Dardanos armis, eorum non modò excur-
„sus coërcuit: sed nihil tale suspicantibus superveniens, exercitum decem
„millium cecidit, & qui cladi superstites fuerant, trans montes suos regre-
„di coëgit, terrore, quem in Thraciam intulerant, ipsis patrios intra
„fines per agrorum populationes expugnationesque aliquot oppidorum cu-
„mulatè reddito: unde illorum opulentos spoliis milites reduxit in Macedo-
„niam. Ne ultrà moraretur imminens oræ maritimæ versisque in Thessaliam

Plin. Natur. Hist. 7. 4.

„& Illyricum finibus Romanus impedimento fuit. Per hæc tempora, P.
„nempè Licinio Crasso, C. Cassio Longino Consulibus invenimus in Annali-
„bus Cassini puerum factum ex virgine, sub parentibus, mutato sexu pro
„monstro habitum, jussu Aruspicum deportatum in Insulâ desertam fuisse.

Epit. Liv. 42. Horus 2. 19.

„VI. At M. Junius Pennus Præor in Hispaniam Citeriorem sortis suæ
„Provinciam cum octo millium peditum, quadringentorum & quinqua-
„ginta equitum supplemento vectus, apud Celtiberos cæterosque junctos
„cum ipsis fœdere populos, unius hominis artibus aut furiis potiùs turbata
„reperit omnia. Ad res novandas spe certæ victoriæ accenderat dux novus
„Olonicus (Salondicum alii vocant.) Is pari astu atque audaciâ præ-

NOTÆ.

1. Hoc Caput de *Olonico*, quod sub finem Epitomes hujus Libri legitur

quaſi *Olonicus*, ſive (ut alii Codices habent) *Elonicus*, mendosè ſcriptum ſit, refert Sigonius ad *Clondicum* Baſtarnarum Ducem, qui in Dardaniam cum triginta millibus hominum, cæteris in patriam reverſis, perveniſſe memoratur lib. 40. cap. 58. Hac de causâ pro eo quod in fine hujus Epitomes ſcribitur: *in Hiſpania*: legit idem Sigon. *in Pæonia*, quæ Macedoniæ regio Dardanis vicina. Inde conjiciebam narrationem hanc totam ad Cn. Sicinium Prætorem anni prioris pertinere; qui cùm Juriſdictionem inter Peregrinos ſortitus eſſet, adjectâ prætereà aliorum negotiorum curâ, uti ex Noſtro liquet libri ſuperioris cap. 9. 10. & 18. Prorogato deinde in annum Imperio, navalibus terreſtribuſque copiis attributis, Provinciam Macedoniam obtinere juſſus fuerat: trajectoque ad Apolloniam exercitu, Tribunos cum valida manu ad occupanda Daſſaretiorum atque Illyriorum, ipſis volentibus, caſtella miſerat; quod refertur ejuſdem libri cap. 27. 31. 36. Unde non improbabile videbatur, Licinio Conſule & Præfecto claſſis Lucretio eorumque Legatis Perſeum circa maritima diſtinentibus, Sicinium quo Dardanis Romanorum ſociis contra Baſtarnas Thracaſve bellantibus ſeſe adjungeret, in intimam Macedoniam, quà Dardanis proxima eſt, cum exercitu penetraſſe; ita ut quæ de Olonico interempto ſcribuntur, Clondico convenire potuerint. Idque ſuadebant argumenta duo ex Floro, quibus confici videbatur ea, quæ de Salondico Hiſpano apud eum referuntur, ad hæc tempora revocari non poſſe. Alterum quòd ante Salondicum ponantur Metelli Macedonici, Junioris Africani, Decimi Bruti in Hiſpania geſta; quæ ſanè hoc tempore poſteriora ſint: & quòd Florus caſtra Conſulis adita dicat ab Olonico, cùm tamen per hoc annos nullus eſſet in Hiſpania Conſul, Citeriorque & Ulterior per Proprætores regerentur. Verùm huic ſententiæ vehementer obſtat quæ ſit poſteà Clondici mentio lib. 44. cap. 26. & 27. Licèt enim ibi Gallorum Regulus dicatur, dubium tamen eſſe non poteſt quin idem ſit cum ſuperioris anni Clondico Baſtarnarum Regulo. Baſtarnæ quippe Gallicæ originis ejuſdemque cum Scordiſci generis fuerunt, nec ſermo nec mores abhorrebant, teſte Livio: Quin & Plutarchus in Paulo Æmilio Baſtarnas hos ipſos vocat Gallos: & Clondicus Gallus è Thracia (quo Clondicus Baſtarna adveneratà Philippo vocatus) narratur, ſpretis Perſei conditionibus, retrò cum ſuis ad Iſtrum rediiſſe; ad cujus fluminis ripam ulteriorem Baſtarnarum ſedes. Obſtat & *Hiſpania* nomen, quod vocabulum cum conſtanter & editi & ſcripti ſervent, in Pœniæ appellationem transferre mihi quidem religio eſt. Tentabam num in Hiſpania congruens quid per hoſce annos acciditſſet: nec verè deerat Metellus, in quem convenire poſſet, quod hic ait Noſter, *lenitatem Prætoris, quâ ſine ſanguine ferociſſimam gentem domuerat, gratiam plebi Patribuſque fuiſſe*. Metellus ſanè apud Florum, cùm Contrebiam memorabili cepiſſet exemplo, Nertobrigæ majori gloriâ pepercit: aut, ut Valerius Maximus ait lib. 5. cap. 1. cum urbem Centobricam obſideret, & jam admotâ machinâ partem muri, quæ ſola convelli poterat, diſjecturus videretur, humanitatem propinquæ victoriæ prætulit. Nam cum Rethogenis filios (qui ad eum tranſierat) Centrobricenſes machinæ ictibus objeciſſent: ne pueri in conſpectu patris crudeli genere mortis conſumerentur (quanquam ipſe Rethogenes negabat eſſe impedimento quominus etiam per exitium ſanguinis ſui expugnationem perageret) ab obſidione diſceſſit. Quo quidem tam clementi facto, etſi non unius civitatis mœnia, omnium tamen Celtiberarum urbium animos cepit: effecitque ut ad redigendas eas in ditionem Populi Romani non multis ſibi obſidionibus opus eſſet. Erat & in Appiano Fulvius Nobilior à quo Carus Segedenſis Celtiberorum Dux primo victor, dein dum Romanos fugientes effuſè inſequitur, caſus fuit. Sed hæc in Conſulatu Q. Opimii, L. Poſtumii Albini, annumque urbis incidunt 599. Cæcilii autem Metelli Proconſulires ab hinc remotiores in annum 612. abeunt, qui annus ab hoc Conſulatu trigeſimus eſt. Potior idcircò viſa conjectura Gronovii, quæ & ſalvis loci hominiſque appellationibus conſiſtere, & ſi quid contrà opponatur, idoneis adverſus ea reſponſis aſſtrui poteſt. Nam nec magni momenti videri debet Conſulis nomen, quo utitur Florus. Conſulis enim & Præ-

Urb. cond. an. 592. Coss. P. Licinio Crasso, & C. Cassio.

„ditus vaticinantis specie hastam argenteam quatiens velut Cœlo missam,
„Barbaros ità deliriis suis impleverat, ut ejus suasu in armis, quanta vix
„unquam antea multitudo, convenirent. Prætor, antequam in hostes pro-
„ficisceretur, in id incubuit ut animos Provincialium reliquorum, ne ad
„arma decurrerent, omni benignitatis genere conciliatos in fide retineret.
„Inde in Celtiberiæ fines progressus, castra castris rebellium contulit. Hos
„cum præteritarum cladium recordatione trepidare, nec oraculis suis fa-
„tis confidere Salonidicus cerneret, facinus concepit temeritate, quâ se
„hactenus jactaverat, dignum. Mucii Scævolæ exemplo, Prætorem Po-
„puli Romani propriis in castris trucidandi consilium iniit: rem factu fa-
„cilem ratus, quæ si succederet, quid proclivius quàm destitutum Impe-
„ratore exercitum, tanquam truncum sine capite corpus, delere, tanti-
„que eventûs miraculo firmatis vaticiniis suis summam apud suos potesta-
„tem adipisci? Certè tot inter militantes immixtosque Romanis Hispanos,
„nec cuiquis armorumque apparatu, nec sermone diverso agnoscendus, non
„abs re latere ac fallere non ægrè posse confidebat, atque ad prætorium
„ipsum penetrare. Assumpto itaque in desperati incœpti communionem
„haud dissimilis vesaniæ socio, sub noctem Romana adiit castra, ubi ad
„Junii usque tentorium sine noxa est progressus. Verùm ingredi tentantem
„pilo vigil excepit: socius pares stulti consilii pœnas luit. Periculo libe-
„ratus Junius præcidi utriusque caput, atque hastis suffixum delectis è nu-
„mero captivorum tradi jussit ad suos perferenda. [2] Tantum pavorem
ingressi castra ostentantes capita fecerunt, ut, si admotus extemplo exer-
citus foret, capi castra potuerint. Tum quoque fuga ingens facta est: &
erant qui legatos mittendos, ad pacem precibus petendam, censerent:
civitatesque complures eo nuncio audito, in deditionem venerunt. quibus
purgantibus sese, culpamque in duorum amentiam conferentibus, qui se
ultrò ad pœnam ipsi obtulissent, quum veniam dedisset prætor; profectus
extemplo ad alias civitates, omnibus imperata facientibus, quieto exer-
citu pacatum agrum, qui paulò antè ingenti tumultu arserat, peragravit.
Hæc lenitas prætoris, qua sine sanguine ferocissimam gentem domuerat,

NOTÆ.

toris nomina Auctores promiscuè usurpant: quod hæc utraque dignitas haud multùm dispari potestate imperium militare in Provinciis continebat. Sic, ut alios taceam, Appianus M. Fulvium Flaccum, qui Lusones aliosque Hispanos circa centesimam quinquagesimam Olympiadem devicit, vocat στρατηγὸν (quo vocabulo Consules Romanos Græci exprimunt.) Illum tamen Prætorem tunc fuisse constat ex Livio nostro libro trigesimo quarto capite quinquagesimo primo, & libro trigesimo quinto capite septimo: nec nisi biennio post Consul cum M. Vulsone est creatus libro trigesimo septimo capite quadragesimo octavo. Quod autem Salonidici post Metellum, Lucullum, Scipionem, Brutum in rebus Hispaniæ commemorandis meminit Florus, apparet hunc non ordinem temporum accuratè sequi, sed populorum fata, ac præsertim diversos Hispanorum Duces strictim delibando inter se componere.

2. *Tantum pavorem ingressi castra.*] Hoc loco desiderantur comitia consularia & prætoria anni sequentis. Desunt etiam

Urb. cond. an. 583. Coſſ. A. Hoſtil. Mancino, & A. Atinio Serrano.

eò gratior plebi Patribuſque fuit, quòd crudeliùs avariuſque in Græcia bellatum, & ab conſule Licinio & ab Lucretio prætore, erat. Lucretium tribuni plebis abſentem concionibus aſſiduis lacerabant; quum reipublicæ causâ abeſſe excuſaretur: ſed tum adeo vicina etiam inexplorata erant, ut is eo tempore in agro ſuo Antiati eſſet, aquamque ex manubiis Antium ex flumine Loracinæ duceret. Id opus 4 centum triginta millibus æris locaſſe dicitur. tabulis quoque pictis ex præda fanum Æſculapii exornavit. Invidiam infamiamque ab Lucretio averterunt in Hortenſium ſucceſſorem ejus Abderitæ legati, flentes ante curiam, querentesque *Oppidum ſuum ab Hortenſio expugnatum ac direptum eſſe. Cauſam excidii fuiſſe urbi, quod quum 5 centum millia denariûm, & tritici quinquaginta millia modium imperaret; 6 ſpatium petierunt, quo de ea re & ad Hoſtilium conſulem, & Romam mitterent legatos. Vix dum ad conſulem ſe pervenîſſe, & audiſſe oppidum expugnatum. principes ſecuri percuſſos, ſub corona cæteros veniſſe.* 7 Indigna ſenatui viſa: decreverunt que eadem de Abderitis, quæ de Coronæis decreverant priore anno: eademque pro concione edicere Q. Mænium prætorem juſſerunt. Et legati duo, C. Sempronius Blæſus, Sext. Julius Cæſar, ad reſtituendos in libertatem Abderitas miſſi. Iiſdem mandatum, ut & Hoſtilio conſuli & Hortenſio prætori nunciarent, Senatum Abderitis injuſtum bellum illatum, conquirique omnes qui in ſervitute ſint, & reſtitui in libertatem, æquum cenſere.

VII. Eodem tempore de C. Caſſio, qui conſul priore anno fuerat, tum tribunus militum in Macedonia cum A. Hoſtilio erat, querelæ ad ſenatum delatæ ſunt: & legati regis 1 Gallorum Cincibili venerunt. Frater ejus verba in ſenatu fecit, queſtus, 2 Alpinorum populorum agros ſociorum ſuorum depopulatum C. Caſſium eſſe: & inde multa millia hominum in ſervitutem abripuiſſe. Sub id tempus Carnorum Iſtrorumque & Japidum legati venerunt: *Duces ſibi ab conſule Caſſio primum imperatos, qui in Macedoniam ducenti exercitum iter monſtrarent: pacatum ab ſe tanquam*

NOTÆ.

res à P. Licinio adhuc Coſ. in Macedonia geſtæ, & alia quædam, quæ Sigon. obſervat.

3. *Exflumine Loracina duceret.*] Exiguo alveo perfluit hodie hic amnis Neptunium oppidum Campaniæ Romanæ maritimum.

4. *Centum triginta millibus aris.*] Si aſſes ſemunciales ſumamus exiſtet pretium 3785. librarum Francicarum: ſed exigua hæc ſumma fuadet libras, ſive pondus librarum potiùs intelligi: quo poſito ſumma quater & vicies multiplicanda veniet.

5. *Centum millia denariûm.*] Gallicè, *la valeur de quarante mille livres.*

6. *Spatium petierunt.*] Malo *petierant.*

7. *Indigna ſenatui viſa.*] Deeſt haud dubiè nomen *res*, aut quid ſimile.

1. *Gallorum Cincibili.*] Cùm plures eſſent Galliæ nationes cis & ultra Alpes, cujus nationis rex hic *Cincibilis* fuerit, divinare difficile eſt. *Carnorum* fuiſſe conjicerem niſi hi ſtatim diſtinguerentur. Fuerit itaque alicujus Tranſalpini populi rex, quales memorantur lib. 39. cap. 54. & 55.

2. *Alpinorum populorum.*] *Alpini*, ſeu *Inalpini* dicuntur, qui Alpes incolunt in Galliæ Italiæque confinio. At C. Caſſius magis circa tractum Alpium orientalem Gallos populatus fuiſſe videtur; quod teſtantur querelæ vicinorum Carnorum, Japidum, ſive Japodum atque Iſtrorum.

Urb. cond. an. 583. Coſſ. A. Hoſtil. Mancino, & A. Atinio Serrano.

ad aliud bellum gerendum abiſſe: inde ex medio regreſſum itinere, hoſtiliter peragraſſe fines ſuos: paſſim rapinaſque & incendia facta: nec ſe ad id locorum ſcire, propter quam cauſam conſuli pro hoſtibus fuerint. Et regulo Gallorum abſenti, & his populis reſponſum eſt, *Senatum ea, quæ facta quærantur, neque ſciſſe futura, neque, ſi ſint facta, probare. Sed indicta cauſa damnari abſentem conſularem virum, injurium eſſe, quum is reipublicæ cauſa abſit. Ubi ex Macedonia rediſſet C. Caſſius; tum, ſi coram eum arguere vellent, cognita re ſenatum daturum operam uti ſatisfiat.* Nec reſponderi tantùm iis gentibus, ſed legatos mitti, duos ad regulum trans Alpes, tres circa eos populos placuit, qui indicarent quæ Patrum ſententia eſſet. Munera mitti legatis 3 ex binis millibus æris cenſuerunt. duobus fratribus regulis hæc præcipua, torques duo 4 ex quinque pondo auri facti, & vaſa argentea quinque 5 ex viginti pondo, & duo equi phalerati cum agaſonibus, & equeſtria arma ac ſagula: & comitibus eorum veſtimenta liberis ſerviſque. Hæc miſſa: illa petentibus data, ut denorum equorum iis commercium eſſet, educendique ex Italia poteſtas fieret. legati cum Gallis miſſi trans Alpes, C. Lælius, M. Æmilius Lepidus: ad cæteros populos C. Sicinius, P. Cornelius Blaſio, T. Memmius.

VIII. Multarum ſimul Græciæ Aſiæque civitatum legati Romam convenerunt. Primi Athenienſes introducti: *ii ſe quod navium habuerint militumque P. Licinio conſuli & C. Lucretio prætori miſſiſſe expoſuerunt, quibus eos non uſos, frumenti ſibi centum millia imperaſſe: quod quanquam ſterilem terram arent, ipſoſque etiam agreſtes peregrinos frumento alerent, tamen, ne deeſſent officio, confeciſſe: & alia, quæ imperarentur, præſtare paratos eſſe.* Mileſii nihil præſtitiſſe memorantes, ſi quid imperare ad bellum ſenatus vellet, præſtare ſe paratos eſſe, polliciti ſunt. Alabandenſes templum Urbis Romæ ſe feciſſe commemoraverunt, ludoſque anniverſarios ei Divæ inſtituiſſe: & 1 coronam auream quinquaginta pondo, quam in Capitolio ponerent, donum Jovi Optimo Maximo attuliſſe, & ſcuta equeſtria trecenta, ea cui juſſiſſent, tradituros. Donum ut in Capitolio ponere, & ſacrificare liceret, petebant. Hoc Lampſaceni 2 octoginta pondo coronam afferentes petebant, commemorantes, *Diſceſſiſſe ſe a Perſeo, poſtquam Romanus exercitus in Macedoniam veniſſet, quum ſub ditione Perſei & ante Philippi fuiſſent. Pro eo, & quod imperatoribus Ro-*

NOTÆ.

3. *Ex binis millibus æris.*] Niſi pondo ſive libras intelligamus, viliora quàm par ſit munera invenientur. Quid enim conficient bis mille aſſes Romani hoc tempore ad ſemunciam æris redacti? Vix 87. libras noſtrates ſuperabunt aſſibus 10.

4. *Ex quin que pondo auri.*] Horum torquium, ſi materiam ſolam ſpectes, pretium 2800. libras Francicas non excedet.

5. *Ex viginti pondo.*] Reſpondet hoc argentum 720. libris noſtris.

1. *Coronam auream quinquaginta pondo.*] Æſtimatio ejus auri reddet nobis octo & viginti librarum millia.

2. *Octoginta pondo coronam.*] Gallicè, *dont le poids eſtoit de La valeur de quarante quatre mille huit cens livres.*

manis omnia præstitissent, id se tantum orare, ut in amicitiam populi Romani reciperentur: & si pax cum Perseo fieret: 3 exciperentur, ne in regiam potestatem reciperentur. Cæteris legatis comiter responsum: Lampsacenos [a] in sociorum formulam referre Q. Mænius prætor jussus. munera omnibus in singulos 4 binum millium æris data. Alabandenses seuta reportare ad A. Hostilium consulem in Macedoniam jussi. Et ex Africa legati simul Carthaginienſium, 5 tritici decies centum millia & hordei quingenta, indicantes se ad mare devecta habere, ut, quò senatus censuisset, deportarent. *Id munus officiumque suum scire minus esse, quàm pro meritis populi Romani & voluntate sua: sed sæpe alias bonis in rebus utriusque populi se gratorum fidelitumque sociûm muneribus functos esse.* Item Masinissæ legati, tritici eandem summam polliciti, & mille & ducentos equites, duodecim elephantos. & si quid aliud opus esset, ut imperaret senatus: æquè propenso animo, ac quæ ipse ultrò pollicitus sit, præstaturum esse. Gratiæ & Carthaginienſibus & regi actæ; rogatique, ut ea quæ pollicerentur, ad Hostilium consulem in Macedoniam deportarent. Legatis in singulos binûm millium æris munera missa.

Urb. cond. an. 583. Coss. A. Hostil. Mancino, & A. Attinio Serrano.

IX. Cretensium legatis, commemorantibus, se, quantum sibi imperatum à P. Licinio consule esset sagittariorum, in Macedoniam misisse; quum interrogati non inficiarentur, *Apud Persea majorem numerum sagittariorum quàm apud Romanos militare*; responsum est: *Si Cretenses bene ac graviter destinarent potiorem populi Romani quàm regis Persei amicitiam habere; senatum quoque Romanum iis tanquam certis sociis responsum daturum esse. Itereà nunciarent suis, placere senatui, dare operam Cretenses, ut quos milites inter præsidia regis Persei haberent, eos primo quoque tempore domum revocarent.* Cretensibus cum hoc responso dimissis, Chalcidenses vocati; quorum legatio ipso introitu, ob id quod Mictio princeps eorum pedibus captus lectica est introlatus, [a] ultimæ necessitatis extemplo visa res: in qua ita affecto excusatio valetudinis, aut ne ipsi quidem petenda visa foret, aut data petenti non esset. Quum sibi nihil vivi reliquum præterquàm linguam ad deplorandas patriæ suæ calamitates præfatus esset, exposuit: *Civitatis primum suæ benefacta, & vetera, & ea quæ Persei*

INTERPRETATIO.

[a] *Describi in catalogo sociorum*, seu, *in numerum sociorum recipi.*

[a] *Statim visum est senatui extremâ necessitate* adactos Chalcidenses *hunc præcipuum ad Romanos legatum destinasse, qui adeo pedibus laboraret*, &c.

NOTÆ.

3. *Exciperentur, ne in regiam potestatem reciperentur.*] Mavult Gron. *ne ... reciderent*: fortè, *restituerentur.*

4. *Binûm millium aris.*] Si dicamus pondo, sient libræ nostræ 1350.

5. *Tritici decies centum millia.*] Intelligo *modium*, quod subauditur; nec exprimi necesse est, quamvis Pighius inseruerit. Modiorum porrò nomine significatur mensura, non multùm diversa ab ea, quæ Parisiis vocatur *boisseau*, quæque duodecima est sextarii Parisini.

Urb. cond. an. 583. Coss. A. Hostil. Mancino, & A. Attinio Serrano.

bello præstitissent, ducibus exercitibusque Romanis: tum quæ primo C. Lucretius in populares suos prætor Romanus superbe, avare, crudeliter fecisset: deinde quæ tum cum maxime L. Hortensius faceret. Quemadmodum omnia, sibi etiam iis quæ patiantur tristiora, patienda esse ducant, potius quàm se dedant Persi. Quod ad Lucretium Hortensiumque attineret; scire, tutius fuisse claudere portas, quàm in urbem eos accipere. [1] *Quæ excluſissent eos, Emathiam, Amphipolim, Maroneam, Ænum, incolumes esse: apud se* [2] *templa omnibus ornamentis compilata, & spolataque sacrilegiis C. Lucretium navibus Antium devexisse, libera corpora in servitutem abrepta: fortunas sociorum populi Romani direptas esse, & quotidie diripi. Nam ex instituto C. Lucretii, Hortensium quoque in tectis hieme pariter atque æstate navales socios habere, & domos suas plenas turba nautica esse.* [b] *versari inter se conjuges liberosque suos, quibus nihil neque dicere pensi neque facere.*

X. Arcessere in senatum Lucretium placuit, ut disceptaret coram purgaretque sese. Cæterùm multò plura præsens audivit, quàm in absentem jacta erant: & graviores potentioresque accesere accusatores duo Tribuni plebis, M. Juvencius Thalna, & Cn. Aufidius. Ii non in senatu modò cum lacerarunt, sed in concionem etiam pertracto, multis objectis probris, diem dixerunt. Senatus jussu Chalcidensibus Q. Mænius prætor respondit. *Quæ bene meritos sese, & ante, & in eo bello, quod geratur, de populo Romano dicant, ea & scire vera eos referre senatum, & perinde ac debeant grata esse. Quæ facta à C. Lucretio, fierique ab L. Hortensio prætoribus Romanis queruntur; ea neque facta, neque fieri voluntate senatus,* [a] *quem non posse existimare? qui sciat, bellum Persi & ante Philippo patri ejus intulisse populum Romanum pro libertate Græciæ:* [1] *non ut ea à magistratibus sociis atque amicis paterentur. Literas se ad L. Hortensium prætorem daturos esse: quæ Chalcidenses quærentur acta, ea senatui non placere: si qui in servitutem liberi venissent, ut eos conquirendos primo quoque tem-*

INTERPRETATIO.

[b] *Navales socios, quibus nihil cura est quid loquantur, aut quid agant, cum civibus Chalcidensibus, eorum uxoribus & liberis permixtos esse.*

[a] *Nominem non credere posse ac debere.*

NOTÆ.

1. *Quæ excluſissent eos.*] Ita mavult Sigon. vulgò, *qui excluſissent*: sed urbium nomine novum non est significari cives earum, seu populos.

2. *Templa omnibus ornamentis compilata.*] *Compilare* Ascon. est, *pilos pervellere*: ita ut ne pilum quidem relinquas. Sunt qui à Græco verbo πλω, quod est, *evacuare*, derivent: Plerumque sumitur pro, *cogere*, sive *colligere*; quâ ratione compilantur potiùs res quæ diripiuntur, quàm loca unde res extrahuntur.

1. *Non ut ea à magistratibus sociis atque amicis paterentur.*] Non video cur Gronov. legi potiùs velit, *non ut ea à magistratibus sociis atque amici paterentur*. Quid enim interest an dicantur

pore

pore reſtituendoſque in libertatem curaret : ſociorum navalium neminem præter magiſtros in hoſpitia deduci æquum cenſere. Hæc Hortenſio juſſu ſenatus ſcripta. [2] Munera binûm millium æris legatis miſſa, & vehicula Mictioni publicè locata, quæ eum Brundiſium commodè perveherent. C. Lucretium, ubi dies quæ dicta erat venit, tribuni ad populum accuſarunt, mulctamque [3] decies centum millium æris dixerunt. Comitiis habitis, omnes quinque & triginta tribus eum condemnarunt.

Urb. cond. an. 583. Coſſ. A. Hoſtil. Mancino, & A. Attilio Serrano.

XI. In Liguribus eo anno nihil memorabile geſtum. nam nec hoſtes moverunt arma, neque conſul in agrum eorum legiones induxit: & ſatis exploratâ pace ejus anni; milites duarum legionum Romanarum, intra dies ſexaginta, quàm in provinciam venit, dimiſit. ſociorum nominis Latini exercitu maturè in hiberna Lunam & Piſas deducto, ipſe cum equitibus Galliæ provinciæ pleraque oppida adiit. Nuſquam alibi quàm in Macedonia bellum erat: ſuſpectum tamen & Gentium Illyriorum regem habebant. itaque & octo naves ornatas à Brundiſio ſenatus cenſuit mittendas ad C. Furium legatum Iſſam, qui cum præſidio duarum Iſſenſium navium inſulæ præerat, duo millia militum in eas naves ſunt impoſita, quæ Q. Mænius prætor, ex ſenatuſconſulto in ea parte Italiæ, quæ objecta Illyrico eſt, conſcripſit: & conſul Hoſtilius Ap. Claudium in Illyricum eum quatuor millibus peditum miſit, ut accolas Illyrici tutarentur. qui non contentus iis, quas adduxerat, copiis, auxilia ab ſociis corrogando, ad octo millia hominum vario genere armavit: peragratâque omni eâ regione, ad Lychnidum Daſſaretiorum conſedit.

XII. Haud procul inde [1] Uſcanâ oppidum finium plerunque Perſei erat. decem millia civium habebat, & modicum, cuſtodiæ causâ, Crepenſium præſidium. Inde nuncii ad Claudium occulti veniebant. *Si propius copias admoviſſet, paratos fore qui proderent urbem. Et operæ pretium eſſe, non ſe amicoſque tantum, ſed etiam milites præda expleturum*. Spes cupiditati admota ita occæcavit animum, ut nec exiis qui venerant quem-

NOTÆ.

Chalcidenſes à Romanis ſociis atque amicis, an ab iiſdem pati aliquid ipſi Romanorum ſocii atque amici.

2. *Munera binûm millium æris*.] Jam diximus, ſi aſſes illorum temporum computentur, haud ampla ejuſmodi munera fuiſſe, nempè librarum Gallicarum 58. cum aſſibus ſex atque octo denariis. Si non in pecunia, ſed in ære numerentur, hæc duo millia pondo efficiunt pretium ferè mille trecentarum quinquaginta librarum noſtratium.

3. *Decies centum millium æris*.] Eadem computatione fient noſtrâ monetâ novem ac viginti millia librarum cum centum & ſex ac ſexaginta libris, aſſibus tredecim ac quatuor denariis. Quòd ſi libras æris numeremus, fient ſexcenta ſeptuaginta quinque millia librarum Francicarum.

1. *Uſcana*.] Primarium fuit Peneſtarum oppidum *Uſcana*: erant autem Peneſtæ Macedoniæ occiduæ populi ad meridiem Deuriopum & Daſſaretiorum, intermediis Cambuniis montibus, ad occaſum Pelagoniæ Tripolitis & Eſtiæotidis, à quibus Pæo monte ſejungebantur.

Trib. cond. an. 583. Coll. A. Hoſtil. Manciino, & A. Attinio Serrano.

quam retinaret, [a] nec obſides, pignus futuros furto & fraude agendæ rei, poſceret, nec mitteret exploratum, nec fidem acciperet: die tantùm ſtatutâ profectus ab Lychnido, duodecim millia ab urbe, ad quam tendebat, poſuit caſtra. Quartâ inde vigiliâ ſigna movit; mille fermè ad præſidium caſtrorum relictis: incompoſiti longo agmine effuſi, infrequentes, quum nocturnus error diſſiparet, ad urbem perveneruntque. Crevit negligentia, poſtquam nemineni armatum in muris viderunt. Cæterùm ubi primum ſub jactu teli fuerunt, duabus ſimul portis erumpitur. & ad clamorem erumpentium ingens ſtrepitus è muris ortus, ululantium mulierum cum crepitu undique æris: & incondita multitudo, turbâ immixtâ ſervili, variis vocibus perſonabat. Hic tam multiplex undique objectus terror effecit, ne ſuſtinere primam procellam eruptionis Romani poſſent. itaque fugientes plures quàm pugnantes interempti ſunt: vix duo millia hominum cum ipſo legato in caſtra perfugerunt. Quò longius iter in caſtra erat, eò plures feſſos conſectandi hoſtibus copia fuit. Ne moratus quidem in caſtris Appius, ut ſuos diſſipatos fugâ colligeret (quæres palatis per agros ſaluti fuiſſet) ad Lychnidum protinùs reliquias cladis reduxit.

XIII. Hæc & alia haud proſperè in Macedonia geſta, ex Sexto Digitio tribuno militum, qui ſacrificii causâ Romam venerat, ſunt audita. Propter quę veriti Patres, ne quę major ignominia acciperetur, legatos in Macedoniam, M. Fulvium Flaccum & M. Caninium Rebilum, miſerunt, qui comperta quæ agerentur referrent: & ut A. Hoſtilius conſul comitia conſulibus ſubrogandis ita ediceret, uti menſe Januario comitia haberi poſſent, & ut primo quoque tempore in urbem rediret. Interim M. Recio prętori mandatum, ut edicto ſenatores omnes ex tota Italia (niſi qui reipublicę causâ abeſſent) Romam revocaret. Qui Romę eſſent, ne quis ultra mille paſſuum ab Roma abeſſet. Ea, uti ſenatus conſulta, ſunt facta. Comitia conſularia [1] ante diem quintum Kalendas Septembres fuere. Creati conſules ſunt, Q. Marcius Philippus iterum, & Cn. Servilius Cępio. poſt diem tertium prętores ſunt facti, C. Decimius, M. Claudius Marcellus, C. Sulpicius Gallus, C. Marcius Figulus, Ser. Cornelius Lentulus, P. Fontejus Capito. Deſignati prætoribus, prętor duas urbanas, [2] quatuor provincię ſunt decretę; Hiſpania, & Sardinia, & Sicilia, & Illyrii. Legati ex Macedonia, exacto admodum menſe Februario, rediè-

INTERPRETATIO.

a *Nec petiit ſibi obſides dari qui pignori eſſent in ſeverationem ſuſceptæ, quod nonniſi occultè & furtim, ſive per proditionem perfici poterat.*

NOTÆ.

1. *Ante diem quintum Calendas Septembres.*] Conjicit Pighius *Februarias*: antèa enim decretum à Senatu fuerat, ut comitia menſe Januario haberentur.

2. *Quatuor provincię.*] Trium *provinciæ* pro muneribus ſeu officiis vel curationibus magiſtratuum accipi, & in his quatuor eſt claſſis ſive imperium navale.

runt. *Hi, quas res eâ æstate prospere gessisset rex Perseus, referebant: quantusque timor socios populi Romani cepisset; tot turbibus in potestatem regis redactis. Exercitum consulis infrequentem commeatibus vulgo datis per ambitionem esse: culpam ejus rei consulem in tribunos militum, contra illos in consulem conferre. Ignominiam Claudii temeritate acceptam, 3 elevare eos Patres acceperunt, qui perpaucos Italici generis, & magna ex parte tumultuario delectu conscriptos ibi milites amissos referebant.* Consules designati, ubi primum magistratum iniissent, de Macedonia referre ad senatum jussi: destinatæque provinciæ iis sunt, Italia & Macedonia. Hoc anno intercalatum est: 4 tertio die post Terminalia Kalendæ intercalares fuere. Sacerdotes intra eum annum mortui: 5 L. Flamininus augur, pontifices duo decesserunt, L. Furius Philus, & C. Livius Salinator. in locum Furii T. Manlium Torquatum, in Livii M. Servilium pontifices legerunt. Urb. cond. an. 584. Coss. Q. Marcius Philippo II. & Cn. Servilio Cæpione.

XIV. Principio insequentis anni quum consules novi Q. Marcius & Cn. Servilius de provinciis retulissent, primo quoque tempore aut comparare eos inter se Italiam & Macedoniam, aut sortiri placuit. Priusquàm id sors cerneret, in incertum, ne quid gratia momenti faceret, in utramque provinciam, quod res desiderarent supplementi 1 decerni. In Macedoniam peditum Romanorum sex millia, sociorum nominis Latini sex millia. equites Romanos ducentos quinquaginta, socios trecentos. Veteres milites dimitti, ita ut in singulas Romanas legiones, ne plus sena millia peditum, treceni equites essent. Alteri consuli nullus certus finitus numerus civium Romanorum, quem in supplementum legeret. 2 id modò finitum, ut duas legiones scriberet, quæ quina millia peditum & ducenos haberent, equites trecenos. 5 Peditum Latinorum major quàm collegæ decretus numerus: peditum decem millia & sexceni equites, quatuor præterea legiones scribi jussæ, quæ, si quo opus esset, educerentur. 2 Tribunos his, non permissum, ut consules facerent: populus creavit. Socii

INTERPRETATIO.

2 *Illud tantum decretum ac definitum est.*

NOTÆ.

3. *Elevare eos patres acceperunt.*] Illa *elevare eos* jure à Freinshemio expungi Gronov. censet. Contrarium tamen suadere possent sequentia: nec video cur senatus percipere non potuerit eos qui paucos Italici generis milites, &c. amissos referebant, elevare atque minuere cladem à Claudio acceptam.

4. *Tertio die post Terminalia Calendæ intercalares fuere.*] *Terminalia* festum fuit in honorem *Termini* à Numa Institutum, cui Deo sacra faciebant non hostiis cæsis (nefas enim terminales lapides cruentari) sed oblatis cerealibus libis, frugumque primitiis; celebrabantur autem Terminalia xxj. Februarii, ex Ovid. ex aliis xxij, qui octavus Calendas, unde bisextili intercalario incidit in xxv. Februarii, qui olim duodecimus, sive ultimus anni mensis fuit.

5. *L. Flamininus.*] Deest nomen Sacerdotii. Fuisse autem augurem factum anno 538. in locum P. Furii Phili, patet ex superioribus.

1. *Decerni.*] Supple, *placuit.*

2. *Tribunos iis non permissum.*] Corri-

Urb. cond. an. 584. Coss. Q. Marcio Philippo II. & Cn. Servilio Cæpione.

nominis Latini sexdecim millia peditum, & mille equites imperati. Hunc exercitum parari tantùm placuit, ut exiret si quò res posceret. Macedonia maximè curam præbebat. in classem mille socii navales cives Romani ibertini ordinis ex Italia scribi jussi; totidem ut ex Sicilia scriberentur: &, cui ea provincia evenisset, mandatum, ut eos in Macedoniam, ubicunque classis esset, deportandos curaret. In Hispaniam tria millia peditum Romanorum in supplementum, trecenti equites decreti. Finitus ibi quoque in legiones militum numerus, peditum quina millia, trecenti & triginta equites. Et sociis imperare prætor, cui Hispania obvenisset, jussus quatuor millia peditum, & trecentos equites.

XV. Non sum nescius ab eadem negligentia, 1 qua nihil Deos portendere vulgò nunc credant; neque nunciari admodum nulla prodigia in publicum, neque in annales referri. cæterùm & mihi vetustas res scribenti, 2 nescio quo pacto antiquus sit animus: & quædam religio tenet, quæ illi prudentissimi viri publicè suscipienda censuerint, ea pro dignis habere, quæ in meos annales referam. Anagnia duo prodigia eo anno sunt nunciata: facem in cœlo conspectam, & bovem fœminam locutam publicè ali. Minturnis quoque per eos dies 3 cœli ardentis species affulserat. Reate imbri lapidavit. Cumis in arce Apollo triduum ac tres noctes lacrymavit. in urbe Romana duo æditui nunciarunt, alter, in ædæ Fortunæ anguem jubatum à compluribus visum esse: alter, in ædæ Primigeniæ Fortunæ, quæ in colle est, duo diversa prodigia: palmam in area enatam, & sanguine interdiu pluisse. Duo non suscepta prodigia sunt, alterum quod in privato loco factum esset. 4 palmam enatam, impluvio suo T. Marcius Figulus nunciabat. alterum, quod 5 in loco peregrino, Fregellis in domo L. Atrei hasta, quam filio militi emerat, interdiu plus duas horas arsisse, ita ut nihil ejus ambureret ignis, dicebatur. Publicorum prodigiorum causâ 6 9 libri à decemviris aditi, quadraginta majoribus hostiis, quibus Diis consules sacrificarent. & addiderunt, uti supplicatio fieret, cunctique magistratus circa omnia pulvinaria victimis majoribus sacrificarent, populusque coronatus esset. omnia, uti decemviri præjerunt, facta.

XVI. Censoribus deinde creandis comitia edicta sunt. petierunt censu-

NOTÆ.

git Sigon. *Tribunos militum non permisſum ut conſules facerent.*

1. *Qua vulgò nunc credant.*] Jubet Gron. scribi *credunt*: relativum tamen verbo subjunctivi modi plerumque gaudet.

2. *Antiquus ſit animus.*] Num potiùs, *antiquus ſit animus*, id est, qui vetustis moribus ac rebus delectetur.

3. *Cœli ardentis ſpecies affulſerat.*] Malim cum Gron. *effulſerat.*

4. *Palmam enatam, impluvio ſuo.*] Repete ex superioribus præpositionem *in*.

5. *In loco peregrino.*] At non negligebantur prodigia, quæ multa aliunde quam ab urbe Roma, ejusve coloniis nunciabantur.

6. *Libri à decemviris aditi.*] Hunc locum sic Gron. restituit: *publicorum prodigiorum causâ libris Decemviri aditis, quadraginta majoribus hoſtiis, quibus Diis Conſules ſacrificarent; & uti ſupplicatio fieret*, &c.

ram principes civitatis, C. Valerius Lævinus, L. Postumius Albinus, P. Mucius Scævola, M. Junius Brutus, C. Claudius Pulcher, Tib. Sempronius Gracchus. Hos duos censores creavit populus Romanus. Quum delectus habendi major quàm alias propter Macedonicum bellum cura esset, consules plebem apud senatum accusabant, [1] quòd & juniores non responderent. Adversus quos [2] C. Sulpicius & M. Claudius [3] tribuni plebis causam egerunt. *Non consulibus, sed ambitiosis consulibus delectum difficilem esse.* 3 *neminem invitum militum ab iis fieri. Id ita ut esse scirent & Patres Conscripti; prætores, quibus & vis imperii minor & auctoritas esset, delectum, si ita senatui videretur, perfecturos esse.* Id prætoribus 4 magna Patrum * non sine suggillatione consulum mandatum est. Censores, ut eam rem adjuvarent, ita in concione edixerunt, *Legem consui censendo dicturos esse, ut præter commune omnium civium jusjurandum* [a] *hæc adjurarent:* 5 *Tu minor annis sex & quadraginta es, tuque ex edicto C. Claudii, Ti. Sempronii censorum ad delectum prodito:* & [6] *quotiescunque delectus erit, quem* * *hic censores magistratum habebunt, si miles factus non eris, in delectu prodibis.* Item quia fama erat, multos ex Macedonicis legionibus, incertis commeatibus per ambitionem imperatorum ab exercitu abesse; edixerunt de militibus P. Ælio, C. Popillio consulibus postve eos consules in Macedoniam scriptis: *Ut, qui eorum in Italia essent, inter dies triginta censi prius apud se, in provinciam redirent. qui in patris aut avi potestate essent, eorum nomina ad se ederentur.* [b] *Missorum quoque causas sese cognituros esse: & quorum ante emerita stipendia gratiosa missio sibi visa esset, eos milites fieri jussuros.* Hoc edicto literisque censorum per

Urb. cond. an. 584. Cos. Q. Marcio Philippo, II. & Cn. Servilio Cæpione.

INTERPRETATIO.

a *Novum de his jusjurandum communi jurijurando adjicerent.*

b *Se cognituros de causis ob quas dimissi essent à militia.*

NOTÆ.

1. *Quod & juniores non respondérent.*] Gronovio videtur inutile *To*, &, aut deesse plura. Ea tamen particula si accipiatur pro *etiam*, sic intelligi potest, ut velit auctor ipsos etiam juniores, qui maxime prompti ad danda nomina esse debuissent, non respondisse ad delectum.

2. *C. Sulpicius & M. Claudius.*] Hos Perizonius non tribunos plebis sed prætores fuisse contendit, ut qui patricii omnino essent: plebis nihilominus nunc causam egerunt.

3. *Neminem invitum militem ab iis fieri.*] Ideireo ambitiosos consules vocat, quòd offensiones ingerent, neminem ad delectum cogendo, etiamsi jure possent.

4. *Magna Patrum.*] Recte supplere videtur Sigon. *consensione*: dicere etiam possis, *magnâ Patrum concordiâ.*

5. *Tu minor annis sex & quadraginta es.*] Vides hic finem veteris apud Romanos militiæ.

6. *Quotiescunque delectus erit quem hic censores.*] Vetus hæc lectio fuit: olim fuisse putat Gronov. *quem* (supple delectum) *his censoribus magistratus habebunt*: ego non improbaverim: *quotiescunque delectus erit, quem hi censores magistratum habebunt*, id est, *quandiu ipsi censores essent.*

Urb. cond. an. 584. Coſſ. Q. Marcio Philippo II. & Cn. Servilio Cæpione.

fora & conciliabula dimiſſis, tanta multitudo juniorum Romam convenit, ut gravis urbi turba inſolita eſſet.

XVII. Præter delectum eorum, quos in ſupplementum mitti oportebat, quatuor à C. Sulpicio prætore ſcriptæ legiones ſunt, intraque undecim dies delectus eſt perfectus. Conſules deinde ſortiti provincias ſunt. nam prætores propter juriſdictionem maturiùs ſortiti erant. Urbana C. Sulpicio, peregrina C. Decimio obtigerat, Hiſpaniam M. Claudius Marcellus, Siciliam Ser. Cornelius Lentulus, Sardiniam P. Fonteius Capito, claſſem C. Marcius Figulus erat ſortitus. conſulum Cn. Servilio Italia, Q. Marcio Macedonia obvenit. Latiniſque actis, Marcius extemplo eſt profectus. Cæpione deinde referente ad ſenatum, quas ex novis legionibus duas legiones ſecum in Galliam duceret: decrevere Patres, ut C. Sulpicius, M. Claudius prætores ex his quas ſcripſiſſent legionibus, quas videretur conſuli darent. 1 Indigne patiente prætorum arbitrio conſulem ſubjectum, dimiſſo ſenatu ad tribunal prætorum ſtans poſtulavit, ex Senatuſconſulto deſtinarent ſibi duas legiones. 2 prætores conſuli in eligendo arbitrium fecerunt. Senatum deinde cenſores legerunt: M. Æmilius Lepidus princeps, ab tertiis jam cenſoribus lectus. Septem è ſenatu ejecti ſunt. In cenſu accipiendo populi, milites ex Macedonico exercitu, qui quàm multi abeſſent ab ſignis, cenſus docuit, 3 in provinciam cogebant: 4 cauſas ſtipendiis miſſorum cognoſcebant: & cujus nondum juſta miſſio viſa eſſet, ita 5 juſjurandum adi-

NOTÆ.

1. *Indigne patiente prætorum arbitrio conſulem ſubjectum.*] Hic *patiente* in auferendi caſu abſolutè ſumitur, eſtque velut ſequela ſuperioris ſive commatis, ſive periodi, ubi *Cæpione deinde referente* ; unde minus neceſſaria videri poteſt ſcriptio, quam ſuggerit Gron. *indigne patiens prætorum arbitrio conſul ſe ſubjectum.*

2. *Prætores conſuli in eligendo arbitrium fecerunt.*] Corrigendum Gron. contendit, *conſulis*: ſed quòd ſe reſtituiſſe jactat lib. 27. cap. 8. *Senatus populi poteſtatem fecit*, cum vulgò legeretur, *populo*: pace eruditi viri dixerim, haud tanti fuiſſe; æquè enim aut etiam ſæpiùs dicitur, *poteſtatem alicui facere*, quàm *poteſtatem alicujus facere* apud Cic. 3. Verrin. *Judices ſubſcribendi mihi fecerunt poteſtatem*: ſic etiam pro Sextio Roſc. *facio tibi poteſtatem interpellandi*: 1. quoque Philipp. *quæ poteſtas ſi mihi ſæpius fieret.*

3. *In provinciam cogebant.*] An *adigebant* in provinciam Macedoniam? an verò *congregabant* ſive in eam provinciam remittendos, ſive apud ſe ex provincia & munere cenſorio examinandos: apud Cic. certè eſt, *non amplius quatuordecim cohortes Nuceriam coegi*. Gallicè fortè dixerimus, *il les reduiſoit à aller faire leur devoir*.

4. *Cauſas ſtipendiis miſſorum cognoſcebant.*] Videtur, inquit Gron. excidiſſe *emeritis*; quaſi dicas, *eorum qui ſtipendiis emeritis miſſi erant*. Mihi autem videtur ſtipendia hic pro militia ſumi, & *ſtipendiis miſſos* dici, pro eo quod eſt, *dimiſſos eſſe à militia*; nam omnes *emeritis ſtipendiis miſſi fuiſſent*, non potuiſſet non juſta videri miſſio, nec opus fuiſſet *cauſa cognitione*.

5. *Juſjurandum adigebam.*] Num potiùs, *ad juſjurandum adigebant*, ut apud Cæſar. lib. 1. de bello civ. *principes in hoc verba jurat ipſe, ad idem juſjurandum adigit Afranium*. Eſt tamen apud Gell. lib. 16. cap. 14. *Juſjurandum eos tribunus militaris adigebat in verba hæc*. Et reve-

gebant. 6 *Ex tui animi sententia, tu ex edicto, C. Claudii, Ti. Sempronii censorum in provinciam Macedoniam redibis,* 2 *quod sine dolo malo facere poteris.*

Urb. cond. an. 584. Coss. Q. Marcio Philippo II. & Cn. Servilio Cæpione.

XVIII. In equitibus recensendis tristis admodum eorum atque aspera censura fuit: multis equos ademerunt. in ea quum equestrem ordinem offendissent, 2 flammam invidiæ adjecere edicto, 1 quo edixerunt, *Ne quis eorum, qui Q. Fulvio, A. Postumio censoribus publica vectigalia aut ultro tributa conduxissent, ad hastam suam accederet, sociusve* 2 *aut affinis ejus conductionis esset.* Sæpè id querendo veteres publicani, quum impetrare nequissent ab senatu, ut modum potestati censoriæ imponerent; tandem tribunum plebis P. Rutilium, ex rei privatæ contentione iratum censoribus, patronum causæ nacti sunt. 3 Clientem libertinum parietem in Sacra via adversus ædes publicas demoliri jusserunt, quod publico inædificatus esset. appellati à privato tribuni, quum præter Rutilium nemo intercederet, censores ad pignora capienda miserunt: mulctamque pro concione privato dixerunt. Hic contentione ortâ, quum veteres publicani se ad tribunum contulissent; rogatio repentè sub unius tribuni nomine promulgatur: *Quæ publica vectigalia, ultro tributa, C. Claudius & Ti. Sempronius locassent, ea rata locatio ne esset. de integro locarentur, & ut omnibus redimendi & conducendi promiscuè jus esset.* 4 Diem ad ejus rogatio-

INTERPRETATIO.

2 *Bonâ fide quantum erit in tua potestate.*

2 *Ea edicto suo adjecerant quibus odium adversum se magis ac magis excitarunt, & quasi accenderunt.*

NOTÆ.

ra, quid aliud est, *adigere* inspectâ verbi origine, quàm *agere ad aliquid*, sive, *impellere*; quemadmodum *adire*, est, *ire ad* locum sive *ad* hominem quempiam.

6. *Ex tui animi sententia.*] Spectat hæc formula ad cavillationes & alienas à mente exigentis interpretationes vitandas: his enim verbis exigebatur, ut qui jurabat idem sentiret, ac qui juramentum exigebat.

1. *Quo edixerunt.*] Sequens adjecta huic edicto censoria formula, ideo offendit equites, quia publicani ferè ex eorum ordine; & plerique equites conducendorum vectigalium cæteroquin populi Romani rediturum societates inire coibant.

2. *Aut affinis ejus conductionis.*] *Affinis* hic dicitur pro *consorte*, *participe*; licèt enim propriè affines viri dicantur, cognati uxoris, & affines uxoris cognati mariti, eò quòd duæ cognationes per nuptias ita conjungantur, ut altera ad alteram quasi finem accedat; trahitur nihilominus hoc nomen ad alias cognationis species: unde affines alicujus culpæ, sceleris, suspicionis dicuntur, qui eum aliis consensu, consilio, aliove genere aliquatenus participant, aut etiam qui ejus conscii sunt. Igitur hoc loco *affinis conductionis* intelligitur, qui alieno nomine publica redimit, sive mancipibus operum publicorum se sociè ita conjunxit, ut lucri partem aliquam ferat.

3. *Clientem libertinum.*] Nemo non videt Rutilii clientem indicari, ut nihil opus sit adjici pronomen demonstrativum *hujus*, vel *ejus*, quod Cicon. deesse putat.

4. *Diem ad ejus rogationem.*] *Rogatio* legem vel plebiscitum significat. Porrò lex apud Romanos primò à magistratu

Trib. cond. an. 584. Coss. Q. Marcio Philippo II. & Cn. Servilio Capione.

nem concilio tribunus plebis dixit. qui postquàm venit, ut censores ad dissuadendum procederent, Graccho dicente, silentium fuit. quum Claudio obstreperetur, audientiam facere præconem jussit. Eo facto, evocatam à se concionem tribunus questus, & in ordinem se coactum, ex Capitolio, ubi erat concilium, abiit. Postero die ingentes tumultus ciêre. 5 Ti. Gracchi primùm bona consecravit, quòd in mulcta pignoribusque ejus, qui tribunum appellasset, intercessioni non parendo, se in ordinem coegisset. C. Claudio diem dixit, quòd concionem ab se avocasset: & utrique censori perduellionem se judicare pronunciavit, diemque comitiis à C. Sulpicio prætore urbano petiit. Non recusantibus censoribus quo minus primo quoque tempore judicium de se populus faceret, in ante dies VIII. & VII. Kalend. Octob. comitiis perduellionis dicta dies. Censores extemplo in atrium Libertatis ascenderunt: & ibi signatis tabellis publicis, clausoque tabulario, 6 & dimissis servis publicis, negarunt, se priùs quidquam publici negotii gesturos, quàm judicium populi de se factum esset. Prior Claudius causam dixit. & 7 quum ex duodecim centuriis equitum octo censorem condemnassent, multæque aliæ primæ classis, extemplo principes civitatis in conspectu populi annulis aureis positis, vestem mutarunt, ut supplices plebem circumirent. Maximè tamen sententiam vertisse dicitur Ti. Gracchus, quòd quum clamor undique plebis esset, periculum Graccho non esse, conceptis verbis juravit, si collega damnatus esset, non expectato de se judicio, comitem exilii ejus futurum. b Adeo tamen

10 15 20

INTERPRETATIO.

b *Ita C. Claudius reus parum abfuit à damnationis periculo.*

NOTÆ.

proponebatur seu promulgabatur; deinde vel apud plebem in concilio seu tributis comitiis; vel apud populum universum curiatis olim, postea centuriatis ferè comitiis aut perrogabatur seu approbabatur, aut antiquabatur seu rejiciebatur. Hic rogatio utroque sensu accipitur, primo quidem, cùm dicitur *rogatio repente subunius tribuni nomine promulgabatur*: altero vero, cùm Livius ait, *diem ad ejus rogationem concilio tribuni plebis dixit*.

5. *Ti. Gracchi primùm bona consecravit.*] Reorum bona aliquando ab inimicis magistratibus confecrabantur, ne facilè recuperari possent à dominis; cùm tuis quam *octodecim*, quot scilicet equienim divini juris facta essent, difficilè tum centurias fecerat Servius Tullius. Et ad usus prophanos reverti poterant. Sic certè vix dubitandum videtur quin pecunum Libertati dicavit, eâ mente ut *duodecim* legendum sit, *octodecim*.

quominus eam veteri domino restitueret.

6. *Et dimissis servis publicis.*] *Servi publici*, sive *servi reipublicæ* erant tabularii: sic dicti, quòd publicas tabulas, sive scripturas & acta publica servarent. Ideo autem servis publicis id muneris committebatur, ut possent cuivis è populo stipulari: non enim acquirere quisquam alteri poterat, absque speciali mandato, nisi in ejus esset potestate, uti filius f. parenti, & servus domino.

7. *Cùm ex duodecim centuriis equitum.*] Quærit Gron. quare *duodecim* posint divini juris facta essent, difficilè tum centurias fecerat Servius Tullius. Et ejusmodi religione deterrerentur judices,

ad extre-

ad extremum ſpei venit reus, ut octo centuriæ ad damnationem defuerint. Absoluto Claudio, tribunus plebis negavit ſe Gracchum morari. Urb. cond. an. 584. Coſſ. Q. Marcio Philippo II. & Cn. Servilio Cæpione.

XIX. Eo anno poſtulantibus à ſenatu Aquilejenſium legatis, [1] ut numerum colonorum augeret, mille & quingentæ familiæ ex ſenatuſconſulto ſcriptæ: triumvirique, qui eas deducerent, miſſi ſunt, T. Annius Luſcus, P. Decius Subulo, M. Cornelius Cethegus. Eodem anno C. Popillius & Cn. Octavius legati, qui in Græciam miſſi erant, Senatuſconſultum, Thebis primùm recitatum, per omnes Peloponneſi urbes circumtulerunt, *Ne quis ullam rem in bellum magiſtratibus Romanis conferret, præterquàm quod ſenatus cenſuiſſet.* Hoc fiduciam in poſterum quoque præbuerat, levatos ſe oneribus impenſiſque, quibus [2] alia aliis imperantibus exhauriebantur. 3 Achaico concilio Argis agitato, benignè locuti auditique. 4 egregiâ ſpe futuri ſtatûs ⁊ fidiſſimâ gente relictâ, in Ætoliam trajecerunt. Ibi nondum quidem ſeditio erat, ſed omnia ſuſpecta, criminumque inter ipſos plena. ob quæ obſidibus poſtulatis, neque exitu rei impoſito, in Acarnaniam inde profecti legati ſunt. Thyrii concilium legatis Acarnanes dederunt. Ibi quoque inter factiones erat certamen: quidam principum poſtulare, ut præſidia in urbes ſuas inducerentur, adverſus amentiam eorum, [5] qui ad Macedonas gentem trahebant: pars recuſare, ne, quod bello captis & hoſtibus mos eſset, id pacatæ & ſociæ civitates ignominiæ acciperent. Juſta deprecatio hæc viſa. Lariſſam ad Hoſtilium proconſulem (ab eo enim miſſi erant) legati redierunt. Octavium retinuit ſecum. Popillium cum mille fermè militibus in hiberna Ambraciam miſit.

XX. Perſeus principio hiemis egredi Macedoniæ finibus non auſus, ne quâ in regnum vacuum irrumperent Romani, ſub tempus brumæ, quum inexſuperabiles ab Theſſalia montes nivis altitudo facit, occaſionem eſſe ratus, frangendi finitimorum ſpes animoſque, ne quid averſo ſe in Roma-

NOTÆ.

1. *Ut numerum colonorum augeret.*] Vel legendum eſt, *poſtulantibus à ſenatu Aquilejenſium legatis*, ut Sigon. cenſet; vel, quod ſuſpicatur Gron. mutanda vox activa in paſſivam: *ut numerus colonorum augeretur.*

2. *Aliis alia imperantibus.*] Cùm ſcilicet Magiſtratus Romani, qui in Græciam mittebantur, diverſa inter ſe onera provincialibus imponerent.

3. *Achaico concilio Argis agitato.*] *Ægii* ex Polyb. fragm. 74. quemadmodum Fulv. Urſin. obſervat. Ægium autem præcipuam fuiſſe Achajæ in Peloponneſo civitatem, ubi & concilii Achaici conventus indici ſoliti, notavimus ad lib. 38. cap. 30.

4. *Egregiâ ſpe futuri ſtatus fidiſſima gente relictâ.*] Improbati vix poteſt Mureti lectio: *fidiſſimæ genti relictæ.* Nec tamen laborabit ſententia, ſi vulgatæ ſcripturæ retineatur: erit enim ac ſi diceret, *fidiſſima relicta eſſet gens* (nempe Achæorum) *in ſpe egregii ſtatus ſui futuri.*

5. *Qui ad Macedonas gentem trahebant.*] Vulgò *ad Macedoniam gentem*: unde Fulv. Urſinus deeſſe putat vocabulum *res*: præſertim cùm ſit apud Polyb. quem ſequitur Livius, τῶν ἀποδεικνύντων τὰ πρὸς ἡμᾶς πρὸς Περσέα κεκλιμένα. Sed nec Polybiana reddidit noſter de verbo ad verbum: & conſtat Polybii ſententia ex lectione quam Gronov. profert.

Tit. Liv. Tom. IV.

Urb. cond. an. 534. Coss. Q. Marcio Philippo II. & Cn. Servilio Capione.

num bellum periculi subesset, quum 1 à Thracia pacem Cotys, 2 ab Epiro Cephalus repentinâ defectione à Romanis præstaret, 3 Dardanos recens domuisset bello; solum infestum esse Macedoniæ latus, quòd ab Illyrico pateret, cernens, neque ipsis quietis Illyriis, & 4 aditum præbentibus Romanis, si domuisset proximos Illyriorum, Gentium quoque regem jam diu dubium in societatem pellici posse; cum decem millibus peditum, quorum pars phalangitæ erant, & 5 duobus millibus levium armatorum, & quingentis equitibus profectus, Stuberam venit. Inde frumento complurium dierum sumpto, jussoque apparatu oppugnandarum urbium sequi, tertio die 6 ad Uscanam (Penestiæ paginis terræ ea maxima urbs est) posuit castra: priùs tamen quàm vim admoveret, missis qui tentarent nunc præfectorum præsidii, nunc oppidanorum animos, erat autem ibi cum juventute Illyriorum Romanum præsidium. Postquam nihil pacati referebant, oppugnare est adortus, & coronâ eam capere conatus est. quum sine intermissione interdiu noctuque alii aliis succedentes, pars scalas muris, ignem portis inferrent, sustinebant tamen eam rempestatem propugnatores urbis: quia spes erat, neque hiemis vim diutiùs pati Macedonas in aperto posse, nec ab Romano bello tantùm regi laxamenti fore, ut posset morari. Cæterùm postquàm vineas agi turresque excitari viderunt, victa pertinacia est. nam, præterquàm quòd adversus vim pares non erant, ne frumenti quidem aut ullius alterius rei copia intus erat, ut in necopinata obsidione. Itaque quum spei nihil ad resistendum esset, C. Carvilius Spoletinus, & C. Afranius à præsidio Romano missi, qui a Perseo peterent: primò, ut armatos suaque secum ferentes abire sineret: dein, si id minus impetrarent, vitæ tantùm libertatisque fidem acciperent. Promissum id benignius est ab rege, quàm præstitum. exire

NOTÆ.

1. *A Thracia pacem Cotys.*] Hunc Odrysarum regem ab prudentiâ, humanitate, ac temperantiâ, tanquam à Thracibus reliquis abhorrentem, laudat Polyb. in excerpt. lib 27.

2. *Ab Epiro Cephalus.*] A Cephalo Taphios & Teleboas, ei ab Amphitryone ante Trojana tempora commissos, in Acarnaniam deductos Strabo testatur: unde nihil mirum si in Acarnania & Epiro usitatum posteà fuerit Cephali nomen. Hic autem Cephalus, de quo nunc agit Livius, Romanorum partes deseruerat, coactus falsis Charopi Junioris criminationibus, & metu ne Romam in vinculis perduceretur cum Antinoo, administrandæ Epirotarum reipublicæ socio, quemadmodum Lycisci calumniis Hippolochum, Nicandrum, & Lochagum principes Ætolorum Romam asportari viderat, quòd in bello contra Perseum Romanis, non ultra fœderis leges, obsecundarent. Qua de re Polyb. in excerptis lib. 27.

3. *Dardanos recens domuisset bello.*] Excidit suprà ex pars hujus libri, quâ Persei adversus Dardanos bellum narrabatur pluribus haud dubie paginis, nunc ad res in Illyrico gestas accingitur Liv.

4. *Aditum præbentibus Romanis.*] Minor dubio procul erit ambiguitas, si ut Gron. indicat, legas, *Neque quietis Illyriis, & aditum præbentibus Romam.*

5. *Duobus millibus levium armatorum.*] Contendit idem Gron. scribendum, *levium armorum.*

6. *Ad Uscanam.*] Aliis *ad Uscana*; in numero plurali. De hac urbe suprà cap. 10.

enim ſua ſecum efferentibus juſſis, primùm arma ademit. his urbe egreſſis, & Illyriorum cohors (quingenti erant) & Uſcanenſes ſe urbemque dediderunt. Urb. cond. an. 584. Coſſ. Q. Marcio Philippo II. & Cn. Servilio Cæpione.

XXI. Perſeus præſidio Uſcanæ impoſito, multitudinem omnem deditorum, quæ propè numero exercitum æquabat, Stuberam abduxit. Ibi Romanis (quatuor millia autem hominum erant, præter principes) in cuſtodiam civitatum diviſis, Uſcanenſibus Illyriiſque venditis, in Peneſtiam exercitum reducit, [1] ad Oeneum oppidum in poteſtatem redigendum: & alioqui opportunè ſitum; & tranſitus eâ eſt [2] in Labeates, ubi Gentius regnabat. Præcreunti frequens caſtellum, Draudacum nomine, peritorum quidam regionis ejus, nihil Oeneo capto opus eſſe ait, niſi in poteſtate & Draudacum ſit. opportunius enim ad omnia poſitum eſſe. Admoto exercitu omnes extemplo dediderunt ſeſe. [a] Quæ ſpe celeriore deditione erectus, poſtquàm animadvertit quantus agminis ſui terror eſſet, undecim alia caſtella eodem metu in poteſtatem redigit. ad perpauca vi opus fuit, cætera voluntate dedita: & in his receptis mille & quingenti diſpoſiti per præſidia milites Romani. Magno uſui Carvilius Spoletinus erat in colloquiis, dicendo, nihil in ipſos ſævitum. ad Oeneum perventum eſt, quod ſine juſta oppugnatione capi non poterat; & majore aliquantò quàm cæterâ juventute, & validum oppidum mœnibus erat. & hinc amnis Arratus nomine, hinc mons præaltus & aditu difficilis cingebat: hæc ſpem ad reſiſtendum oppidanis dabant. Perſeus, circumvallato oppido, aggerem à parte ſuperiore ducere inſtituit, cujus altitudine muros ſuperaret, quod opus dum perficitur, crebris interim prœliis, quibus per excurſiones & mœnia ſua oppidani tutabantur, & opera hoſtium impediebant, magna eorum multitudo variis caſibus abſumpta eſt: & qui ſupererant, labore diurno nocturnoque, & vulneribus inutiles erant. Ubi primùm agger injunctus muro eſt, & cohors regia, [3] quos Nicatoras appellant, tranſcendit: & ſcalis multis ſimul partibus impetus in urbem eſt factus: pueros omnes interfecti ſunt: conjuges, liberoſque eorum in cuſtodiam dedit.

INTERPRETATIO.

[a] *Eaque deditione inflatus, quâ celerior fuit, quàm ſperatum fuerat.*

NOTÆ.

1. *Ad Oeneanum.*] In Stymphalidis atque Atintanum confinio fuit *Oeneum*, Peneſtarum oppidum, cui ad ortum erat Draudacum.

2. *In Labeatet.*] Ad urbem ac regionem Labeatium qui ad Labeatin lacum. Eorum urbem ajunt *Scodram* fuiſſe; nunc *Scutari* Turcis, in Dalmatia: quod ſi ita eſt, aut falli oportet Livium, cùm in Labeates tranſitum per Oeneum Peneſtarum ponit; aut perperam locari Peneſtas inter Deuriopes, Stymphalios, & Atintanes à Nic. Sanſone. Meliùs fortè Brietius, qui *Oeneum* neotericis vult eſſe *Sabioncello*, aut *Ciderifſo*. *Scodram* autem cum Doclea, ſive Diocleа Scordiſcis adſcribit.

3. *Quos Nicatoras appellant.*] Id Græcum vocabulum eſt, quo *victores* deſignantur.

Urb. cond. an. 584. Coss. Q. Marcio Philippo II. & Cn. Servilio Cæpione.

prædæ alia militum cessere. Stuberam inde victor revertens, ad Gentium legatos, Plevratum Illyrium, exulantem apud se, 4 & apud eum Macedonem à Beroea, mittit. Iis mandat, ut exponeret æstatis ejus hiemisque acta sua adversus Romanos, Dardanosque. adjicerent recentia in Illyrico hibernæ expeditionis opera. hortarentur Gentium in amicitiam secum & cum Macedonibus jungendam.

XXII. Hi transgressi jugum 1 Scordi montis, per Illyrici solitudines, quas de industria populando Macedones fecerant, ne transitus faciles Dardanis in Illyricum aut Macedoniam essent, 2 Scodram labore ingenti tandem pervenerunt. 3 Lissi rex Gentius erat. eo acciti legati mandata exponentes, benignè auditi sunt: qui responsum sine effectu tulerunt; *Voluntatem sibi non deesse ad bellandum cum Romanis: cæterùm ad conandum id, quod velit, pecuniam maximè deesse.* Hæc Stuberam retulere regi, tum maximè captivos ex Illyrico vendenti. Extemplo iidem legati, addito Glaucià ex numero custodum corporis, remittuntur, sine mentione pecuniæ, quâ unâ barbarus inops impelli ad bellum poterat. 4 Ancyram deinde populatus Perseus, in Penestas rursum exercitum reducit: firmatisque Uscanæ, & circa eam per omnia castella quæ receperat, præsidiis in Macedoniam sese recipit.

XXIII. L. Cælius, legatus Romanus præerat Illyrico; qui 1 moveri non ausus, quum in iis locis rex esset, post profectionem demum ejus conatus in Penestis Uscanam recipere, à præsidio, quod ibi Macedonum erat, cum multis vulneribus repulsus, Lychnidum copias reduxit. Inde post dies paucos M. Trebellium Fregellanum cum satis valida manu in Penestas misit, ad obsides ab his urbibus, quæ in amicitia cum fide permanserant, accipiendos. Procedere etiam in Parthinos (ii quoque obsides dare pepigerant) jussit: ab utraque gente sine tumultu exigi. Penestarum obsides Apolloniam, Parthinorum Dyrrachium (tum Epidamni magis celebre nomen Græcis erat) missi. Ap. Claudius acceptam in Illyrico ignominiam corrigere cupiens, 2 Phanoten Epiri castellum adortus oppugnare, &

NOTÆ.

4. *Et apud eum Macedonem.*] *Ad eum* legi vult Henr. Vales. & Polyb. legat. 76.

1. *Scordi montis.*] Quem *Scordum* Plin. *Scardum* Strabo vocat, Mons est Macedonicum regnum dividens ab Illyrico. Baccetius *Marinat* hodie dici vult: at Jacobus Petri Lucanus *Gliabotin Planina* appellari alleverat.

2. *Scodram labore ingenti.*] Urbs est Dalmatiæ: aliquando Illyrici regia; hodie Italis *Scutari*, Turcis dominantibus *Iscodar*; Albaniæ adscribitur, sexdecim millibus passuum ab Adriatico mari.

3. *Lissi rex Gentius erat.*] *Lissus* urbs quoque fuit Dalmatiæ in Illyrico paulò supra ostia Drilonis in intimum maris Adriatici recessum influentis: nunc *Alessio* in Albania.

4. *Ancyram deinde populatus.*] Sub Cambuniis montibus ad Panyasi sive Genusi ripam erat hæc *Ancyra* in Deutiopum & Penestarum confinio, ex Sansonis descriptione.

1. *Moveri non ausus.*] Hic *moveri* idem est, ac *movere*, vel *se movere*, id est, *aliquid aggredi*.

2. *Ad Phanoten Epiri.*] Fallitur Sigonius qui hanc *Epiri Phanoten* confundit cum

auxilia Athamanum Theſprotorumque, præter Romanum exercitum, ad ſex millia hominum ſecum adduxit: neque operæ pretium fecit; Cleva qui relictus à Perſeo erat cum valido præſidio defendente. Et Perſeus in Elimeam profectus, & circa eam exercitu luſtrato, ad Stratum vocantibus Epirotis ducit. 3 Stratus validiſſima tum urbs Ætoliæ erat. ſita eſt ſuper Ambracium ſinum, prope amnem Acheloum. Cum decem millibus peditum eo profectus eſt, & equitibus trecentis: quos parciores propter anguſtias viarum & aſperitatem duxit. Tertio die quum perveniſſet 4 ad Citium montem, vix tranſgreſſus propter altitudinem nivis, locum quoque caſtris ægrè invenit. Profectus inde, magis quia manere non poterat, quàm quod tolerabilis aut via aut tempeſtas eſſet, cum ingenti vexatione, præcipuè jumentorum, altero die ad templum Jovis, 5 quem Nicæum vocant, poſuit caſtra. 6 Ad Arachtum inde flumen itinere ingenti emenſo, retentus altitudine amnis, manſit. Quo ſpatio temporis ponte perfecto, traductis copiis dici progreſſus iter, obviàm Archidamum principem Ætolorum, per quem ei Stratus tradebatur, habuit.

Urb. cond. an. 584. Coſſ. Q. Marcio Philippo II. & Cn. Servilio Cæpione.

XXIV. Eo die ad finem agri Ætoli caſtra poſita. Inde altero die ad Stratum perventum: ubi prope Acheloum amnem caſtris poſitis, quum expectaret effuſos omnibus portis Ætolos in fidem ſuam venturos, clauſas portas, atque ipsâ eâ nocte quâ venerat receptum Romanum præſidium cum C. Popilio legato, invenit. Principes, qui præſentis Archidami auctoritate compulſi regem arceſſierant, obviàm egreſſo Archidamo ſegniores facti, locum adverſæ factioni dederant, ad Popillium cum mille peditibus ab Ambracia arceſſendum. In tempore & Dinarchus præfectus equitum gentis Ætolorum cum ſexcentis peditibus, & equitibus centum venit. Satis conſtabat, eum, tanquam ad Perſea tendentem, Stratum

NOTÆ.

Phanoteo ſeu Phanotea Phocidis, cujus meminit Steph. ut & Phanoteorum ſeu Phanoteníum Polyb. lib. 5. & Strabo lib. 9. qui Panopeum priùs dictum eum locum teſtatur. Quin & caſtellum hoc *Phanoten* nomine, quamvis in Epiro fuerit, à Phœnice diverſum fuiſſe non dubito: hanc enim munitiſſimam & potentiſſimam Epiri urbem nominat Polyb. lib. 3. quod caſtello minùs convenit. Utrumque tamen locum in Chaonia, aut certè in Theſprotia Epiri regione fuiſſe conjicio.

3. *Super Ambracium ſinum*.] Prope amnem Acheloum fuit urbs *Stratus*: non ad, ſive prope Ambracium ſinum; ſed ultra eum, Euronotum verſus.

4. *Ad Citium montem*.] Notus eſt Geographis *Cetius* mons inter Noricum & Pannoniam: ſed *Citium* montem haud memorant. Fuit, ni fallor, Pindi pars, quâ proximè ad Acroceraunios accedit circa Macedoniæ occidentalis & Theſſaliæ confinia, quâ parte Epirum attingunt, nec procul Arachti fontibus; hoc enim ſtadet iter ab Elimæa, unde digreſſus erat Perſeus, ad Stratum Ætoliæ, ſive potiùs Acarnaniæ, urbem.

5. *Quem Nicæum vocant*.] Templum illud apud *Nicæum* oppidum fuit, Dodonæ ad occaſum in Paroræis Epiri populis, qui pars, opinor, Theſprotorum, montibus diviſi à Tymphæis occidue Macedoniæ populis.

6. *Ad Arachthum*.] Fluvius eſt Epiri *Arachthus* in Ambracium ſinum ſeſe exonerans, ad Ambraciam urbem Moloſſorum, qui eo flumine diviſi à Caſſio-

Urb. cond. an. 584. Coſſ. Q. Marcio Philippo II. & Cn. Servilio Cæpione.

veniſſe: mutato deinde cum fortuna animo, Romanis ſe, adverſus quos venerat, junxiſſe. Nec Popillius ſecurior, quàm debebat eſſe, inter tam mobilia ingenia erat. claves portarum cuſtodiamque murorum ſuæ extemplo poteſtatis fecit. Dinarchum Ætoloſque cum juventute Stratiorum in arcem per præſidii ſpeciem amovit. Perſeus, ab imminentibus ſuperiori parti urbis tumulis tentatis colloquiis, quum obſtinatos atque etiam telis procul arcentes videret, quinque millia paſſuum ab urbe trans Petitarum amnem poſuit caſtra. Ibi conſilio advocato, quum Archidamus Epirotarumque transfugæ retinerent, Macedonum principes non pugnandum cum infeſto tempore anni cenſerent, nullis præparatis commeatibus; *quam inopiam prius obſidentes quàm obſeſſi ſenſuri eſſent, maxime quod hoſtium haud procul inde hiberna erant*; territus in Aperantiam caſtra movit. Aperantii cum propter Archidami magnam in ea gente gratiam auctoritatemque conſenſu omnium acceperunt: is ipſe cum octingentorum militum præſidio his eſt præpoſitus.

XXV. Rex non minore vexatione jumentorum hominumque, quàm venerat, in Macedoniam rediit. Appium tamen [1] ab obſidione Phanotis fama ducentis ad Stratum Perſei ſummovit. Clevas cum præſidio impigrorum juvenum inſecutus, ſub radicibus propè inviis montium ad mille hominum ex agmine impedito occidit, ad ducentos cepit. Appius ſuperatis anguſtiis, [2] in campo quem Eleona vocant, ſtativa dierum pancorum habuit. Interim Clevas aſſumpto Philoſtrato qui Epirotarum gentem habebat, in agrum Antigonenſem tranſcendit. Macedones ad populationem profecti, Philoſtratus cum cohorte ſua in inſidiis loco obſcuro conſedit. in palatos populatores quum erupiſſent [3] ab Antigonea armati, ſugientes eos perſequentes effuſiùs in vallem inſeſſam ab hoſtibus præcipitant, ibi ad mille occiſis, centum fermè captis, ubique proſperè geſtâ re, prope ſtativa Appii caſtra movent, ne qua vis ſociis ſuis ab Romano exercitu inferri poſſit. Appius nequicquam in his locis terens tempus, dimiſſis [4] Chaonumque, & ſi qui alii Epirotæ erant præſidiis, cum Italicis militibus in Illyricum regreſſus, per Parthinorum ſocias urbes in hiberna militibus dimiſſis, ipſe Romam ſacrificii cauſâ rediit. Perſeus ex Penestarum gente mille pedites, ducentos equites revocatos, Caſſandriam, præſidio ut eſſent, miſit. Ab Gentio eadem aſſerentes redierunt. nec deinde alios

NOTÆ.

pæis, nunc *Spagmagmuriſſ*, teſte Nigro.

1. *Ab obſidione Phanotis.*] *Phanoteën* dici ſive feminino ſive maſculino genere apparet; ut in nominandi caſu non *Phanote* ſit, ſed *Phanotes*.

2. *In campo quem Eleon vocant.*] Dictus videtur ab oppido, cui nomen *Eleus* ad Chaoniæ Theſprotiæque confinia, Buthroto ad Aquilonem.

3. *Ab Antigonea.*] *Antigonia* Chaoniæ in Epiro urbs ſub Acroceraunii montibus Orico ad Boream fuit: nomen adhuc retinet.

4. *Chaonumque.*] Inter Epiri regiones proxima extremæ Italiæ fuit *Chaonia*, Trojano à Chaone dicta, teſte Virgilio: nunc *Canina*.

atque alios mittendo tentare eum destitit, quum appareret, quantum in eo præsidii esset: 5 nec tamen impetrare ab animo posset, ut impensam in rem maximi ad omnia momenti faceret. „ Unde ipsi Gentioque pernicies.

„ XXVI. Inter hæc aucto Imperio, auctæ quoque privatorum è Mace-
5 „ donicis præsertim manubiis opes, & ereseens in dies cum opibus luxus
„ atque luxuria, causam novæ Legi dedêre. Huic morbo ut obnoxius mia-
„ gis muliebris sexus, cui graviùs peccandi in alio genere minor facultas:
„ ideò caveri placuit, ne ad eum civitatis opes nimiùm conflucrent. Et Q.
„ Voconius Saxa Aricinus Tribunus plebis, quasi Censorem mulierum non-
10 „ minus severum agere vellet, quam in viros Claudius Graechusque essent,
„ plebiscitum promulgavit, quo cavebatur, ut qui inter Classicos post Q.
„ Fulvium, A. Postumium Censores (id est, ante annos quinque) cen-
„ sus esset, ita testaretur, ut ne virginem neve mulierem hæredem faceret:
„ locupletiores designabantur qui in primam classem relati, quòd supra cen-
15 „ tum millia æris in patrimonio haberent. Perculsæ ac consternatæ eo pe-
„ riculo fœminæ sibi nequaquam defuerunt. Fuere & sui fœminis defenso-
„ res, qui causam ipsarum non absurdis rationibus tuerentur. Quâ igitur
„ contentione recuperando mundi muliebris, totinsque ornatûs sui honori,
„ matronæ Legem Oppiam L. Valerio Flacco, M. Porcio Catone Consu-
20 „ libus, ante annos unum & viginti impugnaverant: eâdem nunc quoque
„ vi adversus hanc in se majoris momenti Legem nitebantur. Contra prio-
„ rem cultûs sui atque illecebrarum studium armaverat: contra hanc stimu-
„ labat tum avaritia tum licentia luxûs ipsius: grande utrumque sexui ad
„ audendum quidvis incitamentum. Utrum præponderet haud facilè dixe-
25 „ ris quando formæ decôre, an opibus plus possint in viros, côque plus his
„ an illo sibi placeant, in ambiguo est. Hinc contraria in studia scindi No-
„ biles pariter ac plebeii, & pro cujusque captu, animo, spe, alii favere
„ alii adversari. Et erant qui *publicam libertatem in eo versari* dicerent;
„ *atque ad eam tunc quidem imminuendam pravo exemplo, sed in posterum*
30 „ *sensim quasi per cuniculos subruendam pertinere* arbitrabantur. *Quid enim*
„ *posthac liberum fore, si amplissima testandi facultas, tanquam privatis*
„ *ac domesticis in re sua familiari legislatoribus, per duodecim tabulas con-*
„ *cessa, & pluribus jam sæculis inviolata, nunc speciali & novâ lege adi-*
„ *meretur? Quid verò attinere pro peregrinis, expertes juris communis ha-*
35 „ *beri, quæ communes habeant Lares, communes liberos, communia cum*
„ *maritis sacra: quasi verò non illis æquè ac maribus civitas constet. Num*
„ *easdem in sola ac deserta loca procul amandari satius esse, atque extorres*

Urb. cond. an. 564. Coss. Q. Marcio Philippo II. & Cn. Servilio Cæpione.

NOTÆ.

5. *Nec tamen impetrare ab animo posset.*] A seipso obtinere, id est, sibi imperare Perseus non potuit, ut pecuniam Gentio mitteret: unde utrique exitii causa. Frustra itaque corrigit Sigon. *nec tamen impetrare ab homine posset*: meritò reprehensus à Grutero & Gron. nisi ipse in editione postrema hanc emendationem suam obliterasset, restitutâ vulgari lectione.

Urb. cond. an. 584. Coss. Q. Marcio Philippo 11. & Cn. Servilio Cæpione.

„perpetuo damnari exilio, si illarum tædeat, si possit absque illis stare respublica. Indignum sane omnino videri, si quæ tenui republica mulieribus permissæ fuerint opes, nunc opulento Imperio auferantur. Nec ad propagandam modò educandamque sobolem, aut ad uxoria virorum levamenta utilem sexum: sed exemplis virtutum, sed factis egregiis atque consiliis non raro viros quoque ipsos anteire: quin etiam his ipsis, quæ nunc invidiæ sint, divitiis, inquam, suis labantem rerum statum ac penè profligatum armis Annibalis sustinuisse, ac salutari subsidio erexisse. Addebantur mirationis causa proprii sexus labores, & pericula puerperiorum non minus eis metuenda quam militaria viris. Nec commissa Vestalibus custodia

Livii Epitome lib. 41. Cic. de Senect. A. Gell. lib. 7. cap. 13. Noct. Attic. & lib. 20. c. 1. D. Aug. 3. de civit. cap. 21.

prætermittebatur ignis æterni, quo imperii fata continerentur. Discussit tamen hæc cuncta Marci Catonis non minor in senili ætate quàm in virilis juventæ vigore constantia: ejus hac de re oratio legitur quinto libro Originum. Summam retulisse sat erit. Cùm itaque annum quintum supra sexagesimum ageret, magna voce boniſque lateribus demonstravit: Frustra ab antiquissimis reipublicæ temporibus distinctos agnatos à cognatis, si fœminarum & masculorum par conditio fiat. Longè à mente XII. tabularum abesse mulierum bas hæreditates: servando familiarum nomini ac decori liberos cuique suos, his deficientibus agnatos proximos hæredes quasi naturali quodam jure designatos. Nec ideo datum patribus-familias legandi pro arbitrio jus, ut fœmineis delinimentis obcæcati in alienas domos bona sua transferrent: sed potiùs ut domui suæ consulerent; filiis hæreditatem, filiabus quod ad dotem sufficeret, relinquere possent. Curandum ut præsentes, quas dotes reputent pudicitiam, parcimoniam, obsequium. Quid juvaret cautum esse à majoribus, ut parentum, fratrum, agnatorum tutelâ tenerentur, si magnis opibus abuti, legumque ac pudoris vincula earum admiculis perfringere liceat. Tantâ denique vehementia in sexus impotentiam invectus est: iis coloribus ejus in opulentia insolentiam depinxit, ut assensum omnibus extorserit. Cùm illud maximè urgeret, quod ma-

Apud Gell. lib. 17. cap. 6.

gna dote maritis tradita majorem sibi pecuniam divites matronæ reciperent ac retinerent, quam illorum potestati committere dignarentur; eamque pecuniam postea ita maritis rogantibus mutuam darent, ut quoties iratæ essent statim per receptitium servum consectantem & quotidie flagitantem solutionem, eos tanquam debitores extraneos importunè cogerent. Hac indignatione commoti legem, uti rogabat Voconius, accipiendam censuerunt.

NOTÆ.

Legis Voconiæ mentio fit in Epitome libri 41. Liviani, tanquam eo tempore latæ. Verùm in hac parte & in aliis Decadis hujus epitomis, errores aliquot, Librariorum insciția vel incuria irrepsisse animadverto. Nam quod Epitoma 43. de lustro per hæc tempora condito, & de numero civium Romanorum scribitur, referendum esse ad lib. 45. apparet ex initio capitis 15. ejusdem libri 45. nisi quis hoc ipsum caput ad lib. 43. putet pertinere: quod parum simile vero, quando caput illud non initium aut finem libri occupat, quò transferri potuisse videatur, sed me-

TITI

dium tenet locum; idque ſine ullis aſteriſcis lacunæ indicibus. Laborat & alio haud dubiè mendo Epitome illa 41. cum Athenais Jovis Olympici, Antiochiæ Jovis Capitolini templum à Perſe Macedonum rege conditum refert; quorum utrumque Antiochi Epiphanis opus fuiſſe obſervat ex Polybio aliiſque Sigonius. Quod attinet ad legem de mulierum hæreditatibus, eam Coſſ. Cæpione & Philippo iterùm, ſiudente ſe latam teſtatur Cato apud Tullium de Senectute. *Ejus autem conſulatus acta hoc* 43. libro, non 41. à Livio memorantur. Auctorem Epitomes aut Exſcriptorem ex eo inductos in errorem ſuſpicor, quod Voconius legem ſuam ita conceperat, ut in iis locum habere vellet qui poſt Q. Fulvium, A. Poſtumium Cenſores cenſi eſſent: quorum cenſura in conſulatum incidit Sp. Poſtumii Albini, M. Mucii Scævolæ, annumque Urbis conditæ 579. cujus res lib. 41. deſcribit Livius. Atenim ex verbis legis neutiquam ſequitur eam cenſoribus illis fuiſſe promulgatam, ſed poſt eos cenſores. Et verò ea, ut paulò ante demonſtrabam, ſequentibus cenſoribus, C. Claudio Pulchro, Ti. Sempronio Gracchо, lata eſt qui cenſuram quinquennio poſt inierunt, Coſſ. antedictis, Cæpione ſcilicet & Philippo.

Cæterùm non abſciſſe ademptum mulieribus lege Voconia fuerat jus capiendæ hæreditatis quorumvis civium; ſed locupletiorum. *Cenſi* enim & *Claſſici* propriè ſive κατ' ἐξοχήν, dicebantur Voconii ævo, non omnes qui in claſſibus erant, ſed primæ tantùm claſſis homines, qui CXXV. millia æris ampliuſve cenſi erant. *Infra eſſaſſem* autem appellabantur, ſecundæ claſſis cæteraruмque omnium claſſium, quæ minore ſumma æris quàm ſuprà dixi, cenſebantur, ut notavit A. Gellius noct. Attic. lib. 7. cap. 13. Aſconius verò Pedianus ad 1. oration. in Verrem hæc eo loco Ciceronis verba: *Neque cenſus eſſet*, ſic interpretatur; neque centum millia feſtertiûm poſſideret. Nam more veterum, inquit, *Cenſi* dicebantur qui centum millia profeſſione detuliſſent. Sed ne totam quidem claſſicorum hæreditatem mulieribus indiſtinctè ablatam Cicero indicat lib. 2. de finib. Agens enim de P. Sextilio Ruſo hærede Q. Fabii Galli cujus teſtamento rogatus fuerat, ut omnis hæreditas ad filiam ipſius perveniret; aiit virorum ampliſſimorum quos hæres in conſilium advocaverat, neminem cenſuiſſe *plus filiæ dandum quam poſſet ad eam lege Voconia pervenire*. Hinc ſanè patet pervenire ad eam aliquid lege Voconia potuiſſe.

Verùm quæ ea quantitas fuerit, minùs expedita res eſt. Dionis quippe locus, ex quo ejus rei definitio petì ſolet, ambiguitate non caret. Is lib. 56. narrat Auguſtum mulieribus quibuſdam Legis Voconiæ veniam feciſſe. Eam autem Legem ita explicat, καθ' ὃν οὐχιοῦ ἢ γυναῖκα, ὑπὲρ ἣν ἀνὴρ οὐκ ἐξῆν: quod eſt, *per quam* (legem) *nulli earum* (mulierum) *licebat, cujuſquam hæreditatem capere, ſuprà ſubſtantiam duarum myriadum ac dimidiæ*. Ibi duo ſunt quæ aſſerunt dubitationem. Primò quo referantur Τὸ *ſuprà ſubſtantiam duarum myriadum ac dimidiæ*, an ad totam teſtatoris hæreditatem, ut ſcilicet fœminæ ſuccedere vetarentur iis civibus qui poſſiderent ſuprà 25000. (id enim ſignificant duæ myriades cum dimidia): an verò intelligi hæc verba debeant de quantitate bonorum, ſuprà quam ſuccedere mulieres non poſſent. Licet enim ὑπὲρ Græcis, cùm de bonis dicitur, accipiatur utplurimùm de omnibus facultatibus: videtur tamen pro certa earum parte aliquando ſumi. Ambigi deinde poteſt cujus rei, ſive cujus pecuniæ myriades in æſtimatione Dionis intelligantur: denariorum an ſeſtertiorum; ut, ſi denarii ſint, pertineant ad univerſum patriſamilias, claſſici, (hoc eſt valdè locupletis) patrimonium: ſi ſeſtertii dicantur, partem deſignent, ex qua hæres ſcribi à claſſico mulier poſſit. Priorem ſententiam alleveranter, quaſi ex uſu Græcorum perpetuo, qui per drachmas computant denarii ſere Romanis reſpondentes, Gronovius tuetur lib. 3. de pecun. vetere, cap. 16. Poſteriorem amplexi ſententiam, de numero ſeſtertiorum mulieri relinquendo Dionem intellexêre Cujacius in notis prioribus ad Inſtit. Juſtin. §. 1. de Lege Falcid. & cum eo Dionyſ. Gothofredus ad Theophilum, eod. tit. Ant. Auguſtinus lib. de Legib. Lipſius in Plinii Panegyricum: atque his omnibus, quantum ad æſtimationem ſummæ, præiverat Paul. Manutius in ſuo de Legib. volumine, niſi quòd ex Aſconio cautum ſcripſerat nominatim, ne quis filiam hæredem relinqueret ſuprà HS. vigiti quin-

que millium ſummam. Hotom. in l. de nummariis Dionem arguit, quaſi is vim legis Voconiæ non perceperit, cum pro quadrante hæreditatis, qui incertus, & modo major, modò minor eſt, (quemadmodum ipſa hæreditas) certam ſummam poſuit. Ipſe verò ex cujuslibet hæreditate decerpi potuiſſe putat quartam partem, quæ fœminæ paterfamilias dotaret. Itaque inter hos auctores controverſum manet, utrùm in quadrantem hæreditatis generaliter mulieres admitterentur: an verò ea quantacumque hæreditate, quinque & viginti duntaxat millia feſtertiûm caperent? Pighius in Annalibus Magiſtratuum Roman. an. Urb. Cond. 584. ita Legem Voconiam concipit: *Ne quis cenſus, (hoc eſt, qui centum millia aris profeſſione detuliſſet) haredem relinqueret mulierem ſupra viginti quinque millia feſtertiûm*. His ille verbis ponit ætate Voconii, ampliùs quid fuiſſe centum millia æris, quam xxv. millia feſtertiûm. Conſtat tamen ex Plinio jam tum auctum ad ſexdecimaſſes fuiſſe denarii pretium; & ex conſequenti feſtertium, in quo ſemper quarta denarii pars fuit, quaternis aſſibus valuiſſe: unde xxv. feſtertiûm millia pretium æquabant centum millium, aſſium ejus temporis. Diſtinguit ergo Pighius millia æris, tanquam longè majorem ſummam, à millibus aſſium velut minori ſumma: ut videatur æris nomine priſcos aſſes librales intelligere, quorum partem duntaxat quartam & vicèſimam imminuti ætate Voconii aſſes reddebant. Cum itaque feſtertio ineſſet aſſium hujuſmodi quaternorum pretium, in centum æris illius antiqui millibus continebatur ſeſtes pretium quinque & viginti millium feſtertiorum. Sexcupla enim proportio eſt inter quatuor & viginti quatuor. Quòd ego commentum ad alias quoque explicandas difficultates neutiquam improbaverim. Bachovius ad Inſtit. tit. de fideicommiſſariis hæreditatibus putat Voconium ac Dionem loquutos eſſe de minimo cenſu, quartæ ſcilicet claſſis, qui fuerit xxv. millium aſſium, ex inſtituto Servii Tullii; & cæteris mulieres valuiſſe hæredes potuiſſe ejus qui cenſus eſſet: cenſos quippe generaliter cives intelligit, æquè infimi ac ſummi cenſus. Sed hæc præter aliorum ferè omnium mentem.

Mihi verò, etſi explorati nihil in hiſce rebus mihi allaturum confido, aliud ſuſpiciendi occaſionem vetuiſſe auctores præbent. Horum primus nullus quartæ partis in mulierem conferendæ meminit. Sanè verò quinque & viginti feſtertium millia, quartam partem faciunt viginti quinque millium drachmarum ſive denariorum; aut, quod idem eſt, centum millium feſtertiûm. Sed hic minimus erat, cenſus primæ claſſis: eorum autem qui in hic claſſe cenſi, multos fuiſſe nemo ignorat, quorum non ſolùm duplò, triplò, quadruplò major cenſus; ſed qui decies, vicies, imò pluries hunc cenſum ſuperarent. Unde apparet, ſi locupletior paulò eſſet hæreditas, contingere facilè potuiſſe, ut in viginti quinque feſtertium millibus, ne quadrageſima quidem pars hæreditatis inveniretur: veluti ſi teſtator ultra decies centena millia poſſideret. Deinde, ut rectè obſervat Gronovius, antiqui ſcriptores, apud quos Voconiæ Legis veſtigia ſuperſunt, negant in univerſum mulieribus partem hæreditatis ullam eſſe à Voconio ſervatam. Ejus mentio exſtat in perimis apud M. Tullium non ſemel. Is in orat. pro Cornelio Balbo aliud nihil dicit, quàm Voconium *Legem tuliſſe de mulierum haredibus*. Verrinâ autem. 1. Voconium ſanxiſſe, ut in poſterum, qui poſt eos cenſores cenſus eſſet, *ne quis haberet virginem mulieremve faceret*. Epitomator etiam Livii ad lib. 41. teſtatur latam à Voconio Saxa Legem *ne quis mulierem haredem inſtituere*. A. Gellius lib. 20. cap. 1. rem non ſatis perſpicuè exponit: plebiſcitum tantum Voconium dicit *de coërcendis mulierum hereditatibus*. D. Auguſtinus lib. 3. de Civit. Dei, cap. 21. latum fuiſſe ſcribit, *ne quis haredem fœminam faceret, vel unicam filiam*: quod & Aſconius affirmat. Exittimo igitur ita ſe rem habuiſſe, ut abſolutè ab hæreditate ditiorum fœminæ generatim arceerentur; adeo ut nec teſtamento patris filia hæredis titulo quicquam acciperet. Negari tamen non poteſt, quin legare ei aliquid, aut per fideicommiſſum relinquere licuerit. Quamvis enim certo & communi jure receptum ante Auguſti tempora non fuiſſe fideicommiſſorum uſum tradat Juſtinianus in Inſtitution. liquet nihilominus ex iis, quæ de Fabio Gallo narrat Cicero Verrina 1. non ignotum prorſus fuiſſe

priori ſeculo jus illud. Ita tamen ut ante Auguſtum bonâ tantùm fide hæredis inſtituti niterentur. Etenim ſi præter extraneum hæredem ſcripſiſſet, ut is filiæ teſtatoris reſtitueret hæreditatem, dandum ab hæredefilii quod ad eam Lege Voconia pervenire poterat prudentes cenſebant. Partem eam fatendum omninò eſſe ſaltem fuiſſe, quæ ad filiæ dotem ſufficeret, jure quodammodo naturæ, à parentibus debitam: ejus vero quantitatem olim decies centena ſeſtertium millia non facilè exſuperaſſe conjiciunt, non abs re, Cujacius aliique ex illo Satyrici, *vitu decies centena dabuntur antiquæ*: quæ ſumma vix decem librarum Francicarum millia excedebat: quantâ Regum quondam noſtrorum filias nuptiſve legimus. Quod ſi quis partem illam filiæ aſſignatam, hæreditatis quadrante æſtimandam cenſerit ex ſententia tot doctiſſimorum Juriſconſultorum, tantumdem mulieribus generaliter attribuentium; duobus argumentis ad eam firmandam conjecturam poterit uti. Alterum ſuppeditabunt lex Falcidia, Senatuſconſultum Pegaſianum (quod Juſtinianus in Trebellianum transtulit) Legitimæ ratio, & reſcriptum Antonini Pii: quorum jurium priora duo hæredi, tertium filiis, quartum impuberi arrogato, bonorum patriſſ. partem quartam ſervarunt. Quapropter non omnino improbabile videri poteſt, ſimile quid Lege Voconia fuiſſe conſtitutum, quod ad alias non abhorrentes hypotheſes porrexerint poſteri. Altera ratio magis ad ipſum Voconii plebiſcitum refertur. Peti ea poteſt ex Quintiliani declamat. 264. qui fraudem Legis Voconiæ vocat, mulieri plus quam dimidiam partem bonorum dare. Ex quo conſici poſſet ex lege ad ſemiſſem uſque bonorum permiſſum fuiſſe filiæ relinquere, aut etiam mulieri, alteri: ſi forte Legum ſcitis accuratè jurare ſoliti eſſent declamatores. Verùm rem aliter ſe habere, in hac hypotheſi oſtendit quod apud Dionem Auguſtus Livia uxore ex teſtente inſtituta, impetravit a Senatu, ut id ſibi præter Legem liceret. Illud tamen ex his videtur elici poſſe, aliquam hæreditatis partem per Legem Voconiam feliquis feminæ potuiſſe, ac præſertim filiæ.

Sed & aliud præterea fuit Legis Voconiæ caput, quo cavebatur, ne quis cenſus filius cuiquam legaret, quàm ad hæredem pervenitet: cujus rei auctor eſt, non modo Theophilus, ſed etiam M. Tullius actio. 3. in Verrem: idque ne legatis adeo exhaurietur hæreditas, ut ſcripti hæredes ab ea (nempe nullo aut exiguo emolumento) adeunda deterrerentur. Addit Cujacius, quaſi ex Paulo J. C. tradit lib. 4. ſentent. tit. 8. Caput Legis tertium ne fœminæ, ultra conſanguineas (ſorores ſcilicet eodem patre genitas) ab inteſtato ſuccederent. Verùm id nequaquam eo loco tradit Paulus. Hæc ſunt verba: *Fœminæ ad hæreditates legitimas ultra conſanguineas ſucceſſiones non admittuntur: idque jure civili, vel Voconia narratione videtur effectum*: ubi Cujacius agnoſcit in quibuſdam codicibus ſcriptum eſſe, *jure civili Voconiana ratione*: quod ſanè rectè ſe habet. Nec video cur maluerit Vir eruditus legere, *jure civili Voconianâ rogatione*, quaſi eſſet ex Lege Voconia. Ego verò nihil mutandum puto. Juris quippe Civilis non me ſtrictè ac propriè dictum de prudentum interpretatione accipi ſolet, l. 2. §. 5. in fine Dig. de orig. ex qua ſine dubio receptum moribus eſt, ut non ultra ſorores conſanguineas fœminæ ad hæreditatem agnationis jure ab inteſtato vocarentur: idque *Voconiana ratione*, id eſt, ob eandem rationem, ob quam per legem Voconiam excludebantur fœminæ ab hæreditatibus teſtamentariis: nimirùm, ut ipſe Cujacius obſervat, ne nimium ditescerent, ac proinde elatæ æquarent ſe viris.

FINIS LIBRI XLIII.

TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM LIBER XLIV.

EPITOME EJUSDEM LIBRI.

VINTUS Marcius Philippus per invios ſaltus penetravit in Macedoniam complureſque urbes occupavit. Rhodii miſere legatos Romam, [1] minantes, ut Perſeo eſſent auxilio, niſi populus Romanus cum eo pacem atque amicitiam conjungeret. indigne id latum. Quum id bellum L. Æmilio Paullo, ſequentis anni conſuli iterum mandatum eſſet, [2] Paullus in concione precatus eſt, ut quicquid diri populo Romano immineret, ſupra domum ſuam converteretur: & in Macedoniam profectus, Perſeum vicit, univerſamque Macedoniam in poteſtatem redegit. [3] Antequàm conſligeret, C. Sulpicius Gallus tribunus militum prædixit exercitui, ne miraretur, quod Luna nocte proxima defectura eſſet. Gentius quoque rex Illyriorum, quum rebellaſſet, ab Anicio prætore victus venit in deditionem, cum uxore, & liberis, & propinquis, Romam miſſus. Ab Alexandria legati à Cleopatra & Ptolemæo regibus venerunt: querentes de Antiocho rege Syriæ, quod eis bellum inferret. Perſeus ſollicitatis in auxilium Eumene rege Pergami, & Gentio rege Illyriorum, quia eis pecuniam, quam promiſerat, non dabat, ab eis relictus eſt.

NOTÆ.

1. *Minantes ut Perſeo eſſent auxilio.*] Lege ex Gudiano codice, quem Gronov. citat: *minantes ſe Perſeo auxilio futuros, niſi populus Romanus cum eo pacem atque amicitiam jungeret.*

2. *Paullus in concione precatus eſt.*] Eâ precatione Paullus in concione uſus non eſt, priuſquàm in Macedoniam proficiſceretur: ſed ut rectè advertit Sigon. ejuſmodi preces Paullus victo Perſeo rege ſe concepiſſe narrat in concione habita poſt reditum, quæ habetur lib. proximè ſequenti cap. 41. Qua de re vide Valer. Max. lib. 5. cap. 10.

3. *Antequam conſligeret C. Sulpicius Gallus*, &c.] Rectè quoque hujus Sulpicii Tribuni nomen inſerit hoc loco Sigon. Hic enim C. Sulpicius eclipſin Lunæ militibus prædixit, non Paullus; ut præter Livium, ſcribit etiam Valer. antèà laudatus lib. 8. cap. 11.

1 PRINCIPIO veris, quod hiemem eam quâ hæc gesta sunt insecutum est, ab Roma profectus Q. Marcius Philippus consul cum quinque millibus (1 quod in supplementum legionum secum trajecturus erat) Brundisium pervenit. M. Popillius consularis & alii pari nobilitate adolescentes tribuni militum in Macedonicas legiones consulem secuti sunt. Per eos dies & C. Marcius Figulus prætor, cui classis provincia evenerat, Brundisium venit: & simul ex Italia profecti, Corcyram altero die, tertio Actium Acarnaniæ portum tenuerunt. Inde consul ad Ambraciam egressus, itinere terrestri petit Thessaliam. Prætor, 2 superato Leucatâ, Corinthium sinum invectus, & Creusæ relictis navibus, terrâ & ipse per mediam Bœotiam, diei unius expedito itinere, Chalcidem ad classem contendit. Castra eo tempore A. Hostilius in Thessaliâ 3 circa Palæpharsalum habebat; sicut nullâ re bellica memorabili gesta, ita 4 ad cunctam militarem disciplinam ab effusa licentia formato milite, & sociis cum fide cultis, & ab omni genere injuriæ defensis. Audito successoris adventu, quum arma, viros, equos cum cura inspexisset, ornato exercitu obviàm venienti consuli processit. 5 Et primus eorum congressus ex dignitate ipsorum ac Romani nominis, & in rebus deinde gerendis * Proconsul enim ad exercitum. * Paucis post diebus consul concionem apud milites habuit. orsus à parricidio Persei perpetrato in fratrem, cogitato in parentem; adjecit post, *Scelere partum regnum, veneficia, cædes, latrocinio nefando petitum Eumenem, injurias in populum Romanum, direptiones sociarum urbium contra fœdus: ea omnia quam Diis quoque invisa essent,* 6 *sensurum in exitu rerum suarum. Favere enim pietati fidei-*

Urb. cond. an. 584. Coss. Q. Marcio Philippo II & Cn. Servilio Cæpione.

NOTÆ.

1. *Quod in supplementum legionum.*] Jubet Gron. scribi: *quod supplementum*: sensus est, quod corpus, seu quem numerum quinque millium militum, ducturus erat secum Philippus in Macedoniam ad supplendas legiones, quæ ibi militabant: quo genere loquendi usus est alibi non raro noster, ut lib. 7. *Scribendi alterius exercitus, quod ad incertos belli casus reipublicæ subsidium esset.* Et lib. 34. *Asperima signa locatis elephantis, quo auxilio tum primum Romani usi sunt.* Sic & apud Persium Satyr. 2. *Quidnam est, qua tu mercedo Deorum umeris auriculas?*

2. *Superato Leucata.*] Legendum, ni fallor, *Leucate.* Est enim *Leucates* promontorii nomen, ut *Leucas, adis,* nomen urbis atque insulæ.

3. *Circa Palæpharsalum.*] *Palæpharsali.* vocabulum veterem Pharsalum significat, haud procul dissitam ab ea urbe, quæ simpliciter *Pharsalus dicta,* in Phthiotide ad dextram Enipei circa Thessaliotidis fines, Lariſſæ ad Austrum. Utriusque meminit Strabo lib. 32. unde apparet duas fuisse urbes.

4. *Ad cunctam militarem disciplinam.*] Suspicatur Gronov. *ad unicam militarem disciplinam.*

5. *Et primus eorum congressus ex dignitate,* &c.] Nemo non videt hic deesse nonnulla. Ea ita supplet Sigon. *Primus eorum congressus ex dignitate* eorum *ipsorum, ac Romani nominis, & in rebus deinde gerendis* summè utilis Philippo consuli fuit. *Proconsul enim ad exercitum* conversus, eum ad rem fortiter gerendam hortatus est, eoque consuli tradito Romam reversus est. *Paucis post diebus consul,* &c.

6. *Sensurum in exitu rerum suarum.*]

Urb. cond. an. 584. Coss. Q. Marcio Philippo II. & Cn. Servilio Capione.

que Deos, per quæ populus Romanus ad tantum fastigii venerit. Vires deinde populi Romani jam terrarum orbem complectentis cum viribus Macedoniæ, exercitus cum exercitibus comparavit. quanto majores Philippi Antiochique opes non majoribus copiis fractas esse?

II. Hujus generis adhortatione accensis militum animis, consultare de summa gerendi belli cœpit. Eo & C. Marcius prætor à Chalcide classe accepta venit. Placuit, non ultra morando in Thessalia tempus terere, sed movere extemplo castra, atque petere fide in Macedoniam, & prætorem dare operam, ut eodem tempore classis quoque invehatur hostium litoribus. Prætore dimisso, consul, [1] menstruum jussu militi secum ferre, profectus decimo post die quàm exercitum acceperat, castra movit: & unius diei progressus iter, convocatis scitenum ducibus, [2] quum, exponere in consilio, jussisset, qua quisque ducturus esset; summotis iis, [3] quam potissimum peteret, retulit ad consilium. Aliis [4] per Pythium placebat via: aliis [5] per Cambunios montes, qua pridie anno duxerat Hostilius consul, aliis [6] prætor Ascuridem paludem. Restabat aliquantum viæ communis: itaque in id tempus, quo prope divortium itinerum castra posituri erant, deliberationem ejus rei differunt. in Perrhæbiam inde ducit, & inter Azorum & Dolichen stativa habuit, ad consulendum rur-

NOTÆ.

Non abs re præpositionem, *in*, delet Muret.

1. *Menstruum jecum ferre.*] Supple *commeatum*, id est, cibaria quæ ad unum mensem sufficerent. Gallicè, *ayant fait donner des vivres aux soldats pour un mois.*

2. *Cùm exponere in concilio jussisset.*] *Concilii* & *consilii* voces confunduntur: & *concilium* quidem, licèt interdum significet comitia, sive conventum populi cujusque, aut etiam communem conjunctorum populorum rempublicam: ponitur tamen nonnunquam pro secreto congressu, & coitione clam conspirantium: itemque pro conventu legatorum à diversis populis. *Consilium* verò primò intelligitur de senatu sive consilio publico civitatis, tum de cœtu militari ducum ad deliberandum convocatorum; cujus generis decem legati ad imperatorem mitti soliti. Dicitur & *consilium* de conventu prætorum cum assessoribus, ut & regum consultantium cum consiliariis suis. Accipitur denique *consilium* pro incepto, aut astu, sive prudenti invento. Hic de re ingentem hic habes Ioan. Frederici tum. Groa. notam, qui hic mavult, *convocatos itinerum duces cùm exponere in concilio jussisset.*

3. *Quam potissimum peteret.*] Addendum videtur, *viam*, ut Sigon. indicat: alioqui legendum esset, *quà peteret Macedoniam.*

4. *Per Pythium.*] Ptolemæo *Pytheum* est Macedoniæ in Pelagonia Tripolitidis urbs, quæ regio Estiæotis ad septentrionem, Pelasgiotis ad occasum, Deuriopiis ad meridiem, interjectis Cambuniis montibus.

5. *Per Cambunios montes.*] Inter Acroceraunios montes & Pierium sunt hi montes, quos cum Candaviis ferè confundunt; Candavia tamen regio in confinio Illyriæ & Macedoniæ regionum Strabo ponit circa Lychnidontem.

6. *Prater Ascuridem paludem.*] Haud magni nominis fuisse oportet hanc *Ascuridem paludem*, nec celebrem ei impositum, cujus paulò post mentio. *Ascuridis palus est* situs *sub Volustanis*, quod jugum erat Cambuniorum montium, qua proximum in finibus Macedoniam iter; & , ni fallor, ad Pieriæ occidentalis adi-

sus, quam potiſſimum capeſſeret viam. Per eoſdem dies Perſeus, quum appropinquare hoſtem ſciret, quod iter petiturus eſſet ignarus, omnes ſaltus inſidere præſidiis ſtatuit. In jugum Cambuniorum montium (Voluſtana ipſi vocant) decem millia levis armaturæ juvenum cum duce Aſclepiodoro mittit: ad caſtellum quod ſuper Aſcuridem paludem erat (7 Lapathus vocatur locus) Hippias tenere ſaltum cum duodecim millibus Macedonum præſidio juſſus. Ipſe cum reliquis copiis primò circa Dium ſtativa habuit. deinde adeo ut obtorpuiſſe inops conſilii videretur, cum equitibus expeditis, litore 8 nunc Heracleum, 9 nunc Philam percurrebat; eodem inde curſu Dium repetens. Urb. cond. an. 584. Coſſ. Q. Marcio Philippo II. & Cn. Servilio Cæpione.

III. Interim conſuli ſententia ſtetit, eo ſaltu ducere, 1 ubi propter Oſtolophum diximus regis caſtra Philippi fuiſſe. Præmitti tamen quatuor millia armatorum ad loca opportuna præoccupanda placuit: queis præfecti ſunt M. Claudius, Q. Marcius conſulis filius. conſectum & univerſæ copiæ ſequebantur. Cæterùm adeo ardua & aſpera & confragoſa via fuit, ut præmiſſi expediti biduo quindecim millium paſſuum ægrè itinere confecto, caſtra poſuerint: 2 Turrim Eudieru, quem cepere, locum appellant. Inde poſtero die ſeptem millia progreſſi, tumulo haud procul hoſtium caſtris capto, nuncium ad conſulem remittunt: perventum ad hoſtem eſſe, loco ſe tuto & ad omnia opportuno conſediſſe. a *ut, quantum extendere iter poſſet, conſequeretur.* Sollicito conſuli, & propter itineris difficultatem quod ingreſſus erat, & eorum vicem, quos paucos inter media præſidia hoſtium præmiſerat, nuncius ad Aſcuridem paludem occurrit.

INTERPRETATIO.

a *Ut ſequeretur accelerato, quantum fieri poſſet, itinere.*

NOTÆ.

7. *Lapathus vocatur locus.*] *Lapathus* caſtellum circa Tempe locat mox Livius cap. 6. ad *Characa* montem. Quod cum ſuperioribus an cohæreat videndum.

8. *Nunc Heracleum.*] Intelligo *Heracleam ſub Olympo*, quod oppidum erat Macedoniæ in Pieria & Magneſiæ confinio, non procul à Penei oſtiis. Ejus meminit Steph. At noſter perpetuò *Heracleum* appellat.

9. *Nunc Philam.*] Dio ad Euronotum fuit *Phila*, inter illud ac Tempe, non procul Heracleâ ſitum, Pieriæ oppidum nunc *Fello*, ut teſtatur Nardus.

1. *Propter Oſtolophum.*] Apparet locum eſſe mutilum: ſic reſtituit Sigon. *ubi propter Oſtolophum diximus regia caſtra Philippi fuiſſe, præmitti*, &c. Pugnam porrò ad *Oſtolophum*, qua Perſei pater Philippus ante annos XXXI. à P. Sulpicio Galba conſule victus fuerat, deſcribit noſter lib. 31. cap. 37. ſed multa adhuc deeſſe non eſt dubium; quandoquidem Marcius Philippus conſul ad duodecimum à Dio milliare per invios montes tranſgreſſus in Macedoniam paulò poſt narratur. Ab *Oſtolopho* autem ad Dium circiter centum ac viginti millia paſſuum numerati neceſſe eſt. Et verò in Perrhæbiam, quæ Theſſaliæ pars Pierio monti ſubjecta, duxiſſe conſulem habemus ex cap. 2.

2. *Turrim Eudieru.*] Δυδ'ς humidum ſignificat & ſplendidum. Sit itaque Turris *Eudiera* dicta ab amœnis circa & pellucidis aquis.

Urb. cond. an. 584. Coss. Q. Marcio Philippo II. & Cn. Servilio Cæpione.

Addità igitur & ipsi fiducia est, conjunctisque copiis, castrâ tumulo qui tenebatur, qua aptissimum ad loci naturam erat, [b] sunt acclinata. Non hostium modò castra, quæ paulò plus mille passuum aberant, sed omnis regio ad Dium & Philam, oraque maris, latè patente ex tam alto jugo prospectu, oculis subjicitur. Quæ res accendit militi animos, postquàm summam belli, ac regias omnes copias, terramque hostilem tam è propinquo conspexerunt. Itaque quum alacres, protinus duceret ad castra hostium, consulem hortarentur; dies unus fessis labore viæ ad quietem datus est. tertio die, parte copiarum ad præsidium castrorum relictâ, consul ad hostem ducit.

IV. Hippias nuper ad tuendum saltum ab rege missus erat: qui ex quo castra Romana in tumulo conspexit, præparatis ad certamen animis suorum, venienti agmini Consulis obvius fuit: & Romani expediti ad pugnam exierant, & hostes. levis armatura erat promptissimum genus ad lacessendum certamen. Congressi igitur, extemplo tela conjecerunt: multa utrinque vulnera [a] temerario incursu & accepta & illata: pauci utriusque partis ceciderunt. Irritatis in posterum diem animis, majoribus copiis atque infestiùs [1] concursum ab illis, si loci satis ad explicandam aciem fuisset: jugum montis in angustum dorsum cuneatum, vix ternis ordinibus armatorum in fronte patuit. Itaque paucis pugnantibus, cætera multitudo, præcipuè qui graviùm armorum erant, spectatores pugnæ stabant. levis armatura etiam per anfractus jugi procurrere, & ab lateribus cum levi armatura conferere, per iniqua atque æqua loca pugnam petere. ac pluribus ea die vulneratis quàm interfectis, prælium nocte diremptum est. Tertio die egere consilio Romanus imperator: nam neque manere in jugo inopi, [2] neque regredi sine flagitio atque etiam periculo. sed cedenti ex superioribus locis instare hostis poterat: nec aliud restabat, [3] quàm audacter commissum, pertinaci audacia, quæ prudens interdum in exitu est, corrigere. Ventum quidem erat eò,

INTERPRETATIO.

[b] *Declivibus locis constituta sunt castra, & quasi in pendenti.*

[a] *Concursu inordinato, seu temerè hinc inde pugnantibus*, non agmine instructo, & conferto pede.

NOTÆ.

1. *Concursum.*] Supple *esset*. Huc enim quoque referendum verbum, *fuisset*, è periodi fine: quod quasi bis positum intelligi debet.

2. *Neque regredi sine flagitio.*] Trahendum huc *Tò poterat*, quod paulò post sequitur, ut pertineat tam ad Imperatorem Romanum, quàm ad hostem: Persicum.

3. *Quàm audacter commissum.*] Accipi potest *commissum*, vel pro *re commissa*, sive *quæ cœpta erat*; vel, ut referatur ad *prælium*, pro *incepto & inchoato prælio*: eodem sensu quo apud Virgilium 5. Æneid. dicitur;

Et tuba commissos medio canit aggere ludos.

ut, si hostem similem antiquis Macedonum regibus habuisset consul, magna clades accipi potuerit. sed quum ad Dium per litora cum equitibus vagaretur rex, & ab duodecim millibus propè clamorem & strepitum pugnantium audiret; nec auxit copias integros fessis submittendo: neque ipse, quod plurimùm intererat, certamini affuit. quum Romanus imperator major sexaginta annis, & prægravis corpore, omnia militaria munera ipse impigrè obiret. Egregiè ad ultimum in audacter commisso perseveravit: &, Popillio relicto in custodia jugi, per invia transgressus, præmissis qui repurgarent iter, Attalum & Misagenem, [4] cum suæ gentis utrumque auxiliaribus, præsidio esse saltum aperientibus, jubet. ipse equites impedimentaque præ se habens, cum legionibus agmen cogit. Urb. cond. an. 584. Coss. Q. Marcio Philippo II. & Cn. Servilio Cæpione.

V. Inenarrabilis labor deseendentibus cum ruina jumentorum farcinarumque: progressus vix dum quatuor millia passuum, nihil optabilius esse, quàm redire quâ venerant, si possent. Hostilem propè tumultum agmini elephanti præbebant: qui ubi ad invia venerant, dejectis rectoribus, cum horrendo stridore pavorem ingentem equis maximè incutiebant; donec traducendi eos ratio inita est. [a] Per proclive sumpto fastigio, longi duo validi asseres, ex inferiore parte in terra defigebantur; distantes inter se paulò plus, quàm quanta belluæ latitudo est. in eos transversi incumbentes tigni, ad tricenos longi pedes, ut pons esset, injungebantur: humusque insuper injiciebatur. modico deinde instrà intervallo, similis alter pons: inde tertius, & plures ex ordine, [1] quâ rupes abscissæ erant, fiebant. Solido procedebat elephas in pontem: cujus priusquàm in extremum procederet, succisis asseribus collapsus pons, usque alterius initium pontis prolabi eum leniter cogebat: alii elephanti pedibus insistentes, alii clunibus subsidentes prolabebantur. ubi planicies altera pontis excepisset eos, rursus simili ruinâ inferioris pontis deferebantur, donec ad æquiorem vallem perventum est. [2] Paulò plus septem millia die Romani processerunt: minimum pedibus itineris confectum. plerunque provolventes se simul cum armis aliisque oneribus, cum omni genere vexationis processerunt: adeo ut ne dux quidem & auctor itineris

INTERPRETATIO.

a *Ita ut ea ex parte qua magis deve-* | *superioris partis altitudo propemodum ex-* | *xa erat, fultura aliquid imponeretur, quò* | *æquaretur.*

NOTÆ.

4. *Cum sua gentis utcumque auxiliaribus.*] Attalus cum Asianis, Misagenes cum Numidis.

1. *Qua rupes abscissa erant.*] Froben. scribit *abscisæ*, cui suffragantur, teste Gron. optimi auctores, & antiquissimi codices: sed exiguo, ni fallor, discrimine. Alterum est à verbo *scindo*, alterum, à *cædo*. Ego hic malim, *abscissa*.

2. *Paulò plus septem millia die.*] Fortè inquit Gron. *eo die*: verùm *die* significat non malè, *intra diem unum*.

Vid. cond. an. 584. Coll. Q. Marcio Philippo 2. & Cn. Servilio Capione.

inficiaretur, parvâ manu deleri omnem exercitum potuisse. Nocte ad modicam planiciem pervenerunt: neque an infestus is locus esset, septus undique, circumspiciendi spatium fuit. vix tandem ex insperato stabilem ad insistendum nactis locum, postero quoque die in tam cava valle opperiri Popillium ac relictas cum eo copias necesse fuit: quos & ipsos, quum ab nulla parte hostis terruisset, locorum asperitas hostiliter vexavit. Tertio die conjunctis copiis eunt per saltum, 3 quem incolæ Callipeucen appellant. quarto inde die per æquè invia, b sed assuetudine peritius & meliore cum spe, quod nec hostis usquam apparebat, & mari appropinquabant, digressi in campos, inter Heracleum 4 & Libethrum posuerunt castra peditum: quorum pars major tumulos tenebat. 5 ii vallem, α campi quoque partem ubi eques tenderet, amplectebantur.

VI. Lavanti regi dicitur nunciatum hostes adesse. quo nuncio quum pavidus exiluisset è solio, victum se sine prœlio clamitans, prorupit, & subinde per alia atque alia pavida consilia & imperia trepidans, 1 duobus ex amicis, β Pellam alterum Asclepiodotum, ubi pecunia deposita erat, ex præsidiis revocat: 2 omnesque aditus aperit bello. Ipse ab Dio auratis statuis omnibus raptim, ne præda hosti esset, in classem congestis, ociùs demigrare Pydnam cogit: & quæ temeritas consulis videri potuisset (quòd eò processisset, unde invito hoste regredi nequiret) eam non inconsultam audaciam fecit. Duos enim saltus, per quos inde evadere possent, habebant Romani: unum per Tempe in Thessaliam, alterum in Macedoniam præter Dium; quæ utraque regiis tenebantur præsidiis. Itaque si dux intrepidus decem dies primam speciem appropinquantis terroris sustinuisset, neque receptus Romanis per Tempe in Thessaliam, neque commeatibus pervehendis eò patuisset iter. Sunt enim Tempe, saltus, etiamsi

INTERPRETATIO.

b *Propter assuetudinem*, seu *quia insueverant*.

NOTÆ.

3. *Quem incolæ Callipeucen appellant.*] A pulchra pinu, sive picea, deductum nomen.

4. *Et Libethrum posuerunt castra.*] *Libethrum*, seu *Libethrus* oppidum fuit in Magnesiæ Thessalicæ regionis & Macedoniæ confinio: ubi *Libethra*, fons Musis sacer, à quibus tamen alieni habebantur *Libethrii*.

4. *Ii vallem, campi quoque partem.*] Legit post Muretum Gron. *campique partem*.

1. *Duobus ex amicis, Pellam alterum Asclepiodotum.*] Deest hic aliquid. Certum est eodem tempore dupliciter peccasse Perseum, & ex primariis duobus amicis alteri, nempè Niciæ, præcepisse, ut pecuniam quæ apud Pellam urbem regiam deposita erat, in mare demergeret; alteri, trimitum Andronico, ut naves in portu Thessalonicæ incenderet: ne Romani his copiis adversus ipsum uti possent, quemadmodum infra cap. 10. habetur.

2. *Omnesque aditus aperit bello.*] Revocatis enim ducibus præcipuis, qui limitibus præerant, potuit Macedonia Romanis.

non bello fiat infestus, transitu difficilis. nam præter angustias per quinque millia, qua exiguum jumento onusto iter est, rupes utrinque ita abscisæ sunt, ut despici vix sine vertigine quadam simul oculorum animique possit. terret & sonitus & altitudo per mediam vallem fluentis Penei amnis. Hic locus tum suâpte naturâ infestus, per quatuor distantia loca præsidiis regis fuit infestus. unum in primo aditu ad Gonnum erat: alterum 3 ad Condylon castello inexpugnabili: tertium circa Lapathunta, 4 quem Characa appellant: quartum viæ ipsi, qua & media & angustissima vallis est, impositum: quam vel decem armatis tueri facile est. Intercluso per Tempe simul aditu commeatibus, simul reditu, ipsi montes, per quos descenderant, repetendi erant. quod ut furto fefellerant, ita propalam, tenentibus superiora cacumina hostibus, non poterant: & experta difficultas, spem omnem incidisset. Supererat nihil aliud in temerè commisso, quàm in Macedoniam ad Dium per medios evadere hostes: quod, nisi Dii mentem regi ademissent, ipsum ingentis difficultatis erat. Namque quum Olympi radices montis, paulò plus quàm mille passuum ad mare relinquant spatium, cujus dimidium loci occupat ostium latè restagnans 6 Baphyri amnis, partem planiciæ aut Jovis templum, 7 aut oppidum tenet; reliquum perexiguum fossâ modicâ valloque claudi poterat, & saxorum ad manum sylvestrisque materiæ tantùm erat, ut vel murus objici turresque excitari potuerint. Quorum nihil quum 8 dispexisset cœcata mens subito terrore, nudatis omnibus præsidiis patefactisque bello, ad Pydnam refugit.

Urb. cond. an. 584. Coss. Marcio Philippo II. & Cn. Servilio Capione.

VII. Consul plurimùm & præsidii & spei cernens in stultitia & segnitie hostis, remisso nuncio ad Sp. Lucretium Latissam, ut castella relicta ab hoste, circa Tempe occuparet; præmisso Popillio, ad explorandos transitus circa Dium, postquàm patere omnia in omnes partes animadvertit; secundis castris pervenit ad Dium, 1 metarique sub ipso templo, ne quid sacro in loco violaretur, jussit. Ipse urbem ingressus, sicut non magnam, ita exornatam publicis locis & multitudine statuarum, mutatamque egregiè, vix satis credere in tantis rebus sine causa relictis non aliquem subesse dolum. Unum diem ad exploranda circà omnia moratus, castra movet: satisque credens paratam frumenti copiam fore,

NOTÆ.

3. *Condylon castello inexpugnabili.*] Num idem cum Gonnocondylo, de quo suprà lib. 39. cap. 25.

5. *Quem Characa appellant.*] Loci nomen supra Peneum.

5. *Quum Olympi radices.*] Altissimus Thessaliæ mons nubes supergrediens, *Olympus* Pieriam Macedoniæ provinciam dirimit à Magnesia regione Thessaliæ, Peneo imminens, ultra quem ad meridiem Ossa.

6. *Baphyri amnis.*] Sub Olympo ad Heracleam Pieriam, sese in mare Macedonicum evolvit hic amnis.

7. *Aut oppidum tenet.*] *Oppidi* nomine intelligitur, opinor, Heracleum.

8. *Dispexisset cœcata mens.*] Nescio cur Gronovio placeat magis, *obcœcata*; intelligitur enim mens Persei revera cœcutientis: *cæcare* Cic. dixit, & Plinius participio usus est.

1. *Metarique sub ipso templo.*] Tem-

Urb. cond. an. 584. Coss. Q. Marcio Philippo II. & Cn. Servilio Cæpione.

eo die [a] ad amnem nomine Mityn processit. Postero die progressus Agassam urbem, tradentibus sese ipsis, recepit: & ut reliquorum Macedonum animos sibi conciliaret, obsidibus contentus, sine præsidio relinquere se eis urbem, immunesque ac suis legibus victuros, est pollicitus. Progressus inde diei iter, [4] ad Ascordum flumen posuit castra: & quantum procederet longiùs à Thessalia, eò majorem rerum omnium inopiam sentiens, regressus ad Dium est: [a] dubitatione omnibus exempta, quid intercluso ab Thessalia patiendum fuisset, cui procul inde abscedere tutum non esset. Perseus, contractis in unum omnibus copiis ducibusque, increpare præfectos præsidiorum, [5] ante omnes Asclepiodotum [6] atque Hippiam: ab his dicere clausstra Macedoniæ tradita Romanis esse. [7] cujus culpæ reus nemo justiùs quàm ipse fuisset. Consuli postquam [b] ex alto conspecta classis spem fecit cum commeatu naves venire (ingens enim caritas annonæ ac propè inopia erat) ab invectis jam portum audit, onerarias naves Magnesiæ relictas esse. Incerto inde quidnam agendum foret (adeo [c] sine ulla ope hostis quæ aggravaret, cum ipsa difficultate rerum pugnandum erat) peropportunè literæ à Sp. Lucretio allatæ sunt: castella se, quæ super Tempe essent & circa Philan, tenere omnia, frumentique in iis & aliarum in usum rerum copiam inveniisse.

VIII. His magnopere lætus consul, ab Dio ad Philan ducit; simul ut præsidium ejus firmaret, simul ut militi frumentum, cujus tarda subvectio erat, divideret. Ea profectio famam haudquaquam secundam habuit: nam alii, metu recessisse eum ab hoste, ferebant, quia manenti imperatori prælio dimicandum foret: [a] alii, ignarum belli quæ in dies fortuna novaret; ut qui, offerentibus sese rebus, omisisset è manibus ea quæ mox repeti non possent. Simul enim cessit possessione Dii, excitavit hostem: ut tunc tandem sentiret recuperanda esse,

INTERPRETATIO.

a *Qua ratione patefactum est, quantum incommodi subiturus fuisset*, &c.

b *Postquam conspexisset naves è mari venientes.*

c *Hoste nihil agente quo augeret incommoda.*

a *Alii* ajebant *Marcium consulem nesciviſſe rerum vicissitudinem, & ea quæ*

NOTÆ.

plum Jovis intellige, à quo fine dubio urbi Dio nomen.

2. *Ad amnem nomine Mityn.*] Fluvius Pieriæ fuit in Thermaicum influens finum, relicto ad dextram Dio.

3. *Agassam urbem.*] Hæc Pieriæ urbs ad lævam Mytis fluvii. Noster lib. 45. *Agassus* vocat in numero plurali.

4. *Ad Ascordum flumen.*] Aliàs *Ascordus* inter Mityn & Aliacmonem per eandem Pieriam provinciam Macedoniæ in memoratum sinum effunditur.

5. *Ante omnes Asclepiodotum.*] Qui ad tuendum jugum Cambuniorum montium missus fuerat cum decem millibus armatorum, suprà cap. 3.

6. *Atque Hippiam.*] Missum & ipsum ad defendendum Lapathunta castellum cum duodecim millibus Macedonum, ut patet ex eodem cap.

7. *Cujus culpæ reus nemo justius quàm ipse fuisset.*] Perseus enim trepidans eos ex præsidiis amoverat, suprà cap. 6.

quæ priùs culpa amissa forent. Audita enim profectione consulis, [2] regressus Dium, quæ disjecta ac vastata ab Romanis erant, reficit: pinnas mœnium decussas reponit, ab omni parte muros firmat: deinde quinque millia passuum ab urbe [2] citra ripam Enipei amnis castra ponit; amnem ipsum transitu perdifficilem pro munimento habiturus. Fluit ex valle Olympi montis, æstate exiguus, hibernis idem incitatus pluviis: & [3] supra rupes ingentes gurgitibus facit, & intrà prorupta in mare evolvendo terram, prærupta voragines, cavatoque medio alveo ripas utrinque præcipites. Hoc flumine Perseus septum iter hostis eredens, extrahere reliquum tempus ejus ætatis in animo habebat. Inter hæc consul à Phila Popillium cum duobus millibus armatorum Heracleum mittit. Abest à Phila quinque millia fermè passuum, media regione inter Dium Tempeque, [4] in rupe amni imminente positum.

Urb. cond. an. 583. Coss. Q. Marcio Philippo II. & Cn. Servilio Cæpione.

IX. Popillius, priusquam armatos muris admoveret, misit qui magistratibus principibusque suaderent, fidem clementiamque Romanorum quàm vim experiri mallent. nihil ea consilia moverunt, quia ignes ad Enipeum ex regis castris apparebant. Tum terra marique (& classis appulsa ab litore stabat) simul armis, simul operibus machinisque oppugnari cœpti. Juvenes etiam quidem Romani, [1] ludiero Circensi ad usum belli verso, partem humillimam muri ceperunt. Mos erat tum, nondum hac effusione inducta [2] bestiis omnium gentium Circum complendi, varia spectaculorum conquirere genera: [2] nec semel quadrigis, semel desultore misso, vix unius horæ tempus utrumque curriculum comsors atque alea belli alternis mutaret.

[2] *Eo tempore cum Circensibus ludis unus tantum missus quadrigarum, atque unus desultorum fieret; ita ut utrorumque cursus intra horam perficeretur: tempus quod supererat aliis Spectaculis insumebatur, & præsertim testudine armatorum.*

NOTÆ.

1. *Regressus Dium.*] Perseus.

2. *Citra ripam Enipei amnis.*] Diversus est hic *Enipeus* à Thessalico amne cognomine, qui ex Othry monte ortus, Apidano jungitur, & cum eo Peneum auget supra Lariſſam. Hic autem *Enipeus* Dium inter & Philam mare, ni fallor, subit pari fermè spatio à Mityo & Baphyri ostiis distans.

3. *Supra rupes ingentes gurgitibus facit, & intra prorupta*, &c.] Conjicit Gron. legendum: *supra rupem ingentes gurgites facit: & infra prorupta in mare evolvendo terram*, &c. Mihi *gurgites* reponi pro *gurgitibus* placet: & *prærupta* pro *prorupta*: cætera non displicent.

4. *In rupe amni imminente positum.*] Situs Heracleï describitur ad ostia Baphyri. Id nunc obsidetur à Popillio.

1. *Ludicro Circensi ad usum belli verso.*] Id statim explicatur.

2. *Bestiis omnium gentium.*] Corrigit Fulv. Vrsinus: *omnium generum*: non tamen persuadet. In eo enim maximè versabatur ambitio Magistratuum Romanorum ludos edentium, ut ex longinquis maximè regionibus conquisitas magno studio feras populo exhiberent. Huc pertinent in primis Cœlii ad Ciceronem Epistolæ complures, veluti 4. 8. 9. lib. 8.

Urb. cond. an. 584. Coss. Q. Marcio Philippo II. & Cn. Servilio Cæpione.

plebat. Inter cæterà sexageni fermè juvenes, interdum 3 plures, ab apparitoribus ludi, armati inducebantur. horum inductio in parte simulacrum decurrentis exercitus erat: ex parte elegantioris exercitii 4 quàm militaris artis, propiorque gladiatorum armorum usum. 5 Quum alios decursus edidissent motus, quadrato agmine facto, scutis suppr capita, densatis, stantibus primis, secundis summissioribus, tertiis magis & quartis, postremis etiam genu nixis, fastigatam, sicut tecta ædificiorum sunt, testudinem faciebant. Hinc quinquaginta fermè pedum spatio distantes, duo armati procurrebant, comminatique inter se, ab ima in summam testudinem per densata scuta quum evasissent, nunc velut propugnantes per oras extremæ testudinis, nunc in media inter se concurrentes, haud secùs quàm stabili solo persulcabant. b Huic testudini simillima parti muri admota, quum armati superstantes subissent, propugnatoribus muri fastigio altitudinis æquabantur: depulsisque iis, in urbem duorum signorum milites transcenderunt. Id tantùm dissimile fuit, quod & in fronte extrema, & ex lateribus, soli non habebant super capita elata scuta, ne nudarent corpora; 6 sed prætecta pugnantium more. ita nec ipsos tela ex muro missa subeuntes læserunt, & testudini injecta 7 imbris in modum lubrico fastigio innoxia ad imum labebantur. Et consul, capto jam Heracleo, castra eò promovit; tanquam Dium, atque inde sumpto rege 8 in Pieriam etiam progressurus. Sed hiberna jam præparans, vias commeatibus subvehendis ex Thessalia muniri jubet, & eligi horreis opportuna loca, tectaque ædificari, ubi diversari portantes commeatus possent.

INTERPRETATIO.

b *Cùm testudo similis huic Circensi à militibus facta esset juxta partem muri quo cingebatur Heracleum, & super alios armati quidam evasissent prope murum: jam qui in summa testudine erant, capita aquabant cum hostibus, qui nonnulla truebantur: his itaque loco pulsis, manipuli duo Romanorum irruperunt in urbem.*

NOTÆ.

3. *Plures ab apparitoribus ludi*] Primæ editiones præpositione vacabant: *plures apparitoribus ludi*: legebat Muret. satis probabili conjectura; *apparitoribus ludis*. Non tamen damnaverim si quis legat, *ab apparatoribus ludi*.

4. *Quam militaris artis*.] Expungit Gron. vocem, *artis*: & sufficit nomen *exercitii*, quod præcedit.

5. *Cùm alios decursus edidissent motus*.] Corrige mea fide: *cùm alios decursu edidissent motus*: est nempe *decursu* idem ac *decurrendo*. Gallicè, *après avoir fait les autres mouvemens qui regardent l'exercice*.

6. *Sed prætecta pugnantium more*.] Lipsius conjicit, *protenta*: Quidni verò retineamus, *prætecta*: id est, *tecta ex anteriori parte*, quod ad corpora referre possis. Lactantius sanè lib. 5. cap. 2. *vitia* dixit *capillis, & pallio, & divitiis prætegere*.

7. *Imbris in modum*.] Sic Ammianus lib. 26. *ita tela, velut imbrem è tecto delabi*.

8. *In Pieriam etiam progressurus*.] Intellige in ulteriorem seu Borealem *Pieriam*. Cæterùm Dium ipsum ponit in *Pieria* Ptol.

X. Perſeus tandem à pavore eo, quo attonitus fuerat, recepto ánimo, malle imperiis ſuis non obtemperatum eſſe, quum trepidans gazam in mare dejici Pellæ, Theſſalonicæ navalia juſſerat incendi. Andronicus Theſſalonicam miſſus traxerat tempus, [a] idipſum quod acciderat, pœnitentiæ relinquens locum. incautior Nicias Pellæ [2] projiciendo pecuniæ partem, quod fuerat nactus: [3] ſed in rem emendabilem viſus lapſus eſſe, quòd per urinatores omne fermè extractum eſt. tantuſque pudor regi pavoris ejus fuit, ut urinatores clam interfici juſſerit: deinde Andronicum quoque & Nician, ne quis tam dementis imperii conſcius exiſteret. Inter hæc C. Marcius cum claſſe ab Heraclea Theſſalonicam profectus, & agrum pluribus locis expoſitis per litora armatis latè vaſtavit: & procurrentes ab urbe, ſecundis aliquot prœliis trepidos intra mœnia compulit. jamque ipſi urbi terribilis erat, quum [4] diſpoſitis omnis generis tormentis, non vagi modò circa muros temerè appropinquantes, ſed etiam qui in navibus erant, ſaxis tormento emicantibus, percutiebantur. Revocatis igitur in naves militibus, omiſſaque Theſſalonicæ oppugnatione, [5] Æniam inde petunt. quindecim millia paſſuum ea urbs abeſt, adverſus Pydnam poſita, fertili agro. Pervaſtatis finibus ejus, legentes oram, Antigoneam perveniunt. ibi egreſſi in terram, primò & vaſtarunt agros paſſim, & aliquantum prædæ contulerunt ad naves. dein palatos eos adorti Macedones, mixti pedites equitesque, fugientes effuſè ad mare perſecuti, quingentos fermè occiderunt, & non minus ceperunt. Nec aliud quàm ultima neceſſitas, quum recipere ſe tutò ad naves prohiberentur, animos militum Romanorum, ſimul deſperatione alia ſalutis, ſimul indignitate irritavit. Redintegrata in litore pugna eſt. adjuvere & qui in navibus erant. Ibi Macedonum ducenti fermè cæſi. par numerus captus. Ab Antigonea claſſis profecta ad agrum Palleneſem, exſcenſionem ad populandum fecit. Finitimis ager Caſſandrenſium erat, longè fertiliſſimus omnis oræ quam prætervecti fuerant. Ibi Eumenes rex, viginti tectis navibus ab Elea profe-

Urb. cond. an. 584. Coſſ. Q. Marcio Philippo II. & Cn. Servilio Cæpione.

NOTÆ.

1. *Idipſum quod accidit.*] Exiſtimat Gron. minùs ſcabram futuram orationem, ſi legamus: *in idipſum quod acciderat.*

2. *Projiciendo pecuniæ partem, quod fuerat nactus.*] Mavult Freinshemius, *pecunia quod fuerat*: expungitque *Tò partem*: Gronov. per appoſitionem accipi poſſe putat: *projiciendo pecuniæ partem*, nempe, *id omne quod ejus fuerat nactus* Nata quod uterque tentat *fugerat*, pro *fuerat*, ut ſit, *quod fugerat, nactus*: & Nicias indignationem Perſei incurrerit, quam tamen vitabat: id mihi quidem longiùs videtur arceſſitum.

3. *Sed in rem emendabilem viſus lapſus eſſe.*] Quamvis tolerari poſſit, melior tamen Gronovii lectio: *ſed in rem emendabilem.*

4. *Diſpoſitis omnis generis tormentis.*] A Theſſalonicenſibus nempe, contra C. Marcii milites.

5. *Æniam inde petunt.*] Romana ſcilicet claſſis. Porrò *Æniæ* ad Thermaicum ſinum, *Antigoniæ*, itemque *Pallenes* ad Toronaicum, Paraxiæ Macedonicæ regionis urbes fuere, de quibus alibi.

ctus, obvius fuit. & quinque missæ à Prusia rege tectæ naves.

Urb. cond. an. 584. Coss. Q. Marcio Philippo II. & Cn. Servilio Cæpione,

XI. Hac virium accessione animus crevit prætori, 1 ut Cassandream oppugnaret. Condita est à Cassandro rege 2 in ipsis faucibus, quæ 3 Pallenensem agrum cæteræ Macedoniæ jungunt, hinc 4 Toronaico, hinc Macedonico septa mari. Eminet namque in altum lingua, in qua sita est: 5 nec minùs quam in altum magnitudine Athos mons excurrit, obversa in regionem Magnesiæ duobus imparibus promontoriis: quorum majori Posideum est nomen, minori 6 Canastræum. Divisis partibus oppugnare adorti, Romanus 7 ad Clytas quas vocant, munimenta 8 cervis etiam objectis ut viam intercluderet, à Macedonico ad Toronaicum mare perducit. ab altera parte Euripus est: inde Eumenes oppugnabat. Romanis in fossa complenda, quam nuper objecerat Perseus, plurimum erat laboris. Ibi quærenti prætori, quia nusquam cumuli apparebant, quo regesta è fossa terra foret; 8 monstrati sunt fornices, non ad eandem crassitudinem qua veterem murum, sed simplici laterum ordine structos esse. Consilium igitur cepit, transfosso pariex humo eminebant,

INTERPRETATIO.

a *Sparsis quoque ferreis ligneisve furcillis, cervorum cornua imitantibus,* quæ

NOTÆ.

1. *Ut Cassandream oppugnaret.*] *Potidæam* Paraxiæ quoque urbem, Athenienſium bellis notam, inſtauraverat, aut circa eam novum condiderat oppidum Caſſander Antipatri filius, Macedoniæ regno potitus, quod de ſuo nomine *Caſſandriam* dixerat.

2. *In ipsis faucibus.*] Sic etiam Strabonis Epitome Caſſandriam locat in Iſthmo Cherſoneſi Pallenenſis juxta Potidæam, quæ olim Phlegra.

3. *Pallenensem agrum.*] A Pallene oppido dicta Pallenenſis peninſula, quam noſter Linguam appellat.

4. *Toronaico.*] Sinus *Toronaicus* à *Torone* oppido ei appoſito è regione Olynthi, nomen accepit. Eſt autem inter geminos Macedonici maris ſinus, Thermaicum ad occaſum, & Singiticum ad ortum: ultra quem verſus Aquilonem Cherſoneſus Macedonica proprie dicta, in qua mons Athos, nunc τὸ ἅγιον ὄρος: ſinus hodie *Golfo di Ajomana* dicitur.

5. *Nec minùs quàm in altum Athos mons excurrit.*] Comparat Cherſoneſi Pallenenſis longitudinem *Athi* montis, opinor, altitudini: alioqui non ſatis videtur æqualis hujus procurſus in mare Macedonicum: & minùs arctæ illius fauces paulòque minùs latum inter duos ſinus ſpatium.

6. *Canastræum.*] Promontorium eſt Macedoniæ, haud procul Caſſandria, ad extrema ſinus Thermaici, ortum verſus.

7. *Ad Clytas quas vocant.*] A declivitate aut ab obliquitate montium dicta hæc loca: quaſi *ὄρυς*; an quaſi claves, τὰ κλεῖθρα?

8. *Monstrati sunt fornices.*] Indiget locus emendatione: & vel legendum poſt Turnebum, in nominandi caſu: *fornices non ad eandem crassitudinem qua vetus murus, sed simplici laterum ordine structi*: vel ſi ſerventur caſus accuſativi, ſcribendum ut Gronov. videtur, *monstratum est*, in neutro genere: vult enim Livius oſtenſum eſſe prætori idcirco cumulos egeſtos è foſſa à Perſeo inſtituta non eminere, quia fornices novi muri minùs craſſi erant quam prior murus.

re

te iter in urbem patefacere. fallere autem ita se posse, si muros à parte alia scalis adortus, tumultu injecto, 9 in custodiam ejus loci propugnatores urbis avertisset. Erant in præsidio Cassandreæ, præter non contemnendam juventutem oppidanorum, octingenti Agrianes, & duo millia Penestarum Illyriorum, 10 à Pleurato inde missi: bellicosum utrumque genus. His tuentibus muros, quum subire Romani summa vi niterentur, momento temporis parietes fornicum perfossi urbem patefecerunt. 11 quòd si, qui irrupere, armati fuissent, extemplo cepissent. Hoc ubi perfectum esse opus militibus nunciatum est, clamorem alacres gaudio repentè tollunt; 12 aliis parte alia in urbem irrupturis.

Urb. cond. an. 584. Coss. Q. Marcio Philippo II. & Cn. Servil. Cæpione.

XII. Hostes primùm admiratio cepit, quidnam sibi repentinus clamor vellet. postquàm patere urbem accepere præfecti præsidii, Pytho & Philippus[a] pro eo, qui occupasset aggredi, opus factum esse rati, cum valida manu Agrianum Illyriorumque erumpunt: Romanosque, qui alii aliunde coibant convocabanturque ut signa in urbem inferrent, incompositos atque inordinatos fugant, persequunturque ad fossam: in quam compulsos ruina cumulant. sexcenti fermè ibi interfecti, omnesque propè, qui inter murum fossamque deprehensi erant, vulnerantur. Ita suo ipse conatu perculsus prætor, segnior ad alia factus consilia erat: & ne Eumeni quidem, simul à mari, simul à terra aggredienti, quidquam saris procedebat. Placuit igitur utrique, custodiis firmatis, ne quod præsidium ex Macedonia intromitti posset, quoniam vis aperta non processisset, operibus mœnia oppugnare. Hæc parantibus his, decem regii lembi ab Thessalonica cum delectis Gallorum auxiliaribus missi, quum in salo stantes hostium naves conspexissent; ipsi obscura nocte simplici ordine quam poterant proximè litus tenentes, intrarunt urbem. Hujus novi præsidii fama absistere oppugnatione simul Romanos regemque coegit. circumvecti promontorium, ad Toronem classem appulerunt. Eam quoque oppugnare adorti, ubi valida defendi manu animadverterunt. irrito incœpto Demetriadem petunt. Ibi quum appropinquantes reple-

INTERPRETATIO.

a *Cùm existimarent opus* quo muri aperti fuerant, *utile futurum ei parti: quæ prior hostes adoriretur*, hoc est, *non minùs ob fossis quàm ob fossoribus*.

NOTÆ.

9. *In custodiam ejus loci*.] Quem scilicet scalis adoriebantur, & procul ab ea parte, qua pariete transfosso ingredi parabat prætor.

10. *A Pleurato inde missi*.] Nempè, e Penestia, seu Penestarum regione, ut nihil opus sit legere cum Gronov. *à Pleurato eodem* (id est, *Cassandream*) missi.

11. *Quod si qui irrupere*.] Malim, *si qui perrupere*, id est, *perfoderunt* fornices muri; neque enim revera in urbem irruperunt.

12. *Aliis parte alia in urbem irrupturis*.] Vellet Gronov. *clamorem repentè tollunt alii parte alia in urbem irrupturi*. sed valet ablativus absolutè positus, ut indicentur tum qui scalis ab una parte adorturi, tum qui simul per ruinas muri perfossi ingressuros se sperabant.

ta mœnia armatis vidissent, prærevecti ad Ioleon classem appulerunt inde agro vastato, Demetriadem quoque aggressuri.

Urb. cond. an. 584. Coss. Q. Marcio Philippo II. & Cn. Servil. Cæpione.

XIII. Inter hæc & consul, ne segnis sederet tantum in agro hostico M. Popillium cum quinque millibus militum ad Meliboeam urbem oppugnandam mittit. Sita est in radicibus Ossæ montis, qua parte in Thessaliam vergit, opportunè imminens super Demetriadem. Primus adventus hostium perculit incolas loci: collectis deinde ex necopinato pavore animis, discurrunt armati ad portas ac mœnia, qua suspecti aditus erant: spemque extemplo inciderunt, capi primo impetu posse. Obsidio igitur parabatur, & opera oppugnationum fieri cœpta. Perseus, quum audisset simul Meliboeam à consulis exercitu oppugnari, simul classem Iolci stare, ut inde Demetriadem aggrederetur; Euphranorem quendam ex ducibus cum delectis duobus millibus Meliboeam mittit, eidem imperatum, ut, si à Meliboea submovisset Romanos, Demetriadem prius occulto itinere intraret, quàm ab Ioleo ad urbem castra moverent Romani. & ab oppugnatoribus Meliboeæ, quum in superioribus locis repentè apparuisset, cum trepidatione multa relicta opera sunt, igniſque injectus. ita à Meliboea abscessum est. Euphranor, soluta unius urbis obsidione, Demetriadem extemplo ducit. nec tum mœnia modò, sed agros etiam considerunt se à populationibus tueri posse: & eruptiones in vagos populatores non sine vulneribus hostium factæ sunt. Circumvecti tamen mœnia sunt prætor & rex; situm urbis contemplantes, si qua parte tentare aut opere, aut vi possent. Fama fuit, per Cydam Cretensem, & Antimachum qui Demetriadi præerat, tractatas inter Eumenem & Persea conditiones amicitiæ, ab Demetriade certè abscessum est. Eumenes ad consulem navigat: gratulatus quòd prosperè Macedoniam intrasset, Pergamum in regnum abiit. Marcius Figulus prætor, parte classis in hiberna Sciathum missa, cum reliquis navibus Orcum Bœotiæ petiit, eam

NOTÆ.

1. *Ad Ioleon.*] Magneſiæ Theſſaliæ regionis urbs *Ioleos* ad ſinum Pelaſgicum fuit, ſub Pelio monte, Demetriadi adjacens, nunc *Iaco*. Hinc traditur Jaſon in Colchidem navigaſſe.

1. *Ad Meliboeam.*] In eadem Magneſia erant *Meliboea* ad Macedonicum mare Bœbeidi paludi ad Boream, inter Ossam & Pelion montes.

2. *Sciathum missa.*] *Sciathus* urbis & inſulæ nomen eſt, in Ægæo mari, inter eram Magneſiæ & Peparethum inſulam ſitæ.

3. *Orcum Bœotiæ petit.*] *Bœotia* ſcriptum puto pro *Euboea*: in hac enim inſula fuiſſe *Orcum*, jam obſervavimus. Dubitat Gronov. an legendum ſit, *Orcum Bœotiæ*, quam tamen noſter Atticæ attribuit lib. proximo ſequenti cap. 27. ſed *Bœotiæ* vulgò adſcribitur; & de eo oppido certatum aliàs inter Bœotos & Atticæ incolas. Mihi magis placet, *Orcum Euboeæ*, tum quòd hic portus Sciatho propior, ubi pars claſſis: tum quòd cap. 30. hujus libri memoretur Octavius *Orcum* ad claſſem veniſſe anno priore: unde ſequitur claſſem *Orei* hoc anno hibernaſſe. Patet etiam quod ſequitur, eam urbem aptiſſimam viſam, unde exercitibus, qui in Macedonia, quique in Theſſalia erant, mitti commeatus poſſent.

urbem aptiſſimam ratus, unde exercitibus, qui in Macedonia quique in Theſſalia erant, mitti commeatus poſſent. De Eumene rege longè diverſa tradunt. Si Valerio Antiati credas, nec claſſe adjutum ab eo prætorem eſſe, quum ſæpè cum liceris arceſſiſſet, tradit: nec cum gratia ab conſule profectum in Aſiam; indignatum, quòd, ut iiſdem caſtris tenderet, permiſſum non fuerit. ne ut equites quidem Gallos, quos ſecum adduxerat, relinqueret, impetrari ab eo potuiſſe. *Attalum fratrem ejus, & remanſiſſe apud conſulem, & ſinceram ejus fidem æquali tenore egregiamque operam in eo bello fuiſſe.*

Urb. cond. an. 583. Coſſ. Q. Marcio Philippo II. & Cn. Servilio Cæpione.

XIV. Dum bellum in Macedonia geritur, legati Tranſalpini ab regulo Gallorum (Balanos ipſius traditur nomen, gentis ex qua fuerit, non traditur) Romam venerunt, pollicentes ad Macedonicum bellum auxilia. Gratiæ ab ſenatu actæ, muneraque miſſa. torquis aureus duo pondo, & pateræ aureæ quatuor pondo, equus phaleratus, armaque equeſtria. Secundum Gallos Pamphyli legati coronam auream, [1] ex viginti millibus Philippeorum factam, in curiam intulerunt: petentibuſque iis, ut id donum in cella Jovis Optimi Maximi ponere, & ſacrificare in Capitolio liceret, permiſſum: benigneque amicitiam renovare volentibus legatis reſponſum, & binum millium æris ſingulis miſſum munus. Tum ab rege Pruſia & paulò poſt ab Rhodiis, de eadem re longè aliter diſſerentes legati auditi ſunt. utraque legatio de pace reconciliandâ cum rege Perſeo egit. Pruſiæ preces [2] magis quàm poſtulatio fuere, profitentis, *& ad id tempus ſe cum Romanis ſtetiſſe, & quoad bellum foret, ſtaturum. Cæterum quum ad ſe à Perſeo legati veniſſent, de finiendo cum Romanis bello, & iis pollicitum deprecatorem apud ſenatum futurum, petere, ſi poſſent inducere in animum ut finiant iram, ſe quoque in gratia reconciliatæ pacis poſſe uti.* hæc regii legati. Rhodii ſuperbè commemoratis erga populum Romanum beneficiis, & pene victoriæ, utique de Antiocho rege, majore parte ad ſe vindicata, adjecerunt: *Quum pax inter Macedonas Romanoſque eſſet, ſibi amicitiam cum rege Perſeo cœptam. eam ſe invitos, nullo ejus in ſe merito, quoniam ita Romanis viſum ſit, in ſocietatem ſe belli trahere, interrupiſſe. Tertium ſe annum multa ejus incommoda belli ſentire. mari intercluſo inopia inſulam premi, amiſſis maritimis vectigalibus atque commeatibus. Quum id ultra pati non poſſent, legatos alios ad Perſea in Macedoniam miſiſſe, qui ei denuntiarent, Rhodiis placere pacem cum componere cum Romanis: ſe Romam eadem nunciatum miſſos Por quos ſtetiſſet quominùs belli finis fieret, adverſus eos quid ſibi faciendum eſſet, Rhodios conſideraturos eſſe.* Ne nunc quidem hæc ſine indignatio-

NOTÆ.

1 *Ex viginti millibus Philippeorum.*] Pretium, ſi noſtra pecunia ex aureis Philippeis æſtimes, erit circiter 270000 librarum.

2 *Magis quàm poſtulatio.*] Malim cum Gronovio, *magis quàm poſtulata fuere*: quanquam recte referri poteſt verbum pluralis numeri ad nomen *pracs*.

ne legi audirive poſſe certum habeo. inde exiſtimari poteſt, qui habitus animorum audientibus ea Patribus fuerit.

Urb. cond. an. 584. Coſſ. Q. Marcio Philippo II. & Cn. Servilio Cæpione.

XV. Claudius, nihil reſponſum, auctor eſt: tantum ſenatuſconſultum recitatum, quo Caras & Lycios liberos eſſe juberet populus Romanus, literaſque exemplo ad utramque gentem * 1 ſcirent indicatum, mitti. Qua audita re, principem legationis, cujus magniloquentiam vix eutria paulò antè ceperat, corruiſſe. Alii reſponſum eſſe tradunt, *Populum Romanum, & principio hujus belli, haud vanis auctoribus compertum habuiſſe, Rhodios cum Perſeo rege adverſus rempublicam ſuam occulta conſilia iniſſe: & ſi id ante dubium fuiſſet, legatorum paulo ante verba* [a] *ad certum redegiſſe: & plerunque ipſam ſe fraudem, etiamſi initio cautior fuerit, detegere.* [2] *Rhodios nuncio in orbe terrarum arbitria belli paciſque agere: Deorum nutu arma ſumpturos poſituroſque Romanos eſſe.* [3] *Jam non Deos fœderum teſtes, ſed Rhodios habituros; Ita ne tandem iis pareatur, exercitusque de Macedonia deportentur? Viſuros eſſe, quid ſibi faciendum ſit. Quid Rhodii viſuri ſint, ipſos ſcire. Populum certe Romanum devicto Perſeo, quod propediem ſperent fore, viſurum, ut pro meritis cujuſque in eo bello* [b] *civitatis gratiam dignam referat.* Munus tamen legatis in ſingulos [4] binum millium æris miſſum eſt: quod ii non acceperunt.

XVI. Literæ deinde recitatæ Q. Marcii conſulis ſunt, *Quemadmodum ſaltu ſuperato in Macedoniam tranſiſſet: & ibi & ex aliis locis* [1] *commeatus*

INTERPRETATIO.

[a] *Certum & perſpicuum effeciſſe.*
[b] *Ut populus Romanus amicitiam ſuam & mercedem reddat prout eo bello de ſe quiſque meritus fuerit.*

NOTÆ.

1. *Scirent indicatum mitti.*] Scribit Sigon. *ut ſcirent indicatum*: ſenſus eſt, corum legatis Rhodiorum recitatum fuiſſe ſenatuſconſultum, quo Caribus & Lyciis, (qui Rhodiis priùs contributi à Romanis fuerant) reddebatur libertas, indicatum etiam ad duas illas gentes id præſcriptum jam eſſe, ut illas certiores ejus rei factas Rhodii certò noſſent.

2. *Rhodios nuncio.*] An quaſi miſſo per orbem nuncio, & ſparſa ubique fama: an, ut conjicit Gronov. *nunciis*, ut ita legati Rhodiorum per contemptum appellentur.

3. *Jam non Deos fœderum teſtes, ſed Rhodios habituros.*] Ironicè dictum, qua ſi Rhodii Deos agere velint, quos ſolos Romani belli paciſque arbitros ac fœderum teſtes agnoſcerent.

4. *Binum millium aris.*] Gallicè, *cinquante huit livres ſix ſols huit deniers*; ſi monetam intelligas: ſi autem pondus, 1350 l.

1. *Commeatus à prætore proſpectos in hiemem habere.*] Legebatur alias: *commeatus rempublicam proſpectos habere.* Cauſa mendi, ut Sigon. indicat, ex Librariorum ignorantia, & abbreviata per initiales literas ſcriptura, ex quibus vel male conjunctis, vel disjunctis, aut inverſis ſæpenumerò lapſi inveniuntur: ſcribebant enim veteres *P. R* ut *populum Romanum* deſignarent, *R. P.* ut *rempublicam*, *PR.* ut *Prætorem* ſignificarent. Hoc loco itaque pro *Prætore* interpretati fuerant *Rempublicam*; legendum ergo: *commeatus Prætorem proſpectos in hiemem habere*. Prætor autem intelligitur C. Marcius Figulus præſe-

à prætore prospectos in hiemem habere, & ab Epirotis viginti millia modium tritici, decem hordei sumpsisse: ut pro frumento pecunia Romæ legatis eorum curaretur. Vestimenta militibus ab Roma mittenda esse: a equis ducentis ferme opus esse: maxime Numidis: nec sibi in his locis ullam copiam esse. Senatusconsultum, ut ea omnia ex literis consulis fierent, factum est. C. Sulpicius prætor sex millia togarum, triginta tunicarum, & equos deportanda in Macedoniam, præbendaque arbitratu consulis locavit: & legatis Epirotarum pecuniam pro frumento solvit. Et Onesimum, Pythonis filium, nobilem Macedonem, in senatum introduxit: is pacis semper auctor regi fuerat, monueratque, sicut pater ejus Philippus institutum usque ad ultimum vitæ diem servabat, quotidie bis in die fœderis icti cum Romanis perlegendi; ut eum morem, si non semper, crebrò tamen usurparet. Postquàm 3 deterrere eum à bello nequiit; primò subtrahere sese per alias atque alias causas, ne interesset iis, quæ non probabat, cœpit: postremò, quum suspectum se esse cerneret, & proditionis interdum crimine insimulari; ad Romanos transfugit: magno usui consuli fuit. Ea, introductus in curiam, quum memorasset, senatus [a] in formulam sociorum cum referri jussit: locum, lautia præberi: agri Tarentini, qui publicus populi Romani esset, ducenta jugera dari, & ædes Tarenti emi: uti ea curaret, C. Decimio prætori mandatum. Censores censum idibus Decembribus severiùs quàm antè habuerunt: mulcis equi adempti, inter quos P. Rutilio qui tribunus plebis eos violenter accusarat: tribu quoque is motus, & ærarius factus. Ad opera publica facienda quum eis dimidium ex vectigalibus ejus anni attributum ex Senatusconsulto à quæstoribus esset; Ti. Sempronius ex ea pecunia, quæ ipsi attributa erat, ædes P. Africani 4 pone Veteres ad Vortumni signum, lanienasque & tabernas conjunctas [b] in publicum emit, basilicamque faciendam curavit, quæ posteà Sempronia appellata est.

Urb. cond. an. 584. Coss. Q. Marcio Philippo II. & Cn. Servilio Cæpione.

INTERPRETATIO.

a *In sociorum numerum & catalogum.* b *Comparavit ut essent publica populi Romani.*

NOTÆ.

tus classis. In his Sigonio subscribo. Cur autem immiserit præpositionem *à*, ut esset, *à Prætore*, non equidem video; si enim *R. P.* invertas & conjungas, efficietur quidem *Prator*, sive in nominandi, sive in obliquis casibus: non tamen erit præpositio *à*. Quòd si legas, *Prætorem*, &c. *habere*; nihil laborabit sententia.

2. *Equis ducentis opus esse.*] Suspectus est Manutio hic numerus CC. reponit M. ut sint milleni. Sed quoniam agitur de equis ad priotem numerum adjiciendis, sufficeret fortè ducentorum supplementum.

3. *Deterrere eum à bello.*] Aliàs, *deterrere eum bello*, quasi dicas, *terrore dimovere de bello*. Vulgata phrasis, *deterrere eum à bello*.

4. *Pone veteres ad Vortumni signum.*] *Veteres* intellige *ædes* P. Africani. An *veteres curias? Vortumnus* erat Tuscorum Deus, qui se in quaslibet formas verteret, qualis in Græcorum fabulis Proteus. Ejus templum in vico Tusco.

Urb. cond. an. 584. Coss. Q. Marcio Philippo II. & Cn. Servilio Cæpione.

XVII. Jam in exitu annus erat, & propter Macedonici maximè belli curam in sermonibus homines habebant, quos in annum consules ad finiendum tandem id bellum crearent. itaque Senatusconsultum factum est, ut Cn. Servilius primo quoque tempore ad comitia habenda veniret. Senatusconsultum Sulpicius [1] prætor ad consulem * post paucos dies recitavit, quibus ante diem * in urbem venturum. & consul maturavit, & comitia eo die, qui dictus erat, sunt perfecta. Consules creati, L. Æmilius Paullus iterum; [2] septimodecimo anno postquàm primò consul fuerat, & C. Licinius Crassus. Prætores postero die facti, Cn. Bæbius Tamphilus, L. Anicius Gallus, Cn. Octavius, P. Fontejus Balbus, M. Æbutius Elva, C. Papirius Carbo. Omnia ut maturiùs agerentur, belli Macedonici stimulabat cura. itaque designatos extemplo sortiri placuit provincias; ut, utri Macedonia consuli, cuique prætori classis venisset, sciretur. ut jam inde cogitarent, pararentque quæ bello usui forent, senatumque consulerent, si quâ re consulto opus esset. Latinas, ubi magistratum iniissent, [3] quod per religiones posset, primo quoque tempore fieri placere. neque consulem, cui eundum in Macedoniam esset, teneri. His decretis consulibus Italia & Macedonia, prætoribus præter duas jurisdictiones in urbe, classis, & Hispania, & Sicilia, & Sardinia provinciæ nominatæ sunt. Consulum, Æmilio Macedonia, Licinio Italia evenit. Prætores, Cn. Bæbius urbanam, L. Anicius peregrinam, & si quo senatus censuisset, Cn. Octavius classem, P. Fontejus Hispaniam, M. Æbutius Siciliam, C. Papirius Sardiniam est sortitus.

XVIII. Extemplo apparuit omnibus non segniter id bellum Æmilium gesturum; præterquàm quòd [1] alius vir erat, etiam quòd dies noctesque intentus, ea sola, quæ ad id bellum pertinerent, animo agitabat. Jam omnium primum à senatu petit, ut Legatos in Macedoniam mitterent ad exercitus visendos classemque, & comperta referenda, quid aut terrestribus aut navalibus copiis opus esset. Præterea ut explorarent copias regias quantum possent, [2] quaque provincia nostra, qua hostium foret. utrum intra

INTERPRETATIO.

[2] *Quoad fieri posset, servatis særis ritibus.*

[2] *Et quæ pars Macedoniæ in Romanorum, quæ in Persei potestate esset.*

NOTÆ.

1. *Prætor ad consulem post paucos dies recitavit.*] Hunc locum asterisco recte notat Sigon. Est quippe haud dubiè mancus. Non enim aderat Cn. Servilius consul, ut ei Prætor Sulpicius Senatusconsultum recitaret. Intellige ergo quasi scriptum esset: *Prætor ad consulem* (*Senatusconsultum misit, receptoque ab eo literas in senatu*) *post paucos dies recitavit, quibus ante diem* (excidit dies & mensis) *in urbem venturum*, &c.

2. XVII. *anno.*] Irrepsit etiam error in numerum, & scriptum est XVII. pro XIV. tot enim sunt anni à priore Pauli Æmilii consulatu ad hoc tempus.

1. *Alius vir erat.*] Gallicè, *c'estoit bien un autre homme*: id est, virtute bellicâ præditus, quâ Q. Marcium Philippum consulem in Macedonia tunc bellum gerentem longè antecedebat.

ſaltus caſtra Romani haberent, an jam omnes anguſtiæ exſuperatæ, & in æqua loca perveniſſent. qui fidelesne nobis ſocii, qui dubii ſuſpenſæque ex fortuna fidei, qui certi hoſtes viderentur: quanti præparati commeatus, & unde terreſtri itinere, unde navibus ſupportarentur: [2] quid eâ æſtate terrâ marique rerum geſtarum eſſet. ex his benè cognitis, certa in futurum conſilia capi poſſe ratus. Sonatus Cn. Servilio conſuli negotium dedit, ut is in Macedoniam quos L. Æmilio videretur legaret. Legati biduo pòſt profecti, Cn. Domitius Ænobarbus, A. Licinius Nerva, L. Bæbius. Bis in exitu anni ejus lapidatum eſſe, nunciatum eſt; in Romano agro, [3] ſimul in Vejentibus. novendiale ſacrum factum eſt. Sacerdotes eo anno mortui ſunt, P. Quinctilius Varus, flamen Martialis: & M. Claudius Marcellus, Decemvir. in cujus locum Cn. Octavius ſuffectus. Et jam magnificentiâ creſcente notatum eſt, ludis Circenſibus P. Corneliî Scipionis Naſicæ, & P. Lenteli ædilium curulium, [4] ſexaginta tres Africanas, & quadraginta urſos, & elephantos luſiſſe.

Ubi cond. an 585. Caſſ. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio. Cruſſo.

XIX. L. Æmilio Paullo, C. Licinio conſulibus Idibus Martiis principio inſequentis anni, quum in exſpectatione Patres fuiſſent; maximè quidnam conſul de Macedonia, cujus ea provincia eſſet, referret: nihil ſe habere, Paullus quod referret, quum nondum legati rediſſent, dixit: *Cæterum Brunduſii legatos jam eſſe,* [1] *bis ex curſu Dyrrhachium ejectos. Cognitis mox, quæ noſci priùs in rem eſſet, relaturum: id fore intra perpaucos dies. Et ne quid profectionem ſuam teneret,* [2] *pridie Idus Aprilis Latinis eſſe conſtitutam diem.* [3] *Sacrificio rite perfecto ſe & Cn. Octavium, ſimul ſenatus conſuliſſet, exituros eſſe. C. Licinio collegæ ſuo fore curæ ſe abſente, ut, ſi quæ parari mittive ad id bellum opus ſit, parentur, mittanturque. Intereà legationes exterarum nationum audiri poſſe.* Sacrificio ritè per-

NOTÆ.

1. *Quid eâ æſtate terrâ marique rerum geſtarum.*] Id eſt, *qua res geſta eſſent.* Legit Gron. *quid rerum*, &c. *geſtum eſſet.*

3. *Simul in Vejentibus.*] Manut. & Gron. pater, *bis in exitu anni.* &c. *in Romano agro, ſemel in Vejentibus:* ſed quia quoties lapidaverat, toties novendiale ſacrum fieri ſolebat, conjicit Gronov. ſ. *bis in exitu anni ejus lapidatum eſſe nunciatum eſt, in Romano agro, ſimul in Vejenti: bis novendiale ſacrum factum eſt.*

4. *Sexaginta tres Africanas.*] Num Afras aves intelligit; certè ab Horatio memoratur *Afra avis*: Acron Stuthionem interpretatur, ſeu Stuthiocamelum, cujus deſcriptio apud Plin. extat lib. 10. cap. 1.

1. *Bis ex curſu Dyrrachium ejectos.*] Lege potiùs *rejectos*, ut poſt Manutium cenſet Gron. *Nam ejecti* propriè dicuntur, qui naufragium paſſi ſunt.

2. *Pridie Idus Aprilis Latinis eſſe conſtitutam diem.*] At pridie Calendas Aprilis feriæ Latinæ hoc anno fuere, ut pòſt cap. 22. dicitur. Eſt itaque hic aut illic mendum. Videtur conſul eas ante conſuetum tempus celebrari curaſſe.

3. *Sacrificio ritè perfecto, ſe & Cn. Octavium*, &c.] Sacrificium duplex hoc capite narratur: hoc primum feriarum Latinarum causâ: aliterum paulò pòſt, ſolenne nempè ſacrum, quod Conſules

Urb. cond. an. 585. Coss. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Crasso.

fecto, primi Alexándrini 4 legati ab Ptolemæo & Cleopatra regibus vocati sunt. Sordidati, barbâ & capillo promisso, cum ramis olæ ingressi curiam, procubuerunt: & oratio quàm habitus fuit miserabilior. Antiochus Syriæ rex, qui obsessa Romæ fuerat per honestam speciem majoris Ptolemæi reducendi in regnum, bellum cum minore fratre ejus, qui tum Alexandriam tenebat, gerens, & ad Peluſium navali prœlio victor fuerat, & tumultuario opere ponte per Nilum facto transgressus cum exercitu, obsidione ipsam Alexandriam terrebat: nec procul abesse, quin potiretur regno opulentissimo, videbatur. Ea legati querentes orabant senatum, ut opem regno 5 regibusque amicis imperio ferret. *Ea merita populi Romani in Antiochum, eam apud omnes reges gentesque auctoritatem esse, ut si legatos visissent, qui denunciarent, non placere senatui sociis regibus bellum fieri: extemplo abscessurus à mœnibus Alexandriæ, abductusque exercitum in Syriam esset. Quod si cunctentur facere, brevi extorres regno Ptolemæum & Cleopatram Romam venturos, cum pudore quodam populi Romani; quod nullam opem in ultimo discrimine fortunarum tulissent.* Moti Patres precibus Alexandrinorum, extemplo C. Popillium Lænatem, & C. Decimium, & C. Hostilium, legatos, ad finiendum inter reges bellum miserunt. Priùs Antiochum, deìn Ptolemæum adire jussi, & nunciare, ni absistatur bello, per utrum stetisset, eum non pro amico, nec pro socio habituros esse.

XX. His intra triduum simul cum legatis Alexandrinis profectis, a legati ex Macedonia quinquatribus ultimis adeo expectati venerunt, uti, nisi vesper esset, extemplo senatum vocaturi consules fuerint. Postero die senatus fuit, legatique auditi sunt. Ii nunciant, *Majore periculo quàm emolumento exercitum per invios saltus in Macedoniam inductum. à Pieriam, quo processisset, regem tenere: castra castris prope ita collata*

INTERPRETATIO.

a *In Perſei poteſtate eſſe Pieriam regionem; quam ingreſſus erat exercitus Romanus.*

NOTÆ.

initio magistratus faciebant priusquàm publici muneris quidquam attingerent.

4. *Legati ab Ptolemæo & Cleopatra regibus.*] Ptolemæo V. cui cognomen Epiphani, ex Cleopatra Antiochi magni filia, duo filii fuere, nomine Ptolemæi. Fratrum major Philometor prior Cleopatræ sororis maritus fuerat: minor cognomine Evergetes, & postea Physcon, fratre pulso Alexandriam occupaverat, quam cum eadem Cleopatra tenebat; utriusque avunculus Antiochus Epiphanes Syromacedonum rex, per speciem restituendi majoris Ptolemæi, partem magnam Ægypti occupaverat, & Alexandriæ imminebat.

5. *Regibusque amicis imperio.*] Ptolemæo scilicet Juniori & Cleopatræ, qui Romanorum imperio amici, utpote socii Romanorum.

1. *Legati ex Macedonia.*] Non Macedones à Perseo legati: sed tres viri à Cn. Servilio in Macedoniam missi ad explorandum rerum Macedonicarum statum, de quibus supra cap. 18.

esse

esse, ut flumine Enipeo interjecto arceantur. neque regem pugnandi potestatem facere, nec nostris vim ad cogendum esse. Hiemem etiam asperam rebus gerendis interveniſſe. in otio militem ali, nec plus quàm ſex dierum frumentum habere. Macedonum dici triginta millia armatorum esse. Si Sp. Claudio circa Lychnidum ſatis validus exercitus foret, 2 *potuisse ancipiti bello diſtinere regem: nunc & Appium, & quod cum eo præſidii ſit,* 3 *in ſummo periculo esse; niſi propere aut juſtus exercitus eo mittatur; aut illi inde deducantur. Ad claſſem ſe ex caſtris profectos; ſociorum navalium partem morbo audiſse abſumptam: partem, maximè qui ex Sicilia fuerint, domos ſuas abiſse, & homines navibus deeſse. qui ſint, neque ſtipendium accepiſse, neque veſtimenta habere. Eumenem claſsemque ejus, tanquam vento allatas naves, ſine cauſa & veniſse & abiſse: nec animum ejus regis conſtare ſatis viſum. Sicut omnia de Eumene dubia, Attali egregie conſtantem fidem nunciabant.*

Urb. cond. an. 585. C. oſſ. L. Æmil. Paullo, & C. Licin. Craſſo.

XXI. Legatis auditis, tunc de bello referre ſeſe L. Æmilius dixit. Senatus decrevit, *Ut in otio legiones parem numerum tribunorum conſules & populus crearent: creari autem neminem eo anno placere, niſi qui honorem geſſiſſet. Tum ex omnibus tribunis militum uti L. Æmilius in duas legiones in Macedoniam, quos eorum velit, eligat, & ut ſolemni Latinarum perfecto, L. Æmilius conſul, Cn. Octavius prætor, cui claſſis obtigiſset, in provinciam proficiſcantur.* additus eſt his tertius L. Anicius prætor, cujus inter peregrinos jurisdictio erat. eum in provinciam Illyricum circa Lychnidum Appio Claudio ſuccedere placuit. Delectus cura C. Licinio conſuli impoſita. is ſeptem millia civium Romanorum, & equites ducentos ſcribere juſſus: & ſociis nominis Latini ſeptem millia peditum imperare, quadringentos equites: & Cn. Servilio Galliam obtinenti provinciam literas mittere, ut ſexcentos equites conſcriberet. Hunc exercitum ad collegam primo quo tempore mittere in Macedoniam juſſus. neque in ea provincia plus quàm duas legiones eſſe, eas repleri, ut ſena millia peditum, trecenos habe-rent equites. cæteros equites peditesque in præſidiis diſponi. Qui eorum idonei ad militandum non eſſent, dimitti. decem præterea millia peditum imperata ſociis: & octingenti equites. Id præſidii additum Anicio, præter duas legiones, quas portare in Macedoniam eſt juſſus, quina millia peditum & ducenos habentes, trecenos equites; & in claſſem quinque millia navalium ſociûm ſunt ſcripta. Licinius conſul

NOTÆ.

2. *Potuiſſe ancipiti bello diſtinere regem.*] Mavult Gron. paſſivâ voce *diſtineri*: ſed voluit Livius activè efferre: ut Claudius, (ſi idoneas habuiſſet copias) *potuerit ancipiti bello diſtinere regem*, id eſt, bellum ei alia ex parte moyere, nimirùm ab Illyrici latere, cùm ab Theſſalia Q. Marcius eum urgeret.

3. *In ſummo periculo eſſe.*] Appium Claudium dicit, qui circa Lychnidum erat, & qui perperam *Spurius* paulò antè dicitur.

duabus legionibus obtinere provinciam jussus: eo addere sociorum decem millia peditum, & sexcentos equites.

V.b. cónd. an. 585. Coss. L. Æmil. Paullo, & C. Licin. Crasso.

XXII. Senatusconsultis perfectis, L. Æmilius consul è curia in concionem processit, orationemque talem habuit: *Animadvertisse videor, Quirites, majorem mihi, fortitò Macedoniam provinciam, gratulationem factam, quàm quum aut consul essem consalutatus, aut quo die magistratum iniissem: neque id ob aliam causam, quàm quia bello in Macedonia, quod detrahitur, existimastis dignum majestate populi Romani exitum per me imponi posse. Deos quoque hæc favisse sorti, spero; eosdemque in rebus gerendis, assituros esse. Hæc partim opinari, partim sperare possum. Illud affirmare pro certo habeo audeoque, me omni ope adnisurum esse, ne frustrà vos hanc spem de me conceperitis. Quæ ad bellum opus sunt, & senatus decrevit, & (quoniam extemplo proficisci placet, neque ego in mora sim) C. Licinius collega, vir egregius, æque enixe parabit, ac si ipse id bellum gesturus esset. Vos, quæ scripsero senatui aut vobis, credite. rumores celeritate vestra ne alatis, quorum auctor nemo extabit. Nam nunc quidem, quod vulgo fieri hoc præcipue bello animadverti, [a] nemo tam famæ contemptor est, cujus non debilitari animus possit. In omnibus circulis, atque etiam (si Diis placet) in conviviis sunt, qui exercitus in Macedoniam ducant: ubi castra locanda sint sciant, quæ loca præsidiis occupanda: quando aut quo saltu intranda Macedonia, ubi horrea ponenda; qua terra, mari subvehantur commeatus: quando cum hoste manus conserendæ, quando quiescendum sit. Nec, quid melius faciendum sit, modo statuunt, sed quidquid aliter quàm ipsi censuere factum est, consulem veluti dicta die accusant. Hæc magna impedimenta res gerentibus sunt. nec enim omnes tam firmi & constantis animi contra adversum rumorem esse possunt, quàm Fabius fuit: qui suum imperium minui per vanitatem populi maluit, quàm secunda fama male rem gerere. Non sum is, qui non existimem admonendos duces esse: imo eum qui de sua unius sententia omnia gerat, superbum judico magis quàm sapientem. Quid ergo est? Primum à prudentibus, & propriè rei militaris peritis, & usu doctis, monendi imperatores sunt: deinde [1] ab his qui intersunt gerendis * * * loca, qui hostem, qui temporum opportunitatem vident, qui in eodem velut navigio participes sunt periculi. Itaque si quis est, qui quod è republica sit suadere se mihi in eo bello, quod gesturus sum, confidat;*

INTERPRETATIO.

a *Nullus adeo famam negligit, ut animus ejus prævis rumoribus non facilè deterreatur.*

NOTÆ.

1 *Ab his qui intersunt gerendis * loca.*] Patum, opinor, refert, an sic legas, *qui intersunt gerendis loco, qui hostem, qui temporum opportunitatem vident.* an verò quod mavult Sigon. *qui interfunt gerendis rebus, qui loca, qui hostem*, &c. Et enim *loco*, sive *in loco*, idem ac *opportunè gerendis*.

ut deneget operam reipublicæ, & in Macedoniam mecum veniat. nave, equo, tabernaculo, viatico etiam à me juvabitur. si quem id facere piget, & otium urbanum militiæ laboribus præoptat; 2 è terra ne gubernaverit. Sermonum satis ipsa præbet urbs. loquacitatem suam contineat: nos castrensibus consiliis contentos futuros esse sciat. Ab hac concione, Latinis quæ pridie Calendas Aprilis fuerunt, in monte sacrificio ritè perpetrato, protinus inde & consul & prætor Cn. Octavius in Macedoniam profecti sunt. Traditum est memoriæ, majore quàm solitâ frequentiâ prosequentium [b] consulem celebratum. ac prope certâ spe ominatos esse homines 3 finem esse Macedonico bello, maturumque reditum cum egregio triumpho consulis fore.

Urb. cond. an. 585. Coss. L. Æmil. Paullo, & C. Licin. Crasso.

XXIII. Dum hæc in Italia geruntur, Perseus quod jam inchoatum perficere, quia impensa pecuniæ facienda erat, non inducebat in animum, ut Gentium Illyriorum regem sibi adjungeret; hoc, postquàm intrasse saltum Romanos, & adesse diserimen ultimum belli animadvertit, non ultrà differendum ratus; quum per Hippiam legatum 1 trecenta argenti talenta pactus esset, ita ut obsides ultro citroque darentur; Pantauchum misit ex fidissimis amicis ad ea perficienda. 2 Medeone Labeatidis terræ Pantauchus regi Illyrio occurrit: ibi & jusjurandum ab rege, & obsides accepit. missus & à Gentio est legatus, nomine Olympio, qui jusjurandum à Perseo obsidesque exigeret. Cum eodem ad pecuniam accipiendam missi sunt, & auctore Pantaucho, qui Rhodum legati cum Macedonibus irent: Parmenio & Morcus destinantur. quibus ita mandatum, uti jurejurando obsidibusque & pecuniâ acceptâ tum demum Rhodum proficiscerentur: duorum simul regum nomine incitari Rhodios ad bellum Romanum posse. adjunctam civitatem, penes quam unam tum rei navalis gloria esset, nec terrâ, nec mari spem relicturam Romanis. Venientibus Illyriis, Perseus ab Enipeo amni ex castris cum omni equitatu profectus, ad Dium occurrit. Ibi ea quæ convenerant circumfuso agmine equitum facta: quos adesse

INTERPRETATIO.

[b] *Homines consulem insolito comitatu prosequutos fuisse.*

NOTÆ.

2. *È terrâ ne gubernaverit.*] Eodem ferè sensu dictum ac illud Apellis, *ne sutor ultra crepidam*: vult enim Æmilius satagere unumquemque debere negotii sive officii sibi præscripti; ideòque eos tantùm qui navigant, non qui è porty spectant sententiam suam exprimere debere, de iis quæ in navi gerenda sint, atque ad navigationem pertineant.

3. *Finem esse Macedonico bello.*] Illud *esse* delet Gron. nec verò necessarium.

1. *Trecenta argenti talenta.*] Gallicè, *la valeur de sept cent vint mille livres.*

2. *Medeone Labeatidis terræ.*] *Medeonem* in Græcia invenio duplicem: alterum Phocicum sub Helicone: alterum in Bœotia ad meridiem Copaidis paludis: hunc Illyricum Stephanus *Medionem* appellat, Fitilis videtur circa Dirlonem flavium, non procul Scardo monte. *Mabion's* Polybius incolas vocat.

Urb. cond. an. 585. Coss. L. Æmil. Paullo, & C. Licin. Crasso.

fœderi saneitæ cum Gentio societatis volebat rex; aliquantum eam rem rátus animorum iis adjecturam & obsides in conspectu omnium dati, accepique: & Pellam ad thesauros regios missis qui pecuniam acciperent, qui Rhodum irent, cum Illyriis legatis Thessalonicæ conscendere jussi. Ibi Metrodorus erat, qui nuper ab Rhodo venerat: auctoribusque Dinone & Polyarato principibus civitatis ejus, affirmabat, Rhodios paratos ad bellum esse. is princeps junctæ cum Illyriis legationis datus est.

XXIV. Eodem tempore ad Eumenem & ad Antiochum communia mandata, quæ subjicere conditio rerum poterat. *Natura inimica inter se esse liberam civitatem & regem. Singulos populum Romanum aggredi, &, quod indignius sit,* 1 *regum viribus reges oppugnare. Attalo adjutore patrem suum oppressum. Eumene adjuvante, & quadam ex parte etiam Philippo patre suo, Antiochum oppugnatum: in se nunc & Eumenem & Prusiam armatos esse. Si Macedoniæ regnum sublatum foret, proximam Asiam esse: quam jam ex parte sub specie liberandarum civitatum suam fecerint: deinde Syriam. Jam Prusiam Eumeni honore præferri, jam Antiochum victorem* 2 *præmio belli ab Ægypto arceri. Hæc cogitantem providere jubebat, ut aut ad pacem secum faciendam compelleret Romanos, aut perseverantes in bello injusto communes duceret omnium regum hostes.* Ad Antiochum aperta mandata erant, ad Eumenem per speciem captivorum redimendorum missus legatus erat: verùm occultiora quædam agebantur, quæ in præsentia invisum quidem & suspectum Romanis 3 Eumenem falsis gravioribus **** Proditor enim ac prope hostis habitus, 4 dum inter se duo reges captantes fraude & avaritia certant. Cydas erat Cretensis, ex intimis Eumenis: hic prius ad Amphipolim cum Chimaro quodam populari suo, militante apud Persea, inde postea ad Demetriadem, semel cum Menecrate quodam, iterum cum Antimacho, regiis ducibus, sub ipsis mœnibus urbis collocutus fuerat. 5 Eropon quoque, qui tum missus est, duabus ad eundem Eumenem jam antè legationibus functus erat. Quæ colloquia occulta 2 & legationes infames quidem

INTERPRETATIO.

2 *Missi utrinque legati fama ferebantur, & suspectam reddebant Eumenis in Romanos fidem.*

NOTÆ.

1. *Regum viribus reges oppugnare.*] Refer ad *populum Romanum* 3 alioquin scribendum, *reges oppugnari*.

2. *Præmio belli ab Ægypto arceri.*] Redundat præpositio *ab*, & *præmio belli Ægypto*, per appositionem: sive epexegesin dicitur: hoc est, *arceri Ægypto, quæ præmium belli futura erat*.

3. *Eumenem falsis gravioribus** * proditor enim*, &c.] Inutilem sententiam explet Sigon. *falsis gravioribus crimnibus onerarunt. Proditor enim*, &c.

4. *Dum inter se duo reges captantes fraude & avaritia certant.*] Perseus nempe & Eumenes.

5. *Eropon quoque.*] Corrige cum Gronovio, ex Polybio in excerpt. legat. *Cryphon quoque*; vel certè *Eurypon*: quod nomen apud Aristotelem lib. 2. Politicorum extat, ubi Hippodamus

erant: sed, quid actum esset, quidve inter reges convenisset, ignorabatur. Res autem ita se habuit.

XXV. Eumenes neque favit victoriæ Persei, [1] neque bello eum invadere animo habuit: non tam quia paternæ inter eos inimicitiæ erant, quàm ipsorum odiis inter se accensæ. Non ea regum æmulatio, ut æquo animo Persea tantas adipisci opes tantamque gloriam, quanta Romanis victis eum manebat, Eumenes visurus fuerit. Cernebat & Persea jam inde ab initio belli, omni modo spem pacis tentasse, & in dies magis, quo propior admoveretur terror, nihil neque agere aliud, neque cogitare. Romanos quoque, quia traheretur diutius spe ipsorum bellum, & ipsos duces & senatum non abhorrere à finiendo tam incommodo ac difficili bello. Hæc utriusque partis voluntate explorata, quod fieri etiam sua sponte [b] tædio validioris, metu infirmioris credebat posse, in eo suam operam venditare conciliandæ gratiæ magis cupiit. Nam modò ne juvaret bello Romanos terra marique, modo pacis patrandæ cum Romanis [2] paciscebatur mercedem. ne bello interesset, mille & quingenta talenta. in utroque non fidem modò se, sed obsides quoque dare paratum esse ostendebat. Perseus ad rem inchoandam promptissimus erat, cogente metu, & de obsidibus accipiendis sine dilatione agebat, convenerat que ut accepti Cretam mitterentur. Ubi ad pecuniæ mentionem ventum erat, ibi hæsitabat: & utique alteram in tanti nominis regibus turpem ac sordidam, & dati & magis accipienti, mercedem esse. Malebat in spem Romanæ pacis non recusare impensam, sed eam pecuniam perfecta re daturum. interea Samothraceæ in templo depositurum. Ea insula quum ipsius ditionis esset, [c] videre Eumenes nihil interesse, an Pellæ pecunia esset: id agere, ut partem aliquam præsentem ferret. ita nequicquam inter se captati, [d] nihil præter infamiam movere.

Urb. cond. anu. 585. Coss. L. Æmilio Paullo, & C. Licin. Crass.

INTERPRETATIO.

a *Major inter reges æmulatio erat, quam autem, debilior, ejus belli exitum pertinet Eumenes sponte & sine invidia videre posset tantum Persei gloriam, &c.*

b *Quum Romanos, qui potentiores erant, taderet diuturnioris belli: Perseus*

c *Eumenes cernebat, &c.*

d *Nulla re promota, infamiam tantum sibi comparaverunt.*

NOTÆ.

Eurypontis Milesius memoratur.

1. *Neque bello eum invadere animo habuit.*] Etsi ut plurimùm dicatur *in animo aliquid habere*: non desunt tamen, qui *animo habere* dicant, pro eo quod est, *constituisse apud se* aut *decrevisse*; sive *propositum habere*, ut dicimus, *tenere mente*. Auctor bell. Hisp. *cohortes animo habeo ad vos mittere*: Sallust. de bello Jugurth. *atque eo modo animo habere, quibus Hiempsal per dolum caperetur*. Varro lib. 5. de Ling. Lat. & *ipsum prolocutum dicimus, cum animo quod habuit, exsulit loquendo*.

2. *Paciscebatur mercedem.*] Putat Grotius, desse hic aliquid, quod ex Appiano in excerpt. replevi possit in hunc sensum: *ne bello interesset, mille talenta pacis*

Urb. cond. an. 585. Coſſ. L. Æmilio Paullo, & C. Licin. Craſſo.

XXVI. Nec hæc tantùm Perſeo per avaritiam eſt dimiſſa res, 1 quum pecuniam tutam & pacem habere per Eumenem, quæ vel parte regni redimenda eſſet, ac receptus 2 protrahere inimicum mercede onuſtum, & hoſtes merito ei Romanos poſſet facere: ſed etiam Gentii regis parata ſocietas, 3 & tum Gallorum effuſorum per Illyricum ingens agmen oblatum, avaritia dimiſſum eſt. Veniebant decem millia equitum, par numerus peditum, & ipſorum 4 jungentium curſum equis, & in vicem prolapſorum equitum vacuos capientium ad pugnam equos. Hi pacti erant, eques denos præſentes aureos, pedes quinos, mille dux eorum. Venientibus his Perſeus ab Enipeo ex caſtris profectus obviam cum dimidia copiarum parte, denunciare per vicos urbeſque, quæ viæ propinquæ ſunt, cœpit, ut commeatus expedirent, frumenti, vini, pecorum ut copia eſſet. ipſe equos, phaleraſque, & ſagula, donum principibus ferre, & parum auri quod inter paucos divideret: multitudinem crescens trahi ſpe poſſe. 5 ad Almanam urbem pervenit, & in ripa fluminis Axii poſuit caſtra: 6 circa Deſudabam in Mædica exercitus Gallorum conſederat; mer-

NOTÆ.

conciliandæ cauſa mille & quingenta talenta: in utrumque non fidem modo: utrunque autem hæc duo ſignificat, hinc fœderis conciliationem, inde quietem à bello.

1. *Quum pecuniam tutam & pacem habere per Eumenem.*] Idem Gron. corruptum hunc locum ſic inſtaurari poſſe conjicit: *cum pecunia tantula, aut pacem habere per Eumenem (quæ vel parte regni redimenda eſſet) aut receptus, protrahere inimicum*, &c. Sed quidni retineamus: *quum pecuniam tutam* (depoſitam nempè apud Cretam) ut Eumenes volebat, *& pacem habere per Eumenem*, &c. ac deinde emendatione reliqua Gronovii utamur; *aut receptus protrahere inimicum*, &c.

2. *Protrahere inimicum.*] Hic *protrahendi* verbum ſignificat, *indicare*, Gallicè, *découvrir, déferer, deceler*: ita lib. 27. *novum in occulto ſiſcens per indicium protractum eſt facinus*. & lib. proximè ſeq. *ſuberat & ille metus, ne damnatus auctorem ſe nefandi facinoris protraheret*. & Valer. Max. *unius ancillæ indicio protracta*.

3. *Et tum Gallorum, &c. ingens agmen.*] Vox, *agmen*, abeſt à primis editionibus, primùm à Gryphio adjecta: & ſub particula, *tum*, latere Gronovio videtur ſive *auxilium*, ſive *agmen*, aut ſimile quid. Sed nec redundat particula *tum*, ut quæ tempus deſignet; nec vacat *Tò agmen*: quæ vox ſcripturæ longiùs diſtat à particula *tum*, quàm ut Librariorum incuria in illam inflexa videri debeat.

4. *Jungentium curſum equis.*] Mitæ hujus peditum celeritatis, qui equos pari curſu æquabant, apud Gallos præſertim uſu & exercitatione aſſiduè comparatæ, teſtes habemus Pauſanian in Phocicis, Plut. in Æmil. Paullo, & Cæſarem.

5. *Ad Almanam urbem.*] Quod Turnebo. *Albanam* putat à Livio editum, & pro Albanopoli Albanotum ad Driloneon civitate interpretatur, probabilius eſt quàm quod ſubjicit de Amantia Oreſtidis: nec tamen videtur illud ipſum ſtare poſſe, quandoquidem Gallis è Mædica Thraciæ præfectura venientibus occurrere volebat Perſeus ab Enipeo (ubi caſtra habebat, in Pieriæ Theſſaliæque confinio) ad Axii ripam, unde ſeptuaginta quinque millibus ab eorum caſtris ad Deſudabam poſitis abeſtat. Ex quibus conjicere licet *Almanam*, cujus hic Livius meminit, in Mygdonia fuiſſe paulò ſupra Axii oſtia.

6. *Circa Deſudabam in Mædica.*] Ab Axii proxima ripa ad Thraciæ confinia, cùm octoginta ferme paſſuum millia numerentur, oporter *Deſudabam* non

cedem pactam opperiens. Eò mittit Antigonum ex purpuratis unum, qui juberet multitudinem Gallorum 7 ad Bylazora (Pœoniæ is locus est) castra movere, principes ad se venire frequentes. septuaginta quinque millia ab Axio flumine & castris regis aberant. Hæc mandata ad eos quum pertulisset Antigonus, adjecisseteque, per viam quanta omnium præparata cura regis copia multitudini foret, quibusque muneribus principes advenientes, vestis, argenti, equorumque excepturus rex esset: de his quidem se coram cognituros respondent; illud quod præsens pepigissent, interrogant, ecquid aurum, quod in singulos pedites equitesque dividendum esset, 8 secum adduxisset? Quum ad id nihil responderetur, 9 Clondicus regulus eorum, *Abi, renuntia ergo*, inquit, *regi, nisi aurum obsidesque accepisset, nusquam inde Gallos longius vestigium moturos*. Hæc relata regi quum essent, advocato consilio, quum, quid omnes suasuri essent, apparerot, ipse, pecuniæ quàm regni melior custos, instituit de perfidia & feritate Gallorum disserere. *Multorum jam ante clades expertum, periculosum esse tantam multitudinem in Macedoniam accipere*; 10 *ne graviores eos socios habeant, quàm hostes Romanos. Quinque millia equitum sat esse, quibus & uti ad bellum possent, & quorum multitudinem ipsi non timeant*.

Urb. cond. an. 585. Coss. L. Æmilio Paullo, & C. Licinio Crasso.

XXVII. 1 Apparebat in omnibus, mercedem multitudinis timere,

NOTÆ.

procul Nicopoli ad Nessum sitam fuisse sub Pangæo monte: nisi in millenarium numero erratum sit ab auctore, aut à Librariis ejus opus exscribentibus.

7. *Ad Bylazora Pœoniæ.*] Pelagoniæ adscribitur hic locus à Sansone, qui eum trans Axium locat cis Chidorum, nec procul ejus fontibus; & eum locum confundere videtur cum eo, qui alio nomine *Præsidium* appellatur: à nostro assignatur Pœoniæ. Sed jam observavimus Pœoniam latiùs sumi apud Livium.

8. *Secum adduxisset.*] Quod Gronov. reponit. *advexisset*, rectè quidem dici potuit; sed an necessariò debuerit, dubito.

9. *Clondicus regulus eorum.*] Sigon. perperam, & contra fidem primi exemplaris, *Elonicus*: Appiano in excerptis dicitur Κλονδικος. Observat Sigonius Bastarnas, quos Philippus rex adversum Romanos exciverat duce *Clondico* venisse: quod lib. 40. traditum: *Clondicum* illum à Perseo interfectum fuisse scriptum est in Epit. libr. 42. nunc à Perseo accersiti alio *Clondico* duce veniunt, ex quo intelligi vult hoc nomen apud Bastarnas celebe fuisse: at hic non Bastarnæ, sed Galli accersiti dicuntur, nisi Bastarnas originis Gallicæ putavit Livius: qui, ni fallor, Germaniæ fuerunt, aut etiam Germanis, & Sarmatis mixti.

10. *Ne graviores eos socios habeant quàm hostes Romanos.*] Fortè, inquit Gronov. *Romani*: quasi Galli futuri essent graviores socii Macedonibus, qui eos advocaverant; quàm graviores hostes Romanis, adversus quos accersiti sint; quæ sententia placeret, si id voluisset Livius: sed hæc subtilitate nihil opus.

1 *Apparebat in omnibus.*] Imò *omnibus*, remota præpositione, *in*, ut Florebell. Sigon. Gronov. consentiunt. *Omnibus*, nempè, qui à Perseo in concilium vocati, videbant eum per avaritiam à solvenda Gallis mercede abhorrere. Quid si mercedem *in omnibus*, id est, *in pecunia veste, argento, equis*?

Urb. cond. an. 585. Coss. L. Æmilio Paullo, & C. Licinio Crasso.

nec quicquam aliud: sed quum suadere consulenti nemo auderet, remittitur Antigonus qui nunciaret, quinque millium equitum opera tantùm uti regem: contemnere multitudinem aliam. Quod ubi audivere barbari, cæterorum quidem fremitus fuit, indignantium se frustra excitos sedibus suis: Clondicus rursus interrogat, ecquid ipsis quinque millibus, quod conveniſſet, numeraret? Quum adverſus id quoque miſceri ambages cerneret, [a] inviolato fallaci nuncio, (quod vix ſperaverat ipſe poſſe contingere) retro [3] ad Iſtrum perpopulati Thraciam, qua vicina erat viæ, redierunt. [a] Quæ manus, quieto ſedente rege ad Enipeum, adverſus Romanos [b] Perrhæbiæ ſaltum in Theſſaliam traducta, non agros tantùm nudare populando potuit, ne quos inde Romani commeatus expectarent, ſed ipſas exſcindere urbes, tenente ad Enipeum Perſeo Romanos, ne urbibus ſociis opitulari poſſent. Ipſis quoque Romanis [4] de ſe cogitandum fuiſſet: quando neque manere amiſſa Theſſalia, unde exercitus alebatur, potuiſſent, neque progredi, [5] quum ex adverſo caſtra Macedonum *** qui ea pependerant ſpe, haud mediocriter debilitavit. Eadem avaritia Gentium regem ſibi alienavit: nam, quum [6] trecenta talenta Pellæ miſſis à Gentio numeraſſet, [7] ſignare eos pecuniam paſsus eſt. Inde decem talenta ad Pantauchum miſsa, eaque præſentia dari regi juſſit: reliquam pecuniam ſignatam Illyriorum ſigno, portantibus ſuis præcipit parvis itineribus veherent. dein, quum ad finem Macedoniæ ventum eſſet, ſubſiſterent ibi, ac nuncios ab ſe opperirentur. Gentius exigua parte pe-

INTERPRETATIO.

a *Qua Gallorum copia, ſi ducta fuiſſent cùm interim Perſeus quietus ſederet ad in Theſſaliam trans Perrhæbiæ montes, non Enipeum animum contra conſulem Romaſolùm agros, unde Romanus commeatum num, eumque diſtineret, ne ſociis Romanopetebat, populationibus exhaurire potuiſvum opem ferre poſſet.*
ſent: ſed urbes etiam Theſſaliæ diſtruere &

NOTÆ.

1. *Inviolato fallaci nuncio.*] Antigonum ad ſeſe fallendos miſſum Galli, velut legatum jure gentium inviolabilem, dimiſere intactum, idque ferè præter ipſius ſpem.

3. *Ad Iſtrum.*] Nomen eſt inferioris Danubii.

4. *De ſe cogitandum fuiſſet.*] De ſalute ſua dubitare coacti fuiſſent.

5. *Quum ex adverſo caſtra Macedonum .... qui ea pependerant ſpe.*] Supplet Sigon. quæ prætermiſſa fuerant à Librario, paucis ita interjectis: *cum ex adverſo caſtra Macedonum (eſſent. Quo facto Perſeus Romanorum animos confirmavit, &) Macedonum qui ea pependerant ſpe, haud mediocriter debilitavit.*

6. *Trecenta talenta.*] Gallicè, *la valeur de 720000. livres.*

7. *Signare eos pecuniam paſſus eſt.*] Obſervat Gronov. deſiderari verbum *eſt*, in prima editione: & certè rectiùs abſque eo continuatur oratio: *ſignare eos pecuniam paſſus, inde decem talenta*, &c. *ſignare* autem *pecuniam* cave hoc loco acceperis pro eo quod eſt, *percutere*: Gallicè, *battre de la monnoye*; eſt enim *obſignare*, ſive *obſervare*, Gallicè, *ſceller, cacheter les coffres où eſtois l'argent.*

cuniæ

cuniæ acceptâ, quum assiduè à Pantaucho ad lacessendos hostili facto Romanos stimularetur, [8] M. Perpernam & L. Petillium legatos, qui tum fortè ad eum venerant, in custodiam conjecit. Hoc audito Perseus 9 contraxisse eum necessitates ratus ad bellum utique cum Romanis, ad revocandum [10] qui pecuniam portabat, misit: velut nihil aliud agens, quàm ut [11] quanta maxima posset præda ex victo Romanis reservaretur. Et ab Eumene Eropon, ignotis quæ occultè acta erant, redit. De captivis actum esse & ipsi evulgaverant: & Eumenes consulem vitandæ suspicionis causâ certiorem fecit. Urb. cond. an. 585. Cos. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Crasso.

XXVIII. Perseus post reditum ab Eumene Eropontis spe dejectus, Antenorem & Callippum præfectos classis cum quadraginta lembis (adjectæ ad hunc numerum quinque priores erant) Tenedum mittit, ut inde sparsæ per Cycladas insulas naves Macedoniam cum frumento petentes tutarentur. Cassandreæ deductæ naves, in portus primum qui sub Atho monte sunt, inde Tenedum placido mari quum trajecissent; stantes in portu Rhodias apertas naves, Eudamumque præfectum earum, [1] inviolatas, atque etiam benignè appellatos demiserunt. Cognito deinde in latere altero quinquaginta onerarias suarum, stantibus in ostio portus Eumenis rostratis, quibus Damius præerat, inclusas esse; circumvectis properè ac summotis terrore hostium navibus, onerarias, datis qui prosequerentur decem lembis, in Macedoniam mittunt: ita ut in tutum profecuti redirent Tenedum. Nono post die ad classem jam ad Sigeum stantem redierunt. [2] Inde Subota (insula est interjecta Eleæ & Atho) trajiciunt. Fortè postero die quam Subota classis tenuit, quinque & triginta naves,

NOTÆ.

8. *M. Perpernam & L. Petillium legatos.*] Hoc colore in his Romanorum legatis vinciendis usus scribitur Gentius ab Appiano; quòd eos ad se non legatos, sed exploratores veniſse diceret.

9. *Contraxisse eum necessitates ratus ad bellum*, &c.] Gallicè, *que le Roy Gentius s'estoit absolument engagé à faire la guerre aux Romains, & ne s'en pouvoit plus dédire.*

10. *Qui pecuniam portabat.*] Imò *portabant*; nam de pluribus antea locutus est.

11. *Quanta maxima posset præda ex victo Romanis reservaretur.*] Vult ita Perseum se gessisse quasi de hoc tantùm solicitus fuisset, neque aliud omnino cogitasset, quàm ne se à Romanis victo, ullas pars opum Macedoniæ victoribus periret. Gallicè, *comme s'il n'avoit eu autre chose en veüe, qu'à faire en sorte que de tous les biens de son Royaume rien n'eschapast aux Romains, apres qu'il l'auroient vaincu.*

1. *Inviolatas atque etiam benignè appellatos.*] *Inviolatos* lubens legerim cum Gronovio, ut intelligantur Rhodii & Eudamus classis præfectus. Quanquam *inviolatas* referri potest ad *naves: benigne appellatos*, ad *navigantes*.

2. *Inde Subota.*] Exigua & parùm cognita insula maris Ægæi; dicitur autem *Subota, orum*, in plurali: quòd verò dicit Livius interjectam Atho & Eleæ, situm ejus non satis aperit: cùm Athos in Macedonia ad Septentrionem Tenedo potiùs respondeat, quàm Eleæ, quæ ad meridiem vergit. Si tamen rectè situm Livius ponit, interjecta potest fuisse exigua hæc insula Lesbo & Lemno majoribus insulis. Longè hinc *Sybota* portus atque insula Epiri.

Urb. cond. an. 585. Coss. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Crasso.

quas hippagogos vocant, ab Elea profectæ cum equitibus Gallis, equisque, 3 Phanas promontorium Chiorum petebant, unde transmittere in Macedoniam possent: Attalo ab Eumene mittebantur. Has naves per altum ferri quum ex specula signum datum Antenori esset, profectus à Sudotis, inter Erythrarum promontorium, Chiumque, quà arctissimum fretum est, iis occurrit. Nihil minus credere præfecti Eumenis, quàm Macedonum classem in illo vagari mari: nunc Romanos esse, nunc Attalum, aut remissos aliquos ab Attalo ex castris Romanis Pergamum petere. Sed quum jam appropinquantium forma lemborum haud dubia esset, & concitatio remorum, directæque in se proræ, hostes appropinquare apertissent: tunc injecta trepidatio est, quum resistendi spes nulla esset; inhabilique navium genere & Gallis vix quietem ferentibus in mari. Pars eorum, qui propiores continenti litori erant, 4 in Erythream enarunt: pars velis datis ad Chium naves ejecere, relictisque equis effusâ fugâ urbem petebant. Sed propiùs urbem lembi accessuque commodiore quum exposuissent armatos, partim in via fugientes Gallos adepti Macedones ceciderunt, partim ante portam exclusos: claudebant enim Chii portam, ignari qui fugerent aut sequerentur. Octingenti fermè Gallorum occisi, ducenti vivi capti: equi, pars in mari fractis navibus, absumpti: 5 partim nervos succiderunt in litore Macedones. viginti eximiæ equos formæ cum captivis eosdem decem lembos, quos ante miserat, Antenor devehere Thessalonicam jussit, & primo quoque tempore ad classem reverti: Phanis se eos expectaturum. Triduum fermè classis ad urbem fecit. Phanas inde progressi sunt, & spe celeriùs reversis decem lembis evecti, Ægeo mari Delum trajecerunt.

XXIX. Dum hæc geruntur, legati Romani & C. Popillius, C. Decimius & C. Hostilius, à Chalcide profecti, tribus quinqueremibus Delum quum venissent, lembos ibi Macedonum quadraginta & quinque regis Eumenis quinqueremes invenerunt. Sanctitas templi insulæque inviolatos præstabat omnes. Itaque permixti Romanique & Macedones, & Eumenis navales socii, in templo, inducias religione loci præbente, versabantur. Antenor Persei præfectus, a quum aliquas alto præferri onerarias naves ex specula significatum foret, parte lemborum ipse insequens, parte per Cycladas dispositâ, præterquàm si quæ Macedoniam peterent,

INTERPRETATIO.

a *Mari prætervehi*.

NOTÆ.

3. *Phanas*.] Promontorium est insulæ Chii, juxta Pyram insulam, nunc *Capo Mastico*.

4. *In Erythream*.] Intellige *terram*, sive *agrum Erythrarum*.

5. *partim nervos succiderunt*.] Equis scilicet, quorum paulò antè mentio in nominandi casu. Est itaque abrupta constructio, sed historicis non ignota.

omnes aut supprimebat, aut spoliabat naves: 1 quibus poterat Popillius, aut Eumenis naves, succurrebat: sed vecti nocte binis aut ternis plerumque lembis Macedones fallebant. Per id ferè tempus legati Macedones Illyriique simul Rhodum venerunt, quibus auctoritatem addidit, non lemborum modò adventus passim per Cycladas atque Ægæum vagantium mare, sed etiam conjunctio ipsa regum Persei Genthique, & fama cum magno numero peditum equitumque venientium Gallorum. Et jam quum accessissent animi Dinoni ac Polyarato, qui Persei partium erant, non benignè modò responsum regibus est, sed palam pronunciatum, bello finem se auctoritate suâ impositurosse. itaque ipsi quoque reges æquos adhiberent animos ad pacem accipiendam.

Urb. cond. an. 585. Coss. L. Æmil. Paul. lo. & C. Licinio Crasso.

XXX. 1 Jam veris principium erat, novique duces in provinciam venerant. consul Æmilius in Macedoniam, Octavius Oreum ad classem, Anicius in Illyricum, cui bellandum adversus Gentium. Patre Pleurato rege Illyriorum, & matre Eurydicâ genitus, fratres duos Platorem utroque parente, Caravantium matre eâdem natum habuit. Hoc propter ignobilitatem paternam minùs suspecto, Platorem occidit: & duos amicos ejus, Etritum & Epicadum, impigros viros, quo eutius regnaret. Fama fuit, 2 Honuni Dardanorum principis filiam Etutam pacto fratri cum invidisse; tanquam his nuptiis adjungenti sibi Dardanorum gentem. & similius id verò fecit ducta ea virgo, Platore interfecto. gravis deinde dempto fratris metu popularibus esse cœpit: & violentiam insitam ingenio 3 intemperantia vini accendebat. Cæterùm, sicut antè dictum est, ad Romanum incitatus bellum, Lissum omnes copias contraxit: quindecim millia armatorum fuerunt. Inde fratre 4 in Caviorum gentem vi aut terrore sub gendam cum mille peditibus & quinquaginta equitibus misso, ipse 5 ad Bassaniam urbem quinque millia ab Lisso ducit. Socii erant Romanorum. itaque per missos nuncios priùs tentati, obsidionem pati quàm de-

NOTÆ.

1. *Quibus poterat Popillius.*] Legendum hâcta dubiè cum Gronov. in numero plurali: *quibus poterant, Popillius aut Eumenis naves succurrebant.* Quod autem adjicit Gron. *sed interdiu*, non videtur omninò necessarium.

1. *Jam veris principium erat.*] Divinat Gronov. *jam ver præceps erat*: quia cap. 19. promiserat L. Æmilius se urbe exiturum mense Aprili, quasi mensis Apellis initio sui multùm abiit ab æquinoctio, quod est veris principium; aut quasi longius tempus exigat Asiatici maris ab Italia in Macedoniam trajectus.

2. *Honuni Dardanorum principis.*] Hunc *Monunium* vocat Polyb. apud Athenæum lib. 10. laudante Sigon.

3. *Intemperantia vini.*] Polyb. idem testatur Gentium dies noctesque vino se ingurgitasse.

4. *In Caviorum gentem.*] *Cavionos* novimus ex Tacito, sed Germaniæ populos: *Cavios* ignorant Geographi. *Cavilios* nominat Steph. ad Jonium sinum ex Hecatæo: qui fortè idem cum Ceraunis Dalmatiæ populis apud Ptolem. aut cum Ceraunii in eadem Dalmatia apud Plin. lib. 3. cap 22. in tractu Naronenti.

5. *Ad Bassaniam urbem.*] Urbs erat Illyrici, haud procul Lisso, & Drilonis fluvii ostio, ad sinum maris Adriatici. Nomen retinet in recentioribus tabulis juxta urbem *Lodrin*.

Urb. cond. an. 585. Cos. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Crasso.

dere ſe maluerunt. Caravantium in Caviis 6 Durnium oppidum advenientem benignè accepit: 7 Caravantis altera urbs excluſit. & quum agros eorum effusè vaſtaret, aliquot palati milites agreſtium concurſu interfecti ſunt. Jam & Ap. Claudius, adſumptis ad eum exercitum quem habebat 8 Bulinorum, & Apolloniatium, & Dyrrachinorum auxiliis, profectus ex hibernis, 9 circa Genuſuum amnem caſtra habebat; audito fœdere inter Perſea & Gentium, & legatorum violatorum injuriâ accenſus, bellum haud dubiè adverſus eum geſturus. Anicius prætor eo tempore Apolloniæ, auditis quæ in Illyrico gererentur; præmiſiſque ad Appium literis, ut ſe ad Genuſuum opperiretur, triduo & ipſe in caſtra venit: & ad ea quæ habebat auxilia, 10 aſſumptis Parthinorum juventutis duobus millibus peditum, & equitibus ducentis, (peditibus Epicadus, equitibus Agallus præerat) parabat ducere in Illyricum, maximè ut Baſſanitas ſolveret obſidione. tenuit impetum ejus fama lemborum vaſtantium maritimam oram. Octoginta erant lembi, auctore Pantaucho miſſi à Gentio ad Dyrrachinorum & Apolloniatium agros populandos. 11 Tum claſſis ad „propulſandas à fœderatis civitatibus injurias ducitur à Prætore in Pantau„chum. Ea omni apparatu nautico egregiè inſtructa, præter priores co„pias, quinque millia ſociorum navalium acceperat, quem numerum „ſcripſerum in hujus belli (Illyrici) uſum anteà diximus. Sed juſto certa„mini vix locum hoſtes dederunt. Quid enim rapinis tantùm aſſueti pira„tæ adverſus Claſſiarios auderent aut poſſent ad ſtatariam ferè in ipſo mari „pugnam comparatos? Eorum itaque pleroſque viſa procul claſſe levitas „lemborum ſuorum effuſa & veloci abſtulit fugâ. Proximiorum tardio-

5

10

15

20

NOTÆ.

6. *Durnium oppidum.*] Geographis incognitum, niſi fortè *Burnium* legas: meminit *Burnii* Ptol. in Liburnia juxtà Sidronam. Plin. *Burnium* quoque memorat in Dalmatia & in tractu Salonitano lib. 3. cap. 22. quanquam idem Plin. cap. 21. *Burniſtarum* meminit inter Liburniæ populos Scardonitani conventus. *Burnii* Niger *Gracchova* hodie interpretatur.

7. *Caravantis altera urbs.*] Hujusurbis alibi, quod ſciam, memoria non extat: indicium ſitus fortè quis duxerit ex *Carvanca* monte, quo Pannonia ſuperior proparte ab Iſtria & Liburnia diſterminatur.

8. *Bulinorum.*] Idem *Bullidenſes* vocantur à Plinio: *Bylliones* à Strab. à *Bullide* oppido Elymiotarum in Macedonia occidua, inter Celydnum fluvium & Acrocerauniosmontes, ad ſinum Maris Jonii.

9. *Circa Genuſuum amnem.*] Hic Macedoniæ occidentalis fluvius inter Dyrrachium & Apolloniam in Adriaticum defluens mare, Cæſari *Genuſus* dicitur; Ptol. *Panyaſus*: nunc *Vojuſſa* quibuſdam, aliis *Spirnazza*.

10. *Aſſumptis Parthinorum juventutis.*] Obſervat Gron. verbum, *aſſumptis*, non fuiſſe in veteri libro, ſed additum à Sigonio, cùm nihil neceſſe eſſet, ſed lateret ſub vocabulo *juventutis*, verbum *junctis*.

11. *Tum claſſis ad ..... eo tradiderunt ſe.*] Proſequebatur hic Livius res geſtas Anicii prætoris adverſus Gentium Illyriorum regem, ſeu potiùs partis Dalmatiæ, quæ extrema ad meridiem. Deſiderantur hoc loco pugnæ maritimæ: itemque initium earum rerum quas terra geſſit, cujus narrationis extrema verba videntur ex Sigonii ſententia fuiſſe: *dii toto ei tradiderunt ſe*: quæ pertinent ad urbis alicujus deditionem.

„rumve pauci primo ſtatim concurſu depreſſi partim, plures capti faciem noſtris victoriam conceſſere. Neque id ſatis, inſequi placuit fugientes: quorum magnam partem circa vicinas continenti inſulas latitantem adeptus Anicius, oſtenſa ſpe veniæ perpulit ad deditionem. Inſulæ deinde ipſæ, quotquot Gentii ditionis erant, vix conſpecto eo tradiderunt ſe. Urb. cond. an. 585. Coſſ. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Craſſo.

XXXI. Deinceps & urbes regionis ejus idem faciebant, adjuvante inclinationem animorum clementiâ in omnes & juſtitiâ prætoris Romani. [1] Ad Scodram inde ventum eſt, id quod belli caput fuerat: [2] non eo ſolùm, quòd Gentius eam ſibi ceperat, velut regni totius arcem, ſed etiam quod [3] Labeatium gentis munitiſſima longè eſt & difficilis aditu. Duo cingunt eam flumina, Clauſala latere urbis, quod in orientem patet præfluens, Barbana ab regione occidentis [4] ex Labeatide palude oriens. hi duo amnes confluentes incidunt [4] Oriundi flumini; quod ortum [5] ex monte Scodro, multis & aliis auctum aquis mari Adriatico infertur. Mons Scodrus longè altiſſimus regionis ejus, ab oriente Dardaniam ſubjectam habet, à meridie Macedoniam, ab occaſu Illyricum. Quanquam munitum ſitu naturali oppidum erat, genſque id tota Illyriorum & rex ipſe tuebatur; tamen prætor Romanus, quia prima ſucceſſerant proſperè, fortunam totius rei principia ſecuturam eſſe ratus, & repentinum valiturum terrorem, inſtructo exercitu ad mœnia ſuccedit. Quòd ſi clauſis portis muros portarumque turres diſpoſitis armatis defendiſſent, [6] vano cum incœpto mœnibus pepuliſſent Romanos. nunc porta egreſſi prœlium loco æquo majore animo commiſerunt, quàm ſuſtinuerunt. Pulſi enim & fuga conglobati, quum decenti ampliùs in ipſis faucibus portæ cecidiſſent, tantum intulerunt terrorem, ut oratores extemplo ad prætorem mitterent Gentius, Teuticum & Bellum, principes gentis, per quos induciasperet, ut deliberare de ſtatu rerum ſuarum poſſet. Triduo in hoc dato, quum caſtra Romana quingentos fermè paſſus ab urbe abeſſent, navem conſcendit, & flumine Bar-

NOTÆ.

1. *Ad Scodram.*] Milliaribus octodecim à mari diſtabat *Scodra*, auctore Plinio, ad Drilonem fluvium locans: contra quam Livius, qui proximos amnes nominat Clauſulam & Barbanam in Oriundem fluvium incidentes. Sita erat inter Doclean & Liſſum: hodie *Scutari* Italis vocatur; ac Turcis paret, qui *Iſcodar* nominant, eſtque in lunine Albaniæ.

2. *Labeatium gentis.*] Memorantur Plinio *Labeata* cum propriè dictis Illyriis, quorum regio videtur diviſo & labante imperio *Pravalis* dicta. Ejus nunc pars *Craina*.

3. *Ex Labeatide palude.*] Ex paſus juxta Scodram, hodie dicitur Italis, *Lago di Scutari*.

4. *Oriundi flumini.*] Hoc flumen recentiores tabulæ appellant, ni fallor, *Bojana*: quanquam Baudrandus id nominis *Barbanæ* tribuit. Verùm id dubio non prorſus caret, quandoquidem *Bojana* per ſe in Adriaticum influit. Sed *Oriundem* Livii cum *Drilone* Ptol. & Plin. confundunt Ortel. & H. Valeſ.

5. *Ex monte Scodro.*] Num idem cum *Scardo*, aut ejus pars? Barletio & Villanovano nunc dicitur *Marinar*.

6. *Vano cum incœpto.*] *To vano* non ad Scodrenſes; ut qui pepuliſſent; ſed ad Romanos refertur, qui fuerant repulſi.

Urb. cond. an. 585. Coss. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Crasso.

bana navigat in lacum Labeatum; velut secretum locum petens ad consultandum: sed ut apparuit, falsâ spe exitus, Caravantium fratrem multis millibus armatorum 7 actis ex ea regione, in quam missus erat, adventare. qui postquàm evanuit rumor, tertio post die navem eandem secundo amni Scodram demisit: præmisitque nuncios, 8 ut sibi appellandi prætoris potestas fieret; copia facta, in castra venit. Et principium orationis ab accusatione stultitiæ orsus suæ, postremò ad preces lachrymasque effusus, genibus prætoris accidens, in potestatem sese dedit. Primò, bonum animum habere jussus, ad cœnam etiam invitatus, in urbem ad suos rediit, & cum prætore eo die honorificè est epulatus, deinde in custodiam C. Cassio tribuno militum traditus, 8 vix 9 gladiatorio accepto 9 decem talentis ab rege rex, ut in eam fortunam recideret. 5 10 15

XXXII. Anicius Scodrâ receptâ, nihil priusquàm requisitos Petillium Perpennamque legatos ad se duci jussit: quibus splendore suo restituto, Perpennam extemplo mittit ad comprehendendos amicos cognatosque regis; qui Medeonem Labeatium gentis urbem profectus, 1 Etlevam uxorem cum filiis duobus, Scerdileto Plevratoque, & Caravantium fratrem Scodram in castra adduxit. Anicius bello Illyrio 2 intra triginta dies perfecto, nuncium victoriæ Perpernam Romam misit: & post dies paucos Gentium regem ipsum cum parente, conjuge, liberis, ac fratre, aliisque principibus Illyriorum. Hoc unum bellum prius perpetratum, quàm cœptum, Romæ auditum est. Quibus diebus hæc agebantur, Perseus quoque in magno terrore erat, propter adventum simul Æmilii novi consulis, 15 20

INTERPRETATIO.

a *Ut sibi liceret Anicium adire, & cum eo colloqui.*

NOTÆ.

7. *Actis ex ea regione.*] *Actis*, dixit pro, *adductis*: sive ut Gronovio placet, *coactis*, id est, *collectis*: Gallicè, *des troupes que son frere avoit levées, ou formées dans le voisinage.*

8. *Vix gladiatorio accepto.*] In neutro genere dicitur *gladiatorium*, pro *gladiatoris præmio*, *seu mercede eorum qui operas suas locabant ut in arena depugnarent.* Rectè itaque sic Turneb. hunc locum interpretatur, ut voluerit Livius pluris conduci potuisse gladiatorem, quàm quanto in bellum conjectus fuerat Genthius.

9. *Decem talentis ab rege rex.*] Non enim plus quàm decem talenta Perseus numerari Gentio curaverat, pro trecentis quæ ei promiserat, ut vidimus cap. 27. hujus libri. Porrò decem talenta summam quatuor & viginti millium librarum Francicarum non superant, cùm trecenta efficiant septingenta & viginti millia librarum.

1. *Etlevam uxorem.*] Antèa cap. 30. *Etutam* dicit Dardanorum principis filiam & Platori Gentii fratri prius pactam, Platore interfecto ductam à Genthio: sed credibile est duas Gentio fuisse uxores; alteram quidem *Etlevam*, ex qua filii nati; alteram *Etutam* Platori ereptam, quæ aut non diu superstes fuerit, aut Romanorum manus effugerit: nisi fortè diversum ejusdem uxoris nomen est, priori aut posteriori loco vitium.

2. *Intra triginta dies perfecto.*] Sic scribit Appianus, *triginta diebus absolutum hoc Illyricum bellum.*

quem cum ingentibus minis adventare audiebat, 3 simul Octavii prætoris Nec minus terroris à classe Romana & periculo maritimæ oræ habebat Thessalonicæ Eumenes & Athenagoras præerant cum parvo præsidio duorum millium cetratorum. Eò & Androclen præfectum mittit; justum sub ipsis navalibus castra habere. Æniam mille equites cum Antigono misit ad tutandam maritimam oram: ut quocunque litore applicuisse naves hostium audissent, extemplo ferrent agrestibus opem, quinque millia Macedonum missa ad præsidium Pythii & Petræ, quibus præpositi erant, Histiæus, & Theogenes, & Milo. His profectis ripam munire Enipei fluminis aggressus est; quia ficco alveo transiri poterat. 4 Huic ut omnis multitudo vacaret, fœminæ ex propinquis urbibus coactæ cibaria in castra afferebant: 5 miles justus ex propinquis sylvis „Ligna convehere „struendo vallo quo castra incredibili labore ac celeritate undique cinctæ, „adjectis turribus dispositisque per loca tormentis communiit. (Perseus) „ne qua penetrare hostis sine gravi certamine ac periculo posset. Sic tum se adversus omnem Romanorum impetum fore confidebat; colque „ita distineri posse, ut longæ velut obsidionis difficultatibus deterriti ac „debilitati tandem ab incœpeo desisterent. Paullus autem Æmilius, quo „majores Macedonum vires, omniaque apud eos cautè provisa & custodita „erant, eò acriùs curam intendere nihilque relinquere intentatum quo artes artibus eluderet, atque amoris obicibus cuncta, cœpta perficeret. „Castris commeatum abundè suppeditabat a tergo Thessalia. Sed aquarum ingens erat penuria. Exaruerat quippe æstu insolito proximum flumen: nec fontes, qui nonnisi pauci admodùm turbidique circà scaturiebant, tantæ multitudini sufficere ullatenus poterant. Hinc siti confecti „homines, nec minus jumenta deficiebant. Consulitur circa Olympum „montem, cujus forè ad pedes metatus castra erat, missi qui accurate investigarent, num quæ alicubi vena lateret, quæ humoris quid effunderet „aut promitteret. Sicca ubique omnia renunciatum.

„XXXIII. Nec tamen desperavit Paullus: sed locorum ipse genium „attentè contemplatus, 1 postremo sequi se utrarios ad mare, quod minus trecentos passus aberat, jussit; & in litore alios alibi modicis inter-

Urb. cond. an. 585. Coss. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Crasso.

NOTÆ.

3. *Simul Octavii prætoris. Nec minus terroris à classe.*] Non satis capio, cur terrorem, in quo ab Octavii adventu erat Perseus, distinguat auctor à terrore quem habebat à classe Romana, quando classi præfectum fuisse Octavium satis constat ex cap. 17. &c. Sed comparatur terror maritimæ oræ vastandæ ab Octavio, cum terrore Mediterraneæ populationis ab Æmilio.

4. *Huic ut omnis multitudo vacaret.*] Recte, opinor, legit Mureus, *operi huic*: alioqui referendum esset pronomen *huic*, ad ripam, vel ad alveum Enipei fluminis.

5. *Miles justus ex propinquis sylvis.*] Intercidere sequentia, quibus prosequebatur Livius quæ Perseus ad famam adventantis Æmilii Paulli defensionis suæ causa parabat. Intercidit & initium narrationis eorum quæ Æmilius Paullus primo in Macedoniam adventu egerat.

1. *Postremo sequi se utrarios ad mare.*] Hic tradebat Livius, posse aqui ratione

Urb. cond. an. 585. Coss. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Crasso.

vallis fodere. montes ingentis altitudinis ſpem faciebant, eò magis quia nullos apertos evergerent rivos, occultos continere latices, quorum venæ in mare permanantes undæ miſcerentur. Vix deducta ſumma arena erat; quum ſcaturigines turbidæ primò & tenues emicare, dein liquidam multamque fundere aquam, velut Deum dono, cœperunt. Aliquantum ea quoque res duci famæ & auctoritatis apud milites adjecit. Juſſis deinde militibus expedire arma, ipſe cum tribunis primiſque ordinibus vadit ad conſcendendos tranſitus; quâ deſcenſus facilis armatis, quâ in ulteriorem ripam minimè iniquus aſcenſus eſſet. His ſatis exploratis, illa quoque primum, ut ordine ac ſine tumultu omnia in agmine ad nutum imperiumque ducis fierent, providit. Ubi omnibus ſimul pronunciaretur quod fieret, neque omnes exaudirent: incerto imperio accepto, alios ab ſe abjicientes, plus eo quod imperatum ſit; alios minus facere. clamores deinde diſſonos oriri omnibus locis, & priùs hoſtes, quàm ipſos, quid paretur ſcire. Placere igitur, [2] tribunum militum primopilo legionis ſecretum edere imperium: illum & dein ſingulos proximo cuique in ordine centurioni dicere quid opus facto ſit; ſivè à primis ſignis ad noviſſimum agmen, ſive ab extremis ad primos perferendum imperium ſit. Vigiles etiam novo more ſcutum in vigiliam ferre vetuit: non enim in pugnam vigilem ire, ut armis utatur, ſed ad vigilandum, ut, quum ſenſerit hoſtium adventum, recipiat ſe, excitetque ad arma alios. Scuto præ ſe erecto ſtare galeatos: dein ubi feſſi ſint, innixos pilo capite ſuper marginem ſcuti poſito ſopitos ſtare: ut fulgentibus armis procul conſpici ab hoſte poſſint, ipſi nihil provideant. Stationum quoque morem mutavit. armati omnes, & frænatis equis equites, diem totum perſtabant. id quum æſtivis diebus urente aſſiduo ſole fieret, tot horarum æſtu & languore ipſos equoſque feſſos, integri ſæpè adorti hoſtes, vel pauci plures vexabant. itaque ex matutina ſtatione ad meridiem decedi, & in poſtmeridianam ſuccedere alios juſſit: ita nunquam fatigaros recens hoſtis aggredi poterat.

XXXIV. Hæc quum ita fieri placere concione advocatâ pronunciaſſet; adjecit urbanæ concioni convenientem orationem. *Unum imperatorem in exercitu providere & conſulere quid agendum ſit debere; nunc per ſe, nunc cum iis quos advocaverit in conſilium. qui non ſint advocati, eos nec palam, nec ſecreto jactare conſilia ſua. Militem hæc tria curare debere, corpus ut quàm validiſſimum & perniciſſimum habeat,* [1] *arma apta, cibum paratum ad ſubita imperia: cætera ſcire de ſe Diis immortalibus & impe-*

NOTÆ.

Paullus aquarum inopiam in monte Olympo levaverit: qua de re Plut. in ejus vita. Porrò *Utrarii* dicuntur, qui utribus ſive hircorum pellibus aquam aliumve liquorem deferunt.

2. *Tribunum militum primopilo*, &c.] Et hoc, & quæ ſequuntur exempla ſunt notanda, vel præcepta potiùs compoſitæ militiæ & accuratæ diſciplinæ.

1. *Arma apta, cibum paratum.*] Quod ſit militum in genere officium deſcribit hoc loco Aemilius. Quòd autem pro *cibum* Sigon. *animum* reponit, id Mureto non uſquequaque probatur, qui putat *ratori*

ratori ſuo civæ eſſe. in quo exercitu, milites, conſul, & imperator, rumoribus vulgi circumagatur, ibi nihil ſalutare eſſe. Se quod ſit officium imperatoris proviſurum, ut benè gerendæ rei occaſionem eis præbeat. illos nihil quod futurum ſit quærere: ubi datum ſignum ſit, tum militarem operam navare. Ab his præceptis concionem dimiſit: vulgo etiam veteranis ſatenſo. tibus, ſe illo primum die, tanquam tyrones, quid agendum eſſet in re militari, didiciſſe. Non ſermonibus tantùm his, cum quanto aſſenſu audiſſent verba conſulis, oſtenderunt: ſed rerum præſens effectus erat. Neminem totis mox caſtris quietum videres: cacuere alii gladios, alii galeas bucculaſque, ſcuta alii, lorícaſque tergere: alii aptare corpori arma, experirique ſub his membrorum agilitatem: quatere alii pila, alii micare gladiis, mucronemque intueri. ut facilè quis cerneret, ubi primùm conſerendi manum cum hoſte data occaſio eſſet, aut victoriâ egregiâ, aut morte memorabili ² inituros bellum. Perſeus quoque quum adventu conſulis ſimul & veris principio, ſtrepere omnia moverique apud hoſtes, velut novo bello, cerneret, mota à Phila caſtra in adverſa ripa poſita, nunc ad contemplanda opera ſua circumire ducem, haud dubiè tranſitus ſpeculantem, „nunc exacta priſcam ad ſeveritatem diſciplina caſtrenſi, quotidia„nis decurſionibus atque omni militarium laborum genere exercere Roma„nos: nihil eorum quæ ad Imperatoris eximii ſolicitudinem & munia per„tinent (Paullum cùm Perſeus cerneret) ſibi in tanto rerum diſcrimine Plutarch. in „nequaquam ceſſandum pervidit. Non enim jam cum Liciniis, Hoſtiliis, Paullo. „Marciiſve rem eſſe: ſed objectum ſibi veterem militiæ, impigrum, ar„rectum, intentumque ad omnia Imperatorem, & gloriæ tantum ac vi„ctoriæ cupiditate inflammatum, ac per varia pugnæ ſimulacra cuntem „ad verum decretoriumque certamen. Itaque ipſe quoque confirmandis, „quantum poterat, ſuorum animis operam dare inſtituit, exercitationibus „bellicis erudire aut fatigare, prioribus munitionibus novas addere, mu„roſque caſtrorum aliis ſuper alias inſtruere machinis. Verùm dum his Livius ſta„utrique intenti agunt, improviſus ex Illyrico nuncius advenit, victum à tim.

Urb. cond. an. 585. Coſſ. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Craſſo.

NOTÆ.

cibum verius eſſe: quod poteſt hunc habere ſenſum, ut velit unumquemque militem parata habere neceſſaria cibaria; ne, ſi forte ex improviſo jubeatur aliò proficiſci ad ſubitam expeditionem, aut deficiente neceſſario commeatu in itinere ipſe deficiat, aut occaſionem gerendæ rei amittat, dum reficiendo corpori neceſſaria inquirit, videtur tamen Plut. *gladium* legiſſe, quo uti more Romano miles deberet, quoties occaſionem imperator daret. Neque obſtat, quòd priùs armorum facta mentio eſt: id enim neutiquam novum videbitur iis, qui noverint *arma* ſæpenumerò ſtrictè dici de iis, quæ tuendo corpori accomodata ſunt, atque à telis diſtingui, quibus alios aggredimur. Facit quod paulò poſt ſequitur: *aptare corpori arma, thoracem*, id eſt, lorícam, &c.

2. *Inituros bellum.*] Mavult Muretus: *finituros bellum*; quæ an vera ſit auctoris mens, ambigere licet.

Urb. cond. an. 585. Coss. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Crasso.

„ prætore Anicio Gentium regem; ipsumque cum domo tota & universa
„ ditione in potestate 3 Romanorum esse.

XXXV. Quæ res Romanis auxit animos. Macedonibus regique eorum haud mediocrem attulit terrorem. & primò supprimere in occulto famam cjus rei est conatus; missis qui Pantauchum indevenientem appropinquare castris vetarent: sed jam & pueri quidam visi ab suis erant 1 inter obsides Illyrios ducti: 2 & quò quæque accuratiùs curaretur, eò faciliùs loquacitate regiorum ministrorum emanant. Sub idem tempus Rhodii legari in castra venerunt, cum iisdem de pace mandatis, quæ Romæ ingentem iram Patrum excitavere. Multò iniquioribus animis à castrensi consilio auditi sunt. Itaque 3 quum alii præcipites sine responso ** agendos castris pronunciavit, post diem quintum decimum se responsum daturum. Interim, ut appareret 4 quantum pacificantium Rhodiorum auctoritas valuisset, consultare de ratione belli gerendi cœpit. Placebat quibusdam, & maximè majoribus natu, per Empei ripam munitionesque vim facere. confertis & vim facientibus resistere Macedonas non posse; ex tot castellis aliquantò altioribus ac munitioribus, quæ validis præsidiis insedissent, priore anno dejectos, aliis placebat, Octavium cum classe Thessalonicam petere, & populatione maritimæ oræ distringere copias regias: ut altero ab tergo se ostendente bello, circumactus ad interiorem partem regni tuendam nudare aliquâ parte transitus Empei cogeretur. 4 ipsi naturâ & operibus inexsuperabilis ripa videbatur: & præterquàm quòd tormenta ubique disposita es-

INTERPRETATIO.

2 *Ut ostenderet Æmilius Paullus quàm Rhodiorum, qui pacis leges Romanis dare vellent, nullius momenti fuisset apud se auctoritas.*

NOTÆ.

3. *Romanorum esse.*] Quæ hic desunt de *agendus castris* ** *pronunciavit.*] Illud, Perfei cœptis post adventu Paul. Æmilii, *præcipites*, in nominandi casu videtur eorum ultimam partem ita Sigonius ex- accipiendum, ut referatur, non ad legatos primit: *nunciatum est Gentium regem superatum, ipsumque cum regno in potestatem Romanorum esse.* Quæ res Romanis, &c.

1. *Inter obsides Illyrios ducti.*] Ambigua sententia: videatur tamen intelligi Macedones pueri dati obsides Gentio Illyriorum regi, quorum mentio cap. 23. quique à victore Anicio capti in Illyrico, atque ab ipso missi ad Æmilium. Nisi malis datos Anicio ab ipsis Illyriis, de deditione cum eo agentibus.

2. *Et quo quæque accuratius curantur.*] Non absre, meo judicio, Gronov. conjicit scribendum esse: *accuratius celantur.*

Rhodiorum, sed ad duces Romanos, qui extemplò eos castris abigendos sine responso existimabant. Sigon. imperfectam putat sententiam, inseritque velut ad eam perficiendam: *alii convenienti cum responso* dimittendos dicerent. Gronovio videtur tantùm deesse verbum, *censerent*: aut certè scribendum: *quum alii præcipites sine responso agerent castris.* Quorum ego alterutrum facilè sequar: & *Tò, alii,* haud dubiè indicat plerosque omnes qui in castrensi consilio erant, Æmilio dempto, qui ex animi sui solius, aut fere solius sententia dixerit responsurum se post xv. diem.

4. *Ipse.*] Nimirum *Æmilio Paullo.*

sent, missilibus etiam melius & certiore ictu hostes uti audierat. Aliò spectabat mens tota ducis, dimissoque consilio Perrhæbos mercatores, Schœnum & Menophilum notæ & fidei jam sibi & prudentiæ homines, arcessitos secretò percunctatur, quales ad Perrhæbiam transitus sint. Quum loca non iniqua esse dicerent, præsidiis autem regis obsideri, spem cepit, si nocte improviso validâ manu aggressus necopinantes esset, dejici præsidia posse. Jacula enim & sagittas, & cætera missilia in tenebris, ubi quid petatur procul provideri nequeat, inutilia esse. gladio cominus gèri rem in permixta turba, b quo miles Romanus vincat. His ducibus usurus, prætorem Octavium arcessitum, expositò quid pararet, Heracleam cum classe petere jubet, & mille hominibus decem dierum coacta cibaria habere. Ipse P. Scipionem Nasicam, 5 Q. Fabium Maximum filium suum cum quinque delectis millibus Heracleam mittit, velut classem conscensuros, ad maritimam oram interioris Macedoniæ, quod in consilio agitatum erat, vastandam. Secreto indicatum, cibaria his præparata ad classem esse, ne quid eos moraretur. Inde jussi duces itineris ita dividere viam, ut quartâ vigiliâ tertio die Pythium adoriri possent. Ipse postero die, ut distineret regem ab circumspectu rerum aliarum, primâ luce medio in alveo cum stationibus hostium prœlium commisit. pugnatumque utrinque est levi armaturâ: nec gravioribus armis in tam inæquali alveo pugnari poterat. Descensus ripæ utriusque in alveum trecentorum fermè passuum erat: medium spatium torrentis alibi aliter cavati paulò plus quàm mille passus patebat. Ibi in medio, spectantibus utrinque ex vallo castrorum hinc rege, hinc consule cum suis legionibus, pugnatum est. Missilibus procul regia auxilia melius pugnabant; cominus stabilior & tutior, aut parmâ & aure scuto Ligustino, Romanus erat. Meridie ferè receptui cani suis consul jussit. ita eo die diremptum prœlium est, haud paucis utrinque interfectis. Sole orto postero die, irritatis certamine animis, etiam acriùs concursum est: sed Romani, non ab his tantùm, cum quibus contractum certamen erat, sed multò magis ab ea multitudine, quæ disposita in turribus stabat, omni genere missilium telorum ac saxis maximè vulnerabantur. ubi propiùs ripam hostium subissent, tormentis missa etiam ad ultimos perveniebant. Multò pluribus eo die amissis, consul paulò serius recepit suos. Tertio die prœlio abstinuit, degressus ad imam partem castro-

Urb. condi an. 585. Coss. L. Æmil. Paulo, & C. Licinio Crassо.

INTERPRETATIO.

b *Qua re milites Romani* reliquos longè *antecellebant*.

NOTÆ.

5. *Q. Fabium Maximum*.] Fuit hic vetustissimus filiorum Æmilii, qui adhuc puer adoptatus fuerat à Q. Fabio Maximo Labeone Cunctatoris nepote.

6. *Aut scuto Ligustino*.] Cum velitibus Romanis (parmâ armatis) Ligures septingentos scuto sui moris protectos Plut. narrat. Ligurum autem armaturam leviorem Romanâ fuisse testatur Diodorus, qui scutum longum eis attribuit ad

Urb. cond. an. 585. Coss. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Crasso.

rum, veluti e per devexum in mare brachium transitum tentaturus
7 Perseus, quod in oculis erat „ id tantum cogitans, ad repellendum ea
„ parte hostem animo defixus hærebat, vacuus ab omni alia solicitudine.
„ Interim P. Nasica cum attributa sibi manu versus mare, Heracleum us-
„ que profectus, quasi classe adoriri castra hostium pararet: postquam eo
„ pervenit, jussis corpora curare militibus, noctem expectavit. Tum
Plutarch. in Paullo. „ vera consulis mandata centurionibus exposuit; ac primis se intendenti-
„ bus tenebris flexo ad montem itinere, ad Pythium, ut imperatum erat,
„ copias per silentium ducit. Ibi tridui fermè viam per confragosa progres-
„ sis & labore fatigatis dandum fuit spatii aliquid ad vires nocturna quiete
„ paulùm reficiendas. Ast Cretensium, qui ad ducentos secuti Scipionem
„ in hac expeditione erant, unus cognito quid ageretur, ex itinere (ut est
„ infida natio) se ad Perseum contulit; ac nihil tale suspicanti aperuit
„ qua parte pereretur. Perculsus re inopinata rex, non tamen totis viribus
„ obviam eundum Nasicæ, aut deserenda statuit castra: ne sic nudato limi-
„ te ad interiora regni Æmilio aditum daret. Sed Milonem è principibus
„ amicorum, cum Macedonum duobus, auxiliarium decem millibus, ad
„ occupandum quanta maxima celeritate posset saltum misit, ne illac Ro-
„ manus perrumperet. His somno adhuc involutis superveniisse nostros
„ tradit Polybius. At Nasica in ipso jugo acerrimè atque ancipiti prælio
„ pugnatum scribit: atque inter alia se à Thrace milite ferro appetitum
„ ait, quem ipse adacto per pectus telo confecerit: denique post longum
„ certamen cessisse loco Macedonas, ipsumque abjectis armis Milonem
„ effusa fuga saluti consuluisse. Hinc Romanis fugientes persequentibus fa-
„ cilis & citra periculum in plana descensus. Hoc rerum statu ambigere
„ Perseus quid facto opus. Cum aperta ab ea parte castra, manenti parùm
„ tuta viderentur, duorum alterum occurrebat animo, ut aut ad Pydnam
„ recedens hostem ibi expectaret sub muris urbis munitæ minori periculo
„ certaturus; aut copiis per urbes præcipuas ad tuenda mœnia & continen-
„ dos in fido populares dispersis, convectisque in loca munitiora frugibus
„ atque pecoribus, populatos agros & nudum hosti relinqueret solum,
„ paucos intra dies quotidianis Macedonum incursibus & omnium rerum
„ inopia perituro. Horum neutrum discrimine vacabat. Verùm postc-
„ rius, præterquam quod non unius diei erat opus, & vires totius Imperii

INTERPRETATIO.

e *Instituto aggere cuneato* in brachii modum, *qui in mare* ostio fluminis proximum *vergeret*.

NOTÆ.

Gallicum modulum factum.

7 *Perseus, quod in oculis erat.*] Pectii hoc loco narratio rerum gestarum à Nasica & Fabio, missis ut alia ex parte adorirentur: narrabatur & quâ ratione Perseus eis obstitisset, & quemadmodum Paullus Nasicam postea esset consecutus. De eodem Paullo Livium loqui Sigonius notat, ubi ait, *anni post circumactum solsti-tium*.

„ dividendo propè ad nihilum redigebat: per desertum etiam limitem, „ intima regni aperiendo, cuncta terrore, populationibus, incendiis, „ cædibus replebat; ac destitutos omni ope agrestes à regis partibus, amore „ atque obsequio alienabat. Idcircò amicorum pleriſque prius magis probabatur, ut paratæ ad pugnam copiæ simul tenerentur. Etenim non „ modo gloriosius, sed tutius quoque futurum, priusquam ultra progressi „ hostes essent, integras vires objicere, &, si casus daret experiri. Cives „ sanè ubi pro aris & focis, pro liberis atque conjugibus, inspectante rege, „ & (quo nullum fortius sanctiusque ad rem præclarè gerendam incitamentum) se in partem discriminis offerente, ad manus veniendum esset; „ pristinæ virtutis nequaquam futuros immemores. Rex, etsi summam „ rerum unius prælii aleæ committere pigebat, his tamen adductus ratio„ nibus ad pugnam sese comparat, admotisque ad Pydnam castris, suum „ cuique ductorum munus locumque assignat, ut, ubi opus foret, parata „ essent ad dimicandum omnia. Regio erat plana, equitatus apta excursi„ bus, & quæ simul idoneum agmen caperet gravioris peditatus; ita tamen „ ut continentibus alicubi collibus assurgens sagittariis aliisque leviùs armatis commodum præberet tum excurrendi spatium, tum ab aliorum assul„ tibus receptum. Amnes duo (Æsonem alterum, alterum Leucum accolæ vocant) dividebant potiùs à gros quàm irrigabant, adeò anguſti per „ se alvei exiguam tunc aquarum copiam vehebant. Iidem nihilominus mo„ tam in transitu aliquam sestinanti ad se Romano injecturi videbantur. At „ Æmilius apertâ per Scipionem Nasicam via in hostium illatus, ejus co„ pias ad reliquum exercitum adjungit. Tum nihil cunctatus, recta ad „ hostem quadrato agmine ire pergit. Verùm ad conspectum egregiè jam „ instructæ ad pugnam aciei aliquantum subsistit, dum quæ victoriam aut „ spondere, aut negare, atque impedire posse videantur, & quid perpen„ sis omnibus agendum sit, tacitus apud se cogitat.

Urb. cond. an. 585. Coss. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Crasso.

XXXVI. Tempus [1] anni post circumactum solstitium erat: hora diei jam ad meridiem vergebat: iter multo pulvere & incalescente sole factum erat. Lassitudo & sitis jam sentiebatur, & meridie instante [2] magis accessurum utrumque apparebat. Statuit sic affectos recenti atque integro hosti non objicere. Sed tantus ardor in animis ad dimicandum utrinque erat, ut consuli non minori arte ad suos eludendos quam ad hostes opus esset. Non-

NOTÆ.

1. *Anni post circumactum solstitium.*] Vult Sigon. hanc fuisse sententiam horum & superiorum: *quoniam autem incommodum maximè (nam tempus anni post circumactum solstitium erat, hora diei jam ad meridiem vergebat) iter multo pulvere & incalescente sole factum erat*, &c. Mihi placere non potest. *Tò incommodum*, epitheton itineris, tanto intervallo disstitum ab ipso nomine, *iter*: & sine hoc adminiculo stat optimè phrasis, *iter factum erat incalescente Sole*.

2. *Magis accessurum utrumque apparebat.*] Vellet Gron. *accessuram utramque, lassitudinem*, nimirùm & *sitim*. Fatetur tamen sibaudiri posse *malum*. Potest & dici *utrumque* pro *utramque rem*.

Urb. cond. an. 585. Coſs. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Craſſo.

dum omnibus inſtructis, inſtabat tribunis militum ut maturarent inſtruere: circumibat ipſe ordines, animos militum hortando in pugnam accendebat. Ibi primò alacres ſignum poſcebant. deinde, quantum increſceret æſtus, & vultus minùs vigentes, & voces ſegniores erant, & quidam incumbentes ſcutis nixique pilis ſtabant. Tum jam apertè primis ordinibus imperat, metarentur frontem caſtrorum, & impedimenta conſtituerent. Quod ubi fieri milites ſenſere, alii gaudere palam quòd feſſos viæ labore flagrantiſſimo æſtu non coegiſſet pugnare. legati circa imperatorem diuceſque externi erant, inter quos & Attalus: omnes approbantes; quum pugnaturum conſulem credebant: neque enim 3 ne his cunctationem aperuerat ſuam: tunc mutatione conſilii ſubitâ, quum alii ſilerent; 4 Naſica unus ex omnibus auſus eſt monere conſulem, 5 *Ne hoſtem quidem lud ficatos priores imperatores. fugiendo certamen manibus emittere. Vereri ne nolle abeat, ſequendus maximo labore ac periculo in intima Macedoniæ, exercituſque, ſicut prioribus ducibus, per calles ſaltuſque Macedonicorum montium vagando circumagatur. Se magnopere ſuadere, dum in campo patenti hoſtem habeat, aggrediatur, nec oblatam occaſionem vincendi amittat.* Conſul nihil offenſus liberâ admonitione tam clari adoleſcentis: *Et ego*, inquit, *animum iſtum habui, Naſica, quem tu nunc habes: & quem ego nunc habeo; tu habebis. Multis belli caſibus didici, quando pugnandum, quando abſtinendum pugna ſit. Non operæ ſit ſtanti nunc in acie docere, quibus de cauſis hodie quieſſe melius ſit. rationes alias repoſcito, nunc auctoritate veteris imperatoris contentus eris.* Conticuit adoleſcens. haud dubiè videre aliqua impedimenta pugnæ conſulem, quæ ſibi non apparerent.

XXXVII. Paullus, poſtquàm metata caſtrâ impedimentaque collocata animadvertit, ex poſtrema acie triarios primos ſubduxit. deinde principes, ſtantibus in prima acie haſtatis, ſi quid hoſtis moveret: poſtremò haſtatos, ab dextro primùm cornu ſingulorum paulatim ſignorum milites ſubtrahens. Ita pedites, equitibus cum levi armatura ante aciem hoſti oppoſitis, ſine tumultu abducti: nec antè, quàm prima frons valli ac foſſa perducta eſt, ex ſtatione equites revocati ſunt. Rex quoque quum ſine decrectatione paratus pugnare eo die fuiſſet, contentus quod per hoſtem moram fuiſſe pugnæ ſcirent, & ipſe in caſtra copias reduxit. Caſtris permunitis C. Sulpicius Gallus tribunus militum ſecundæ legionis, qui prætor

NOTÆ.

3. *Ne his cunctationem.*] Intellige, *ne his quidem.*

4. *Naſica unus ex omnibus auſus eſt monere.*] Scribit Plut. id Naſicam aggreſſum eſſe, inflatum re bene geſtâ ad Olympum adverſus Perſeum.

5. *Ne hoſtem quidem ludificatos priores imperatores.*] Negat Gronovius intelligum eſſe locum: ſenſum hunc eſſe vult, *ne hoſtem quidem ludificatum priores imperatores fugiendo certamen manibus emitteret*, id eſt, Perſeum, qui anteriores conſules eluſerat. Sed quò illud *quidem*: Num potiùs *quondam ludificatum*, &c.

superiore anno fuerat, consulis permissu ad concionem militibus vocatis pronunciavit; *Nocte proxima, ne quis id pro portento acciperet, ab hora secunda usque ad quartam horam noctis Lunam defecturam esse. Id quia naturali ordine statis temporibus fiat, & sciri antè & prædici posse. Itaque quemadmodum, quia certi Solis Lunæque & ortus & occasus sint, nunc pleno orbe, iunc senescente exiguo cornu fulgere Lunam non mirarentur: ita ne obscurari quidem, [1] quum condatur umbrâ terræ, trahere in prodigium debere.* [a] Nocte, quam pridie Nonas Septembres insecuta est dies, [a] editâ horâ Luna quum defeciſſet, Romanis militibus Galli sapientiâ propè divinâ videri: Macedonas, ut triste prodigium, occasum regni pernicieinque gentis portendens movit: nec aliter vates. clamor ululatusque in castris Macedonum fuit, donec Luna in suam lucem emersit. Postero die tantus utrique ardor exercitui ad concurrendum fuerat, ut & regem & consulem suorum quidam, quod sine prœlio discessum esset, accusarent. Regi prompta defensio erat; non eo solùm quòd hostis prior apertè pugnam detrectans, in castra copias reduxisset: sed etiam, quod eo loco signa constituisset, quo phalanx, quam inutilem vel mediocris iniquitas loci efficeret, promoveri non posset. Consul [b] ad id, quod pridie prætermisisse pugnandi occasionem videbatur, & locum dedisse hosti, si nocte abire vellet; tunc quoque per speciem immolandi terere videbatur tempus, quum luce prima signum proposituin pugnæ ad exeundum in aciem fuisset. Tertia demùm hora, sacrificio ritè perpetrato, [2] ad consilium vocavit: atque ibi, quod rei gerendæ tempus esset, loquendo & intempestivè consultando videbatur quibusdam extrahere: [3] post sermones tamen consul orationem habuit.

Urb. cond. an. 585. Coss. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Crasso.

XXXVIII. *P. Nasica egregius adolescens, ex omnibus unus, quibus hesterna die pugnari placuit,* [1] *denudavit mihi suum consilium. idem postea, ita ut transisse in sententiam meam videri posset, tacuit. Quibusdam aliis, absentem carpere imperatorem, quàm præsentem monere, melius visum est. Et tibi, P. Nasica, & quicumque idem, quod tu, occultius*

INTERPRETATIO.

a *Eadem hora qua prædictum fuerat* id eventurum.

b *Præterquàm quod pridie*, &c.

NOTÆ.

1. *Quum condatur umbra terræ.*] Contingit reverâ eclipsis Lunæ, cùm ex Soli opponitur: tunc enim terra intermedia obitat quominus Solis radiis Luna illuminetur.

2. *Ad consilium vocavit.*] Duces nempè, quod satis intelligitur, quanquam Sigon. mavult, *consilium advocavit*.

3. *Post sermones.*] Intelligit *sermones* eorum, qui de cunctatione Æmilii consulis querebantur.

1. *Denudavit mihi suum consilium.*] Hæc antiqua & verior lectio: etenim *nudare* & *denudare* apud nostrum aliosque in usu frequenti pro *aperire, detegere*. Frustrà itaque Curio & eum secuti mutarunt in *denunciavit mihi*.

Urb. cond. an. 585. Coss. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Crassо.

senserunt, non gravabor reddere de latæ pugnæ rationem. Nam tantùm abest, ut me hesternæ quietis pœniteat, ut servatum me exercitum eo consilio credam, in qua me opinione esse, ne quis sine causa vestrûm credat, recognoscat agedùm mecum, si videtur, quàm multa pro hoste & adversus nos fuerint. Jam omnium primum, [2] quantum numero nos præstent, neminem vestrûm nec ante ignorasse, & hesterno die [3] implicatam intuentes aciem animadvertisse, certum habeo. Ex hac nostra paucitate quarta pars militum præsidio impedimentis relicta erat: nec ignavissimum quemque relinqui ad custodiam sarcinarum scitis. Sed fuerimus omnes: parvum hoc tandem esse credimus, quod ex bis castris, in quibus hac nocte mansimus, exituri in aciem hodierno aut summum crastino die, si ita videbitur, Diis benè juvantibus, sumus? Nihil interest, utrum militem, quem neque viæ labor hodie, neque operis fatigaverit, requietum, integrum in tentorio suo armæ capere jubeas, atque in aciem plenum virium, vigentem & corpore & animo educas; an longo itinere fatigatum, & onere festum, madentem sudore, [4] ardentibus siti faucibus, ore atque oculis repletis pulvere, torrentem meridiano sole, hosti objicias recenti, quieto, qui nulla re ante consumptas vires ad prælium adferat? Quis, proh Deûm fidem! ita cernentis vel inermes atque imbellis fortissimum virum non vicerit? Quid quod hostes per summum otium instruxerant aciem, reparaverant animos, stabant compositi suis quisque ordinibus? nobis tunc repentè trepidandum in acie instruenda erat, & incompositis concurrendum?

XXXIX. *At hercule aciem quidem inconditam inordinatamque habuistemus: [1] castra munita, provisam aquationem, tutum ad eam iter præsidiis impositis, explorata circa omnia, an nihil nostri habentes præter nudum campum in quo pugnaremus? Majores vestri castra munita, portum ad omnes casus exercitus ducebant esse: unde ad pugnam exirent, quo jactati tempestate pugnæ receptum haberent. ideo, quum munimentis ea sepissent, præsidio quoque valdo firmabant: quod qui castris exutus erat, etiamsi pugnando acie vicisset, pro victo haberetur. castra sunt victori receptaculum, victo perfugium. Quàm multi exercitus, quibus minus prospera pugnæ fortuna fuit, intra vallum compulsi, tempore suo, interdum momento post eruptione facta victorem hostem pepulerunt? patria altera est militaris hæc sedes, vallumque pro mœnibus, & tentorium suum cuique militi domus ac penates*

NOTÆ.

2. *Quantum numero nos præstent.*] Ratiò *præstandi* verbum hoc sensu cum accusativo jungitur, auferendi casu magis gaudet: dixit nihilominus Quintil. lib. 1. *præstat tamen ingenio alius alium*. Et Virgil. 11.

& magnum præstat Achillem.

3. *Implicatam intuentes aciem.*] Imò *explicatam*, inquit Gron. & sanè in acie explicata magis quàm implicatâ apparet ac distinguitur multitudo.

4. *Ardentibus siti faucibus.*] Non malè hoc quidem; urit enim ac torret gutturis siti. Verùm Florebello & Gron. placet: *arentibus*.

1. *Castra munita, provisam aquationem*, &c.] Hæc tanquam ironicè dicta accipi debent.

penates ſunt. Sine ulla ſede vagi dimicaſſemus, [a] *ut quo victores nos reciperemus? His difficultatibus & impedimentis pugnæ* 3 *illud opponitur: Quid ſi hoſtis hac interpoſita nocte abiſſet, quantum rurſus ſequendo eo penitus in ultimam Macedoniam exhauriendum laboris erat? Ego autem neque manſurum cum, neque in aciem copias eductarum fuiſſe certum habeo, ſi cedere hinc ſtatuiſſet. quantò enim facilius abire fuit quam procul abeſſemus, quam nunc* [a] *quum in cervicibus ſumus? nec falleret nos, nec interdiu nec nocte abeundo. Quid autem eſt nobis optatius, quàm ut quorum caſtra prærupta fluminis ripa tuta, vallo inſuper ſepta ac crebris turribus oppugnare adorti ſumus, eos relictis munimentis agmine effuſo abeuntes in patentibus campis ab tergo adoriamur? Hæ dilatæ pugnæ ex heſterno die in hodiernum cauſæ fuerunt. Pugnare enim & ipſi mihi placet; & ideo, quia per Enipeum amnem ſepta ad hoſtem via erat, alio ſaltu de jectis hoſtium præſidiis novum iter aperui. neque prius, quàm debellavero, abſiſtam.* Lib. cond. an. 585. Coſſ. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Craſſo.

XL. Poſt hanc orationem ſilentium fuit; partim traductis in ſententiam ejus, partim verentibus nequicquam offendere in eo, quòd utcumque prætermiſſum revocari non poſſet. Ac ne illo ipſo quidem die, [1] aut conſule aut rege (rege, quòd nec feſſos ut pridie ex via, neque trepidantes in acie inſtruenda & vix dum compoſitos, aggreſſurus erat: conſule, quod in novis caſtris non ligna, non pabulum convectum erat; ad quæ petenda ex propinquis agris magna pars militum è caſtris exierat) neutro imperatorum volente, Fortuna, quæ plus conſiliis humanis pollet, contraxit certamen. Flumen erat haud magnum propiùs hoſtium caſtris, ex quo & Macedones & Romani aquabantur, præſidiis ex utraque ripa poſitis, ut id facere tutò poſſent. Duæ cohortes à parte Romanorum erant; Marrucina, & Peligna: duæ turmæ Samnitium equitum, quibus præerat M. Sergius Silus legatus: & aliud [a] pro caſtris ſtativum erat præſidium ſub C. Cluvio legato, tres cohortes, Firmana, Veſtina, Cremonenſis: duæ turmæ equitum; Placentina & Æſernina. Quum otium ad flumen eſſet, neutris laceſſentibus, horâ circiter quartâ jumentum è manibus curantium

INTERPRETATIO.

a *Cùm ei è proximo imminemus, & quaſi tergo inhæremus.*

a *Ante caſtra erat aliud præſidium militum perpetuò excubias agentium.*

NOTÆ.

2. *Ut quo victores nos reciperemus.*] Quaſi diceret: ſed hæc quo fine: quem habebamus locum, quò nos poſſemus recipere?

3. *Illud opponitur.*] Refutat hic Æmilius quæ ſibi objiciebantur.

1. *Aut conſule aut rege (rege, &c.*] Longiuſcula parentheſis locum obſcuravit. Clarior erit, ſi eâ demptâ ita legas cum Gronovio: *ac ne illo ipſo quidem die aut conſule aut rege, neutro, inquam, imperatorum volente, fortuna, &c. contraxit certamen:* alioqui quatuor verbis à Sigonio inſertis aliquantum dilucidari videtur; ſic enim legit: *at ne illo ipſo quidem die, aut conſule aut rege optante, pugnatum eſt: rege, quod nec feſſos, &c. conſule, quod in novis caſtris, &c. ac de-*

Ubi cond. an. 585. Coss. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Crassо.

clapsum, in ulteriorem ripam effigie. quod quum per aquam formè genu tenus altam tres milites sequerentur, Thraces duo [2] id jumentum ex medio alveo in suam ripam trahentes; altero eorum occiso, receptoque eo jumento, additationem suorum se recipiebant. Octingentorum Thracum præsidium in hostium ripa erat. ex his pauci primò agrè passi populatem in suo conspectu cæsum, ad persequendos interfectores fluvium transgressi sunt: dein plures, postremò omnes; [3] & cum præsidio „ proximæ stationes utrinque temerè prosiliunt. Sic initium pugnæ in flumine ortum.

Plutarch. in Paullo Æmilio.

„ Nec desunt auctores qui ipsius Paulli jussu equum detracto frano impulsum scribant in hostilem ripam, emissosque qui retraherent, ut hostes „ pugnam priores lacesserent. Etenim cum primis hostilis litatum non esset, tandem læta postremæ exta haruspices ita renunciarant, ut Romanis non lacessentibus, sed defendentibus esse, victoriam pollicerentur. „ Sic aliis super alios ad ferendam suis opem jubente nemine advolantibus, „ commissum tandem hinc inde prælium est. Cum enim acriter jam inter „ paucos ab utraque parte pugnaretur, Æmilius tumultu concurrentium „ audito, theatrorum egressus, postquam cœcum ruentium ad arma impetum revocare aut sistere nec facile nec tutum videbatur, utendum ardore „ militum, ac casum in occasionem vertendum putavit. Ordines itaque „ armatorum circumvectus, ad rem bene & pio dignitate nominis Roma„ ni gerendam vultu manuque, non minùs quàm sermone adhortabatur: „ cum P. Scipio Nasica præmissus ad explorandum quo in statu res essent, „ inter primam cientes pugnam, adventare instructo exercitu Persеum nun„ ciavit. Quatuor maximè agmina erant. Incedebant primi Thraces, „ truci vultu, corpore procero ac prægrandi, splendentibus ferro clypeis „ lævam protecti. Crura quoque ferro armaverant. Humerum utrumque „ nigra tegebat chlamys: ab dextro immanem pondere frameam identidem coruscabant. Post Thracas sequebantur reliqui mercede conducti, „ ex trati magna ex parte, exterum diverso inter se pro diversis nationibus „ habitu armatuque: in his & Pæones fuere. Tertium subibat agmen delectorum ex omni juventute Macedonum. Phalanx erat juniorum: micabant hi loricis auratis sagisque puniceis. Leucaspides à clypeis diceban-

NOTÆ.

inde neutro imperatorum volente, fortuna, quæ plus consiliis, &c.

2. *Id jumentum ex medio alveo in suam ripam trahentes, altero eorum occiso.* Sigon. ut vera sententia eluceſcat, ita legit: *in suam ripam trahentes, cum tribus Romanis militibus manum conseruerunt. Jamque Romani altero eorum occiso.* Sed sine ejusmodi adjectione constabit sententia, si cum Fulvio Ursino & Gronovio legamus, *traherent*, duo Thraces nimirum, *altero eorum* (Thracum scilicet) *occiso*, Romani tres jumento recepto ad stationem suorum se receperunt.

3. *Et cum præsidio *** prælium dueis.*] Prosequebatur hic auctor quemadmodum exercitus utrinque concurrerit, initio pugnæ in flumine orto. Extremam hujus narrationis, quæ desideratur, partem, ita Sigon. explet: *ergo cum commissum prælium esset, atque acriter ab utraque parte pugnaretur, Paullus legionem in prælium ducit.*

„ tur, præcipuo candore argenti ſplendentibus. Claudebant aciem vete- Urb. cond.
„ rani: ab æreis lucidiſque clypeis Chalcaſpidas vocabant aut Aglaſpidas. an. 585.
„ Refulgebant campi undique terſo armorum nitore: vicini colles clamori- Coſſ. L.
„ bus perſonabant ad pugnam properantium, ſeque invicem cohortan- Æmil. Paul-
„ tium. Nec moratus ultrà conſul, ad primam ſuorum aciem accurrit. lo, & C. Li-
„ Et certati quidem impetum ſociorum Latini nominis non ſanè diu ſuſti- cinio Craſ-
„ nuerunt: ſed ubi ad phalangem ac robur Macedoniæ militiæ ventum; ſo.
„ tum verò terribile ſpectaculum præbuit nova pugnæ facies. Etenim tran-
„ ſlatos ab humeris clypeos inſtar valli objecerant in fronte; protenſiſque
„ ſuper hos ſariſſis, conferti, & oppoſita armorum continua quaſi quadam
„ ſepe, Romanos impune vulneribus transfigebant: quorum & ſcuta ferri
„ hoſtilis acie perfringebantur, & gladii ob longitudinem haſtæ Macedo-
„ nicæ inutiles erant; cum ad hoſtium clypeos pertingere non poſſent, ne-
„ dum ut ad corpora penetrarent. Sed quanquam hujuſmodi certaminis
„ ſpecie commotus nonnihil conſul, erecto tamen hilarique vultu, inermi
„ & corpore & capite pugnantibus ſuis addebat animos. His incitatus Peli-
„ gnæ cohortis centurio (Salio nomen fuiſſe ajunt) arreptum cohortis
„ ſuæ ſignum in confertos miſit hoſtes. Hic verò ingens ſequitur certamen,
„ dum hinc Peligni reliqui ad recipiendum ſignum abolendæ ex amiſſo eo
„ ignominiæ, inde Macedones ad retinendum omni ope nituntur. Illi præ-
„ longas Macedonum haſtas aut ferro incidere, aut umbone repellere,
„ manuve avertere: hi ambabus firmiter comprehenſas tanta vi impellere
„ in temerè ac furore cœco ruentes, ut ictum nec ſcuta nec galeæ ferrent
„ aut loricæ. Sic profligatis Pelignorum primis ordinibus cedunt cæteri
„ loco. Dum montem verſus pedem referunt (Olocrum indigenæ vocant)
„ ſciſſo ex indignatione paludamento Æmilius gradum tenere trepidos jubet
„ ac bene ſperare. Adverterat quippe non ſemper ordine ſuo ſtare poſſe
„ conſertam illam hoſtium quaſi compagem: & quæ nunc tenaci velut nexu
„ cohærens, impenetrabilis appareat, eandem ſive locorum anguſtiis, ſive
„ inæquali aut ſoli ſicu aut inceſſu hominum turbari alicubi ac diſſilire. Sic
„ itaque dum qui ſuperiora occupare coguntur ab inferiora tenentibus, vel
„ tardiores à citatioribus, & progredientes à ſubſiſtentibus, inſtantes deni-
„ que hoſti ab impulſis, invito licet neceſſario divelluntur, aliqua patere
„ hoſti intervalla proſpiciens, dueces monet occaſione utantur, ordinibus
„ diſſolutis atque in manipulos diviſis imperent, ut intenti quacunque
„ rimas agere phalangem viderint, illuc quiſque impetu inferantur, ſeque
„ cuneatim in hiantia vel tantillùm ſpatia inſinuantes ſtrenue rem agant.
„ Tum mandata conſulis ſinguli exſequuntur: atque ubi paucis adverſus
„ paucos dimicare datum, aut vir cum viro pedem conſerere potuit; haud
„ ſane pares Macedonum ſeu parmæ breves ſeu minuti gladii grandioribus
„ armis Romanorum: magis diſpar apud utroſque armorum uſus atque
„ animus; & licuit rupto ſemel hoſtium ordine, ſejunctorum inter ſe vel
„ latera vel terga impunè fodere. Audax hic & memoratu dignum facinus
„ edidit M. Porcius Cato Cenſoris filius, Æmilii gener, in conflictu cla-

Urb. cond. an. 585. Coss. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Crassо.

„ pſum de manibus enſem egregie pugnando cum amiſiſſet, mori ſatius
„ duxit quam ſuarum rerum quicquam apud hoſtes relinquere, aut comit-
„ tere ut ſpolii ſibi adempti genere ullo fruantur. Quæſitis itaque inter pu-
„ gnantium ordines amicis quorum perſpecta fortitudo, cum his per ſuo-
„ rum perque hoſtium tela, viam ſibi ad locum fecit, ubi maximè pugna
„ fervebat: tantoque impetu in confertiſſimam turbam invectus eſt, ut iis
„ magna cædes ſubmotis procul, repertum in vacuo ſolo receperit gladium.
„ Conſul ipſe rebus ſic ordinatis legionem primam alacrem & læto fremitu
„ ſequentem in prælium ducit.

XLI. Movebat imperii majeſtas, gloria viri, ante omnia ætas, quòd major ſexâginta annis, juvenum munia in parte præcipua laboris periculique capeſſebat. Intervallum, quod inter cetratos & phalangem erat, implevit legio atque aciem hoſtium interrupit. A tergo cetratis erat, frontem adverſus clypeatos habebat: [1] aglaſpides appellabantur. Secundam legionem L. Albinus conſularis ducere [2] adverſus leucaſpidem phalangem juſſus: ea media acies hoſtium fuit. In dextrum cornu, unde circa fluvium commiſſum prælium erat, elephantes inducti, & ala ſociorum: & hinc primùm fuga Macedonum eſt orta: nam ſicut pleraque nova commenta mortalium [a 3] in verbis vim habent, experiendo, quum agi, non quemadmodum agantur edifſeri oportet, ſine ullo effectu evaneſcunt; ita tum elephanti in acie nomen tantùm ſine uſu fuerunt. Elephantorum impetum ſubſecuti ſunt ſocii nominis Latini, pepulerunteque lævum cornu. In medio ſecunda legio immiſſa diſſipavit phalangem. neque ulla evidentior cauſa victoriæ fuit, quàm quòd multa paſſim prælia erant, quæ fluctuantem

INTERPRETATIO.

a *Novorum inventorum vis in nomine magis quàm in ipſa re conſiſtit: cùm autem ad experimentum venitur, ubi non agitandum ac differendum eſt qua ratione ſint exequenda, ſed opus eſt ea executioni mandare, nullius plerumque momenti aut effectus reperiuntur.*

NOTÆ.

1. *Aglaſpides appellabantur.*] Splendidè clypeatos ſignificat Græcè hoc nomen: Suſpicatur Gron. legendum eſſe: *Chalcaſpides*, quorum meminit Plut. in Paullo; quæ vox eos denotat, qui æneo ſcuto utebantur.

2. *Adverſus Leucaſpidem phalangem.*] Id eſt, albis clypeis armatam. Sed an plures in eo exercitu phalanges; Id ſanè apud Macedones inſuetum: & ſi quidem totius exercitus cujus ſumma quadraginta millium armatorum erat, minùs quàm dimidia pars phalangitæ erant, ut perſpicuè Livius tradit lib. 42. cap. 51. Apparet nonniſi unam fuiſſe in hoc Perſei exercitu phalangem; phalanx quippe ſedecim millia implebat. Itaque unius phalangis in plura corpora diviſæ, unamquamque partem propriâ appellatione diſtinctam non improbabile videtur, ut à diverſis materiâ & colore clypeis, alia diceretur *Leucaſpidum*; alia *Chalcaſpidum*; tertia *Aglaſpidum*, &, ni fallor, præcipua *Argyraſpidum*.

3. *In verbis vim habent experiendo.*] Vetus liber habet, *explendo*: pro quo Sigon. reponit, *extemplo*: Gronov. *experiendo*. Non arridet adverbium, *extemplo*, nec omninò diſplicet gerundium, *explendo*, ſi eo ſenſu accipiatur quo *expe-*

turbarunt primò, deinde disjecerunt phalangem. cujus confertæ & intentis horrentis hastis intolerabiles vires sunt. Si carptim aggrediendo circumagere 4 immobilem longitudine & gravitate hastam cogas, confusâ struc implicantur: si verò ab latere, aut ab tergo aliquid tumultus increpuit, ruinæ modo turbantur. sicut tum adversus catervatim incurrentes Romanos, & interruptâ multifariam acie, obviam ire cogebantur: & Romani, quacumque data intervalla essent, insinuabant ordines suos. Qui, si universâ acie in frontem adversus instructam phalangem concurrissent, quod Pelignis principio pugnæ incaute congressis adversus cetratos evenit: induissent se hastis, nec confertam aciem sustinuissent.

Urb. cond. an. 585. Coss. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Crasso.

XLII. Cæterùm sicut peditum passim cædes fiebant, nisi qui abjectis armis fugerunt; sic equitatus propè integer pugnâ excessit. Princeps fugæ rex ipse erat. jam à Pydna a cum sacris alis equitum Pellam petebat: confestim 1 Cotocus sequebatur, Odrysarumque equitatus. cæteræ quoque Macedonum alæ integris abibant ordinibus: quia interjecta peditum acies, cujus cædes victores tenebant, immemores fecerat, sequendi equites. Diu phalanx à fronte, à lateribus, ab tergo cæsa est: postremò, qui ex hostium manibus elapsi erant, inermes ad mare fugientes, quidam aquam etiam ingressi, manus ad eos, qui in classe erant, tendentes supplicitèr vitam orabant: & quum scaphas concurrere undique ab navibus cernerent, ad excipiendos sese venire rati; ut caperent potiùs quàm occiderent, longiùs in aquam quidam etiam natantes, progressi sunt. Sed quum hostiliter è scaphis cæderentur, retrò qui poterant nando repetentes terram, in aliam fœdiorem pestem incidebant. elephanti enim ab rectoribus ad litus acti, exeuntes obterebant, elidebantque. b Facilè conveniebat Romanis, nunquam unâ acie tantum Macedonum interfectum. Cæsa enim ad viginti millia hominum sunt: ad sex millia, qui Pydnam ex acie persugerunt, vivi in potestatem pervenerunt: & vagi è fuga quinque millia hominum capta. Ex victoribus ceciderunt non plus centum, & eorum multò major pars Peligni. vulnerati aliquanto plures sunt. 2 Quod si maturiùs pugnari cœptum esset, ut satis dici victoribus ad persc-

INTERPRETATIO.

2 *Cum equitum turmis pro regis salute, opinor, devotis.*

b *Fatebantur unanimi consensu Romani.*

NOTÆ.

rendo: Gallicè, *quand il s'agit d'accomplir & d'executer les choses*.

4. *Immobilem longitudine & gravitate hastam.*] Legi vult Gron. *hastas*, ut *immobilem* referatur ad *phalangem*, quæ ob longitudinem & armorum gravitatem immobilis sit: quanquam longitudo & gravitas ad hastas Macedonum maximè pertinet.

1. *Cotocus sequebatur.*] Gratulor Jac. Gronovio emendanti: *eos Cotys sequebatur*: quam lectionem certò confirmat quod sequitur, *Odrysarumque equitatus*: nam vidimus Cotyn Odrysarum in Thracia regulum fuisse.

2. *Quod si maturius pugnari coptum*

Urb. cond. an. 585. Cos. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Crasso.

quendum supereſſet, deletæ omnes copiæ forent: nunc imminens nox, & fugientes texit, & Romanis pigritiam ad ſequendum locis ignotis fecit.

XLIII. Perſeus ad Pieriam ſylvam viâ militari frequenti agmine equitum & regio comitatu fugit. Simul in ſylvam ventum eſt, ubi plures diverſæ ſemitæ erant, & nox appropinquabat; cum perpaucis maximè fidis viâ divertit. Equites ſine duce relicti, alii alia in civitates ſuas dilapſi ſunt: perpauci inde Pellam celeriùs, quàm ipſe Perſeus, quia [1] rectâ expeditâ viâ ierant, pervenerunt. Rex ad mediam ferè noctem terrore & variis difficultatibus vix vexatus eſt. In regia Perſeo, qui Pellæ præerat, Euctus, regiique pueri præſto erant. [2] contra ea amicorum, qui alii alio caſu ſervati ex prœlio Pellam venerant, quum ſæpè acceſſiti eſſent, nemo ad eum venit. tres erant tantùm cum eo fugæ comites; Evander Cretenſis, Neon Bœotius, & Archidamus Ætolus. cum iis, jam metuens, ne qui venire ad ſe abnuerent, majus aliquid mox auderent; quartâ vigiliâ profugit. Secuti eum ſunt admodum quingenti Cretenſes. petebat Amphipolim: ſed nocte a Pella exierat, properans ante lucem Axium amnem trajicere; cum finem ſequendi propter difficultatem tranſitus fore ratus Romanis.

XLIV. Conſulem, quum ſe in caſtra victor recepiſſet, ne ſincero gaudio frueretur, [1] cura de minore filio ſtimulabat. P. Scipio is erat, Africanus & ipſe poſteà, deletâ Carthagine, appellatus, naturalis conſulis Paulli, adoptione Africani nepos. Is ſeptimumdecimum tunc annum agens, quod ipſum curam augebat, dum citiùs ſequitur hoſtes, in partem aliam turba ablatus erat: & ſeriùs quum rediſſet, tunc demùm recepto ſoſpite filio, victoriæ tantæ gaudium conſul ſenſit. Amphipolim quum jam famæ pugnæ pervenifſet, concurſuſque matronarum [2] in templum Dianæ, quam Tauropolon vocant, ad opem expoſcendam fieret; Diodorus, qui præerat urbi, metuens, ne Thraces, quorum duo millia in præſidio erant, urbem in tumultu diriperent, ab ſubornato ab ſe per fallaciam in tabellarii ſpeciem, literas in foro medio accepit. Scriptum in iis erat, *ad Emathiam claſſem Romanam appulſam eſſe: agroſque circa vexari.*

NOTÆ.

eſſet.] Commiſſum prœlium ait Plutar. περὶ δυσμὰς circa crepuſculum veſpertinum.

1. *Rectâ expeditâ via ierant.*] Gronovius ſuggerit, *rectâ & expeditâ via*, non impedita arboribus & fruticibus, qualis ſemita ſylvæ Pieriæ, quâ Perſeus fugerat. Mihi *rectâ* adverbium eſt.

2. *Contra ea.*] Jam ſupra obſervavimus uſurpatam hanc loquendi formam pro *è contrario*.

1. *De minore filio.*] Hic Æmilii naturali filius, Scipionis filio datus in adoptionem, unde Scipio Æmilianus, ac eadem Africanus cognominatus.

2. *In templum Diana, quam Tauropolon vocant.*] *Diana* Ταυροπόλος, ſeu Ταυροπόλη cognominabatur quaſi Taurorum verſans, vel paſcens: quod Taurorum & reliqui pecoris gregibus præſit; vel quòd eadem ſit cum Luna, quam Tauris vehi fingunt Sophocles & Euripides. Sunt tamen qui hoc ejus epitheton deducunt à Tauris minoris Scythiæ populis, à quibus ea colebatur.

orare præfectos Emathiæ, ut præſidium adverſus populatores mittat. His lectis, hortatur Thracas, *Ut ad tuendam Emathiæ oram proficiſcantur. magnum eos eadem prædamque palatis paſſim per agros Romanis facturos. Simul elevat famam adverſæ pugnæ: quaſi vera foret, alium ſuper alium recentes ex fuga venturos fuiſſe.* per hanc caſſam Thracibus ablegatis; ſimul tranſgreſſos eos Serymonem vidit, portas clauſit. Urb. cond. an. 585. Coſſ. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Craſſo.

XLV. Tertio die Perſeus, quàm pugnatum erat, Amphipolim venit. inde oratores cum caduceo ad Paullum miſit. Interim Hippias & Milo & Pantauchus, principes amicorum regis, Beroeam, quo ex acie confugerant, ipſi ad conſulem profecti, Romanis dedunt: [1] hoc idem & aliæ deinceps metu perculſæ parabant facere. Conſul nuncios victoriæ Q. Fabio filio, & L. Lentulo, & Q. Metello cum literis Romam miſſis, ſpolia jacentis hoſtium exercitus peditibus conceſſit. equitibus prædam circumjecti agri, dum ne amplius duabus noctibus à caſtris abeſſent. Ipſe propius mare ad Pydnam caſtra movit. Beroea primùm, deinde Theſſalonica, & Pella, & deinceps omnis fermè Macedonia intra biduum dedita. Pydnæi, qui proximi erant, nondum miſerant legatos: multitudo inecndita plurium ſimul gentium, turbaque, quæ, ex acie, fugâ in unum compulſa erat, conſilium & conſenſum civitatis impediebat: nec clauſæ modò portæ, [a] ſed etiam inædificatæ erant. [2] Miſſi Milo & Pantauchus, ſub muros ad colloquium Solonis, [3] qui præſidio erat: per eum emittitur militaris turba. oppidum deditum militibus datur diripiendum. Perſeus una tantum [4] ſpe [5] Biſaltarum auxilii tentata, ad quos nequicquam miſerat legatos, in concionem proceſſit; Philippum ſecum filium habens: ut & ipſos Amphipolitanos, & equitum peditumque, qui aut ſemper ſecuti, aut fuga eodem delati erant, adhortando animos confirmarent. Sed aliquoties dicere incipientem quum lachrymæ præpediſſent; quia ipſe dicere nequiit, Evandro Cretenſi editis, quæ agi cum multitudine veller, [6] de templo deſcen-

INTERPRETATIO.

a *Portæ non tantùm clauſæ; ſed muris etiam obſtructæ.*

NOTÆ.

1. *Hoc idem & aliæ.*] Intellige *civitates*, quales *Berœæ*: niſi malis, *alii deinceps metu perculſi*: duces nempe, aut populi.

2. *Miſſi Milo & Pantauchus.*] Hi Macedones, poſt deditionem, in partibus Romanorum erant, ideo miſſi à Conſule ad Solonem, Pydnæ qui à Perſeo fuerat præfectus.

3. *Qui præſidio erat.*] Fortè *præerat*, inquit Cronov. Sed & demptâ præpoſitione eadem prodit ſententia: qui enim dux urbi eſſe præſidio dicitur, & præſidio præeſt, & urbi ferè imperat.

4. *Spe auxilii tentati.*] Mavult Gron. *tentatâ*: quod non reprehendo: ſed nec vitioſum fortè eſt *auxilii tentati*, id eſt, quod tentatum eſt à Perſeo.

5. *Biſaltarum.*] Thraciæ primùm liberi populi *Biſalta*, à *Biſalta* flumine dicti; unde & *Biſaltia* regio in confinio Macedoniæ: poſteà ejus finibus incluſa, ad Strymonem fluvium, ubi *Eaporia* non procul Amphipoli.

6. *De templo deſcendit.*] *Templi* nomine intelligit concionem, quæ apud Romanos

Urb. cond. an. 585. Coss. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Crasso.

dit. Multitudo, ſicut ad conſpectum regis fletumque tam miſerabilem, & ipſa ingemuerat lachrymaveratque, ita Evandri orationem, aſpernabatur: & quidam auſi ſunt media ex concione ſuccłamare, *Abite hinc, ne, qui pauci ſuperſumus, propter vos pereamus.* Horum ferocia vocem Evandri clauſit. 7 Rex in domum ſe recepit, pecuniaque, & auro argentoque in lembos, qui in Strymone ſtabant, delatis, & ipſe ad flumen deſcendit. Thraces navibus ſe committere non auſi, domos dilapſi, & aliæ militaris generis turbæ. Cretenſes ſpem pecuniæ ſecuti. & quoniam in dividendo plus offenſionum quàm gratiæ erat, quinquaginta talenta iis poſita ſunt in ripa diripienda. Ab hac direptione quum per tumultum naves conſcenderent, lembum unum in oſtio amnis multitudine gravatum merſerunt. 8 Galepſum eo die, 9 poſtero Samothracam, quam petebant, perveniunt:

5

10

NOTÆ.

loco augurato haberi ſolita.

7. *Rex in domum ſe recepit.*] Vulgata conſtructio, ſed noſtro ſæpè neglecta, vellet: *domum ſe recepit*: neque neceſſaria eſt Gronovii correctio: *rex inde domum ſe recepit.*

8. *Galepſum eo die.*] Citra Abderam Thraciæ urbem maritimam è regione Inſulæ Thaſi fuerit oportet oppidum *Galepſus*, haud procul oſtio Neſſi fluminis, medio ſcilicet itinere inter oſtia Strymonis & Hebri, cujus oſtiis adjacet Samothracia.

9. *Poſtero Samothracem.*] *Samothrace*, ſive *Samothracia*, inſula eſt maris Ægæi præ cæteris portuoſa, & quam veriſimile eſt ferri eximii ferocem fuiſſe, quando ibi inſtitutum ſcribunt Plin. lib. 33. cap. 1. & poſt eum Iſidorus lib. 19. cap. 13. ut annulis aureis ferrum pro gemma eſſet, quò pertinere volunt quod ait Lucretius, de magnete diſſerens:

Exultare etiam Samothracè ferrea vidi.
Quos quidem annulos ἁλυσίδωτους vim habere antiquitas credidit. Thraciæ adjacet hæc inſula, inter Lemnum & *Imbrum* ſita, nunc Turcis *SamandraKi*. Dardaniam priùs dictam Plinius & Pauſanias tradunt; novis deinde incolis è Samo antiqua profugis habitatam, & mixtis è vicinia Thracibus, mixtum quoque ex utriuſque populi natali ſolo nomen accepiſſe; quanquam à Myrina Amazone armis victricibus oram Ægæi maris peragrante, matri Deûm Cybele conſecratam & *Samothracen* appellatam Diodorus Siculus lib. 4. aliàs 3. refert, eoque vocabulo inſulam ſacram ſignificari; loci amœnitate delectatam Cybelen arcanos in ea myſteriorum ritus filiis ſuis Corybantibus tradidiſſe, luco inviolabili conſtituto. Narrat Diodorus idem Jaſionem Jovis & Electræ filium ea myſteria deinde edoctum ab ipſo Jove, priſco more renovato. Poſt Jaſonis vero interitum (qui ob delictum in Cererem commiſſum fulmine percuſſus fuerat) Dardanum ejus fratrem ſacra illa in Phrygiam intuliſſe diſcimus ex Epitome Strab. lib. 7. Addunt invaluiſſe Samothracum Deorum famam & cultum, poſtquam iis Orpheus illorum ſacris initiatus, vota ſemel atque iterùm, ſuadente Glauco, pro ſalute Argonautarum fecit; qui eorum ope tempeſtatis ac ventorum vim evaſerunt. Illud certum eſt in hac inſula coli myſticis ſpecialibus ſacris ſolitos ſive genios quoſdam Deorum famulos, ſive Deos, qui *Cabiri* vocabantur, quæ vox Hebræis כבירים *Cabbirim* validos ſeu magnos denotat. Quinam autem ii fuerint enucleare arduum: adeo diverſa de iis tradunt Auctores, Strabo in primis lib. 10. & Diodorus lib 4. & 5. & modò cum Corybantibus Curetibuſve confundunt, modò *Anaces* ſive Ἄνακτες, id eſt, reges, vel dominos vocant: fortè ab Hebraico ענקים *EnaKim*, quo ſortes & potentes de ſtirpe gigantum deſignantur. Unde ſuſpicor deductum Inachi nomen, qui Græcorum rex antiquiſſimus memoratur, Stut & qui eoſdem faciunt

10 ad

ad duo millia talentum pervecta eo dicuntur. Urb. cond. an. 585. Cos. L. Æmil. Paullo, & C. Lscinio Craſſo.

XLVI. Paullus per omnes deditas civitates dimiſſis qui præeſſent, ne qua injuria in nova pace victis fieret, retentiſque apud ſe caduceatoribus regis, P. Naſicam, ignarus fugæ regis, Amphipolim miſit cum modica peditum equitumque manu. ſimul [1] ut Sinticem evaſtaret, & ad omnes conatus regi impedimento eſſet. [2] Inter hæc Meliboeam à Cn. Octavio capitur diripiturque: [3] ad Æginium, ad quod oppugnandum Cn. Anicius legatus miſſus erat, ducenti eruptione ex oppido factâ amiſſi ſunt; ignaris Æginienſibus debellatum eſſe. Conſul à Pydna profectus, cum toto exercitu die altero Pellam pervenit: &, quum caſtra mille paſſus inde poſuiſſet, per aliquot dies ibi ſtativa habuit: ſitum urbis undique aſpiciens; quam non ſine cauſa delectam eſſe regiam advertit. Sita eſt in tumulo, vergente in occidentem hibernum. cingunt paludes inexſuperabilis altitudinis, æſtate & hieme; quas reſtagnantes faciunt lacus. Inipſa palude, [4] qua proxima urbi eſt, velut inſula eminet aggeri operis ingentis impoſita: qui & murum ſuſtineat, & humore circumfuſæ paludis nihil lædatur. Muro urbis conjuncta procul videtur. diviſa eſt intermurali amni, & eadem ponte juncta: ut nec oppugnante externo aditum ab ulla parte habeat: nec, ſiquem ibi rex includat, ullum niſi per facillimæ cuſtodiæ pontem

NOTÆ.

cum Dioſcuris, Caſtore ſcilicet & Pollu-ce: qui tamen à Samothracibus Diis periculo liberati, atque inter ceteros Argonautas ſauſtis ominibus honorati legun-tur. Sed & alii fuere *Cabiri*, tum in Phrygia & Cabiro monte; tam in Bœotia non procul Thebis, quibus à Cerere datam pro munere arcanorum ſacrorum notitiam, eorumque religionem à nemine impune violatam tradit Pauſanias lib. 9. ubi ſe quoque hiſce myſteriis initiatum indicat. De *Cabiris* plura collegit Lud. Cœlius Rhodiginus lectionum antiquarum lib. 5. cap. 31. & lib. 6. cap. 20. In hanc itaque Samothracum inſulam Perſes confugit, quod tutiſſimum habere-tur ejus aſylum: eoque refertur illud Juvenalis Satyr. 1.

Jures licet & Samothracum, & noſtrorum aras.

Hoc Perſei confugium ita exagitat Flor. lib. 2. cap. 12. *Ergo victus fugit in maria, inſulamque Samothracen, fretus celebri religione; quaſi templa & aræ poſſent defendere, quem nec montes ſui, nec arma potuiſſent.*

10. *Duo millia talentum.*] Gallicè pecuniâ eſſent: *quatre millions huit cens mille livres.*

1. *Ut Sinticen evaſtaret.*] Extrema verſus Dardanos Macedoniæ regio fuit *Sintica*, ad Septentrionem Biſaltiæ & Mygdoniæ: ab ea regione cognomen accepit *Heraclea* ad Strymonem fluvium.

2. *Inter hæc Meliboea.*] Magneſiæ regionis Theſſalicæ urbem maritimam fuiſſe *Meliboeam*, Caſſandriæ oppoſitam, aliàs à nobis annotatum eſt.

3. *Ad Æginium.*] Eſtiæotidis in Theſſalia ſaltem antanum oppidum fuiſſe alibi quoque diximus. Hinc *Æginienſes* appellati: quos cave confundas cum *Ægineti* ſive *Æginenſibus*, quibus nomen ab *Ægina* inſula ſinûs Saronici inter Atticam & Argoliden.

4. *Qua proxima urbi eſt, velut inſula eminet aggeri operis ingentis impoſita.*] A Horatello apud Sigon. & à Gronov. inferitur vocabulum *arx*: & ille quidem ſcribit: *arx velut inſula imminet*: hic vero, *velut inſula eminet arx, aggeri*, &c. Præponatur nomen *arx*, an poſtponatur, non multùm equidem referre puto. Vide tamen num per *Τὰ velut inſula* ſatis indicetur *arx* ſeu locus munitus, aquis ferè undique cinctus inſulæ in modum.

Urb. cond. an. 585. Coſs. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Craſſo.

effugium. Et gaza regia in eo loco erat: ſed tum nihil præter 5 trecenta talenta, quæ miſſa Gentio regi, deinde retenta fuerant, inventum eſt. Per quos dies ad Pellam ſtativa fuerunt, legationes frequentes, quæ ad gratulandum convenerant, maximè ex Theſſalia, auditæ ſunt. Nuncio deinde accepto, Perſea Samothracam trajeciſſe, profectus à Pella conſul quartis caſtris Amphipolim pervenit. Effuſa omnis obvia turba cuivis indicio erat 6 non bono ac juſto rege ob rapinas „odium pro amore atque obſequio „ſubditos induiſſe. Ingreſſus Amphipolim Paullus ſacrificium inſtituit, „gratias pro tanta victoria Diis acturus. Id quam acceptum Superi habe„rent, prodigio demonſtrarunt. Sponte arſit de cœlo tacta ſtrues lignorum in „altari parata: quo augurio vota preceſque victoris non probare modo, ſed „ipſe exhibitum numini ſuo cultum atque honorem ſacrare Jupiter viſus. „Inde Naſicam ad populandos Sintices agros miſſum ſecutus Conſul, Odo„manticem ei regioni proximam, ſubjectamque Orbelo monti in Darda„norum Thracumque confinio, petiit, ne quid uſpiam hoſtile aut victoria intactum ſua relinqueret: ibique dies aliquot ad Siras ſtativa habuit.

NOTÆ.

5. *Trecenta talenta.*] Gallicè, *ſept cens vint mille livres.*

6. *Non bono ac juſto rege* ***.] Notat Gronov. pauca deeſſe de gratulatione Amphipolitanorum advenienti Paullo exhibita.

FINIS LIBRI XLIV.

TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM LIBER XLV.

EPITOME EJUSDEM LIBRI.

PERSEUS *ab Æmilio Paullo in Samothracia captus est. Quum Antiochus, Syriæ rex, Ptolemæum & Cleopatram, Ægypti reges, obsideret, & missis ad eum à senatu legatis, qui juberent, ab obsidione socii regis absistere, edissque mandatis consideraturum se ille, quid faciendum esset, respondisset; unus ex legatis Popillius virga regem circumscripsit.* [1] *jussitque, antequam circulo excederet, responsum daret. qua asperitate effecit, ut Antiochus bellum omitteret. Legationes gratulantium populorum ac regum in senatum admissæ. Rhodiorum, quia eo bello contra populum Romanum fuerant, exclusa. postero die, quum de eo quæreretur, ut iis bellum indiceretur, causam in senatu patriæ suæ legati egerunt. nec tanquam hostes, nec tanquam socii dimissi.* [2] *Macedonia in provinciæ formam redacta. Æmilius Paullus, repugnantibus militibus suis propter minorem prædam, & contradicente Servio Sulpicio Galbâ, triumphavit: & Perseum cum tribus filiis ante currum duxit, cujus triumphi lætitia, ne solida ei contingeret, duorum filiorum funeribus insignita est: quorum alterius mors patris triumphum præcessit, alterius secuta est. Lustrum conditum est à censoribus. Censa sunt civium capita trecenta duodecim millia, octingenta decem. Prusias, Bithyniæ rex, Romam ut senatui gratularetur ob victoriam ex Macedonia partam, venit: & Nicomedem filium senatui commendavit. Rex plenus adulationis, libertum se populi Romani dicebat.*

NOTÆ.

1. *Jussitque antequàm circulo excederet, responsum daret.*] Gron. ait, imò *dare*: sed tamen sine exemplo non est *daret*, quod vulgò editur: est enim idem ac *jussit ut daret*. Qua ratione apud Plaut. Menæch. Act. 5. Sc. 2. *Apollo mihi ex oraculo imperat ut ego illi oculos exuram lampadibus ardentibus.*

2. *Macedonia in provinciæ formam redacta.*] Observat idem id non tunc contigisse, sed post victum Pseudo Philippum, de quo in Epit. lib. 49. & 50.

Urb. cond. an. 586. Coss. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Crasso.

I. VICTORIÆ nuncii, Quintus Fabius, & Lucius Lentulus, & Quintus Metellus, quanta potuit adhiberi festinatio, celeriter Romam quum venissent, [8] præcerptam tamen ejus rei lætitiam invenerunt. Quarto post die quàm cum rege est pugnatum, quum in circo ludi fierent, murmur repentè populi tota spectacula pervasit; *pugnatum in Macedonia, & devictum regem esse*. Dein fremitus increbuit: postremò clamor plaususque, velut certo nuncio victoriæ allato, est exortus. Mirari magistratus, & quærere auctorem repentinæ lætitiæ: qui postquàm nullus erat, evanuit quidem tanquam incertæ rei gaudium; omen tamen lætum insidebat animis. Quod postquam veris nunciis Fabii Lentulique & Metelli adventu firmatum est, quum victoria ipsa, tum augurio animorum suorum lætabantur. Et aliter traditur Circensis turbæ non minus similis veri lætitia: ante diem decimum Calendas Octobres ludorum Romanorum secundo die, C. Licinio consuli [1] ad quadrigas mittendas ascendenti, tabellarius, qui se ex Macedonia venire diceret, * [2] laureatas literas dicitur. quadrigis missis consul currum conscendit: & quum per circum [3] veheretur ad foros publicos, laureatas tabellas populo ostendit. Quibus conspectis, repentè immemor spectaculi populus in medium decurrit. eo senatum consul vocavit, recitatisque tabellis, ex auctoritate Patrum pro foris publicis denunciavit populo: L. Æmilium collegam signis collatis cum rege Perseo pugnasse. Macedonum exercitum cæsum fusumque. Regem cum paucis fugisse. civitates omnes Macedoniæ in ditionem populi Romani venisse. His auditis, clamor cum ingenti plausu ortus: ludis relictis domos magna pars hominum ad conjuges liberosque lætum nuncium portabant. Tertius decimus dies erat ab eo, quo in Macedonia pugnatum est.

II. Postero die senatus in curia habitus, supplicationesque decretæ: & senatusconsultum factum est, ut consul, quos præter milites [1] socios-que navales conjuratos haberet, dimitteret. de militibus sociisque navalibus dimittendis referretur, quum legati ab L. Æmilio consule, [2] à quibus præmissus tabellarius esset. * Ante diem sextum Calendas Octobres, horâ ferè secundâ legati urbem ingressi sunt, ingentem secum

NOTÆ.

1. *Ad quadrigas mittendas ascendenti.*] Edebat ludos Circenses C. Licinius consul, eoque nomine paratas ad decurrendum quadrigas signo dato emitti jubebat.

2. *Laureatas literas dicitur.*] Desideratur *reddidisse*: aut quid simile.

3. *Reverteretur ad foros publicos.*] *Fori* sumuntur apud Nonnium pro loco aperto ac patente, tum in navibus, tum in Amphitheatro, &, ut videtur, in Circo.

1. *Socios que navales conjuratos.*] *Conjurati milites* dicuntur qui non singuli, sed omnes simul sacramento dixerunt: in quo differunt à justis militibus, ut observat Turneb.

2. *A quibus præmissus tabularius esset.*] Advertit Sigon. deesse hic verbum *venisse*, ut integra sit sententia.

occurrentium, quacumque ibant, prosequentiumque trahentes turbam, in forum ad tribunal perrexerunt. Senatus forte in curia erat: eò legatos consul introduxit. Ibi tantùm temporis retenti, dum exponerent, *quantæ regiæ copiæ peditum equitumque fuissent, quot millia ex his cæsa, quot capta forent; quàm paucorum militum jactura tanta hostium strages facta; quàm cum paucis rex fugisset: existimari Samothraciam petiturum, parvam classem ad persequendum esse. neque terra, neque mari elabi posse.* eadem hæc paulò post in concionem traducti exposuerunt: renovataque lætitia, quum consul edixisset, *ut omnes ædes sacræ aperirentur, pro se quisque ex concione ad gratias agendas ire Diis*: ingentique turbâ, non virorum modò, sed etiam fœminarum, 3 conferta totâ urbe Deorum immortalium templa. Senatus revocatus in curiam, supplicationes ob rem egregiè gestam ab L. Æmilio consule in quinque dies circa omnia pulvinaria decrevit, hostiisque majoribus sacrificari jussit. Naves, quæ in Tiberi paratæ instructæque stabant, ut, si rex posset resistere, in Macedoniam mitterentur, subduci, & in navalibus collocari: socios navales dato annuo stipendio dimitti, & cum his omnes, qui in consulis verba juraverant: & quod militum Coryræ, Brundisii, ad mare Superum, aut in agro Larinati esset (omnibus his locis dispositus exercitus fuerat, cum quo, si res poscceret, C. Licinius collegæ ferret opem) hos omnes milites dimitti placuit. Supplicatio pro concione populi indicta est ex ante diem quintum Idus Octobres cum eo die in quinque dies. Urb. cond. an. 585. Coss. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Crasso.

III. Ex Illyrico duo legati, C. Licinius Nerva, & P. Decius, nunciarunt, exercitum Illyriorum cæsum: Gentium regem captum in ditione populi Romani & Illyricum esse. Ob eas res gestas ductu auspicioque L. Anicii prætoris senatus in triduum supplicationes decrevit; ut Latinæ edictæ à consule sunt [1] in ante quartum & tertium & pridie Idus Novembres. Tradidere quidam legatos Rhodios [2] nondum missos, post victoriam nunciatam, velut ad iudibrium stolidæ superbiæ, in senatum vocatos esse. Ibi Agesipolim principem eorum ita locutum: *Missos esse legatos ab Rhodiis ad pacem inter Romanos & Persea faciendam: quod id bellum grave atque incommodum Græciæ omni, sumptuosum ac damnosum ipsis Romanis esset. Fortunam perbenè fecisse, quando finito aliter bello, gratulandi sibi de victoria egregia Romanis opportunitatem dedisset.* Hæc

NOTÆ.

3. *Confertâ totâ urbe Deorum immortalium templa.*] Vult Sigon. hic deesse verbum *adjerunt*: quod non esse necesse Gronovio videtur. Et verò infinitivus *ire*, accipi potest hi storicorum more pro *ibant*, aut mutari in *jere*. Deinde cùm dicuntur *conferta templa*, sive *referta*, facilè intelligitur *fuerunt*.

1. *In ante quartum*, &c.] Notantur hic tres dies, qui Idus Novembres proximè antecedunt. Edictæ igitur & celebratæ feriæ per triduum. *Tò Latina* non abs re hinc exulare jubent Gronovii pater & filius.

2. *Nondum missos.*] Reponit Gronov. *admissos*: quod res ipsa videtur probare.

Urb. cond. an. 586. Coss. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Crassо.

ab Rhodio dicta. Responsum ab senatu esse; *Rhodios nec utilitatum Græciæ, neque cura impensarum populi Romani, sed pro Perseo legationem eam misisse. Nam si ea fuisset cura, quæ simularetur, tum mittendos legatos fuisse, quum Perseus in Thessalia exercitu inducto, per biennium Græcas urbes, alias obsideret, alias denunciatione armorum terreret. Tum nullam* 5 *pacis ab Rhodiis mentionem factam. Postquam superatos saltus transgressosque in Macedoniam Romanos 3 audirent, & inclusum teneri Persea, tunc Rhodios legationem misisse, non ad ullam aliam rem, quàm ad Persea ex imminenti periculo eripiendum.* cum hoc responso legatos dimissos.

IV. Per eosdem dies & M. Marcellus ex provincia Hispania decedens, 10 1 Marcolicâ nobili urbe captâ, 2 decem pondo auri, & argenti 3 ad summam sestertii decies in ærarium retulit. Paullus Æmilius contul quum castra, ut suprà dictum est, 4 ad Siras terræ Odomanticæ haberet, quum literas ab rege Perseo 5 per ignobiles tres legatos cerneret, & ipse illachrymasse dicitur sorti humanæ: quod qui paulò antè non contentus regno 15 Macedoniæ, Dardanos Illyriosque oppugnasset, Bastarnarum excivisset auxilia; is tum amisso exercitu, extorris regno, in parvam insulam compulsus, supplex, fani religione, non viribus suis tutus esset. Sed postquam, *Regem Persea consuli Paullo salutem*, legit; miserationem omnem stultitia ignorantis fortunam suam exemit. Itaque quanquam in 20

NOTÆ.

3. *Audirent.*] Lege *audierint*.

1. *Marcolica nobili urbe.*] Quid, aut ubi *Marcolica* fuerit, Geographi non aperiunt. oppida quorum nomina haud multùm differre videantur, plura legimus in Hispania tam ulteriori, quàm citeriori, veluti *Nertobrigas*, sive *Nertobrices*, itemque *Mirobricas*, *Arcobrigas*, *Arcilaces*. Nec præter modum abludit *Italica* Bæticæ urbs, aut *Maliaca* Galliæ, vel quæ nunc *Marialva* in Lusit. In his sanè terminationis seu desinentiæ nominum minùs scrupulosè habenda ratio est, barbaras quippe appellationes variè inflectunt Latini Græcique scriptores, atque ejusdem loci nomen alii aliter efferant. Cùm autem universe Hispaniæ præfuerit M. Marcellus, qui *Marcolicam* cepisse hic à nostro memoratur, ad quam maximè Hispaniæ regionem referenda ea urbs sit, definire arduum, quando nulla nobis aliunde lux affulget. *Marciam* sive *Marcianam* lubens conjecerim, quam Bæticæ coloniam nominant veteres inscriptiones, & quæ nunc Cliniо, aliisque *Marchena* vulgo in regno Hispalensi: nisi quòd *Marciæ* hujus nomen paulò recentius videtur, nec Plinio, nec Ptolemæo notum; ac ne Antonino quidem, *qui Marcia* tantùm habet in numero plurali, idque in itinere à Braccara Augustam, procul à Bætica. Hanc N. Santo *Portemarin* interpretatur Galliæ oppidum.

2. *Decem pondo auri.*] Gallicè *dix livres d'or pesant, qui vaudroient cinq mille six cens livres*.

3. *Ad summam sestertii decies.*] Gallicè, *la valeur de cent mille livres*.

4. *Ad Siras.*] Apud Steph. *Sires* populi fuere Thraciæ. Verùm hæc pars Thraciæ occidentalis circa Strymonem fluviam magna ex parte à Macedonum regibus occupata fuerat, & Macedoniæ contributa: quo in numero fuit *Odomanticæ* inter Edoniden ad ortum, & *Sinticam* ac Bisaltiam ad occasum sita; ad quam refertur Amphipolis.

5. *Per ignobiles tres legatos.*] Subjicit Manetus, *missos*: quanquam id facilè per se intelligi videtur.

reliquâ parte literarum minimè regiæ preces erant, tamen ſine reſponſo ac ſine literis ea legatio dimiſſa eſt. Senſit Perſeus, cujus nominis oblivi-ſcendum victo eſſet: itaque alteræ literæ cum privatis nominis titulo miſſæ, & petiere, & impetravere, ut aliqui ad eum mitterentur, cum quibus loqui de ſtatu & conditione ſuæ fortunæ poſſet. Miſſi ſunt tres legati, P. Lentulus, A. Poſtumius Albinus, A. Antonius. nihil ea legatione perfectum eſt, Perſeo regium nomen omni vi amplectente; Paullo, ut ſe ſuaque omnia in fidem & clementiam populi Romani permitteret, contendente. Urb. cond. an. 586. Coſſ. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Craſſo.

V. Dum hæc aguntur, claſſis Cn. Octavii Samothracam eſt appulſa. Is quoque præſenti admoto terrore, modò minis, modò ſpe perlicere, ut ſe traderet quum conaretur; adjuvit in hoc eum res, ſeu caſu contracta, ſeu conſilio. L. Atilius illuſtris adoleſcens quum in concione eſſe populum Samothracum animum advertiſſet; à magiſtratibus petiit, ut ſibi paucis alloquendi populi poteſtatem facerent. permiſſo, *Utrum nos, boſpites Samothraces, vere accepimus an falſo ſacram hanc inſulam, & auguſti totam atque inviolati ſoli eſſe?* Quum creditæ ſanctitati aſſentirentur omnes, *cur igitur*, inquit, [2] *pollutam homicida ſanguine regis Eumenis violavit? & quum* [2] *omnis præfatio ſacrorum eos, quibus non ſint pura manus, ſacris arceat, vos penetralia veſtra contaminari cruento latronis corpore ſinetis?* Nobilis fama erat apud omnes Græciæ civitates, Eumenis regis per Evandrum Delphis prope perpetrata cædes. Itaque præterquàm quòd in poteſtate Romanorum ſeſe inſulamque totam & templum cernebant eſſe, ne immeritò quidem ea ſibi exprobrari rati, Theondam, qui ſummus magiſtratus apud eos erat (regem ipſi appellant) ad Perſea mittunt, qui nunciaret, *Argui cædis Evandrum Cretenſem, eſſe autem judicia apud ſeſe more majorum comparata, de iis, qui inceſtas manus intuliſſe intra terminos ſacratos templi dicantur. Si conſideret Evander; innoxium ſe rei capitalis argui, venturet ad cauſam dicendam: ſi committere ſe judicio non auderet, liberaret religione templum, ac ſibimet ipſe conſuleret.* Perſeus evocato Evandro, *judicium ſubeundi nullo pacto auctor eſſe:* [3] *nec cauſâ, nec gratiâ parem fore.* Suberat & ille metus, ne damnatus auctorem ſe nefandi facinoris protraheret. [4] reliqui quid eſſet, niſi ut fortiter moriatur? Nihil palam abnuere Evander: ſed quum,

NOTÆ.

1. *Pollutam homicida.*] Potior Gron. lectio *polluto*: alioquin *pollutam* referas ad *inſulam*, ut dicatur: *pollutam violavit*, pro, *polluendo violavit.*

2. *Omnis præfatio ſacrorum.*] Intelligit ſolemnia verba:
— *procul hinc, procul eſte prophani.*

3. *Nec cauſâ, nec gratiâ parem fore.*] *Parem* ſcilicet *judicio* non fore; ſed ſat cum ut damnaretur.

4. *Reliqui quid eſſet, niſi ut fortiter moriatur.*] Imò *quid eſſe*, ut Evandro Perſeus diceret nullum ei relictum eſſe ſuffugium, quam ut forti animo periret.

Urb. cond. an. 586. Coss. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Crassо,

veneno se malle mori, quàm ferro, dixisset; occultè fugam parabat. quod quum renunciatum regi esset, metuens, ne tanquam à se subtracto pœnæ reo iram Samothracum in se converteret; interfici Evandrum jussit. Quâ perpetratâ temerè cæde, subiit extemplo animum, 5 in se nimirùm receptam labem, quæ Evandri fuisset: ab illo Delphis vulneratum Eumenem, ab se Samothracæ Evandrum occisum. ira duo sanctissima in terris templa se uno auctore sanguine humano violata. Hujus rei crimen, corrupto pecuniâ Theonda, , avertitur, ut renunciaret populo, Evandrum sibi ipsum mortem conscivisse.

VI. Cæterùm tanto facinore in unicum relictum amicum, ab ipso per tot casus expertum, proditumque, quia non prodiderat, omnium ab se abalienavit animos. Pro se quisque transire ad Romanos: fugæque consilium capere solum propè relictum coegerunt: Oroandemque Creetensem, cui nota Thraciæ ora erat, quia mercaturas in ea regione fecerat, appellat, ut se sublatum in lembum ad Cotym deveheret. 1 Demetrium est portus in promontorio quodam Samothracæ: ibi lembus stabat. Sub occasum solis deferuntur, quæ ad usum necessaria erant: defertur & pecunia, quanta clam deferri poterat. Rex ipse nocte media, cum tribus conscriis fugæ, per posticum ædium in propinquum cubiculo hortum, atque inde maceriam ægrè transgressus, ad mare pervenit. Oroandes jam tum, dum pecunia deferretur, primis tenebris solverat navem, ac per altum Cretam petebat. Postquàm in portu navis non inventa est, vagatus Perseus aliquandiu in litore, postremò timens lucem jam appropinquantem, in hospitium redire non ausus, in latere templi prope angulum obscurum delituit. Pueri regii apud Macedonas vocabantur principum liberi, ad ministerium electi regis: ea cohors prosecuta regem fugientem, ne tum quidem abscedebat, donec jussu Cn. Octavii pronunciatum est per præconem, *regios pueros, Macedonasque alios, qui Samothracæ essent, si transirent ad Romanos, incolumitatem, libertatemque & sua omnia servaturos, quæ aut secum haberent, aut in Macedonia reliquissent.* Ad hanc vocem transitio omnium facta est, nominaque dabant ad C. Postumum tribunum militum. Liberos quoque parvos regios Jon Thessalonicensis Octavio tradidit: nec quisquam, præter Philippum, maximum natu è filiis, cum rege relictus. Tum sese filiumque Octavio tradidit; fortunam Deosque 2 quorum in templo erant, nulla ope supplicem juvantes,

NOTÆ.

5. *In se nimirum receptam labem quæ Evandri fuisset.*] Sacrilegii nempe reum se (Perseum) factum esse, quod Evandro adscribebatur.

1. *Demetrium est portus.*] Hujus Samothraciæ portûs meminit Plut. in Paullo Æmilio.

2. *Quorum in templo erat.*] In primo exemplari scriptum fuit: *quorum templo erat*: unde Gron. fecit: *quorum templum erat*: hi autem Samothracum Dii plerisque auctoribus, ac præsertim Plutarcho creduntur fuisse Dioscuri, Castor nimirùm & Pollux. Alii tamen aliter accusans.

Urb. cond. an. 585. Coss. L. Æmil. Paullo, & C. Licin. Crasso.

accusans. in prætoriam navem imponi jussus: eodem & pecunia, quæ superfuit, delata est: extemploque Classis Amphipolim repetit. Inde Octavius regem in castra ad consulem misit; præmissis literis, ut in potestate eum esse & adduci sciret.

VII. Secundam eam Paullus, sicut erat, victoriam ratus, victimas cecidit eo nuncio. & consilio advocato, literas prætoris quum recitasset, Q. Ælium Tuberonem obviàm regi misit: cæteros manere in prætorio frequentes jussit. Non aliàs ad ullum spectaculum tanta multitudo occurrit. Patrum ætate Syphax rex captus in castra Romana adductus erat: præterquàm quòd nec sua, nec gentis fama comparandus, tunc quoque [1] accessio Punici belli fuerat, sicut Gentius Macedonici. Perseus caput belli erat: nec ipsius tantùm patris avique, quos sanguine ac genere contingebat, fama [a] conspectum eum efficiebat: sed effulgebant Philippus ac Magnus Alexander, qui summum imperium in orbe terrarum Macedonum fecerant. [2] Pullo amictus illo Perseus ingressus est castra; nullo suorum alio comite, qui socius calamitatis miserabiliorem eum faceret. progredi præ turba occurrentium ad spectaculum non poterat, [3] donec consul lictores misisset; [4] qui summovendo [b] iter ad prætorium facerent. Consurrexit consul, & jussis sedere aliis, progressusque paulùm, introcunti regi dextram porrexit, summittentemque se ad pedes, sustulit: nec attingere genua passus, introductum in tabernaculum, [c] adversus advocatos in consilium considere jussit.

VIII. Prima percontatio fuit, *quæ subactus injuria contra populum Romanum bellum tam infesto animo suscepisset, quo se regnumque suum ad ultimum discrimen adduceret?* Quum responsum expectantibus cunctis, terram intuens, diu tacitus fleret, rursum consul: *Si juvenis regnum accepisses, minus equidem mirarer ignorasse te, quàm gravis aut amicus, aut ini-*

INTERPRETATIO.

a *Reddebat illum conspicuum.*
b *Patefacerent viam ad Consulis tentorium.*
c *Ex adverso ducum quos in concilium Consul ipse advocaverat.*

NOTÆ.

sentiunt, ut superiori libro tractavi.

1. *Accessio Punici belli fuerat.*] Deleri jubet Gron *erat*, *fuerat*, tanquam Interpretis indocti additamentum; multaque ingerit exempla, ut supervacuum ostendat hoc verbum.

2. *Pullo amictus illo.*] Ita scriptus liber: alii, *pullo amictus villo*: Sigon. *pulla amictus abolla*: Turneb. *pullo amictus filo*, vel *pullo amiculo*: Fulv. *pullo amictus solus Persea*. Lipsius. *Pullo amictus simul filio*: quod mihi non displicet: filius enim major natu Philippus, simul cum patre sese Octavio dediderat. Favet quod subsequitur, *nullo suorum alio comite*. Sed videtur deesse particula *quam*, ut sit: *nullo suorum alio comite quàm qui socius calamitatis*, &c.

3. *Donec Consul lictores misisset.*] Melius, *misit* Gron-Sed & *misisset* ferre possis.

4. *Qui summovendo.*] Supple *obvios*, vel *turbam*.

Urb. cond. an 585. Coss. L. Æmil. Paullo, & C. Licin. Crasso.

micus esset populus Romanus. nunc verò, quum & bello patris tui, quod nobiscum gessit, interfuisses, & pacis postea, quam cum summa fide adversus eum colimus, meminisses; quod consilium, quorum & vim bello, & fidem in pace expertus esses, cum iis tibi bellum esse, quàm pacem malle? Nec interrogatus, nec accusatus, quum responderet; *Utcumque tamen hæc, sive errore humano, seu casu, seu necessitate inciderunt, bonum animum habe: multorum regum, populorum casibus, cognita populi Romani clementia, non modo spem tibi, sed prope certam fiduciam salutis præbet.* Hæc Græco sermone Perseo, Latinè deinde suis: *Exemplum insigne cernitis*, inquit, *mutationis rerum humanarum? Vobis hoc præcipuè dico juvenes. ideo in secundis rebus nihil in quemquam superbè ac violenter consulere decet, nec præsenti credere fortunæ quum, quid vesper ferat, incertum sit. Bedemum vir erit, cujus animum nec prospera flatu suo efferet, nec adversa infringet.* Consilio dimisso, tuendi cura regis Q. Ælio mandatur. Eo die & invitatus ad consulem Perseus, & alius omnis ei honos habitus est; qui haberi in tali fortuna poterat.

IX. Exercitus deinde in hiberna dimissus est: maximam partem copiarum Amphipolis, reliquas propinquæ urbes acceperunt. Hic finis belli, quum quatriennium continuum bellatum esset, inter Romanos ac Persea fuit: idemque finis incliti [1] per Europæ plerumque atque Asiam omnem regni. [2] Vicesimum ab Carano, qui primus regnavit, Persea numerabant. Perseus, Q. Fulvio, L. Manlio consulibus, regnum accepit: à senatu rex est appellatus, M. Junio, A. Manlio consulibus: regnavit undecim annos. Macedonum obscura admodum fama usque ad [3] Philippum Amyntæ filium fuit: inde ac per eum crescere cùm cœpisset, Europæ ic ta-

NOTÆ.

1. *Per Europæ plerumque.*] *Plerumque* dictum pro, *magnam partem*; sic apud Salust. in Jugurth. *plerumque nostis*, dictum Sigon. notat.

2. *Vicesimum ab Carano.*] *Caranus* ex Herculis stirpe & regum Argivorum familia, cujus princeps Temenus, in Emathiam transgressus, regni Macedonici fundamenta jecit, ut inter alios Justinus memorat lib. 7. cap. 1. Ab eo quadragesimus recensetur Perseus apud Eusebium. Justinus triginta tantùm ad eum reges numerat. Ut ut sit, errarum haud dubiè in dinumeratione apud nostrum, si reges computes: aliud forte fuerit, si graduum seu generationum ratio habeatur. Cæterum Perseum ex *Carani* posteris fuisse non omninò improbabile videri potest, quamvis neque à Magno Alexandro, neque à Philippo ejus patre originem duxerit. Certa regum series, post Alexandrum Magnum & proximos ejus successores, deducitur à Demetrio Poliorcerta Antigoni filio, qui ex Alexandri ducibus primus se regem dixit, ex Temenidis quoque ortus. Is autem Demetrius abavus fuit Persei, qui ab eo quintus regnavit.

3. *Philippum Amynte filium.*] *Amynta* secundi Macedoniæ regis quatuor fuere filii. Alexander, Ptolemæus Alorites, Perdiccas (quorum alius alium evertit) ac denique Philippus, sub Epami nondæ disciplina institutus, cùm Thebanis obses datus esset à fratre Alexandro: inde majoribus fratribus violentâ peremptis morte, ad regnum vocatus; famâ & potentiâ superiores reges longè superavit: occisus à Pausania in ipso belli Persici apparatu.

men finibus continuit; Græciam omnem ac partem Thraciæ atque Illyrici amplexa. Superfudit deinde se in Asiam: & tredecim annis, quibus Alexander regnavit, primùm omnia qua Persarum propè immenso spatio imperium fuerat, suæ ditionis fecit. Arabas hinc Indiamque, qua terrarum ultimus finis 4 Rubrum mare amplectitur, peragravit. tum maximum in terris Macedonum regnum nomenque, inde morte Alexandri 5 distractum in multa regna; dum ad se quisque opes rapiunt & lacerantes viribus; à summo culmine fortunæ ad ultimum finem centum quinquaginta annos stetit. Urb. cond. an. 585. Coss. L. Æmilio Paullo, & C. Licin. Crass.

X. Victoriæ Romanæ fama quum pervasisset in Asiam, Antenor, qui cum classe lemborum ad Phanas stabat, Cassandriam inde trajecit. C. Popillius, qui ad Delum præsidio navibus Macedoniam petentibus erat, postquàm debellatum in Macedonia, & stratione summotos hostium lembos audivit, dimissis & ipse Atticis navibus, ad susceptam legationem peragendam navigare Ægyptum pergit: ut priùs occurrere Antiocho posset, quàm ad Alexandriæ mœnia accederet. Cùm prætervehentur Asiam legati, & Loryma venissent, qui portus viginti paulò ampliùs millia ab Rhodo abest, ex adverso urbi ipsi positus; principes Rhodiorum occurrunt (jam enim eo quoque victoriæ fama perlata erat) orantes, *Ut Rhodum deveherentur. pertinere id ad famam salutemque civitatis, noscere ipsos omnia, quæ acta essent, agerenturque Rhodi, & comperta per se, non vulgata fama, Romam referre.* Diu negantes perpulerunt, ut moram navigationis brevem pro salute sociæ urbis paterentur. Postquam Rhodum ventum est, in concionem quoque eos iidem precibus pertraxerunt. Advenus legatorum auxit potiùs timorem civitati, quam minuit: omnia enim Popillius, quæ singuli universique eo bello hostiliter fecerant, fecerantque, retulit. & vir asper ingenio, augebat atrocitatem eorum quæ dicerentur, vultu truci & accusatoria voce: ut quum propriæ simultatis nulla causa cum civitate esset, ex unius senatoris Romani acerbitate, quasi in se universi senatûs animus esset, conjectarent. C. Decimii moderatior oratio fuit, quin plerisque eorum, quæ commemorata à Popillio essent, *Culpam non penes populum, sed penes paucos concitores*

NOTÆ.

4. *Rubrum mare amplectitur.*] Observatum jam est Erythræi sive Rubri maris nomen, quod sinui Arabico propriè convenit, à plerisque veterum ortum versus ad ultimos Indiæ fines ipsis cognitos produci, non tantùm à nostro, sed & à Q. Curtio, & aliis.

5. *Distractum in multa regna.*] Alexandri duces post xij. fermè ab ejus exitu annum diadema & regum titulum sibi plerique sumpserunt; Ptolemæus in Ægypto, Seleucus in Syria & Oriente reliquo; Antigonus cum Demetrio filio in Asia minori, Cassander aliique in Macedonia: sed eversis Antigono ac Demetrio, Cassandrique filiis & Lysimacho, Seleucidæ Syriam simul & Asiam cum Babylonia, Ptolemæi Ægyptum, tandemque Antigonidæ Macedoniam tenuerunt.

Urb. cond. an. 585. Coſſ. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Craſſo.

vulgi eſſe dixit. eos venalem linguam habent ſ decreta plena regiæ aſſentationis feciſſe: & eas legationes miſiſſe, quarum Rhodios ſemper non miserere, quàm pœniteret. [1] *Quæ omnia, ſi tamen populo foret, in capita noxiorum verſura.* Cum magno aſſenſu auditus eſt, non magis eo quòd multitudinis noxam elevabat, quàm quòd culpam in auctores verterat. Itaque quum principes eorum Romanis reſponderent, nequaquam tamen tam grata oratio eorum fuit, qui, quæ Popillius objecerat, diluere inter ſe conati ſunt; quàm eorum, qui Decimio in auctoribus ad piaculum noxæ objiciendis aſſenſi ſunt. Decretum igitur extemplo, ut qui pro Perſeo adverſus Romanos dixiſſe quid, aut feciſſe, convincerentur, capitis condemnarentur. Exceſſerunt urbe ſub adventu Romanorum quidam, alii mortem ſibi conſciverunt. Legati, non ultrà quàm quinque dies Rhodi morati, Alexandriam proficiſcuntur. Nec eo ſegniùs judicia ex decreto coràm his facto Rhodi exercebantur, [2] quam perſeverantiam in exequenda re Decimii lenitas. *

XI. Quum hæc gererentur, Antiochus, [1] fruſtrà tentatis mœnibus Alexandriæ, abſceſſerat: cæteraque Ægypto potitus, [2] relicto Memphi majore Ptolemæo, cui regnum quæri ſuis viribus ſimulabat, ut victorem mox aggrederetur, in Syriam exercitum abduxit. Nec hujus voluntatis ejus ignarus Ptolemæus, dum conterritum obſidionis metu minorem fratrem haberet, poſſe ſe recipi Alexandriæ, & ſorore adjuvante & non repugnantibus fratris amicis, ratus, [3] primùm ad ſororem, deinde ad

NOTÆ.

1. *Quæ omnia, ſi tamen populo foret.*] Scribi Gron. jubet: *ſi is animus populo foret*: fortè, *ſi ea mens populo foret*, nimirùm *Romano*. Quid ſi legamus, *ſi crimen populo abforet*, nempè Rhodio?

2. *Quam perſeverantiam in exequenda re Decimii lenitas.* *] Apparet hic verbum excidiſſe. Supplet itaque Sigon. *aſſerebat*. Malim ego, *Decimii lenitas eſſe jubebat*.

1. *Fruſtra tentatis mœnibus Alexandriæ abſceſſerat.*] Quod Gronovio Livianum videtur *Alexandria abſceſſerat*, nihil me movet: qui enim mœnia fruſtra tentaverat, is urbe abſceſſiſſe propriè dici non poteſt; niſi hic valere velimus Juriſconſultorum ſententiam, qui licèt urbis appellationem muris finiant; Romæ tamen, & ſic aliarum civitatum, nomina ad continentia ædificia porrigunt. De Alexandria verò urbe Ægypti principe ab Alexandro condita ſuperiùs dictum.

2. *Relicto Memphi majore Ptolemæo.*] Ante conditam Alexandriam Ægypti caput & regia urbs fuerat *Memphis*, ad Nilum ſita, ſupra divortium ejus fluminis in brachia duo majora, quæ plures deinde ramos in mare effundunt. Ea verò duo brachia, quorum Heracleoticum ſive Canopicum ad lævam eſt verſus occaſum, Peluſiacum ſ. ad dextram ortum verſus, cum interjecta ora triquetram formant figuram: unde pars illa inferioris Ægypti Græcis *Delta* dicitur à ſimilitudine literæ Δ. eodem fermè loco ubi olim *Memphis*, nunc *Cairum*, nobis le *Grand Caire*, totius hodieq; Ægypti caput, juxta quam ad occaſum æſtivum pyramides, unum olim è ſeptem orbis miraculis.

3. *Primùm ad ſororem, deinde ad fratrem.*] Ptolemæo Epiphani duo fuere filii Ptolemæi nomine; major Philometor cognomine; minor verò Evergetes &, Phyſcon: utriuſque ſoror Cleopatra, majori primùm, deinde minori fratri nupta, à quo crudeliter vexata eſt

fratrem amicosque ejus non priùs destitit mittere, quàm pacem cum iis confirmaret. Suspectum Antiochum effecerat, quòd, cætera Ægyptosibi tradita, 4 Peluſii validum relictum erat præſidium. apparebat classtra Ægypti teneri, ut, quum vellet, rursus exercitum induceret. Bello intestino cum fratre eum exitum fore, ut victor fessus certamine, nequaquam par Antiocho futurus esset. Hæc prudenter animadversa à majore, cum assensu minor frater, quique cum eo erant, acceperunt: soror plurimùm adjuvit; non consilio modò, sed etiam precibus. Itaque consentientibus cunctis, pace facta Alexandriam recipitur, ne multitudine quidem adversante: quæ in bello non per obsidionem modò, sed etiam postquàm à mœnibus abscessum est, quia nihil ex Ægypto subvehebatur, omnium rerum attenuata inopia erat. His quum lætari Antiochum conveniens esset, si reducendi ejus causa exercitum Ægyptum induxisset, quo speciosо titulo ad omnes Asiæ & Græciæ civitates legationibus recipiendis literisque dimittendis usus erat, adeo est offensus, ut multò acrius infestiusque adversus duos, quàm antè adversum unum, pararet bellum. Cyprum extemplo classem misit: ipse primo vere cum exercitu Ægyptum petens, in Cœlen Syriam processit. 5 Circa Rhinocolura Ptolemæi legatis agentibus gratias, quòd per eum regnum patrium recepisset, petentibusque, ut suum munus tueretur, & diceret potiùs quid fieri vellet, quàm hostis ex socio factus vi atque armis ageret; respondit: *Non aliter neque classem revocaturum, neque exercitum reducturum, nisi sibi & tota Cypro & Peluſio agroque, qui circa Peluſiacum ostium Nili esset, cederet*: diemque præstituit, intra quam de conditionibus peractis responsum acciperet.

Urb. cond. an. 585. Coss. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Crasso.

XII. Postquam dies data induciis præteriit. 1 *navigantibus ostio Nili ad Peluſium. per deserta Arabiæ *ad Memphin incolebant, & ab cæteris

NOTÆ.

Philometor Ægyptum, Physcon Cyrenas primùm obtinuit, ac deinde fratri successit. Eorum dissidium occasionem Antiocho Epiphani avunculo nunc præbebat Ægypti per auxilii speciem invadendæ.

4. Peluſii validum relictum erat præſidium.] Commodiùs Gronovio videtur, *reliquerat præſidium*. Fuit autem *Peluſium* è præcipuis Ægypti urbibus ad dextram Nili: unde nomen ostio *Peluſiaco*, quod Syriæ proximum. Errant qui cum Damiata confundunt: alia enim urbs Tamiatis, quæ maritima: aliud *Peluſium* à mari paulò remotius: nunc subTurcis vicus tantùm est, diciturque *Belbais*.

5. Circa Rhinocolura.] In confinio Aegypti & Palæstinæ situm est hoc oppidum maritimum, inter Gazam & Ostracinen: *Rhinocolura* aliis *Rhinocorura*: ab iis dicta qui naribus ob maleficia truncati, eo translati fuerant: hodie Nigro *Faramida*. Illud prætereundum non videtur in institutа à Noe inter filios tres divisione orbis terrarum, limitem inter Semum, & Chamum apud *Rhinocolura* fuisse constitutum, auctore in primis Epiphanio.

1 * *Navigantibus ostio Nili ad Peluſium.*] *Ostium* dixit pro *brachio*, quo *Nilus* in Mediterraneum mare effunditur ab latere orientali paulò ultra *Peluſium*. Porrò Sigon. retinet *Tò navigantibus*:

Urb. cond. an. 585. Coſſ. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Craſſo.

Ægyptiis, partim voluntate, partim metu, ad Alexandriam modicis itineribus deſcendit. a Ad Leuſinem tranſgreſſo flumen, qui locus quatuor millia ab Alexandria abeſt, legati Romani occurrerunt, quos quum advenientes ſalutaſſet, dextramque Popillio porrigeret; tabellas ei Popillius ſcriptum habentes tradit, atque omnium primum id legere jubet, quibus perlectis, quum ſe conſideraturum adhibitis amicis, quid faciendum ſibi eſſet, dixiſſet; Popillius pro cætera aſperitate animi, 3 virga quam in manu gerebat, circumſcripſit regem: ac, *Priuſquàm hoc circulo excedas*, inquit, *redde reſponſum ſenatui, quod referam.* Obſtupefactus tam violento imperio, parumper quum hæſitaſſet; *Faciam*, inquit, *quod cenſet ſenatus.* Tum demùm Popillius dextram regi, tanquam ſocio atque amico, porrexit. 4 Die deinde finita quum exceſſiſſet Ægypto Antiochus, legati concordia etiam auctoritate ſua inter fratres firmata, inter quos vix dum convenerat, 4 pars Cyprum navigant: & inde, quæ jam vicerat prœlio Ægyptias naves, claſſem Antiochi dimittunt. clara ea per gentes legatio fuit, quod haud dubiè adempta Antiocho Ægyptus habenti jam, redditumque patrium regnum ſtirpi Ptolemæi fuerat. Conſulum ejus anni, ſicut alterius clarus conſulatus inſigni vi-

INTERPRETATIO.

a *Poſteà intra præſcriptum diem.*

NOTÆ.

ſubjiciteque *Arabia populi ſeſe dediderunt. deinde receptus ab iis qui ad Memphim incolebant*, &c. Quod ſine dubio Antiochum Epiphanem reſpicit, reverſum ad ſubigendam Aegyptum. Gronov. mavult, *navigans ab oſtio Nili ad Peluſium per deſerta Arabia ad Memphim, receptuſque & à cæteris Ægyptiis*, &c. Ego hunc ſuſpicor ſenſum Livii eſſe, ut *navigantibus* præfectis Syriacæ claſſis *per oſtium Nili ad Peluſium*, Antiochus ipſe *per deſerta Arabiæ* terreſtres copias induxiſſet in Aegyptum, deditiſque iis qui inter Nilum & ſinum Arabicum ad Memphim uſque habitabant, ac deinde aliis Aegyptiis, qui ad ulteriorem Nili ripam & circa diverſos ejus alveos erant, Alexandriam pergeret.

2. *Ad Leuſinem.*] Rectè Turneb. & Henr. Valeſius legunt: *ad Eleuſinem*: non enim ſolùm in Græciæ provincia Megaride fuit *Eleuſin*, ſed etiam in Aegypto ad ſoſſam Canobicam vicus haud procul mari fuit, paulò ſupra Alexandriam, ut liquet ex Strabone & Suida; qui Callimachum ibi literas docuiſſe refert.

3. *Virga quam in manu ferebat circumſcripſit regem.*] De hoc C. Popillii Lænatis facto Velleius lib. 1. *ſic cogitationem regiam Romana diſjecit conſantia, obdituſque imperio.* Valerius vero Max. lib. 6. cap. 4. *quàm efficax eſt animi ſermoniſque abſciſa gravitas? eodem momento Syria regnum terruit, Ægyptoi texit.*

4. *Pars Cyprum navigant.*] Quærit jure merito Perizon. *quò abierit* altera pars legationis, cùm tres tantùm eſſent legati; & cuncta tunc in Aegypto & Cypro geſta Popillio & ſociis attribuantur a Polyb. excerpt. legat. 92. Itaque corrigit: *inter quos* (nempe inter Ptolemæos fratres) *vixdum convenerat pax; Cyprum navigant.* Vt ſcriptum fuerit *pax*, quod a Librariis mutatum ſit in *pars*.

Urb. cond. an. 585. Coss. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Crassoro.

ctoria, ita alterius obscura fama; quia materiam res gerendi non habuit. Jam primum cum legionibus ad conveniendum diem dixit, non auspicato templum intravit. vitio diem dictam esse augures, quum ad eos relatum est, decreverunt. Profectus in Galliam circa Macros campos 5 ad montes Siciminam & Papinum stativa habuit: deinde circa eadem loca cum sociis nominis Latini hibernabat. Legiones Romanæ, quod vitio dies exercitui ad conveniendum dicta erat, Romæ manserant. & prætores, præter C. Papirium Carbonem, cui Sardinia evenerat, in provincias jere. eum jus dicere Romæ (nam eam quoque sortem habebat) inter cives & peregrinos Patres censuerant.

XIII. 1 Ut Popillius & ea legatio, quæ missa ad Antiochum erat, Romam rediit, retulit, controversias inter reges sublatas esse, exercitumque ex Ægypto in Syriam reductum. Post, ipsorum regum legati venerunt: Antiochi legati, referentes, *Omni victoria potiorem pacem regi, quæ senatui placuisset, visam: eumque haud secus, quàm Deorum imperio, legatorum Romanorum 2 jussu parusse.* gratulati deinde victoriam sunt, ad quam summa ope, si quid imperatum foret, adfuturum regem fuisse. Ptolemæi legati communi nomine 3 regis & Cleopatræ gratias egerunt, *Plus eos senatui populoque Romano, quàm parentibus suis, plus quàm Diis immortalibus debere: per quos obsidione miserrima liberati essent: regnum patrium propè amissum recepissent.* Responsum ab senatu est, *Antiochum rectè atque ordine fecisse, quod legatis paruisset, gratumque id esse senatui populoque Romano*, Regibus Ægypti, Ptolemæo Cleopatræque, *si quid per se boni commodique evenisset, id magnopere senatum lætari: daturumque operam, ut regni sui maximum semper præsidium positum esse in fide populi Romani ducant*, Munera legatis ut ex instituto mittenda curaret, C. Papirio prætori mandatum. Literæ deinde Macedonia allatæ 4, quæ vi-

NOTÆ.

1. *Ad montes Siciminam & Papinum, stativa habuit.*] Censet Cluver. fuisse hos montes ad Alpium radices inter Rhegium & Mutinam, circa vicum, cui nomen *Marzala*, qui servare videtur vestigia Macrorum Camporum.

1. *Ut Popillius & ea legatio*, &c.] Polyb. dicit τὰ περὶ τὸν Πουπίλιον, eos qui circa Popillium, id est, Popillium ipsum, & socios ejusdem legationis.

2. *Jussu paruisse.*] Legendum videtur in dandi casu: *jussis*, vel *jusso*, aut *jussus*: nisi *paruisse* referas ad nomen *senatui*, cui *paruerit Antiochus jussu legatorum*, seu *jubentibus* senatus nomine *legatis*.

3. *Regis & Cleopatræ.*] Intelligi videtur regis nomine Ptolemæus major nam paulò pòst de illo agitur sub nomine regum Ægypti *Ptolemæi Cleopatræque*. Gronov. tamen suspicatur scribi oportere nomine *regum & Cleopatræ*, ut intelligatur uterque Ptolemæus; ambo enim regnabant: sed, ni fallor, Junior in Cyrenaica & Lybia: Major autem in tota Ægypto, ex pacto quo fancita inter fratres concordia fierat.

4. *Literæ deinde Macedonia allatæ.*] Recta constructio prapositionem à exigeret, quandoquidem *Macedonia* regionis nomen est, non urbis: sed hæc diserimina Livio minùs accuratè observata fuisse sæpius à nobis est observatum; & monet Gronov. à Justino itidem lib. 12. cap. 4. scriptum reperiri: *epi-*

Urb. cond. an. 585. Cos. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Crasso.

toriæ lætitiam geminarent: Perſea regem in poteſtatem conſulis veniſſe. Dimiſſis legatis, diſceptatum inter Piſanos Lunenſeſque legatos: Piſanis querentibus, agro ſe à colonis Romanis pelli: Lunenſibus affirmantibus, eum, de quo agatur à triumviris agrum ſibi aſſignatum eſſe. Senatus, qui de finibus cognoſcerent, ſtatuerentque, quinque viros miſit; Q. Fabium Buteonem, P. Cornelium Blaſionem, Tib. Sempronium Muſcam, L. Nævium Balbum, C. Appulejum Saturninum. Et ab Eumene & ab Attalo, & ab Athenæo fratribus, communis legatio de victoria gratulatum venit. Et 5 Maſgabæ regis Maſiniſſæ filio, Puteolis navem egreſſo, præſto fuit obviam miſſus cum pecunia L. Manlius quæſtor, qui Romam eum publico ſumptu perduceret. Advenienti extemplo ſenatus datus eſt. Is adoleſcens ita locutus eſt, ut quæ rebus grata erant, gratiora verbis faceret. Commemoravit, quot pedites equiteſque, quot elephantos, quantum frumenti eo quadriennio pater ſuus in Macedoniam miſiſſet. *Sed duas res ei rubori fuiſſe! unam, quod rogaſſet eum per legatos ſenatus, quæ ad bellum opus eſſent, & non imperaſſet: alteram, quod pecuniam ei pro frumento miſiſſet. Maſiniſſam mæminiſſe, regnum à populo Romano partum auctumque & multiplicatum habere: uſu regni contentum, ſcire dominium & jus eorum, qui dediderint, eſſe. Sumere itaque eoſdem, non ſe rogare æquum eſſe, neque emere ea ex fructibus agri ab ſe dati, quæ ibi proveniant.* [a] *Id Maſiniſſæ ſatis eſſe & fore quod populo Romano ſupereſſet.* 6 *Cum iis mandatis à patre profectum poſteà conſecutos equites, qui devictam Macedoniam nunciarent, 7 gratulatumque ſenatui, juberent, indicare, tantæ eam rem lætitiæ patri ſuo eſſe, ut Romam venire velit, Jovique Optimo Maximo in Capitolio ſacrificare, & grates agere: id, niſi moleſtum ſit, ut ei permittatur, ab ſenatu petere.*

XIV. Reſponſum regulo eſt: *Facere patrem ejus Maſiniſſam, quod*

INTERPRETATIO.

[a] *Sufficere Maſiniſſæ regni proventuum eam partem, quæ Romanis non indigerent.*

NOTÆ.

ſtola Antipatri Macedonia ei redduntur. Fatetur tamen facilè excidere potuiſſe præpoſitionem.

1. *Maſgaba regis Maſiniſſæ filio.*] Idem opinor, fuit, qui aliis *Maſſagrada*, Maſiniſſæ filius ex concubina.

6. *Cum iis mandatis*, &c.] Poſtquàm hæc ſibi diſcedenti data fuerant mandata à Maſiniſſa, ſibi miſſos ab eodem equites ait *Maſgaba*, qui ſubactæ Macedoniæ nuncium attulerint, & per quos juberetur poſt gratulationis officium certiorem facere ſenatum patri ſuo tantùm ex eo nuncio gaudium acceſſiſſe, ut ſtatuerit Romam proficiſci.

7. *Gratulatumque ſenatui juberent indicare.*] Nihil attinet vulgatam veterem ſcripturam convellere. Volebat Turnebus? *gratularique ſenatui juberent*, & *indicare*, &c. At ego cum Gronovio ita interpretor, ut *gratulatumque ſenatui* nihil aliud ſit, quàm *juberent ut, poſtquàm ſenatui gratulatus eſſet* (Maſgaba) *eidem indicaret*, &c.

virtum

virum gratum bonumque facere deceat, [1] *ut pretium honoremque debito beneficio addat. Et populum Romanum ab eo, bello Punico, forti fidelique operâ adjutum, & illum favente populo Romano regnum adeptum: æquitate suâ posteà trium regum bellis deinceps omnibus functum officiis. Victoriâ verò populi Romani lætari eum regem mirum non esse, qui sortem omnem fortunæ regnique sui cum Romanis immiscuisset. Grates Diis pro populi Romani victoria apud suos penates ageret, Romæ filium pro eo acturum. Gratulatum quoque satis suo ac patris nomine esse. Ipsum relinquere regnum, & Africa excedere:* [2] *præterquàm quòd illi inutile esset,* [2] *non esse è republica populi Romani senatum censere.* Petenti Masgabæ, [3] ut Hanno Hamilcaris filius * obsides in locum exigeret. Munera ex senatusconsulto emere regulo quæstor jussus [4] ex centum pondo argenti, & prosequi eum Puteolos, omnemque sumptum, quoad in Italia esset, præbere, & duas naves conducere, quibus [5] ipse comitesque regis in Africam devherentur: & comitibus omnibus liberis servisque vestimenta data. Haud ita multò post de altero Masinissæ filio Misagene literæ allatæ sunt, Missum eum ab L. Paullo post devictum Persea in Africam cum equitibus suis; navigantem dispersâ classe in Hadriatico mari Brundisium tribus navibus ægrum delatum. Ad eum cum iisdem muneribus, quæ data Romæ fratri ejus erant, L. Stertinius quæstor Brundisium missus: jussusque curare, [6] ut ædes hospitio

Urb. cond. an. 585. Coss. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Crasso.

INTERPRETATIO.

* *Et illi grave atque incommodum futurum, & senatum existimare*, &c.

NOTÆ.

1. *Ut pretium honoremque debito beneficio addat.*] Fortè inquit Gron. *honoremque verborum beneficio addat*: quod mihi elegantius videtur, quàm ad Livii mentem accommodatius. Sanè hæc verba hic intelligi necesse, sed non exprimi, & gravitate Romani senatûs dignum videtur, & propensioni tamen in Masinissam conveniens; si dicat Masinissam non tantùm agnoscere beneficium Romanorum in se, verùm etiam illud pretiosius efficere & honorificentius hac scilicet commemoratione.

2. *Non esse è rep. populi Romani.*] Malim post Sigon. *è re pop. Romani.*

3. *Ut Hanno Hamilcaris filius * obsides in locum exigeret.*] Legebatur anteà *hospes*, pro quo Sigon. legit, *obsides*. Hic nonnulla deesse nemo non videt; locum idem Sigon. ita farcire conatur: *petenti Masgabæ, ut Hanno Hamilcaris filius obsides in locum* cujusdam (alterius obsidis Carthaginiensis, cujus nomen periit) *Romanis à Pœnis mitteretur; respondit senatus haud æquum videri ut obsides à Carthaginiensibus arbitrio Masinissæ exigeret* (senatus ipse Romanus.)

4. *Ex centum pondo argenti.*] Respondet hoc pondus argenti tribus millibus & sexcentis libris Francicis.

5. *Ipse comitesque regis.*] Possunt intelligi comites Masgabæ regis, seu reguli. Nam omnes regum filii veteribus reges seu reguli dicebantur, etiamsi non regnarent magis tamen Gron. placet, *comitesque ejus*.

6. *Ut ædes hospi* ***.] Comitia consularia, quibus creati sunt consules Q. Ælius Pœtus, & M. Junius Pennus, itemque comitia prætoria ejusdem anni hic desunt, itemque initium rerum à Censoribus Tib. Sempronio Graccho & C. Claudio gestarum, quò pertinent versiba prima cap. 15.

Orb. con. an. 585. Coll. L. Æmil. Paullo, & C. Licinio Crasso.

„ reguli (Misagenis.) Comitumque, liberæ assignarentur, nihilque de-
„ esset quod cum ad valetudinem ipsius reficiendam, tum ad liberalem cul-
„ tus & mensæ lautitiam, commodamque ubi convaluisset navigationem
„ pertineret, quò tuto in Africam deferretur. Per hæc tempora tribuni
„ plebis Tres-viros Nocturnos M. Milvium, Cn. Lollium, L. Sextilium,
„ quod orto in via sacra incendio ad extinguendum tardiùs venerant, die
„ dicta ad populum damnarunt. Inde habitis comitiis creati sunt Cos. Q.

Valer. Max. qui Musicanem vocat lib. 5. cap. 1. Idem lib. 8. cap. 1. Ex Livio infra. Liv. lib. 43. cap. 14. 15. 16.

„ Ælius Pœtus, M. Junius Pennus. Prætores facti Q. Cassius Longinus,
„ M. Juventius Thalna, Ti. Claudius Nero, A. Manlius Torquatus, Cn.
„ Fulvius Gillo, C. Licinius Nerva. Eodem anno Ti. Sempronius Grac-
„ chus & C. Claudius Pulcher interruptam interpellantibus tribunis censu-
„ ram magna severitate exercuerunt. In reliquis satis concordes: de cen-
„ sendis libertinis aliud Graccho, aliud Claudio probabatur. Ille, ne, si
„ per plures sparsi tribus manerent, sæx illa plebis multitudine sua in suf-
„ fragiis nimium perpolleret, in unam putabat redigendos; nitente contra
„ Claudio, qui nihil recepti hactenus moris hac in re mutandum existi-
„ mabat.

„ XV. Et à Servio quidem Tullio Rege, atque iterùm à censoribus C. Flaminio L. Æmilio [1] In quatuor urbanas tribus descripti erant libertini præter eos, quibus filius quinquenni major ex senatusconsulto esset. Eos, ubi proximo lustro censi essent, censeri jusserunt: & eos, qui prædium prædiave rustica pluris sestertiûm triginta millium haberent, censendi jus factum est. Hoc quum ita servatum esset, negabat Claudius *suffragii lationem injussu populi censorem cuiquam homini, nedum ordini universo adimere posse. Neque enim si tribu movere posset, quod sit nihil aliud, quàm mutare jubere tribum, ideo omnibus quinque & triginta tribubus emovere posse: id est, civitatem libertatemque eripere, non ubi censeatur finire, sed censu excludere.* Hæc inter ipsos disceptata: postremò eò descensum est, ut ex quatuor urbanis tribubus unam palam in atrio Libertatis sortirentur, in quam omnes, qui servitutem servissent, conjicerent. Exquilinæ fors exiit: in ea Ti. Gracchus pronunciavit, libertinos omnes censeri placere. Magno ea res honori censoribus apud senatum fuit. gratiæ actæ & Sempronio, qui in bene cœpto perseverasset: & Claudio, qui non impedisset. Plures quàm à superioribus, & senatu emoti sunt, & equos vendere jussi. omnes

NOTÆ.

1. *In quatuor urbanas tribus.*] Memissè oportet libertinos, qui in quatuor tribus urbanas jam a Servio Tullio rege conjecti fuerant, teste Dionysio Halicarn. cum postea per omnes tribus dispersi fuissent, in eadem quatuor redactos fuisse à censoribus C. Flaminio, & L. Æmilio, ut constat ex Epitome lib 23.

2. *Et senatu moti sunt, & equos vendere jussi.*] De hac tristi censura dictum hunc urbanam, nempè Esquilinam, eos retulisse narratur. Unde colligit Sigonius hoc Livii testimonio fulti auctorem, qui de Viris Illustribus scripsit, cùm in hujus Gracchi vita tradiderit eum in censura sua libertinos, qui suffragia tribus occupavere, fuisse à censoribus C. Flaminio, & L. Æmilio, in quatuor urbanas divisisse.

Nunc autem Tib. Gracchus in unam tribuere jussit.

Urb. cond. an. 586. Coss. Q. Ælio Pæto, & M. Junio.

iidem ab utroque 3 & tribu remoti, & ærarii facti: neque ullius, quem alter notaret, ab altero levata ignominia. Percensibus; ut ex instituto ad sarta tecta exigenda, & ad opera, quæ locassent, probanda, 4 anni & bimensis tempus prorogaretur; Cn. Tremellius tribunus, quia lectus non erat in senatum intercessit. Eodem anno C. Cicereius ædem in monte Albano dedicavit, 5 quinquennio postquàm vovit. Flamen Martialis inauguratus est eo anno L. Postumius Albinus.

XVI. Q. Ælio, M. Junio consulibus, de provinciis referentibus, censuere patres duas provincias Hispaniam rursus fieri, quæ una per bellum Macedonicum fuerat: & Macedoniam Illyricumque eosdem, L. Paullum & L. Anicium, obtinere, donec de sententia legatorum, & res bello turbatas, 1 & statum alium ejus regni formando composuissent. Consulibus Pisæ & Gallia decretæ cum binis legionibus peditum, & equitum quadringentis. Prætorum sortes fuere, Q. Cassii urbana, Manii Juvencii Thalnæ inter peregrinos, Tib. Claudii Neronis Sicilia, Cn. Fulvii Hispania citerior, C. Licinii Nervæ ulterior. A. Manlio Torquato Sardinia obvenerat. nequiit ire in provinciam; ad res capitales quærendas, ex senatusconsulto retentus. De prodigiis deinde nunciatis senatus est consultus. Ædes Deorum Penatium in Velia de cœlo tacta erat: & 2 in oppido Minervio duæ portæ & muri aliquantùm. Anagniæ terrâ pluerat: & Lanuvii fax in cœlo visa erat. Et Calatiæ in publico agro M. Valerius civis Romanus nunciabat, è foco suo sanguinem per triduum & duas noctes manasse. Ob id maximè decemviri libros adire jussi, supplicationem in diem unum populo edixerunt, & quinquaginta captis in foro lacrificaverunt: & aliorum prodigiorum causâ diem alterum supplicatio circa omnia pulvinaria fuit, & hostiis majoribus lacrificatum est, & urbs lustrata. inde, quod ad hono-

NOTÆ.

antèa lib. 43. cap. 15. & 16.

3. *Et tribu remoti.*] Imò *tribu moti* ut Gron. advertit.

4. *Anni & bimensis tempus prorogaretur.*] Centesimo initio quinquennalem Mamercus Æmilius Dictator contraxit ad sesquiannum, suprà lib. 4. cap. 24. & lib. 9. cap. 33. An igitur intra quadrimestre ædio censu negatum est Graccho & Claudio jus gerendæ per reliquum tempus censuræ ad sarta tecta exigenda, & probanda opera ab ipsis locata? Porro *bimensis* tempus hic usurpatur pro bimestri, sive duorum mensium spatio.

5. *Quinquennio post quàm vovit.*] Voverat hic C. Cicereius ædem Junoni Monetæ, cum prætor signis collatis in Corsica pugnaret, ut dictum est lib. 42. cap. 7.

1. *Et statum alium ejus regni.*] Mavult Sigon. *eorum regnorum*, vel *utriusque regni*: nam, inquit, de Macedonico & Illyrio loquitur Liv. Potest tamen intelligi de Macedonico, quod majoris erat dignationis, & de cujus præsertim ordinando per legatos statu agebatur.

2. *In oppido Minervio.*] Turneb. *Minervium* putat partem quandam fuisse Romæ, in qua templum Minervæ: ceterà tamen oppidum est Apuliæ Peucetiæ, ni fallor, cujus Vellejus lib. 1. meminit inter colonias. Videtur fuisse idem oppidum, quod adhuc in regno Neapolitano, ejusque provincia Bariana vocatur *Minervino*, in confinio Basilicatæ.

Urb. cond. an. 586. Coss. Q. Ælio Pœto, & M. Junio.

rem Deûm immortalium pertineret, decrevit senatus, *Ut* [2] *quoniam perduelles superati, Perseus & Gentius reges cum Macedonia atque Illyrico in pot. state populi Romani essent; ut, quanta dona Ap. Claudio, M. Sempronio Consulibus, ob devictum Antiochum regem data ad omnia pulvinaria essent, tanta Q. Cassius & M. Juventius prætores curarent danda.*

XVII. Legatos deinde, quorum de sententia impp. L. Paullus, L. Anicius, componerent res, decreverunt: [1] decem in Macedoniam, quinque in Illyricum. In Macedoniam sunt hi nominati, A. Postumius Luscus, C. Claudius: ambo censorii: C. Licinius Crassus, collega in consulatu Paulli, tum prorogato imperio provinciam Galliam habebat. His consularibus addidere Cn. Domitium Ænobarbum, Ser. Cornelium Sullam, L. Junium, C. Antistium Labeonem, T. Numisium Tarquiniensem, A. Terentium Varronem. In Illyricum autem hi nominati, P. Ælius Ligus consularis. C. Cicerejus, & Cn. Bæbius Tamphilus (hic priore anno, Cicerejus multis antè annis prætor fuerat) P. Terentius Tusciviensis, P. Manilius. Moniti deinde consules à Patribus, ut quoniam alterum ex his succedere C. Licinio, qui legatus nominatus erat, in Galliam oporteret; primo quoque tempore provincias aut compararent inter se aut sortirentur, [2] sortiti sunt. M. Junio Pisæ obvenerunt (quem priùs quàm in provinciam iret, legationes quæ undique Romam gratulatum convenerunt, introducere in senatum placuit) Q. Ælio Galliâ. Cæterùm quanquam tales viri mitterentur, quorum de consilio sperari posset, imperatores nihil indignum nec clementiâ nec gravitate populi Romani decreturos esse; tamen in senatu quoque agitata est summa consiliorum, ut inchoata omnia legati ab domo ferre ad imperatores possent.

XVIII. *Omnium primum, liberos esse placebat Macedonas atque Illyrios; ut omnibus gentibus appareret arma populi Romani non liberis servitutem, sed contra servientibus libertatem afferre. ut & in libertate gentes quæ essent, tuam eam sibi perpetuamque sub tutela populi Romani esse: & quæ sub regibus viverent, & in præsens tempus mitiores eos justioresque respectu populi Romani habere se, & si quando bellum cum populo Romano regibus fuisset suis. exitum ejus victoriam Romanis, sibi libertatem allaturum crederent. Metalli quoque Macedonici, quod ingens vectigal erat, locationesque prædiorum rusticorum tolli placebat. nam neque sine publi-*

INTERPRETATIO.

2 *Quandoquidem devicti fuerant hostes.*

NOTÆ.

1. *Decem in Macedoniam.*] Nominantur hic tantummodò novem legati; decimum, cujus nomen intercidit, Q. Marcium fuisse suspicatur Jac. Gronovius.

2. *Sortiti sunt.*] Elegantius esset quod suggerit Gron. pater: *sortitis, M. Junio Pisæ obvenerunt*, &c.

cano exerceri posse [a] *& ubi publicanus est, ibi aut jus publicum vanum, aut libertatem sociis nullam esse. Ne ipsos quidem Macedonas idem exercere posse. ubi in medio præda administrantibus esset, ibi numquam causas seditionum & certaminis defore.* [1] *Commune concilium gentis esset, ne improbum vulgus à senatu aliquando libertatem salubri moderatione datam, ad licentiam pestilentem traheret. In quatuor regiones describi Macedoniam, ut suum quæque concilium haberet, placuit: & dimidium tributi quam quod regibus ferre soliti erant, populo Romano pendere.* Similia his & in Illyricum mandata. cætera ipsis imperatoribus legatisque relicta, in quibus præsens tractatio rerum certiora subjectura erat consilia. Urb. cond. an. 586. Cos. Q. Ælio Pæto, & M. Junio.

XIX. Inter multas regum gentiumque & populorum legationes Attalus, frater regis Eumenis, maximè convertit in se omnium oculos, animosque: exceptus enim est ab his qui simul eo bello militaverunt, haud paulò benigniùs quàm si ipse rex Eumenes venisset. Adduxerant eum duæ in speciem honestæ res: una, gratulatio, conveniens in ea victoria quam ipse adjuvisset: altera, querimonia Gallici tumultûs, [1] Advertæque gladiis regnum in dubium adductum esse. Suberat & secreta spes honorum præmiorumque ab senatu, [2] quæ vix salvâ pietate ejus contingere poterant. erant enim quidam Romanorum quoque non boni auctores, qui spe cupiditatem ejus elicerent: *Eam opinionem de Attalo & Eumene Romæ esse, tanquam de altero Romanis certo amico, altero nec Romanis, nec Persi fido socio. Itaque vix statui posse, utrum quæ pro se, an quæ contra fratrem petiturus esset, ab senatu magis impetrabilia forent: adeo universos omnia, & huic tribuere & illi vero negare.* Eorum hominum (ut res docuit) Attalus erat, qui, quantum spes spopondisset, cuperent, ni unius amici prudens monitio velut frœnos animo ejus gestienti secundis re-

INTERPRETATIO.

[a] *Etenim non facilè possint exerceri vectigalia nisi per publicanos: & in iis quæ publicanis committantur, nec jus publicum servari, nec sociis libertatem suam constare. Quin & Macedones ipsos non posse vectigalia per se exercere: quia si cuique liceret ex ejusmodi administratione concipere animo spem lucri, quod omnibus à populo pateret: tunc nunquam deesse posse causas seditionum & contentionum.*

NOTÆ.

1. *Commune concilium gentis esset.*] Imò: *ne esset*, ut Grutero videtur; nolebant enim Romani totam Macedonum gentem communi concilio regi, sed in quatuor regiones, totidemque concilia, dividi.

1. *Advertaque gladiis regnum in dubium adductum esse.*] Nomen Gallorum regulî fuisse *Advertam* Sigon. opinatur, quem tamen cap. 34. Livius Solovettinum nominat. Id Turnèb. non potest adduci ut credat; unde pronunciat legendum: *apertaque*: quod si admittas non apparebat quorum armis in discrimen adductum dici posset regnum Pergamenum.

2. *Quæ vix salvâ pietate ejus contingere poterant.*] Patet intelligi spem regni everso Eumene fratre consequendi.

3. *Et illi vero negare.*] Delendum puto illud *vero*.

Urb. cond. an. 586. Coss. Q. Ælio Pœto, & M. Junio.

bus impositurus esset. Stratius cum eo fuit medicus, ad idipsum à non secuto Eumene Romam missus, speculator rerum quæ à fratre agerentur, moniturque fidus si decedi fide vidisset. Is ad occupatas jam aures sollicitatumque jam animum quum veniisset, 4 aggressus tempestivis temporibus rem propè prolapsam restituit: *aliis alia regna crevisse rebus, dicendo: regnum eorum novum, nullis vetustis fundatum opibus, fraterna stare concordia: quod unus nomen regium & præcipuum capitis insigne gerat; omnes fratres regnent. Attalum vero, quia ætate proximus, quis non pro rege habeat: neque eo solùm quia tantas præsentes ejus opes cernat, sed quod haud ambiguum propediem regnaturum eum infirmitate ætatisque Eumenis esset, nullam stirpem liberûm habentis:* (5 nec dum enim agnoverat eum, qui postèa regnavit.) *Quid attineret vim afferre rei suæ sponte mox ad eum adventuræ? Accessisse etiam novum tempestatem regno tumultus Gallici, cui vix consensu & concordia regum resisti queat. Si vero ad externum bellum domesticæ seditio adjiciatur;* a *sisti non posse;* 6 *nec aliud eum quàm ne frater in regno moriatur, sibi ipsi spem propinquam regni ereptarum. b Si utraque glorioſa ves esset; & servasse fratri regnum, & eripuisse: servati tamen regni, quæ junctæ pietati sit, potiorem laudem fuisse. Sed enimvero quum detestabilis altera res & proxima parricidio sit, quid ad deliberationem dubii superesse? Utrum enim partem regni petiturum esse, an totum ereptu-rum? si partem, ambo infirmos distractis viribus, & omnibus injuriis obnoxios fore: si totum, privatumne ergo majorem fratrem, an exulem illa ætate, illa corporis infirmitate;* 7 *an ultimum mori jussurum? Egregium enim (ut fabulis traditus impiorum fratrum eventus taceatur) Persei exitum videri, qui ex fraterna cæde raptum diadema, in templo Samothracum, vellut præsentibus Diis exigentibus pœnas, ad pedes victoris hostis projugus posuerit. Eos ipsos, qui non illi amici, sed Eumeni infesti, stimulant eum, pietatem constantiamque laudaturos, si fidem ad ultimum fratri præstitisset.*

INTERPRETATIO.

a *Non posse regni statum turbâ consistere.*

b *Esse ex horum utroque gloriam sperare posset.*

NOTÆ.

4. *Aggressus tempestivis temporibus.*] Mihi sanè probatur quod censet Gronov. *tempestivus sermonibus*,

5. *Necdum enim agnoverat eum, qui postèa regnavit.*] Indicatur Attalus III. Philometor, qui ob dubiam originem ab Eumene patre positus est huic Attalo Philadelpho, aut certè hujus tutelæ commissus.

6. *Nec aliud eum quàm ne frater in regno moriatur sibi ipsi spem propinquam regni ereptarum.*] *Nec aliud eum* subaudi *nique*.

effecturum: quâ loquendi formâ usum jam jam ostendimus Livium. Quapropter nihil opus subtili Gronovii correctione, qui sic legendum censet: *nec aliud eum fratri, quàm ne in regno moriatur, sibi ipsum spem propinquam regni ereptarum*.

7. *An ultimùm mori jussurum.*] Quod Gronov. vult scribi: *ad ultimum*, mihi quidem non persuadet; *ultimùm* enim adverbialiter sumo pro *tandem*, sive *de-nique*.

XX. Hæc plus valuere in Attali animo. Itaque introductus in senatum, gratulatus victoriam; & sua merita eo bello fratrisque, si qua erant, & Gallorum defectionem, quæ nuper ingenti motu facta erat, expositi. Petiit, ut legatos mitteret ad eos, quorum auctoritate ab armis avocarentur. His pro regni utilitate editis mandatis, Ænum sibi & Maroneam petiit. Ita destitutâ eorum spe, qui fratre accusato partitionem regni petiturum crediderant, [1] curiâ excessit. [2] Ut rarò aliàs quisquam rex aut privatus, tanto favore tantoque omnium assensu, est auditus; omnibus honoribus muneribusque, & præsens est cultus, & proficiscentem prosecuti sunt. Inter multas Asiæ Græciæque legationes Rhodiorum maximè legati [a] civitatem converterunt. nam quum primò in veste candida visi essent, quod gratulantes decebat, &, si sordidam vestem habuissent, lugentium Persei casum præbere speciem poterant: postquam consulti ab Marco Junio consule Patres, stantibus in comitio legatis, an locum, lætia, senatumque darent, nullum hospitale jus in iis servandum censuerunt; egressus è curia consul, quum Rhodii, gratulatum se de victoria purgatumque civitatis crimina dicentes venisse, petissent ut senatus sibi daretur; pronunciat: *Sociis & amicis, & alia comiter atque hospitaliter præstare Romanos, & senatum dare consuesse: Rhodios non ita meritos eo bello ut amicorum & sociorum numero habendi sint.* His auditis, prostraverunt se omnes humi, consulemque & cunctos qui aderant, orantes, ne nova falsaque crimina plus obesse Rhodiis æquum censerent, quàm antiqua merita, quorum ipsi testes essent. Extemplo, veste sordida sumpta, domos principum cum precibus ac lachrymis circumibant, orantes, ut priùs cognoscerent causam, quàm condemnarentur. Urb. cond. an. 586. Coss. Q. Aelio Pæto, & M. Junio.

XXI. M. Juvencius Thalna prætor, cujus inter cives & peregrinos jurisdictio erat, populum adversus Rhodios incitabat: rogationemque promulgaverat, *Ut Rhodiis bellum indiceretur: & ex magistratibus ejus anni deligerent, qui ad id bellum cum classe mitterentur*: se eum sperans futurum esse. Huic actioni M. Antonius & M. Pomponius tribuni plebis adversabantur. Sed & prætor [1] novo maloque exemplo rem ingressus erat, quod antè non consulto senatu, non consulibus certioribus factis, de sua unius

INTERPRETATIO.

a *Admirationi fuere apud Romanos.*

NOTÆ.

1. *Curia excessit.*] Prima editio: *curiam excessit*, eodem sensu; & aliàs apud *removi*: mihi nihil videtur addendum: nostrum, *excedere urbem, excedere portam.* sed nomen *amicorum* adjectivè accipiendum.

2. *Ut rarò aliàs.*] Nullus hic usus Tacitus, quasi diceret, *fidelium sociorum.* Gronovius *ut*: delenti itaque Gronovio lubens accedo.

1. *Novo maloque exemplo rem ingressus.*] Rogationem sc. contra Rhodios aggressus.

3. *Ut amicorum sociorum numero.*] Lo-

Urb. cond. ann. 586. Coss. Q. Ælio Peto, & M. Junio.

sententia rogationem ferret, *Vellent juberentne Rhodiis bellum indici:* quum antea semper priùs senatus de bello consuleret esset. deinde ad populum latum: [2] & tribuni plebis: quum ita traditum esset, ne quis prius intercederet legi, quam privatis suadendi dissuadendique legem potestas facta esset, eoque persæpè evenisset, ut qui non profecturi essent se intercessuros, animadversis vitiis legis [3] ex ratione dissuadentium, intercederent: & qui ad intercedendum venissent, desisterent, victi auctoritatibus suadentium legem. Tum inter prætorem tribunosque omnia intempestivè agendi certamen erat. Tribuni festinationem prætoris ante tempus intercedendo [4] in adventum imperatoris „ (Æmilii) morabantur. Sed longiorem moram pati res ipsa non videbatur, & Thalna qui rogationem de bello Rhodiis indicendo urgebat, cum orationem adversus eos ad populum haberet detractus è Rostris ab Antonio est, à quo Legatis Rhodiorum data apud populum dicendi copia. Postquam renunciatum Rhodi fuerat responsum à Senatu priori Legato Agesipoli datum, duplicem subitò legationem Rhodii miserant: alterius Princeps Philocrates erat, alterius Astymedes, cui adjunctus Philophron. Hos populus ad Senatum rejecit. Introducti à M. Junio cos. in curiam sunt. Astymedes supplici habitu ac sermone in hunc fermè modum apud Patres verba fecit: *Quàm misera, quàm deflenda Rhodiorum conditio sit, vobis, P. C. æstimare facile erit, si pristinum ac florentem rerum nostrarum statum cum hac calamitate, in quam vestro nutu, sed, si verum effari licet, aliorum potiùs calumnia quam culpa nostra, saltem publica, incidimus, comparare non dedignemini. Qui fidâ in Senatum populumque Romanum, nec nostris magis officiis atque obsequiis, quam judiciis beneficiisque vestris compositâ societate diu floruimus, & supra reliquos populos gloriati sumus: eadem ejus societatis turpiter violatæ agimur rei; & quasi manifestè convicti, ejus culpæ jam (& tamen peccaverimusne adhuc dubium est) pœnas, ignominias omnes jam patimur.*

Polyb. legat. Excerpto 93.

Liv. lib. 45.

XXII. *Antea Chartaginiensibus victis, Philippo, Antiocho superatis, quum Romam venissemus, ex publico hospitio in curiam gratulatum vobis, Patres Conscripti, ex curia in Capitolium ad Deos vestros [1] dona ferentes veniebamus: nunc ex sordido diversorio vix mercede recepti, ac prope hostium more, extra urbem manere jussi, in hoc squalore venimus in curiam*

NOTÆ.

2. *Et tribuni.*] Repete ex superioribus, *malo exemplo adversabantur*, vel *in eam rem ingressi erant*, nempè intercessionem.

3. *Ex ratione dissuadentium.*] Subdit Gron. *ex oratione dissuadentium.*

4. *In adventum imperatoris.*] L. Aemilii Paulli, opinor. Cæterùm quædam hoc loco exciderunt ad Rhodios pertinentia: desiderantur & prima verba orationis ab illis habitæ in senatu: hujus autem orationis capita extant apud Gell. lib. 7. cum sententiis quibusdam orationis, quam Cato pro Rhodiis dixit, cujus etiam meminit posteà Livius.

1. *Dona ferentes veniebamus.*] Verbum *veniebamus*, à Sigonio interpositum est. Potest tamen ex proximis intelligi, per antapodosin sequente verbi *venimus*.

Roma-

Romanam Rhodii, quos provinciis nuper Lycia atque Caria, quos præmiis atque honoribus ampliſſimis donaſtis. Et Macedonas Illyrioſque liberos eſſe (ut audimus) jubetis, quum ſervierint antequam vobiſcum bellarent (nec cujuſquam fortunæ invidemus, imo agnoſcimus clementiam populi Romani) Rhodios, qui nihil aliud quàm quieverunt hoc bello, hoſtes ex ſociis facturi eſtis? Certe quidem vos eſtis Romani, qui ideo felicia bella veſtra eſſe, quia juſta ſint, præ vobis fertis, nec tam exitu eorum, quod vincatis, quàm principiis, quod non ſine cauſa ſuſcipiatis, gloriamini. Meſſana in Sicilia oppugnata, Carthaginienſes, Athenæ oppugnatæ, & Græcia in ſervitutem petita, & adjutus Annibal pecunia, auxiliis, Philippum hoſtem fecerunt. Antiochus ipſe ultro ab Ætolis hoſtibus veſtris arceſſitus, ex Aſia claſſe in Græciam trajecit; Demetriade & Chalcide, & ſaltu Thermopylarum occupato, de poſſeſſione imperii vos dejicere conatus. [a] Cum Perſeo, ſocii veſtri oppugnati, alii interfecti reguli principeſque gentium aut populorum, cauſa belli vobis fuere. Quem tandem titulum noſtra calamitas habitura eſt, ſi perituri ſumus? Nondum ſegrego civitatis cauſam à Polyarato & Dinone civibus noſtris, & iis quos, ut traderemus vobis, adduximus. Si omnes Rhodii æque noxii eſſemus, quod noſtrum in hoc bello crimen eſſet? Perſei partibus favimus: & quemadmodum Antiochi Philippique bello pro vobis adverſus reges, ſic nunc pro rege adverſus vos ſtetimus. Quemadmodum ſoleamus ſocios juvare, & quàm impigrè capeſſere bella, C. Livium, L. Æmilium Regillum interrogate, qui claſſibus veſtris in Aſia præfuerunt. Nunquam veſtræ naves pugnavere ſine nobis. noſtra claſſe pugnavimus ſemel ad Samum, iterùm in Pamphylia adverſus Annibalem imperatorem: quæ victoria nobis eo glorioſior eſt, quod, quum ad Samum magnam partem navium adverſa pugna & egregiam juventutem amiſiſſemus, ne tantâ quidem clade territi, iterum auſi ſumus regiæ claſſi ex Syria venienti obviam ire. Hæc non gloriandi cauſâ retuli (neque enim ea nunc noſtra eſt fortuna) ſed ut admonerem, quemadmodum adjuvare ſocios ſolerent Rhodii.

Urb. cond. an. 586. Coſſ. Q. Ælio Pœto, & M. Junio.

XXIII. Præmia Philippo & Antiocho devictis ampliſſima acceepimus à vobis. Si quæ veſtra nunc eſt fortuna, Deûm benignitate & virtute veſtra, ea Perſei fuiſſet, & præmia petitum ad victorem regem veniſſemus in Macedoniam; quid tandem diceremus? [1] Pecuniane à nobis adjutum?

INTERPRETATIO.

[a] Belli adverſus Perſeum ſuſcepti cauſa fuerunt, quod is ſocios veſtros oppugnaſſet, gentiumque regules, & civitatum principes, ſocios itidem veſtros occidiſſet.

NOTÆ.

1. *Pecuniane à nobis adjutum.*] Acutè hæc oſtendit Perſeum à Rhodiis adjutum enumeratis omnibus auxiliorum generibus non eſſe.

Vit. conf. an. 586. Coss. Q. Ælio Pæto, & M. Junio,

frumento? auxiliis terrestribus, an navalibus? quod præsidium tenuis-se nos? ubi pugnasse, aut sub illius ducibus, aut per nos ipsos? Si quæreret, ubi miles noster, ubi navis intra præsidia sua fuisset, quid responderemus? Causam fortasse diceremus apud victorem, quemadmodum apud vos dicimus. Hoc enim legatos utroque de pace mittendo consecuti sumus, 2 ut ne 3 ab utraque parte gratiam iniremus; ab altera etiam crimen & periculum esset. Quanquam Perseus verè objiceret, id quod vos non potestis, Patres Conscripti, nos principio belli misisse ad vos legatos, qui pollicerentur vobis quæ ad bellum opus essent: 3 navalibus armis, 3 iuventute nostra, sicut prioribus bellis, ad omnia paratos fore ne præstaremus, per vos stetit, 4 qui de quacunque causa tum asperuati nostra consilia estis. Neque fecimus igitur quicquam tanquam hostes, neque bonorum sociorum desumus officio, sed à vobis prohibiti præstare fuimus. Quid igitur? 5 nihilne factum neque dictum est in civitate vestra, Rhodii, quod nolletis, quo merito offenderetur populus Romanus? Hinc jam non, quod factum est, defensurus sum: non adeo insanio: sed publicam causam à privatorum culpa segregaturus. Nulla enim est civitas, quæ non & improbos cives aliquando, & imperitam multitudinem semper habeat. Etiam apud vos fuisse audivi, qui assentando multitudini grassarentur: & fecisse aliquando à vobis plebem, 6 nec in potestate vestra rempublicam fuisse. Si hoc in hac tam benè morata civitate accidere potuit, mirari quisquam potest aliquos fuisse apud nos, qui regis amicitiam petentes plebem nostram consiliis depravarent? qui tamen nihil ul'rà valuerunt, quàm ut in officio cessaremus. Non præteribo id quod gravissimum est in hoc bello crimen civitatis nostræ. Legatos eodem tempore & ad vos & ad Persea de pace misimus: quod infelix consilium 7 furiosus (ut postea audivimus) orator,

NOTÆ.

2. *Ut ne ab utraque parte.*] Rectius futurum videtur quod Gron. scribit: *ut ab neutra parte gratiam iniremus.*

3. *Navalibus armis.*] Videtur Gron. *navibus, armis*: sed per hæc verba, *navalibus armis*, intelligi possunt copiæ maritimæ, quibus Rhodii pollebant.

4. *Qui de quacunque causa.*] Sæpiùs auctores Latinitatis dicunt: *quacunque de causa*, vel, *ex quacunque causa*. Vult autem hic legatus Rhodius non causam præcisè asserre, cur Romani ope Rhodiorum usi non essent in bello adversus Perseum: sed indistinctè quamcunque ob causam id factum fuerit, non per Rhodios stetisse.

5. *Nihilne factum, neque dictum est.*] Hac interrogatione occurrit legatus tacitæ Romanorum objectioni, ut, si quid peccatum dicatur, id in paucos magistratus, aut in plebem conferat; & crimen omne avertat à meliori & meliori parte.

6. *Nec in potestate vestra Rempublicam fuisse.*] Frustra Sigon. pro *Remp.* mavult *populum Romanum*. Nam *Resp.* & pro *populo* sumitur, & pro *communi rerum administratione*: quod ipse quoque agnovit, cùm ex vulgata lectione sensum elici fatetur. Itaque qui negat in potestate senatûs fuisse *Remp.* vult non semper auctoritate atque arbitrio patrum constituta & administrata fuisse publica negotia.

7. *Furiosus (ut postea audivimus) orator stultissimum fecit.*] Vide quæ de superiori Rhodiorum legatione habentur lib. 44. cap. 14.

ſtultiſſimum fecit: quem ſic locutum conſtat, tanquam C. Popillius legatus Romanus, quem ad ſummovendos à bello Antiochum & Ptolemæum reges miſiſſet, loqueretur. Sed tamen ea ſive ſuperbia ſive ſtultitia appellanda eſt, eadem quæ apud vos, & apud Perſea fuit. Tam civitatum quàm ſingulorum hominum mores ſunt: gentes quoque aliæ iracundæ, aliæ audaces, quædam timidæ: in vinum, in Venerem proniores aliæ ſunt. [2] Athenienſium populum fama eſt celerem & ſupra vires audacem eſſe ad conandum: Lacedæmoniorum cunctatorem, & vix in ea quibus fidit ingredientem. Non negaverim & totam Aſiæ regionem inaniora parere ingenia, & noſtrorum tumidiorem ſermonem eſſe, quod excellere inter ſatuitimas civitates videamur: & idipſum non tam viribus noſtris, [3] quàm veſtris honoribus ac judiciis. Satis quidem & tunc in præſentia caſtigata illa legatio erat; cum tam triſti reſponſo veſtro dimiſſa. Si tum parum ignominioſa penſum eſt, hæc certe tam miſerabilis ac ſupplex legatio, etiam inſolentioris quàm illa fuit legationis ſatis magnum piaculum eſſet. Superbiam, verborum præſertim, iracundi oderunt; prudentes irrident; utique ſi inferioris adverſus ſuperiorem eſt: [10] capitali pœna nemo unquam dignam judicavit. Id enim vero periculum erat, ne Romanos Rhodii contemnerent. Etiam Deos aliqui verbis ferocioribus increpant, nec ob id quemquam fulmine ictum audivimus.

Urb. cond. an. 586. Coſſ. Q. Ælio Pœto, & M. Junio.

XXIV. *Quid igitur ſuperat quod purgemus, ſi nec factum hoſtile ullum noſtrum eſt, & verba tumidiora legati offenſionem aurium, non perniciem civitatis, meruerunt? [1] Voluntatis noſtræ tacitæ velut litem æſtimari, veſtris inter vos ſermonibus audio, Patres Conſcripti; ſæviſſe nos regi, [2] & illum vincere maluiſſe: ideo bello perſequendos eſſe credunt. Alii veſtrum, voluiſſe quidem nos hoc, non tamen ob id bello perſequendos eſſe: neque moribus neque legibus ullius civitatis ita comparatum eſſe, ut, ſi*

INTERPRETATIO.

a *Et Rhodios in votis habuiſſe; ut victor eſſet Perſeus.*

NOTÆ.

8. *Athenienſium populum.*] Maviult Gronov. *Athenienſem*; & mox *Lacedæmonium.*

9. *Quàm veſtris honoribus ac judiciis.*] Ex honore delato alicui conjicitur ferè quod ſit de eo judicium, & noſtra in alios ſingularis obſervantia indicat magna eos eſſe apud nos exiſtimatione.

10. *Capitali pœna nemo unquam dignam judicavit.*] *Pœna capitalis*, etſi plerumque accipiatur pro ultimo ſupplicio, quo ſcilicet homo necatur: apud Juriſconſultos tamen capitalis cenſetur pœna, quæ capitis (civiliter ſpectati) diminutionem maximam aut mediam infert, ſive quâ vel libertas auferatur, vel civitas. Arrogantiæ autem pœnæ major nulla & convenientior quàm contemptus.

1. *Voluntatis noſtræ tacitæ velut litem æſtimari.*] *Tacitam voluntatem* (non enim dubito quin legendum ſit *tacita* cum Perizon.) dicit, quæ propalam demonſtrata non eſſet à Rhodiis: cujus tamen pœna perſolvenda: eoque nomine Rhodii damnandi tanquam rei, in judicio

Urb. cond. an. 586. Coſſ. Q. Ælio Pæto, & M. Junio.

quis vellet inimicum perire, 2 ſi nihil fecerit quo id fiat, capitis damnetur. His, qui nos pœna, non crimine liberant, gratiam quidem habemus: ipſi nobis hanc dicimus legem; ſi omnes voluimus quod arguimur; non diſtinguimus voluntatem à facto: omnes plectamur. Si alii principum noſtrorum vobis, alii regi faverunt, non poſtulo ut propter nos, qui partium veſtrarum fuimus, regis fautores ſalvi ſint: illud deprecor, ne nos propter illos pereamus. Non eſtis vos illis infeſtiores quàm civitas ipſa, & hoc qui ſciebant, plerique eorum aut profugerunt, aut mortem ſibi conſciverunt. alii damnati à nobis, in poteſtate veſtra erunt, Patres Conſcripti. Cæteri Rhodii, ſicut gratiam nullam meriti hoc bello, ita ne pœnam quidem ſumus. Priorum noſtrorum beneficiorum cumulus, hoc quod nunc ceſſatum in officio eſt, expleat. Cum tribus regibus geſſiſtis bella per hos annos. ne plus obſit nobis quod uno bello ceſſavimus, quàm quod duobus bellis pro vobis pugnavimus. Philippum, Antiochum, Perſea, tanquam tres ſententias ponite. duæ nos abſolvunt: 3 una dubia eſt, ut gravior ſit. Illi de nobis ſi judicarent, damnati eſſemus. vos judicate, Patres Conſcripti, ſit Rhodus in terris, an funditus deleatur. Non enim de bello deliberatis, Patres Conſcripti, quod inferre poteſtis, gerere non poteſtis; quum nemo Rhodiorum arma adverſus vos laturus ſit. Si perſeverabitis in ira, tempus à vobis petemus quo hanc funeſtam legationem domum referamus: omnia libera capita, quidquid Rhodiorum virorum, fœminarum eſt, cum omni pecunia noſtra naves conſcendemus; ac, reliquis penatibus publicis privatiſque, Romam veniemus: & omni auro & argento, quicquid publici, quicquid privati eſt, in comitio, in veſtibulo curiæ veſtræ cumulato, corpora noſtra conjugumque ac liberorum veſtræ poteſtati permittemus; hic paſſuri quodcunque patiendum erit. procul ab oculis noſtris urbs noſtra diripiatur, incendatur. Hoſtes Rhodios eſſe, Romani judicare poſſunt: eſt tamen & noſtrum aliquod de nobis judicium, 4 quo nunquam judicabimus nos veſtros hoſtes: nec quicquam hoſtile, etiam ſi omnia patiemur, faciemus.

NOTÆ.

plecti ſoliti æſtimatione litis, id eſt, certâ pecuniâ quam adverſarii dare jubebantur, ex more fori Romani atque Athenienſis.

2. *Si nihil fecerit quo id fiat.*] Scriptum exemplar habuit, *ut ſi nihil fecerit*: nec eſt quòd deletur particula *ut*, cujus repetitionem Gron. probat. Quod autem hic habetur, ſecundum juriſconſultorum mentem dicitur, apud quos nudæ cogitationis pœnam nemo patitur.

3. *Una dubia eſt, ut gravior ſit.*] Gronovio videtur ſic ſcripſiſſe Livius: *una dubia eſt ſi tantum abeſt ut gravior ſit.* Sed aliud puto velle auctorem: bellum unum ex tribus, ſive (ut hic Rhodius ratiocinatur) unam ſententiam contra duas quæ certæ atque indubitatæ ſunt, præponderare non debere: quamvis enim daretur, hanc, ſi certa eſſet, graviorem eſſe alterutra duarum; graviorem tamen ac juſtiorem haberi non poſſe, quandoquidem dubia eſt.

4. *Quo nunquam judicabimus.*] Voluit, inquit Gronov. *qui nunquam judicavimus.*

XXV. Secundùm talem orationem universi rursus prociderunt, ramosque oleæ supplices jactantes, tandem excitati curiâ excesserunt, tunc sententiæ interrogari cœptæ. Infestissimi Rhodiis erant, qui consules prætoresve aut legati gesserant in Macedonia bellum. plurimum causam eorum adjuvit M. Porcius Cato; qui asper ingenio, tum lenem mitemque senatorem egit. Non inferam simulacrum viri copiosi, quæ dixerit referendo: ipsius oratio scripta extat, Originum quinto libro inclusa. Rhodiis responsum ita redditum est, *ut nec hostes fierent, nec socii permanerent.* Philocrates & Astymedes principes legationis erant. *Partem cum Philocrate renunciare Rhodum legationem placuit, partem cum Astymede Romæ subsistere,* [1] *quæ agerentur sciret, certioresque suos faceret.* In præsentia deducere ante certam diem ex Lycia Cariaque jusserunt præfectos. Hæc Rhodum nunciata, quæ per se tristia fuissent: quia majoris mali levatus erat timor, quum bellum timuissent; in gaudium renunciata verterunt. Itaque extemplo [2] coronam viginti millium aureorum decreverunt: [3] Theodotum præfectum classis in eam legationem miserunt. Societatem ab Romanis ita volebant peti, [4] ut nullum de ea re scitum populi fieret, aut literis mandaretur: [5] quod, nisi impetrarent, major repulsis ignominia esset. Præfecti classis id unius erat jus, ut agere de ea re sine rogatione ulla perlata posset. nam ita per tot annos in amicitia fuerant, ut socialis fœdere se cum Romanis non illigarent: ob nullam aliam causam, quàm ne spem regibus abscinderent auxilii sui, si cui opus esset, neu sibi ipsis fructus ex benignitate & fortuna eorum percipiendi. Tunc utique petenda societas videbatur; non quæ tutiores eos ab aliis faceret (nec enim timebant quemquam præter Romanos) sed quæ ipsis Romanis minùs suspectos. Sub idem ferè tempus & Caunii defecerunt ab his; & Mylassenses Euromensium oppida occuparunt. Non ita fracti animi civitatis erant, ut non sentirent,

Urb. cond. an. 586. Coss. Q. Ælio Pœto, & M. Junio.

NOTÆ.

1. *Quæ agerentur sciret.*] Omissum esse aliquid a Librariis apparet. Sigon. alterum *quæ* desiderat; quasi auctor scripserit, *quæ* (supple *pars legationis Rhodia.*) *quæ agerentur sciret.* Gronov. legit, *qui* (nempe *legati retenti in urbe*) *quæ agerentur sciret: quæ agerentur*, nempe cum Livio, duplicanda nimirùm summa erit.

2. *Coronam viginti millium.*] Polyb. scribit: *decem millium aureorum*: quod pondus responderet pretio fermè centum triginta quinque millium librarum Francicarum. Quod si viginti millia ponamus

3. *Theodotum præfectum classis.*] Livium ex Polyb. corrigendum putat Fulv. Ursinus, scribendumque, *Theætetum.*

4. *Ut nullum de ea re scitum populi fieret*] *Scitum*, sive *psephisma* intelligo *Rhodiorum.*

5. *Quod nisi impetrarent, major repulsi ignominia esset.*] Sensus est, idcirco Rhodios noluisse scriptis mandare decretum suum de petenda Romanorum societate, quod existimarent majus suum decus futurum, si eam sic publicâ auctoritate palam expetitam non obtinerent. seu sibi sic repulsis majorem ignominiam impendere.

Urb. cond. an. 586. Coss. Q. Aelio Pœto, & M. Junio.

si Lycia & Caria 6 adempta ab Romanis forent, cætera aut seipsa per defectionem liberarent, aut à finitimis occuparentur, includi se insulæ pavæ, & sterilis agri litoribus, quæ nequaquam alere tantæ urbis populum posset. missâ igitur juventute properè & Cannios, quanquam Cybiaturam asciverant auxilia, coegerunt imperio parere; & Mylassenses Alabandensesque, qui, Euromenium provinciâ adempta, ad ipsos conjuncto exercitu venerunt, 7 circa Orthosiam acie vicerunt.

XXVI. Dum hæc ibi, alia in Macedonia, alia Romæ geruntur; interim in Illyrico L. Anicius, rege Gentio, sicut antè dictum est, in potestatem redacto, Scodræ, quæ regia fuerat, præsidio impositio Gabinium præfecit, 1. Rhizoni 8 & Olzinio urbibus opportunis C. Licinium. Præpositis his Illyrico, cum reliquo exercitu in Epirum est profectus, ubi prima 3 Phanota ei dedita, totâ multitudine cum insulis obviam effusâ. hic præsidio impositio, 4 in Molossidem transgressus: cujus omnibus oppidis 5 præter Passaronem & Tecmonem, & Phylacen, & Horreum, receptis, primum ad Passaronem ducit. Antinous & Theodotus principes ejus civitatis erant; insignes & favore Persei, & odio adversus Romanos: iidem universæ genti auctores desciscendi ab Romanis. Hi conscientia privatæ noxæ, quia ipsis nulla spes veniæ erat, ut communi ruina patriæ opprimerentur, clauserunt portas: multitudinem, ut mortem servituti præponerent, hortantes. Nemo adversus præpotentes viros hiscere audebat. Tandem Theodotus quidam, nobilis & ipse adolescens, quum major à Romanis metus timorem à principibus suis vicisset; *Quæ vos rabies*, inquit, *agitat, qui 9 duorum hominum noxæ 9 civitatis accessionem facitis?*

NOTÆ:

6. *Adempta ab Romanis forent.*] Hujus senatusconsulti noster meminit lib. 44. cap. 15.

7. *Circa Orthosiam.*] *Orthosia*, vel potius *Orthosias* urbs fuit Cariæ non minima in confinio Pisidiæ: alia nempe ab Orthosiade Phœniciæ.

8. *Rhizoni.*] *Rhizon*, Plinio *Rhizinium*, Ptolemæo *Rhizinum*, Dalmatiæ urbs fuit ad fluvium cognominem, non procul Adriatico mari, inter Epidaurum & Lissum, hodie in vicum ferè redacta, cui vulgò nomen *Risano*.

2. *Et Olzinio.*] *Olchinium*, aliàs *Ulcinium*, antèa *Colchinium*, Plinio teste, deducto nimirùm à Colchis Jasonem ac Medeam sequutis vocabulo: maritima urbs est ejusdem Dalmatiæ ad ostium ferè Drilonis, nunc vulgò *Dolcigno*, sub Turcarum ditione.

3. *Phanota ei dedita.*] Hæc *Phanote* eadem cum *Phœnice* Chaoniæ in Epiro urbe videtur Nic. Sanson. Aliàs *Phanotens* urbs fuit Phocidis.

4. *In Molossidem.*] *Molossis* seu *Molossia* regio est Molossorum in regno Epiri: hi nomen sortiti à Molosso Pyrrhi ex Andromacha filio.

5. *Præter Passaronem.*] Molossorum oppidum Dolopiam & Aquilonem versus *Passaro* fuit, ut *Horreum* versus Aperantios & ortum, & *Phylace* ad meridiem, non procul finibus Amphilochiorum. *Tecmon* verò propius Anchetum fluvium & Cassiopæos. Stephanus tamen Tecmonem Thesprotis adscribit.

6. *Duorum hominum noxæ civitatis accessionem facitis.*] Gronov. legit, *civitatem*, quod sanè rectum est, & elegans: posset tamen fortè ita explicari, ut exprobraret multitudini Theodotus, quòd civitatis suæ accessionem facerent ad crimen duorum, qui soli noxii; sive quòd assentiendo seque adjungendo noxiis illis duo-

Equidem pro patria qui Iovum oppetissent, sæpè fando audivi: qui patriam pro se perire æquum censerent, primi inventi sunt. Quin aperimus portas, & imperium accipimus; quod orbis terrarum accepit! Hæc dicentem quum multitudo sequeretur, Antiopus & Theodotus in primam stationem hostium irruperunt, atque ibi offerentes seipsi vulneribus interfecti. urbs dedita est Romanis. Simili pertinacia Cephali principis clausum Tecmonem, ipso interfecto, per deditionem recepit. Nec Phylace, nec Horreum, oppugnationem tulerunt. Pacatâ Epiro, divisisque in hiberna copiis per opportunas urbes, regressus ipse in Illyricum, Scodræ, quo quinque legati ab Roma venerant, evocatis ex tota provincia principibus, conventum habuit. Ibi pro tribunali pronunciavit de sententia consilii: *Senatum populumque Romanum Illyrios esse liberos jubere. præsidia ex omnibus oppidis, arcibus & castellis sese deducturum. Non solùm liberos, sed etiam immunes fore Issenses & Taulantios; & Dassarciorum Pirustas Rizonitas, Olcinitas, quod in eo ultimi Gentio ad Romanos defecissent,* [8] *Daorsos quoque immunitatem dare, quod relicto Caravantio cum armis ad Romanos transissent. Scodrensibus, & [9] Dassarensibus,* [10] *& [11] Selepitanis, cæterisque Illyriis, vectigal dimidium ejus quod regi pendissent.* Inde in tres partes Illyricum divisit. unam eam fecit [12] quæ suprà dicta est, alteram Labeatas omnes, tertiam [13] Agravonitas & Rizonitas, & Olcinitatas, accolasque eorum. [a] hac formulâ dictâ in Illyrico; ipse in Epiri Passaronem in hiberna rediit.

Urb. cond. an. 586. Coss. Q. Ælio Pœto, & M. Junio.

INTERPRETATIO.

a *Cæsarita descriptum esse in tres partes Illyricum.*

NOTÆ.

bus, efficeretur ut civitas accederet ad eorum crimen.

7. *Dassariorum Piruſtæ.*] Sic legendum ex Sigonio. Significatur autem non omnibus Dassaretiis concessam libertatem, sed uni eorum populo, *Piruſtis* scilicet, ut & Rhizonitis, &c. qui extra Dassaretios.

8. *Daorſos.*] Ptolemæus dicuntur *Daorſii*, hosque unà in interiori Dalmatia sub Vardæis: Strabo *Daorizos* appellat, sitosque ait circa Naronem fluvium.

9. *Dassarensibus.*] *Dassarensis* nostro hic appellantur, qui alias *Dassarenii*.

10. *Et Selepitanis.*] Videndum an pro *Salonitanis*, an pro *Salviatis*: legitur enim *Salvia* inter Liburniæ urbes mediterraneas apud Ptol. quæ Antonino *Silvia*. Plinius in Liburnia *Sculpinos* memorat: in Dalmatiæ insulanis, *Separos Epetinos*: è quorum duorum corruptis nominibus Librariorum errore facilè prodire potuerunt *Selepitani*.

11. *Quæ suprà dicta est.*] Divisum itaque fuit Illyricum in tres partes, quarum primâ continebantur Issenses insulani, Taulantii, Piruſtæ, Rizonitæ, Olcinitæ, Daorſii, Scodrenſes, Dassarenſes, Selepitani, & Illyris strictè sumptis. Secundæ verò complectebatur Labeatas. Tertia Agravonitas, Rizonitas, & Olcinitas eorumque accolas. Sed nec posteriori duo populi, solùm toti, ad diversos Hyrici tractus referri facilè possunt; & Scodrani Labeatium urbem fuisse patet ex superioribus: unde conjicias in hæc nomina locorum propria mendi quippiam irrepsisse. At Plinius lib. 3. cap. 22. & 22. pro ufi temporis fui, in tres conventus juridicos totum Illyricum ab Japodibus & Liburnia ad Macedoni fines partitur, Scardonitanum in Liburnia, Salonitanum & Naronitanum in Dalmatia.

12. *Agravonitas.*] Vide quæ scribo

Urb. cond. ann. 586. Coss. Q. Ælio Pœto, & M. Junio.

XXVII. Dum hæc in Illyrico geruntur, Paullus ante adventum decem legatorum 1 Q. Maximum filium jam ab Roma regressum, ad 2 Æginium & Agassas diripiendas mittit: 3 Agassas, quod quum Marcio consuli tradidissent urbem, petita ultrò societate Romana, defecerant rursus ad Persea: Æginienſium novum crimen erat. famæ de victoria Romanorum fidem non habentes, in quosdam militum urbem ingressos hostiliter sæviérant. Ad 4 Æniorum quoque hostiliter urbem diripiendam L. Postumium misit, quòd pertinaciùs quàm finitimæ civitates in armis fuerant. Autumni ferè tempus erat, cujus temporis initio circumeundam Græciam, visendaque quæ nobilitata fama magis auribus accepta sunt, quàm oculis noscuntur, ut statuit; præpositio castris C. Sulpicio Gallo, profectus cum haud magno comitatu, tegentibus latera 5 Scipione filio & Athenæo Eumenis regis fratre: per Thessaliam Delphos petit, inclytum Oraculum, ubi sacrificio Apollini facto, inchoatas in vestibulo columnas, quibus imposituri statuas regis Persei fuerant, suis statuis victor destinavit. 6 Lebadiæ quoque 7 templum Jovis Trophonii adiit. ibi quum vidisset ea spectûs, per quod oraculo utentes scisciteantur Deos descendunt; sacrificio

5

10

15

NOTÆ.

dum sit *Asscrivionitas*. Fuit enim *Asscrivium* seu *Ascrivium* Dalmatiæ urbs, quam recentiores *Cataro* nominant, vel *Castelnuovo*.

1. *Q. Maximum filium*.] L. Æmilii Paulli, qui Perseum debellatum cepit, filius natu maximus fuit hic Q. Fabius Maximus Æmilianus, qui in Fabiorum gentem transiit adoptione Q. Fabii Maximi Labeonis.

2. *Æginium*.] *Æginium* invenio in Estiæotide supra fontem Jonis amnis, versus Pelagoniam Tripolitidem. Erat & aliud ejusdem nominis oppidum in Tymphæis Macedoniæ Illyricæ versus meridiem populis, in confinio Epiri.

3. *Agassas*.] *Agassæ* ponuntur in Pieria Macedoniæ regione, Dio ad occasum inter Mityn & Ascodrum fluvios.

4. *Ad Æniorum*.] *Æniam* urbem in parte Boreali Paraxiæ Macedoniæ regionis ad finum Thermaicum fuisse diximus, hodie *Moncastro*: ab ea diversa est *Ænos* urbs Thracica ad ostium Hebri fluvii: Græcis adhuc *Æno*, Turcis *Ignos*: quod ab Aenea in transitu conditum dicitur.

5. *Scipione filio*.] Ex quatuor filiis L. Æmilii Paulli, de quo hic agitur, secundus nascendi ordine erat hic P. Cornelius Scipio Æmilianus, in adoptionem datus Cornelio Scipioni Africani filio, & ipse postea Africanus, cognomento minor.

6. *Lebadia quoque*.] Bœotiæ urbs fuit *Lebadia*, sita inter Heliconem montem & Cheronæam urbem, haud procul Coroneâ, Copaïdi lacui ad occasum: nunc plerisque *Badia*. Fallor, aut ab hoc oppido pars magna Helladis veteris, nunc *Livadia* dicitur.

7. *Templum Jovis Trophonii*.] Strabo quoque apud Lebadiam situm ait Jovis Trophonii oraculum: Plut. in Sylla testatur suâ ætate eo uno in loco totius Bœotiæ solita reddi oracula, cùm reliqua omnia defecissent. Fuit autem Trophonius Ergini Orchomeniorum regulî è Minyis filius, Agamedis frater, architectus insignis; qui Delphis templum Apollinis ædificavit, & apud Lebadiam in subterraneo fano à se constructo: aliquandiu ipse oracula edidit. verùm cum famæ periisset, ferunt genium nescio quem antrum illud subiisse, atque ex eo fudisse oracula: traditum autem est qui in antrum illud descendissent, nunquam postea risisse. qua de re Erasmus ad adagium *In Trophonii antro vaticinatus*. De hujus oraculi origine, totoque consulendi ritu Pausanias in Bœoticis sub finem: qui tamen Trophonii specum egressis, cum mente rursum etiam redire testatur.

8 Jovi

[8] Jovi Hercynnæque facto, quorum ibi templum est, Chalcidem [9] ad Urb. cond. an. 586. Coss. Q. Ælio Pæto, & M. Junio. spectaculum Euripi, ζ Eubœæque insulæ ponte continenti junctæ descendit. A Chalcide Aulidem trajicit, trium millium spatio distantem, portumque inclytum statione quondam mille navium Agamemnoniæ classis: Diænæque templum, ubi navibus cursum ad Trojam, [10] filia victima aris admota, rex ille regum petiit. [11] Inde Oropum Atticæ ventum est; ubi pro Deo [12] vates Amphilochus colitur: templumque vetustum est fontibus rivisque circa amœnum. Athenas inde, plenas quidem & ipsas vetustate famæ, multa tamen visenda habentes: [13] arcem, [14] portus, muros Piræum urbi jungentes, navalia magnorum imperatorum, simulacra Deorum hominumque, omni genere & materiæ & artium insignia.

XXVIII. Sacrificio Minervæ præsidi arcis in urbe facto profectus, Corinthum altero die pervenit. urbs erat tunc præclara [1] ante excidium, arx quoque & Isthmus, præbuere spectaculum: [2] arx inter omnia in immanem altitudinem edita, scatens fontibus, Isthmus, duo maria ab occasu & ortu Solis finitima, arctis faucibus dirimens. Sicyonem inde & Argos

NOTÆ.

8. *Jovi, Hercynnæque.*] *Hercynna* Nympha fuit comes Proserpinæ, Cereris filiæ, a qua nomen accepit amnis oraculo Trophonii vicinus, teste eodem Pausaniâ. Eam Scholiastes Lycophronis Trophonii filiam fuisse scribit, & illum Deum statuisse.

9. *Ad spectaculum Euripi, avoque ante.*] Pro, *avoque*, reponit Florebellus, *Eubœaque*, probante Signonio, & confirmante ex Plinii auctoritate Gronovio. Qua de re dictum lib. 28. cap. 7.

10. *Filia victima aris admota.*] Rectè *aris admotam* pro victima Iphigeniam apud Aulidem dixit: oblata enim fuit, non immolata.

11. *Inde Oropum.*] Sita erat ad mare *Oropus* in Atticæ & Bœotiæ confinio: olim tenebant Bœoti, donec Philippus Macedonum rex, postquam Thebas expugnasset, *Oropum* Athenienſibus attribuit: hodie Zardus *Zucamini* vocari ait: Nardus verò *Susamino*.

12. *Vates Amphilochus.*] Apud Pſophidem, Oropiorum castellum, fuit ex Strab. templum & oraculum Amphiarai vatis Argivi, qui eo loco cum curru, quo ex Thebana obſidione fugiebat, terræ hiatu absorptus dicitur. Eum Oropii, ac postea reliqui Græci in Deorum numerum retulere, quemadmodum Lebadei Trophonium, Eleuntii Protesilaum. Ara ejus templi in quinque partes distributa erat, quarum tertia Veſtæ, Mercurio, Amphiarao filiiſque Amphilochi sacra erat. Fuit autem Amphilochus Amphiarai filius, Alcmæonis frater; hujus tamen nulla in ara mentio propter cædem matris Eriphyles. Amphilocho ipſi ara sua fuit apud Athenienſes: oraculum verò ejus apud Mallum Ciliciæ urbem; quod omnium, quæ suâ ætate extabant, minimè fallax fuisse testis est Pausan. in Atticis. Videtur itaque Livius hoc loco Amphilochum hîc dixiſſe pro Amphiarao.

13. *Arcem.*] In arce Athenarum fuit Palladis templum, à quo urbi nomen: ibi nunc reſidet præfectus Turcicus.

14. *Portus.*] Portus Athenarum tres memorantur, *Piræeus*, *Munichia*, *Phalerus*: eorum duo priores longis murîs conjuncti urbi à Themiſtocle, quæ μακρὰ τείχη, dicta.

1. *Ante excidium.*] Nempè *excidium* quod paulò pòst passa est Corinthus à Mummio, infrà Epit. 52. De urbibus Peloponneſi hoc cap. memoratis dictum ad Dec. 3. & 4.

2. *Arx inter omnia.*] Amplector Gronovii conjecturam ſcribentis, *arx inter mœnia*: Intelligitur Acrocorinthus arx monti impoſita in mediſtullio ferè urbis, de qua alias. Cum ea Ithome arx Meſſeniorum comparatur à Strab.

Urb. cond. an 586. Coss. Q. Ælio Pæto, & M. Junio.

nobiles urbes adit: inde haud parem opibus Epidaurum, sed inclytam Æsculapii nobili templo: quod quinque millibus passuum ab urbe distans, nunc vestigiis revulsorum donorum, tum donis dives erat, quæ remedio- rum salutarium ægri mercedem sacraverant Deo. Inde Lacedæmonem adit; non operum magnificentiâ, sed disciplinâ institutisque memorabi- lem: unde per Megalopolin Olympiam ascendit. Ubi & alia quidem spe- ctanda visa, 3 & Jovem velut præsentem intuens, motus animo est. Itaque haud secus quàm si in Capitolio immolaturus esset, sacrificium am- plius solito apparari jussit. Ita peragratâ Græciâ, ut nihil eorum, quæ quisque Persei bello privatim ac publicè sensisset, inquireret; 4 ne cujus metu solicitaret animos sociorum: 4 Demetriadem quum revertit, in itinere sordidata turba Ætolorum occurrit; mirantique & percunctanti quid esset, defertur, quingentos quinquaginta principes ab Lycisco & Ti- sippo circumsesso senatu per milites Romanos, missos à Bæbio præside, interfectos; alios in exilium actos esse: bonaque eorum qui interfecti essent, & exulum, possidere qui arguebant. Jussis Amphipolim adesse, ipse con- venit Cn. Octavio Demetriade, postquàm fama accidit, trajecisse jam mare decem legatos, omnibus aliis omissis 5 Apolloniam ad eos pergit. quo quum Perseus obviam Amphipoli nimis solutâ custodiâ processisset (id diei iter est) ipsum quidem benigne allocutus est: cæterùm, post- quàm in castra ad Amphipolim venit, graviter increpuisse traditur C. Sulpicium: primùm quòd Persea tam procul à se vagari per provinciam passus: deinde quòd adeò indulsisset militibus, ut nudare tegulis muros urbis ad tegenda hibernacula sua paterentur; referrique tegulas & refaciri te- cta, sicut fuerant, jussit. Et Persea quidem cum majore filio Philippo, trâditos A. Postumio, in custodiam misit: filiam cum minore filio à Sa- mothrace accitos Amphipolim, omni liberali cultu habuit.

XXIX. Ipse ubi dies venit, quo adesse Amphipoli 1 decem principes

INTERPRETATIO.

2 *Ne sociorum animos ullius rei timore anxios raderet*,

NOTÆ.

3. *Et Jovem velut præsentem.*] Jovis Olympii hoc simulacrum (quod ibi Cypseli Corinthiorum tyranni donum fuit) non marmoreum, sed eburneum, Phidiæ opus, ad artis miraculum, tum magnitudine, tum majestatis specie. Tantum certè fuit, ut quamvis templum maximum esset, proportionis tamen sive symmetriæ habitâ ratione, sedentis habitu fingendus fuerit; ita ut si surgeret, tectum superaturus videretur; ut Strabo idem observat lib. 8.

4. *Demetriadem quum revertisset.*] Nondum scribere, *cùm revertisset*: nondum enim reverterat L. Æmilius Demetriadem; sed quo tempore revertebatur, cùm nondum eò perveniset, obvios in itinere habuit Ætolos, de quibus hic agitur.

5. *Apolloniam ad eos pergit.*] Ex pluribus hujus nominis in ipsa Macedonia urbibus, indicatur ea quæ ad Chabrium amnem sita in Amphaxitide regione Thraciæ vicina.

1. *Decem principes civitatum.*] *Decem primi*, Græcè δεκα πρωτοι, sub imperatoribus Romanis dicebantur Decemviri ex

civitatum jusserat ; [a] literasque omnes, quæ ubique depositæ essent, & pecuniam regiam conferri, cum decem legatis circumfusâ omni multitudine Macedonum, in tribunali consedit. Assuetis regio imperio, tamen novum formam terribilem præbuit tribunal : [b] summotor aditûs, præco, accensus, insueta omnia oculis auribusque ; quæ vel socios, nedum hostes victos, terrere possent. Silentio per præconem facto, Paullus Latinè, quæ senatui, quæ sibi ex consilii sententia visa essent, pronuntiavit : ea Cn. Octavius prætor (nam & ipse aderat) interpretata sermone Græco referebat. *Omnium primum liberos esse jubere Macedonas ; habentes urbes easdem agrosque, utentes legibus suis, annuos creantes magistratus : tributum dimidium ejus quod pependissent regibus, pendere populo Romano. Deinde* [2] *in quatuor regiones dividi Macedoniam. unam fore & primam partem, quod agri inter Strymonem & Nessum amnem sit : accessurum huic parti trans Nessum ad orientem versum, qua Perseus tenuisset vicos, castella, oppida. præter Æsum, & Mavoneam, & Abdera ; trans Strymonem autem vergentia ad occasum Bisaltiæam omnem cum Heraclea, quam Sinticen appellant. Secundam fore regionem, quam ab ortu Strymo amplecteretur amnis, præter Sinticen Heracleam & Bisaltas : ab occasu qua Axius terminaret fluvius, additis Pœonibus, qui prope Axium flumen ad regionem orientis colerent. Tertia pars facta, quam Axius, ab oriente, Peneus amnis ab occasu, cinguntad septentrionem* 3 *Bora mons objicitur. Adjecta huic parti regio Pœoniæ, qua ab occasu præter Axium amnem porrigitur. Edessa quoque & Beræa eodem concesserunt. Quarta regio trans Boram montem una parte confinis Illyrico, altera Epiro. Capita regionum ubi concilia fierent, primæ regionis Amphipolim, secundæ Thessalonicen, tertiæ Pellam, quartæ Pelagoniam fecit. Eo concilia suæ cujusque regionis indici, pecuniam conferri, ibi magistratus creari jussit.* Pronunciavit deinde, *neque connubium, neque commercium agrorum ædificiorumque inter se, placere cuiquam extra fines regionis suæ esse. Metal-*

Urb. cond. an. 586. Coss. Q. Ælio Pœto, & M. Junio.

INTERPRETATIO.

a *Et cuncta monumenta actorum publicorum*, sed præsertim epitolas ad Perseum missas, ejusque commentaria.

b *Lictor* propiùs adeuntes ex officio *submovere solitus*.

NOTÆ.

ordine Decurionum, qui, inter alia, tributorum exactioni incumbebant. Hic intelligi videntur decem, qui in senatu aut consilio cujusque civitatis Macedonicæ prima tenebant loca.

2. *In quatuor regiones dividi.*] Constitutus in Macedonia numerus idem velut conventuum, qui in Hispania Tarraconensi fuisse legitur apud Plin. Nam jubentur Concilia cujusque partis convenire Amphipolin, Thessalonicam, Pellam, & Pelagoniam, id est, ni fallor, Stobos, quæ urbs Pelagoniæ. hæc verò Pœoniæ latè sumptæ pars.

3. *Bora mons objicitur.*] *Orbelum*, opinor, significat, quo Macedonia dividi-

Urb. cond. an. 586. Coss. Q. Ælio Pœto, & M. Junio.

la quoque auri atque argenti non exerceri: ferri & æris permitti. Vectigal exercentibus dimidium ejus impositum quod pependissent regi. Et sale invecto uti vetuit. Dardanis repetentibus Pœoniam, quod & sua fuisset, & continens esset finibus suis, omnibus dare libertatem pronuntiavit, qui sub regno Persei fuissent. Post non impetratam Pœoniam, salis commercium dedit: tertiæ regioni imperavit, ut Strobos Pœoniæ deveherent, pretiumque statuit. Navalem materiam & ipsos cædere, c & alios pati vetuit. Regionibus quæ affines barbaris essent (excepta autem tertiâ, omnes erant) *permisit, ut præsidia armata in finibus extremis haberent.*

XXX. Hæc pronunciata primo die conventûs, variè affecerunt animos. Libertas præter spem data arrexit, levatum annuum vectigal. Regionatim commerciis interruptis ita videri lacerata, tanquam animalia, in artus alterum alterius indigentes, distracta: adeo quanta Macedonia esset, quàm divisui facilis, & 1 à seipsa quæque contempta pars esset, Macedones quoque ignorabant. Pars prima Bisaltas habet, fortissimos viros (trans Nessum amnem incolunt, & circa Strymonem) & multas frugum proprietates, & metalla, & opportunitatem Amphipolis: quæ objecta claudit omnes ab oriente sole in Macedoniam aditus. Secunda pars celeberrimas urbes, Thessalonicen & Cassandriam habet; ad hoc Pallenem fertilem ac frugiferam terram: maritimas quoque opportunitates ei præbent portus ad Toronen, ac montem Atho (Æneæ vocant hunc) alii ad insulam Eubœam, alii ad Hellespontum opportunè versi. Tertia regio nobiles urbes Edessam & Berrœam, & Pellam habet, & Vettiorum bellicosam gentem: incolas quoque permultos Gallos & Illyrios impigros cultores. Quartam regionem Herodei & Lyncestæ & Pelagones incolunt: juncta his Actania, & Stymphalis, & Elimiotis. frigida hæc omnis, duraque cultu & aspera plaga est: cultorum quoque ingenia terræ similia habet. ferociores eos & accolæ barbari faciunt; nunc bello exercentes, nunc in pace miscentes ritus suos. Divisæ itaque Macedoniæ partium usibus separatis, 2 quanta universos teneat Macedonas formula dicta, quum leges quoque se datorum ostendisset.

XXXI. Ætoli deinde citati, in qua cognitione magis utra pars Romanis, utra regi faviſſet, quæsitum est, quàm utri fecissent injuriam aut accepissent. Noxâ liberati interfectores: exilium pulsis æquè ratum fuit,

INTERPRETATIO.

c *Et ne paterentur ut alii ligna ad navigandum caderent.*

NOTÆ.

tur à Mœsia.

1. *A seipsa quaque contempta.*] Quis Sigonio non adhæreat, probanti, *ut seipsa quaque contenta pars esset.*

2. *Quanta universos teneat,*] Imò, *qua universos teneret Macedonas, formulâ dictâ*, id est, constitutum est à Paullo quâ ratione regeretur tota Macedonia, ordinatis scilicet ejus partibus.

ac mors interfectis. A. Bœbius unus est damnatus, quòd milites Romanos præbuisset ad ministerium cædis. Hic eventus Ætolorum causæ, in omnibus Græciæ gentibus populisque eorum qui partis Romanorum fuerant, inflavit ad intolerabilem superbiam animos: & obnoxios pedibus eorum subjecit, quos aliqua parte suspicio favoris in regem contigerat. Tria genera principum in civitatibus erant: duo, quæ adulando aut Romanorum imperium, aut amicitiam regum, sibi privatim opes oppressis faciebant civitatibus: medium unum, utrique generi adversum libertatem & leges tuebatur. His ut major apud suos charitas, ita minor apud externos gratia erat. Secundis rebus elati Romanorum partis ejus fautores; soli tum in magistratibus, soli in legationibus erant. Hi quum frequentes & ex Peloponneso, & ex Bœotia, & ex aliis Græciæ conciliis adessent, implevere aures decem legatorum: *Non eos tantùm, qui se propalam per vanitatem jactassent, tanquam hospites, & amicos Persei, sed multo plures alios ex occulto favisse. reliquos per speciem tuendæ libertatis* [a] *in conciliis adversus Romanos omnia instruxisse: nec aliter eas mansuras in fide gentes, nisi, fractis animis partium, alcretur confirmaretque auctoritas eorum, qui nihil præter imperium Romanorum spectarent.* [b] Ab his editis nominibus, evocati literis imperatoris ex Ætolia, Acarnaniaque, & Epiro, & Bœotia, qui Romam ad causam dicendam sequerentur: in Achajam ex decem legatorum numero profecti duo, C. Claudius, & Cn. Domitius, ut ipsi edicto evocarent. Id duabus de causis factum: una, quòd fiduciæ plus animorumque esse Achæis ad non parendum credebant, & forsitan etiam in periculo fore Callicratem & cæteros criminum auctores delatoresque: altera, cur præsentes evocarent, causa erat, quod ex aliis gentibus principum literas deprehensas in commentariis regiis habebant: in Achæis cœcum erat crimen, nullis eorum literis inventis. Ætolis dimissis, Acarnanum citata gens: in his nihil novatum, nisi quòd Leucas exempta est Acarnanum concilio. Quærendo deinde latiùs, qui publicè aut privatim partium regis fuissent, in Asiam quoque cognitionem extendere: [1] & ad Antissan in Lesbo insula diruendam, traducendos Methymnam Antissæos, Labeonem miserunt: quòd Antenorem, regium præfectum, quo tempore cum lembis circa Lesbum [θ] est vagatus, portu receptum commeatibus juvissent. Duo fecuri percussi viri insignes: Andronicus An-

Urb. cond. an. 586. Coss. Q. Ælio Pæto, & M. Junio.

INTERPRETATIO.

a *Cæteros in conventibus civitatum suarum, prætextu libertatis conservandæ, cum Romanis partibus censebantur, indicata fuissent* decem legatis ab iis, qui ex Peloponneso aliisque Græciæ conventibus ad eos missi fuerant.

b *Cùm nomina eorum, qui minùs fidi direxisse, & comparasse contra Romanos.*

NOTÆ.

1. *Ad Antissam.*] Fuit *Antissa* urbs Troadis oppido ex adverso respondet, ut Lesbi insulæ in boreali plaga, quæ Asso Methymna Antando Mysiæ minoris.

Urb. cond. an. 586. Coss. Q. Ælio Pæto, & M. Junio.

dronici filius Ætolus, quòd patrem secutus, arma contra populum Romanum tulisset: & Neo Thebanus, quo auctore societatem cum Perseo junxerant.

XXXII. His rerum externarum cognitionibus interpositis, Macedonum rursùs advocatum concilium: pronunciatum, *Quod ad statum Macedoniæ pertinebat, senatores, quos Synedros vocant, legendos esse, quorum consilio Respublica administraretur.* Nomina deinde sunt recitata principum Macedonum, quos cum liberis majoribus quàm quindecim annos natis præcedere in Italiam placeret. Id primâ specie sævum, mox apparuit multitudini Macedonum pro libertate sua esse factum. nominati sunt enim regis amici purpuratique duces exercituum, præfecti navium, aut præsidiorum; servire regi humiliter, aliis superbè imperare assueti: prædivites alii, alii quos fortunâ non æquarent, his sumptibus pares: regius omnibus victus vestitusque: nulli civilis animus, neque legum neque libertatis æquæ patiens. Omnes igitur qui in aliquibus ministeriis regiis, etiam qui in minimis legationibus fuerant, jussi Macedonia excedere, atque in Italiam ire: qui non paruisset imperio, mors denunciata. Leges Macedoniæ dedit cum tanta cura, ut non hostibus victis, sed sociis benè meritis dare videretur: & quas ne usus quidem longo tempore (qui unus est legum corrector) experiendo argueret. Ab seriis rebus [1] ludicrum, quod ex multo antè præparato, & in Asiæ civitates & ad reges missis qui denunciarent, & quum circumiret ipse Græciæ civitates indixerat principibus, magno apparatu Amphipoli fecit. Nam & artificum omnis generis, qui ludieram artem faciebant, ex toto orbe terrarum multitudo, & athletarum, & nobilium equorum convenit: & legationes cum victimis, & quidquid aliud Deorum hominumque causâ fieri magnis ludis in Græcia solet. ita factum est, ut non magnificentiam tantùm, sed prudentiam in dandis spectaculis, ad quæ rudes tum Romani erant, admirarentur. Epulæ quoque legationibus paratæ, & opulentia & cura eadem. Vulgò dictum ipsius ferebant, & convivium instruere, & ludos parare, ejusdem esse qui vincere bello sciret.

XXXIII. Edito ludicro omnis generis, clypeisque æreis in naves impositis; cætera omnis generis arma cumulata in ingentem acervum, precatus Martem, Minervam [1] Luamque matrem & cæteros Deos, quibus spolia hostium dicare jus fasque est, ipse imperator face subditâ succendit. deinde circumstantes tribuni militum pro se quisque ignes conjecerunt.

NOTÆ.

1. *Ludicrum.*] Agones omnis generis & sacrificium atque convivia L. Paulli memorat etiam Plut. eorum magnificentiam prædicans: meminit & horum ludorum Livius Epit. lib. 31.

1. *Luamque matrem.*] De hac dictum lib. 8. cap. 1. Cave ne Dempstero quare, qui *Lunam* pro *Lua* ponit. Diamen Λοὺω cognominatam Syracusanis scribit Diomedes Grammaticus lib. de origine Bucolicor.

Notata est in illo conventu Europæ Asiæque undique partim ad gratulationem, partim ad spectaculum contracta multitudine, tantis navalibus terrestribusque exercitibus, ea copia rerum, ea vilitas annonæ; ut, & privatis, & civitatibus, & gentibus, dona data pleraque ejus generis sint ab imperatore, non in usum modò præsentem, sed etiam quòd domos averherent. Spectaculo fuit ei quæ venerat turbæ, non scenicum magis ludicrum, non certamina hominum aut curricula equorum, quàm præda Macedonica omnis ut viseretur exposita; statuarum, tabularumque textilium, & vasorum ex auro & argento & ære, & ebore factorum ingenti cura in ea regia: ut non in præsentem modò speciem, qualis referta regia Alexandriæ erat, sed in perpetuum usum fierent. Hæc in classem imposita, devehenda Romam Cn. Octavio data. Paullus benignè legatis dimissis, transgressus Strymonem, mille passuum ab Amphipoli castra posuit: inde profectus Pellam quinto die pervenit. Prætergressus urbem, [2] ad Spelæum (quod vocant) biduum moratus, P. Nasicam, & Q. Maximum filium cum parte copiarum ad depopulandos Illyrios, qui Persea juverant bello, misit; jussos ad Oricum sibi occurrere: ipse Epirum petens, quintidecimis castris Passaronem pervenit. Urb. cond. an. 586. Coss. Q. Ælio Porto & M. Junio.

XXXIV. Haud procul inde Anicii castra aberant. ad quem literis missis, ne quid ad ea quæ fierent, moveretur: senatum prædam Epiri civitatum, quæ ad Persea defeciſſent, exercitui dedisse; summissis centurionibus in singulas urbes, qui se diceren ad præsidia deducenda veniſſe, ut liberi Epirotæ, sicut Macedones essent: denos principes ex singulis evocavit civitatibus, quibus quum denunciasset, ut aurum atque argentum in publicum proferretur, per omnes civitates cohortes dimisit. antè in ulteriores quàm in propiores profecti, ut uno die in omnes pervenirentur. Edita tribunis centurionibusque erant quæ agerentur: mane omne aurum, argentumque collatum: hora quarta signum ad diripiendas urbes datum est militibus: tantaque præda fuit, ut in equitem [1] quadringeni denarii, [2] peditibus duceni dividerentur, centum quinquaginta millia capitum humanorum abducerentur. Muri deinde direptarum urbium diruti sunt: ea fuere oppida circa septuaginta. vendita præda omnium, de ea summa, militi numeratum est. Paullus ad mare Oricum descendit, nequaquam ut ratus erat, expletis militum animis: qui, tanquam nullum in Macedonia gessissent bellum, experres regiæ prædæ esse indignabantur. Orici quum missas cum Scipione Nasica Maximoque filio copias invenisset, exercitu in naves imposito in Italiam trajecit. Et post paucos dies Aniciius conventu reliquorum Epirotarum Acarnanumque acto, jussisque in Italiam sequi principibus, quorum cognitionem causæ reservarat: & ipse navibus expectatis,

NOTÆ.

2. *Ad Spelæum, quod vocant.*] Loci nomen haud procul Pella.

1. *Quadringeni denarii.*] Nobis essent circiter 160. libræ. eſt, nostrâ pecuniâ, 1 bræ Francicæ 80.

2. *Peditibus duceni dividerentur.*] Id.

Urb. cond. an. 586. Coss. Q. Aelio Pæto, & M. Junio.

quibus usus Macedonicus exercitus erat, in Italiam trajecit. Quum hæc in Macedonia Epiroque gesta sunt, legati, qui cum Attalo ad finiendum bellum inter Gallos & regem Eumenem missi erant, in Asiam pervenerunt. Induciis per hiemem factis, & Galli domos abierunt, & rex in hibernacula concesserat Pergamum, gravique morbo æger fuerat. Ver primum ex domo excivit: jamque Synnada pervenerant, quum Eumenes ad Sardes undique exercitum contraxerat. Ibi & Romani Solovertium ducem Gallorum Synnadis allocuti, & Attalus cum eis profectus: sed castra Gallorum intrare eum non placuit, ne animi ex disceptatione irritarentur. P. Licinius cum regulo Gallorum est locutus, retulitque ferociorem eum deprecando factum: ut mirum videri posset, inter opulentos reges Antiochum Ptolemæumque, tantum legatorum Romanorum verba valuisse; ut extemplo pacem facerent; apud Gallos nullius momenti fuisse.

XXXV. Romam primùm reges captivi Perseus & Gentius in custodiam cum liberis abducti; dein turba alia captivorum: tum quibus Macedonum denunciatum erat, ut Romam venirent, principumque Græciæ. nam hi quoque non solùm præsentes exciti erant, sed etiam, si qui apud reges esse dicebantur, literis arcessiti sunt. Paullus ipse post dies paucos regiâ nave ingentis magnitudinis, quàm sexdecim versus remorum agebant, ornata Macedonicis spoliis non insignium tantùm armorum, sed etiam [a] regiorum textilium, adverso Tiberi ad urbem est subvectus; completis ripis obviam effusâ multitudine. Paucos post dies Anicius & Octavius classe sua advecti. Tribus iis omnibus decretus est ab senatu triumphus: mandarumque Q. Cassio prætori, cum tribunis plebis ex auctoritate Patrum ageret, rogationem ad plebem ferrent, ut iis, quo die urbem triumphantes inveherentur, imperium esset. Intacta invidia media sunt: ad summa fermè tendit. Nec de Anicii, nec de Octavii triumpho dubitatum est: Paullum, cui ipsi quoque se comparare erubuissent, obtrectatio carpsit. Antiqua disciplina milites habuerat: de præda parciùs quàm speraverant ex tantis regiis opibus dederat, [1] nihil relicturus, si aviditati indulgeretur, quod in ærarium deferret. Torus Macedonicus exercitus imperatori erat negligenter adfuturus comitiis ferendæ legis. Sed eos Ser. Sulpicius

INTERPRETATIO.

a *Strangula veste purpureâ, qua Persei fuerat:*

NOTÆ.

3. *Synnada pervenerant.*] Nomen est urbis è primariis Phrygiæ magnæ, à qua marmor Synnadicum: vetus nomen retinet.

1. *Nihil relicturus.*] Suggerit Gronov. *nihil relicturis*, scilicet militibus. Commoda haud dubiè sententia: sed quam Livii menti omnino consentaneam dicere non ausim. Videtur enim velle Æmilium Paullum providisse futurum, ut si aviditati militum indulgeret, nihil sibi ipse reliquum faceret quod posset in ærarium interre.

Galba,

Galba, qui tribunus militum ſecundæ legionis in Macedonia fuerat, privatim imperatori inimicus, prenſando ipſe, & per ſuæ legionis milites ſolicitando ſtimulaverat, ut frequentes ad ſuffragium adeſſent: *Imperioſum ducem & malignum, antiquando rogationem quæ de triumpho ejus ferretur, ulciſcerentur. plebem urbanam ſecuturam eſſe militum judicia. Pecuniam illum dare non potuiſſe, [1] militem honorem dare poſſe? ne ſperaret ibi fructum gratiæ, ubi non meruiſſet.* Urb. cond. an. 586. Conſ. Q. Ælio Pœto, & M. Junio.

XXXVI. His incitatis, quum in Capitolio rogationem eam Ti. Sempronius tribunus plebis ferret, [1] & privatis lege dicendi locus eſſet, nec ad ſuadendum, [2] ut in re minimè dubia, quiſquam procederet; Servius Galba repentè proceſſit, & à tribuno poſtulavit, *Ut, quoniam hora jam octava diei eſſet, nec ſatis temporis ad demonſtrandum haberet, cur L. Æmilium non juberent triumphare, in poſterum diem differrent, & mane eam rem agerent. Integro ſibi die ad cauſam eam orandam opus eſſe.* Quum tribunus, dicere eo die ſi quid vellet, juberet; in noctem rem dicendo extraxit, referendo admonendoque: *Exacta acerbe munia militiæ, plus laboris, plus periculi, quàm deſideraſſet res, injunctum, contrà in præmiis, in honoribus, omnia artata. militi amque, ſi talibus ſuccedat ducibus, horridiorem aſperioremque bellantibus; eandem victoribus inopem atque inhonoratam futuram. Macedonas in meliore fortuna, quàm milites Romanos eſſe. Si frequentes poſtero die ad legem antiquandam adeſſent, [3] intellecturos potentes viros, non omnia in ducis, aliquid & in militum manu eſſe.* His vocibus incitati, poſtero die milites tantâ frequentiâ Capitolium compleverunt, ut aditus nulli præterea ad ſuffragium ferendum eſſet: [a] intro vocatæ primæ tribus quum antiquarent, concurſus in Capitolium

INTERPRETATIO.

[a] *Cùm prima tribus inducta in ovile ad ferenda ſuffragia, rejicerent legem à Tib. Sempronio latam de triumpho P. Æmilii.*

NOTÆ.

1. *Militem honorem dare poſſe.*] Turneb. ſic interpretatur, ut velit *eum*, qui poteſtatem habeat dandi, poteſtatem quoque non dandi habere. Sigon. aliique interjiciunt negationem: *militem honorem dare non poſſe*: Gron. mavult, *pecuniam illum non dare potuiſſe, militem honorem non dare poſſe*: quæ vera mihi lectio videtur, & germanam auctoris ſententiam exprimere.

1. *Et privatis lege dicendi locus eſſet.*] Miror Sigonium non vidiſſe quod Gronovio ſuccurrit, deeſſe præpoſitionem, ſcribendumque: *de lege dicendi*: poſtquam enim propoſita à magiſtratu, & promulgata lex fuerat: privatis copia dabatur dicendi de ea, & rationes proferendi, quibus populus ſuaderi aut diſſuaderi poſſet.

2. *Ut in re minimè dubia quiſquam procederet.*] Ita emendavit Sigon. cum quo Manutius ſentiebat. Erat tamen in omnibus anteà editis ex antiquo libro: *in re minimè dubia ſi quiſquam*: à quo ne minimùm recedat Gron. cogitandum proponit: *nec ad ſuadendum ut in re dubioſa quiſquam procederet*: nititur Gellii auctoritate, qui *dubioſa* nomen non ſemel uſurpat.

3. *Intellecturos potentes viros.*] Ait

Urb. cond. ann. 586. Coss. Q. Ælio Pœto, & M. Junio.

principum civitatis factus est, *Indignum facinus esse* clamitantium; *L. Paullum tanti belli victorem despoliari triumpho. obnoxios imperatores tradi licentiæ atque avaritiæ militari*: 4 *in uno nimis se per ambitionem peccare. Quid si domini milites imperatoribus imponantur?* in Galbam pro se quisque probra ingerere. Tandem, hoc tumultu sedato, M. Servilius, qui consul & magister equitum fuerat, ut de integro eam rem ageret, ab tribunis petere, dicendique sibi ad populum potestatem faceret. Tribuni quum ad deliberandum secessissent, victi auctoritatibus principum, de integro agere cœperunt, revocaturosque se easdem tribus renunciarunt, si M. Servilius aliique privati, qui dicere vellent, dixissent.

XXXVII. Tum Servilius, *Quantus imperator L. Æmilius fuerit, Quirites, si ex alia re nulla æstimari possit, vel hoc satis erat, quod, quum tam seditiosos & leves milites, tam nobilem, tam temerarium, tam eloquentem ad instigandam multitudinem inimicum in castris haberet, nullam in exercitu seditionem habuit. Eadem severitas imperii, quam nunc oderunt, tunc eos continuit. Itaque* 1 *antiqua disciplina habiti,* 1 *neque fecerunt. Servius quidem Galba, si in L. Paullo accusando tyrocinium ponere & documentum eloquentiæ dare voluit; non triumphum impedire debuit, quem, si nihil aliud senatus justum esse judicaverat: sed, postero die quàm triumphatum est,* 2 *& privatum quum visurus esset,* 3 *nomen deferret,* 2 *&*

INTERPRETATIO.

2 *Secundùm leges reum ageret.*

NOTÆ.

Galba se ostensurum primoribus & magistratibus, penes quos imperium in exercitum erat, quæ in bello gerantur, non ex ipsis solis pendere.

4. *In uno nimis se per ambitionem peccare.*] Jubet Gron. scribi: *ultrò nimis sæpè per ambitionem peccari: quid si domini milites imperatoribus imponantur?* vel, *ultrò nimis sæpè ambitionem peccare*, nempe imperatorum; ut sit sensus: sæpè imperatores præter necessitatem peccare, disciplinam ambitionis causâ remittendo: quid futurum si metu militum cogantur eis nimium indulgere? Mihi alia sententia in mentem venit, si minori correctione legatur, *in uno nimis sæpè ambitionem peccare*: ut ambitio non ad imperatorem, sed ad minores belli duces referatur; qualis hic Galba tribunus militum secundæ legionis, per cujus ambitionem audaciam, si negaretur Æmilio Paullo triumphus, & cuilibet tribuno daretur facultas Imperatorem suum calumniandi ita ut à militantium arbitrio penderet imperatorum triumphus; verendum erat, ne imposterum hi minùs dicto audientem haberent exercitum in minorum ducum erga milites indulgentia.

1. *Antiqua disciplina habiti neque fecerunt.*] Aut aliquid deest, aut mutanda scriptura, & cum Alb. Rubenio legendum: *antiqua disciplina habiti, tunc quieverunt.*

2. *Et privatum quum visurus esset.*] Scribit Gron. *sed postero die quàm triumphatum, & quum privatus eum visurus esset.*

3. *Nomen deferret.*] Mavult Sigon. *deferre, interrogare*, &c. modò infinitivo; ut referatur ad verbum, *debuit*. Mihi verò elegantior videtur modus subjunctivus, ut Gallicè diceremus: *après cela, qu'il le déferât, qu'il intentât son accusation contre luy.*

legibus interrogaret: aut serius paulo 4 quum primum magistratus ipse Urb. cond. an. 586.
cepisset, diem diceret, inimicum ad populum accusaret, ita & pretium Coss. Q.
rectè facti, triumphum haberet L. Paullus pro egregie bello gesto: & præ- Ælio Pœto, & M. Junio.
nam, si quid & vetere gloria sua & nova indignum fecisset. Sed videli-
cet ei crimen nullum, nullum probrum dicere poterat, ejus obtrectare
laudes volvit. Diem integrum hesterna die ad accusandum L. Paullum
petiit: quatuor horas, quantum supererat diei, dicendo absumpsit. Quis
unquam tam nocens reus fuit, cujus vitia vitæ tot horis exprimi non pos-
sent? Quid interim objecit, quod L. Paullus, si causam dicat, negatum
velit? Duas mihi aliquis conciones parumper faciat: unam militum Ma-
cedonicorum; puram alteram, integriores judicii, & à favore & odio,
universo judicante populo Romano apud concionem togatam & urbanam
prius rem agatur. Quid apud Quirites Romanos, Servi Galba, dice-
res? illa enim tibi tota absciſa oratio esset: in ſtatione ſeverius & inten-
tius inſtitiſti: vigiliæ acerbius, & diligentius circumitæ sunt; operis plus
quàm anteà feciſti, quum ipse imperator 6 & exactor circumires. Eodem
die & iter feciſti, & in aciem ex itinere duxiſti. Ne victorem quidem te
acquiescere passus est: ſtatim ad perſequendos hoſtes duxit. Quum te
præda partienda locupletem facere posset, pecuniam regiam transtulerus
in triumpho est, & in ærarium laturus. Hæc ſicut ad militum animos ſti-
mulandos aliquem aculeum habent, qui parum licentiæ, parum avaritiæ
ſuæ inſervitum cenſent: ita apud populum Romanum nihil valuiſſent:
qui ut vetera atque audita à parentibus ſuis non repetat, quæ ambitione
imperatorum clades acceptæ ſint, quæ ſeveritate imperii victoriæ partæ;
proximo certè Punico bello, quid inter M. Minucium magiſtrum equitum,
& Q. Fabium Maximum dictatorem interfuerit, meminit. Itaque accuſa-
torem id ſcire potuiſſe, & ſuper vacaneam defenſionem Paulli fuiſſe. Tran-
ſcatur ad alteram concionem: nec Quirites vos, ſed milites videor appel-
laturus, ſi nomen hoc ſaltem ruborem incutere, & verecundiam aliquam
imperatoris violandi afferre poſſit.

NOTÆ.

4. *Quum primùm magiſtratus ipſe cepiſſet.*] Galba ſcilicet, qui adhuc privatus, honores tamen ambire poterat; & paulò poſt videtur, prætor factus, male adverſus Luſitanos pugnaſſe.

5. *Priùs res agatur.*] Fortè, *res agatur* inquit Muretus: quod ut ſimum recipiamque, ita minùs neceſſarium videri poſſit, vulgatam lectionem retinere volentibus.

6. *Et exactor circumires.*] Imò ſanè *circumiret*, ut vult Gron. ſed nihil eſt, quod muretur. Acutè enim induoitur Galba objiciens L. Paullo quæ tum per milites, tum per ſeipſum fecerat, quaſi illi exprobraretur à Galba, quod laudi vertendum erat. Rectè igitur oratione ex perſona Galbæ verſa ad L. Aemilium: *inſtitiſti, operis plus feciſti, circumiret, iter feciſti, aciem duxiſti.* Deinde ex perſona Servilii Paullum deſcendentis concerſo ad ipſum Galbam ſermone, *ne victorem quidem te* (à Galba, & exercitum ſecum) *acquiescere paſſus eſt* (Paullus:) *ſtatim ad perſequendos hoſtes duxit*, &c.

Urb. cond. aa. 586. Coss. Q. Ælio Pœto, & M. Junio.

XXXVIII. *Equidem ipſe aliter affectus animo ſum, qui apud exercitum mihi loqui videar, quàm paulo antè eram, quum ad plebem urbanam ſpectabat oratio.* 1 *Quid etiam dicitis milites? Aliquis eſt Romæ, præter Perſea, qui triumphari de Macedonibus nolit: & eum non iiſdem manibus diſcerpitis, quibus Macedonas viciſtis? Vincere vos prohibuiſſet, ſi potuiſſet, qui triumphantes urbem inire prohibet. Erratis milites, ſi triumphum imperatoris tantùm, & non militum quoque & univerſi populi Romani eſſe decus cenſetis.* 2 *Non unius hoc Paulli. Multi etiam, qui ab ſenatu non impetrarunt triumphum, in monte Albano triumpharunt. Nemo L. Paullo magis eripere decus perfecti belli Macedonici poteſt, quàm C. Lutatio primi Punici belli, quàm P. Cornelio ſecundi, 3 quàm » decora cuique ſua illis qui poſt eos triumpharunt. Nec L. Paullum minorem aut majorem imperatorem triumphus facit. militum magis in hoc univerſique populi Romani fama agitur. primum ne invidiæ & ingrati animi adverſus clariſſimum quemque civem* 2 *opinionem habeat: & imitari in hoc populum Athenienſem lacerantem invidia principes ſuos videatur. Satis peccatum in Camillo à majoribus veſtris eſt:* 4 *quem tamen ante receptam per eum à Gallis urbem violarunt: ſatis inſuper à vobis in P. Africano; Literni domicilium & ſedem fuiſſe domitoris Africæ, Literni ſepulcrum oſtendi. Erubeſcamus, gloria ſi par illis*

INTERPRETATIO.

2 *Ne ingrati animi infamia laboret.*

NOTÆ.

1. *Quid etiam dicitis milites.*] Mureto ſubjicit: *quid enim*: Gronov. *etiam* transfert ad orationem ſuperiorem, ſcribitque: *equidem ipſe etiam aliter animo affectus ſum, quum apud exercitum mihi loqui videor, quam paulò antè eram, quum ad plebem ſpectabat oratio. Quid dicitis milites?* Ego vitii nihil in recepta lectione deprehendo. Poſtquam enim Servilius ſibi viſus eſt plebem urbanam ad ſuas partes traduxiſſe, jam milites interrogat, ut eliciat etiam ab illis parem aſſenſum. Niſi malis: *quid jam dicitis milites?*

2. *Non unius hoc Paulli.*] Mitor hoc membrum tanquam membrum abruptum, trajici à Gronovio in ſuperiora, ut ſit, *erratis, milites, ſi triumphum imperatoris tantùm, ſi unius hunc Paulli, & non militum quoque*, &c. Mihi verò elegantior videtur ſic abruptè pronunciata ſententia.

3. *Quàm illis qui poſt eos triumpharunt.*] In veteri codice ſcriptum erat: *quam illis qui triumpharunt*. Sigonius haud dubiè mutilus videretur locus, interjecit *Tè poſt eos*, & ſic ſatis expleri putavit, ut indicarentur qui poſt Lutatium, & Scipionem Africanum, de Philippo, deque Antiocho triumphaverant, T. Quintius Flamininus, & L. Cornelius Scipio Aſiaticus. Gron. alia quædam deſiderari ceſſet, velleique ſic fermè legi: *quam illis ſua quaque decora, & aliis, ſive ante hos, ſive poſt eos triumpharunt.* Mihi Sigonianum ſupplementum ſufficit: aut certè ſatis eſſe videtur, *quam ſua decora illis qui poſt eos triumpharunt*: quamvis nomen *decora* ineſſe poſſit nomini *decus*, quod è ſuperiori membro huc non abſurdè revocetur.

4. *Quem tamen ante receptam per eum à Gallis urbem.*] Opponit Servilius invidiam & ingratum animum plebis Romanæ in Camillum, invidiæ, & ingrato

viris L. Paullus, injuria vestra exæquetur. Hæc igitur primum infamia deleatur; fœda apud alias gentes, damnosa apud nostros. Quis enim aut Africani, aut Paulli similis esse, in ingrata & inimica bonis civitate, velit? Si infamia nulla esset, & de gloria tantum ageretur, qui tandem triumphus [b] *non communem nominis Romani gloriam habet? Tot de Gallis triumphi, tot de Hispanis, tot de Pœnis; ipsorum tantum imperatorum, an populi Romani dicuntur? Quemadmodum non de Pyrrho modo, nec de Annibale, sed de Epirotis Carthaginiensibusque triumphi acti sunt, sic non Manius Curius tantum, nec P. Cornelius, sed Romani triumpharunt. Militum quidem propria est causa: qui & ipsi laureati, & quisque donis quibus donati sunt insignes, 5 triumphum nomine cient, suisque & imperatoris laudes canentes per urbem incedunt. Si quando non deportati ex provincia milites ad triumphum sint, fremunt: & tamen tum quoque se absentes, quod suis manibus parta victoria sit, triumphare credunt. Si quis vos interroget, milites, ad quam rem in Italiam deportati, & non statim confecta provincia dimissi sitis, quid Romam frequentes sub signis veneritis, quid moremini hic, & non diversi domos quisque abeatis vestras: quid aliud respondeatis, quàm vos triumphantes videri velle? Vos certe victores conspici velle debeatis.*

Urb. cond. an. 586. Coss. Q. Ælio Pœto & M. Junio.

XXXIX. *Triumphatum nuper de Philippo, patre hujus, & de Antiocho est: ambo regnabant, quum de his triumphatum est. De Perseo capto, in urbem cum liberis abducto, non triumphabitur? Quod si in curru scandentes Capitolium, auratos purpuratosque ex inferiore loco Lucius Paullus in turba togatorum unus privatus interroget; Luci Anici, Cn. Octavi, utrum vos digniores triumpho esse, an me censetis? currum ei cessuri, & præ pudore videntur insignia ipsi sua tradituri. Et vos Gentium quàm Persea duci in triumphum mavultis, Quirites, & de accessione potius belli, quàm de bello triumphari? Et legiones ex Illyrico laureatæ urbem inibunt, & navales socii: Macedonicæ legiones, suo abrogato, triumphos alienos spectabunt? Quid deinde tam opimæ prædæ, tam opulentæ victoriæ spoliis fiet? Quonam abdentur illa tot millia armorum detracta corporibus hostium? an in Macedoniam remittentur? Quo signa aurea, marmorea, eburnea, tabulæ pictæ, textilia, tantum argenti cælati, tantum*

INTERPRETATIO.

b *Estne triumphus aliquis, qui non in commune sit gloriosus populo Romano.*

NOTÆ.

animo, qui movetur in L. Paullum: ut ostendat graviùs peccaturos Romanos, si hunc injuriâ affecerint post subactæ Macedoniæ decus; quam eorum majores in Camillum peccaverint ante acceptum ab eo urbis à Gallis liberatæ beneficium:

5. *Triumphum nomine cient.*] Notum est milites triumphantem Imperatorem in Capitolium sequentes, præter cantus alios sæpiùs inclamare solitos, *io triumphe*:

Urb. cond. an. 586. Coss. Q. Ælio Pœto, & M. Junio.

auri, tanta pecunia regia? An noctu, tanquam furtiva, in ærarium deportabuntur? Quid illud spectaculum maximum? nobilissimus opulentissimusque rex captus ubi victori populo ostendetur? Quos Syphax rex captus, accessio Punici belli, concursus fecerit, plerique meminimus. Perseus rex captus, Philippus & Alexander filii regis, tanta nomina subtrahentur civitatis oculis? Ipsum L. Paullum, bis consulem domitorem Græciæ, omnium oculi conspicere urbem curru ingredientem avent. Ad hoc fecimus consulem, ut bellum per quadriennium ingenti etiam pudore nostro tractum perficeret. cui sortito provinciam, cui proficiscenti præsagientibus animis victoriam triumphumque destinavimus; ei victori triumphum negaturi & quidem non homines tantum, sed Deos etiam suo honore fraudaturi? 1 Diis quoque enim, non solum hominibus debetur. Utrum majores vestri omnium magnarum rerum & principia exorsi ab Diis sunt, 2 & finem eum statuerunt? Consul proficiscens prætorve 3 paludatus cum lictoribus in provinciam & ad bellum vota in Capitolio nuncupat: victor perpetrato eodem, in Capitolio triumphans, ad eosdem Deos quibus vota nuncupavit, merita dona populi Romani traducit: pars non minima triumphi est victimæ præcedentes, ut appareat Diis grates agentem imperatorem, ob rempublicam benè gestam redire. Omnes illas 4 victimas, quas traducendas in triumpho vindicavit, 5 alias alio cædente mactare. illas quidem epulas senatus, quæ nec privato loco, nec publico profano, sed in Capitolio eduntur, utrum hominum voluptatis causâ, an Deorum hominumque, auctore Servio Galbâ, turbaturi estis? L. Paulli triumpho portæ claudentur? Rex Macedonum Perseus, cum liberis & turba alia captivorum, 6 spolia Macedonum, citra flumen relinquentur? 7 L. Paullus privatus, tanquam rure rediens, à porta domum ibit? 7 Et tu centurio, miles, quid de imperatore Paullo senatus decrevit potius, quàm quid Servius Galba fabuletur, audi: & hoc dicere me potius quàm illum audi. Ille nihil præterquàm loqui, & ipsum maledice ac maligne, didicit: ego ter &

NOTÆ.

1. *Diis quoque enim, non solum hominibus debetur.*] An addatur nomen *triumphus*, quod vult Sigon. an subintelligatur proximo, *honor*, parùm, opinor, interest. Cæterùm triumphus sine sacrificio non fiebat, ut cuivis notum.

2. *Et finem eum statuerunt.*] Nempè Deos sive Deorum honorem.

3. *Paludatis lictoribus.*] Scribit Gron. *prætorve paludatus cum lictoribus.*

4. *Victimas quas traducendas in triumpho vindicavit.*] Mod. *judicavit.* Turnèb. *decrevit* Gron. *in triumpho locavit.* Quid-[illegible] *quas traducendas in triumpho [illegible] dicavit?* supple *Diis.*

5. *Alias alio cadente mactare.*] Imperator, & qui aliis Diis sacrificabant, tangebant quidem manu victimas, sed victimariorum, non suis manibus cædebant.

6. *Spolia Macedonum citra flumen relinquentur.*] An ex Macedonis per Brundusium Apuliamque in Capitolium eunti trajiciendus Tiberis? Non id quidem, si tecta proficisceretur: sed ingresso per portam triumphalem, quæ ultra Tiberim, fluvius haud dubiè trajiciendus erat.

7. *Et tu Centurio.*] Rectè Gronov. *ait tu.*

& vicies cum hoſte per provocationem pugnavi: ex omnibus cum quibus manum conſervi, ſpolia retuli. inſigne corpus honeſtis cicatricibus omnibus adverſo corpore exceptis habeo. Nudaſſe deinde ſe dicitur: &, quo quæque bello vulnera accepta eſſent, retuliſſe. quæ dum oſtentat, adapertis forte quæ velanda erant, tumor inguinum proximis riſum movit. tum, *Hoc quoque quod ridetis*, inquit, *in equo dies noctesque perſedendo habeo: nec magis me ejus quàm cicatricum harum pudet, pœnitetque; quando nunquam mihi impedimento ad rempublicam bene gerendam domi militiæque fuit. Ego hoc ferro ſæpe vexatum corpus, vetus miles adoleſcentibus militibus oſtendi. Galba nitens & integrum denudet. Revocate, ſi videtur, tribuni ad ſuffragium tribus.* [8] *ego ad vos milites „ deſcendam, & cunctos ad ſuffragia euntes proſequar, ut eos coram cognoſcam, qui pravitate innata „ atque ingrati erga Imperatores ſuos animi vitio cæteros antecent, & qui „ in bello malunt ducum aſſentationibus, ne dicam obſequiis, quàm juſto „ imperio regi.* His permoti adeò & cæteri cives ſunt, & turba præſertim „ militaris, ut reliquarum tribuum concordibus ſuffragiis triumphum ſci„ ſcerent, quem, ſi quis unquam alius, præclara victoria Paullus meruc„ rat. Ejus ordo, ſive magnitudinem victi ductique Regis, ſive ſimulacro„ rum ſpeciem, ſive modum pecuniæ ſpectes, omnium ante actorum com„ parationem amplitudine ſua & magnificentia longè ſuperavit. Populus „ extructis per circos & fora tabulatis theatrorum inſtar, pompam ſpecta„ vit in candida toga: cum aperta & ultra morem ſertis coronata templa, „ jucundo thuris odorumque aliorum ſuffitu redolerent, atque à vicis ſedulò „ purgatis turbam ſubmoverent armati. Cæterum huic novo ſpectaculo „ vix triduum ſuffecit. Primus dies ſigna capta tabulaſque exhibuit curri„ bus ducentis impoſitas. Tantùm eximiorum ingentiumque operum ha„ buerant ſpoliatæ à noſtris Macedonum Græcorumque vicinorum civitates. „ Sequenti die cum pecuniis regiaque gaza, tranſvecta ſunt arma ferro aut „ ære nitida. Innumeris ineranr vehiculis velut acervatim, & tamen mirâ „ arte digeſtæ, hinc ſupra clypeos galeæ, aut ocreæ loricis thoracibuſve „ permixtæ; inde junctæ cetris Cretenſibus Thracica ſcuta. Nec deerant „ pictæ cum telorum faſcibus pharetræ. Corneres & indita habenis diviti-

Urb. cond. an. 586. Coſſ. Q. Ælio Pœto, & M. Junio.

Vellejus lib. 1. cap. 9.

Flor. lib. 2. cap. 12.

NOTÆ.

8. *Ego ad vos milites.*] Intercidit finis hujus orationis à Servilio habitæ in gratiam P. Aemilii: ſupplevit ex Plutarcho Sigon. *Ego verò illos omnes ſubſequar, & malos ac ingratos cives cognoſcam, quique in bellis à Tribunis, quàm ab Imperatore regi malunt.* Gron. ſic vertit & explicat: *Ego autem deſcendens* (puta templo, vel è loco ſuperiori, unde concionabatur) *comitabor ſingulos* (nempè in ſuffragium euntes, quaſi rogator, diribitor, & cuſtos, quales ſelecti ad cuſtodiendas ciſtas ſuffragiorum in comitiis,) & poſteà, *qui in bello malunt* μονογενεῖς, quod eſt, non tam à Tribunis (militaribus) regi, quàm *per ambitionem, & pravâ indulgentiâ haberi*, ut ſolet plebs ab Tribunis. Deſideratur hîc quoque initium triumphi ab Aemilio per triduum acti.

Urb. cond. an. 586. Coſſ. Q. Aelio Pœto, & M. Junio.

„bus aurea fræna, innexoſque ſariſſis atque haſtis criſpantibus diſtrictos
„gladios, non ſine horribili quodam inter vehendum fragore, mucronem
„exertantes. Tum referta argento ſignato vaſa ſeptingenta ſupra quinqua-
„ginta manibus robuſtorum hominum trium millium portabantur. Sin-
„gulis vaſis talenta ineſſe dicebantur tria, gerulorum quaternorum onus.
„Erant & qui argenteos ſcyphos, cornuaque & ingentes, extante miræ
„artis celatura, crateras ſine numero ferebant. Tertius dies captivos in
„conſpectu dedit. Canentibus claſſicum tubis ducebantur primùm pin-
„gues cornibus auratis & vittis ſertiſque redimiti boves centum ac viginti.
„Haſce hoſtias ducebant cincti juvenes operis Phrygii zonis: comites ad-
„diti pueri aureas ferebant argenteaſque ad ſacrificium pateras. Viſeban-
„tur & dona Jovi, vaſa nimirum ſeptem ac ſeptuaginta, aureorum num-
„morum plena ejuſdem cum ſuperioribus ponderis; & decem talentorum
„aurea phiala pretioſis diſtincta gemmis, quam in hunc uſum fieri atque
„ornari Paullus curaverat. Geſtabatur poſt hæc priſcorum Regum aurea
„ſupellex, (Antigonidas, Seleucidaſque appellabant) vaſa nempe ope-
„ris antiqui, & quibus uti Perſeus in conviviis ſolitus. Succeſſit & currus
„ditibus ejuſdem armis onuſtus, addito diademate. Nec magno interval-
„lo Regis liberi ſequebantur, comitante nutritiorum, pædagogorum &
„famulorum agmine, manus ad ſpectatores miſerabiliter tendentium,
„exemploque ſuo docentium pueros implorandam ſuppliciter victoris po-
„puli clementiam. Filii erant duo, filia una, tanto magis miſericordia
„digni, quanto minùs per teneram ætatem intelligebant quo ex faſtigio in
„quam humilem ſtatum fortunæ eos iniquitas dejeciſſet. Veniebat deinde
„Bittius Cotys Regis filius. Sed præ reliquo ſpectaculo Romanorum ocu-
„los advertit ipſe Perſeus pullo amictu, crepidis Græci moris indutus,
„mente ita ſtupens atque attonitus, ut incertum relinqueret doloriſne
„acerbiſſimi ſenſum ad intima animi demiſiſſet, an, quod miſerius adhuc
„videtur, alienata ob malorum magnitudinem mente, doloris omni ſenſu
„careret. Purpuratorum & amicorum ac Satellitum cohors ipſum identi-
„dem intuentes, ejus magis quàm ſuam ſortem gemitu & lachrymis pro-
„ſequebantur. Hanc quidem ignominiam deprecatum ante ab Æmilio
„Perſeum ferunt. Virum ejus reſponſo eluſum, cum diceret, id quidem
„in ipſius & pridem fuiſſe & eſſe adhuc manu ac poteſtate. Sed ille qualiſ-
„cumque vitæ ſpem generoſæ morti antepoſuit, maluitque in prædæ ſuæ
„parte ipſe numerari, quam ſe & captivitatis ſuæ honorem eripere vi-
„ctori: ut hoc infortunium non tantùm incurriſſe, ſed etiam meruiſſe vi-
„deretur. Quadraginta inde aureæ coronæ circumferebantur, Paullo ab
„omnibus fere Græcorum civitatibus in gratulationem victoriæ per legatos
„dono miſſæ. Vilendus tandem magnifico in curru veniebat ipſe Æmilius
„triumphali habitu, dextraque lauri præferens ramum: cingebant patris
„latera filii duo, Q. Fabius & P. Scipio Æmiliani, quos & laborum comi-
„tes & rerum agendarum habuerat adjutores. Comitabantur Legati, Tri-
„buni, milites, laureati & ipſi, Pœana canentes laudeſque Imperatoris

ita

„ita cantu celebrantes, ut cum his jocos dicteriaque in eundem miſce-
„rent.

Urb. cond. an. 586. Coſſ. Q. Ælio Pœto, & M. Junio.

XL. Summam omnis captivi auri argentique translati [1] ſeſtertiûm millies ducenties fuiſſe, Valerius Antias tradit: quæ haud dubiè [2] major aliquantò ſumma ex numero plauſtrorum ponderibuſque auri, argenti, generatim ab ipſo ſcriptis efficitur. Alterum tantùm aut in bellum proximum abſumptum, aut in fuga, cum Samothracem peteret, diſſipatum, tradunt: còque id mirabilius erat, quòd tantùm pecuniæ intra triginta annos poſt bellum Philippi cum Romanis, partim ex fructu metallorum, partim ex vectigalibus aliis coacervatum fuerat. Itaque admodum inops pecuniæ Philippus, Perſeus contrà prædives, bellare cum Romanis cœpit. Ipſe poſtremò Paullus in curru magnam, cum dignitate alia corporis, tum ſenecta ipſa, majeſtatem præ ſe ferens: poſt currum inter alios illuſtres viros filii duo, Q. Maximus, & P. Scipio: deinde equites turmatim, & cohortes peditum ſuis quæque ordinibus. Pediti [3] in

Triumphantis ducis, triumphatique regis hæ ſunt imagines ex numiſmate.

NOTÆ.

1. *Seſtertiûm millies ducenties.*] Id efficeret milliones librarum Francicarum duodecim. Cicero 2. de Offic. teſtatur Paullum omni Macedonum gaza potitum tantam pecuniam ærario intuliſſe, ut ea præda finem attulerit tributorum. Vell. ſcribit: *collata ab eo bis millies centies*: id eſt, viginti & unum milliones. Suidas, *Sena millia talentûm*, noſtrâ computatione milliones quatuordecim cum quadringentis librarum millibus, ponit: Plinius *ter millies*: quod noſtrâ pecuniâ redditum efficeret *trente millions*. Corrigendum hic Livium putat Gron. ut ſcribatur: *bis millies ducenties*, quæ ſunt ex ejuſdem ſententia poſt Lipſium, *quinquagies quinquies centena millia Philippûm*: nobis, *cinq millions d'or & demy*: ſi Philippei Flandrici tribus libris aſtratibus æſtimentur.

2. *Major aliquantò ſumma ex numero plauſtrorum.*] Plut. tradit hanc auri atque argenti vim in vaſis portatam fuiſſe ab aliquot millibus hominum, non plauſtris vectam: quare pecuniæ ſummam ex multitudine vehiculorum cognoſci potuiſſe Perizonius negat, tentatque num legendum ſit *Philippæorum*. Horum certè nummorum aureorum frequens, ut apud Græcos & Aſiaticos uſus; ita in triumphis ex iis gentibus frequens mentio.

3. *In ſingulos dati centeni.*] Denarii nempè, id eſt, pretium quadraginta librarum noſtratium.

Urb. cond. an. 586. Coss. Q. Ælio Pœto, & M. Junio.

singulos dati centoni, duplex centurioni, triplex equiti: 4 tantum peditidaturum fuisse credunt, & pro rata aliis, si aut non refragati honori ejus fuissent, aut benignè hac ipsa summa nunciata acclamassent. Sed non Persei tantùm per illos dies documentum humanorum casuum fuit, in catenis ante currum victoris ducis per urbem hostium ductus: sed etiam victor Paullus auro purpuraque fulgens. Nam duobus è filiis, quos, duobus datis in adoptionem, solos nominis sacrorum familiæque hæredes retinuerat domi; 5 minor fermè duodecim annos natus, quinque diebus ante triumphum; major quatuordecim annorum, triduo post triumphum decessit: quos prætextatos curru vehi cum patre, sibi ipsos similes prædestinantes triumphos, oportuerat. Paucis post diebus, data à M. Antonio tribuno plebis concione, quum de suis rebus gestis more cæterorum Imperatorum disseruisset, memorabilis ejus oratio & digna a Romano principe fuit.

XLI. *Quanquam & quàm feliciter rempublicam administraverim, & quod duo fulmina domum meam per hos dies perculerint, non ignorare vos, Quirites, arbitror, quum spectaculo vobis nunc triumphus meus, nunc funera liberorum meorum fuerint; tamen paucis quæso finatis me cum publica felicitate comparare eo quo debeo animo privatam meam fortunam. Profectus ex Italia, classem à Brundisio sole orto solvi; nonâ die horâ cum omnibus meis navibus Corcyram tenui. Inde quinto die Delphis Apollini pro me exercitibusque & classibus* 2 *lustra sacrificavi. A Delphis quinto die in castra perveni: ubi exercitu accepto,* 3 *mutatis quibusdam, quæ magna impedimenta victoriæ erant, progressus, quia inexpugnabilia castra hostium erant, neque pugnare cogi poterat rex,* 4 *inter præsidia ejus saltum ad Petram evasi, & ad pugnam rege coacto acie vici: Macedoniam in potestatem populi Romani redegi; & quod bellum*

INTERPRETATIO.

a *Viro primario inter Romanos.*

NOTÆ.

4. *Tantum peditibus daturum.*] Muret. & Gron. *alterum tantum* legunt, id est, peditibus ducentos, & pro rata aliis. Quid si *tantùm* pro *tantumdem*, id est, trecentos denarios peditibus, quantum nempè equitibus dederat.

5. *Minor quinque diebus ante triumphum.*] Contrà Plut. scribit, majorem è filiis in familia Paulli retentis, ante triumphum decessisse, minorem post triumphum.

1. *Et quod duo fulmina.*] Intelligit geminatam filiorum mortem: scribitque rectè Gron. *& quæ duo fulmina.*

2. *Lustra sacrificavi.*] Non immeritò Plutarchi etiam auctoritate delet Sigon. vocabulum *lustra*: etenim Delphis Apollini sacrificaverat Æmilius Paullus; deinde acceptum in Macedonia exercitum lustravit, nec *lustrum sacrificare* Latinè dixeris.

3. *Mutatis quibusdam.*] Veluti scuto vigilibus adempto; & stationum more immutato, ut habetur lib. 43. cap. 33.

4. *Inter præsidia ejus saltum ad Petram evasi.*] *Petram*, de qua hic agitur urbem Pieriæ fuisse colliges ex lib. 39. cap. 26. & lib. 44. cap. 32. Sed quid sit *evadere saltum ad Petram*, non equidem satis capio: videtur itaque adjiciendum aliquid, re-

5 per quadriennium quatuor ante me consules ita gesserunt, ut semper successori traderent gravius, id ego quindecim diebus perfeci. Aliarum deinde 6 secundarum rerum velut proventus secutus: civitates omnes Macedoniæ se dediderunt: gaza regia in potestatem venit: rex ipse, tra- Urb. cond. an. 586. Coss. Q. Aelio Pœto, & M. Junio.
dentibus prope ipsis Diis, in templo Samothracum cum liberis est captus. Mihi quoque ipsi nimia jam fortuna mea videri, eoque suspecta esse. Maris pericula timere cœpi in tanta pecunia regia in Italiam trajicienda, & victore exercitu transportando. Postquàm omnia secundo navium cursu in Italiam pervenerunt, neque erat quod ultrà precarer; illud optavi, ut, quum ex summo retro volvi fortuna consuesset, mutationem ejus domus mea potiùs quàm respublica sentiret. Itaque defunctam esse fortunam publicam meâ tam insigni calamitate spero; quod triumphus meus, velut ad ludibrium casuum humanorum duobus funeribus liberorum meorum est interpositus. Et quum ego & Perseus nunc nobilia maximè sortis mortalium exempla spectemur, ille, qui ante se captivos captivus ipse duci liberos vidit, incolumes tamen eos habet: ego, qui de illo triumphavi, ab alterius funere filii curru ex Capitolio ad alterum prope jam expirantem veni: neque ex tanta stirpe liberûm superest, qui L. Æmilii Paulli nomen ferat. Duos enim tanquam ex magna progenie liberorum in adoptionem datos, Cornelia & Fabia gens habent; Paulli in domo 7 præter se nemo superest. Sed hanc cladem domus meæ vestra felicitas & secunda fortuna publica consolatur.

XLII. Hæc tanto dicta animo magis confudere audientium animos, quàm si miserabiliter orbitatem suam deflendo locutus esset. Cn. Octavius Kalendis Decembribus de rege Perseo navalem triumphum egit. Is triumphus sine captivis fuit, sine spoliis. Dedit sociis navalibus in singulos [1] denarios septuagenos quinos, gubernatoribus, qui in navibus fuerant, duplex, magistris navium quadruplex. Senatus deinde habitus est: Patres censuerunt, ut Quintus Cassius Persea regem cum Alexandro filio [2] Albam in custodiam duceret: comites, pecuniam, argentum, instrumen-

NOTÆ.

luti, *inter præsidia ejus & saltum ad Petram evasit*: nisi velimus intelligi Æmilium, inter media Regis Persei præsidia, saltum qui ad Petram erat, evasisse: sive è saltu & montibus Petrœbiæ, incolumem exiisse, & in Macedoniam descendisse. Qua de re lib. 44. cap. 35.

5. *Per quadriennium quatuor ante me Coss.*] Sigon. colligit, *per triennium tres ante me Consules*: Hi fuere P. Licinius Crassus, A. Hostilius Mancinus, Q. Marcius Philippus.

6. *Secundarum rerum velut proventus secutus.*] Nisi referas ad præcedens verbum *perfeci*; legendum erit, *secuto civitates omnes Macedonia se dediderunt.*

7. *Præter se nemo superest.*] Num potiùs, *præter me*, Paullum scilicet ipsum, qui loquebatur.

1. *Denarios septuagenos quinos.*] Æstimanda esset hæc pecuniæ libris nostris ferme triginta.

2. *Albam in custodiam.*] Hæc *Alba Fucentis* ad Fucinum lacum in Marsis; ubi captivorum primores custoditi solebant; nam *Alba longa* jam tempore

Urb. cond. an. 586. Coss. Q. Ælio Pœto, & M. Junio.

um quod haberet. Bitis regis Thracum filius cum obsidibus in custodiam Carseolos est missus. Cæteros captivos, qui in triumpho ducti erant, in carcerem condi placuit. Paucos post dies quàm hæc acta, legati ab Cotye rege Thracum venerunt; pecuniam ad redimendum filium aliosque obsides apportantes. Eis in senatum introductis, & 3 idipsum argumenti prætendentibus orationis, non suâ voluntate Cotyn bello juvisse Persea; quòd obsides dare coactus esset; orantibusque ut eos pretio, quantum ipsi statuissent Patres, redimi paterentur; responsum ex auctoritate senatûs est, *Populum Romanum meminisse amicitiæ, quæ cum Cotye majoribusque ejus & gente Thracum fuisset. Obsides datos crimen, non criminis defensionem esse: quum Thracum genti ne quictus quidem Perseus, nedum bello Romano occupatus, timendus fuerit. Cæterùm etsi Cotys Persei gratiam prætulisset amicitiæ populi Romani; magis quid se dignum esset, quàm quid merito ejus fieri posset, æstimaturum: filium atque obsides ei remissurum. Beneficia gratuita esse populi Romani; pretium eorum malle reliquere in accipientium animis, 4 quàm præsens exigere.* Legati nominati, T. Quintius Flamininus, C. Licinius Nerva, M. Caninius Rebilus, qui obsides in Thraciam traducerent: & Thracibus munera data in singulos 5 binûm milliûm æris. Bitis cum cæteris obsidibus à Carseolis accersitus, ad patrem cum legatis missus. Naves regiæ captæ de Macedonibus inusitatæ antè magnitudinis a in Campo Martio subductæ sunt.

XLIII. Hærente adhuc, non in animis modò, sed penè in oculis, memoriâ Macedonici triumphi, L. Anicius 1 Quirinalibus triumphavit de rege Gentio Illyriisque. Similia omnia magis visa hominibus, quam paria. minor ipse Imperator, & nobilitate Anicius cum Æmilio, & jure imperii prætor cum consule collatus: non Gentius Perseo, non Illyrii Macedonibus, non spolia spoliis, non pecunia pecuniæ, non dona donis com-

INTERPRETATIO.

a *Ex aqua in siccum fuerunt deducta circa Campum Martium.*

NOTÆ.

Tullii Hostilii solo æquata fuerat.

3. *Idipsum argumen i prætendentibus orationis.*] Nihil vetat genitivum *orationis* referri ad nomen præcedens, *argumentum*: si tamen referatur ad participium, *prætendentibus*, legendum erit, ut vult Gronov. *orationi*.

4. *Quam præsens exigere.*] Nomen *præsens* dicitur de pecunia quæ repræsentatur, sive quæ præsens numeratur.

5. *Binûm milliûm æris.*] Gallicâ pecuniâ fierent *cinquante huit livres six sols huit deniers*.

1. *Quirinalibus triumphavit.*] Celebrabantur *Quirinalia* XIII. Kalendas Martii in honorem *Quirini*, qui antea *Romulus*. Dicebantur & Feriæ stultorum: quòd cùm quisque Fornacalibus (quæ indictitiæ feriæ erant sartis in fornaculis torrendi gratiâ instituta) in suâ curia feriaretur, & sacra faceret; para populi, quæ fornacalibus rem divinam omiserat, quòd quasi stulta ignoraret quæ sua curia esset; sacrâ die per Curionem maximum indicto præterniss, *Quirinalibus* facere consuevisset, ut Festus tradidit, atque Ovid. 2. Fastor.

parâri poterant. Itaque ſicut præfulgebat huic triumphus recens: ita apparebat ipſum per ſe intuentibus nequaquam eſſe contemnendum. Perdomuerat intra paucos dies, terrâ marique ferocem, locisque munitis frequentem, gentem Illyriorum: regem, regiæque omnes ſtirpis ceperat: transtulit in triumpho multa militaria ſigna, ſpoliaque alia, & ſuppellectilem regiam, [2] auri viginti & ſeptem, 3 argenti decem & novem pondo: 4 denarium tria millia: & 5 centum viginti millia Illyrii argenti. Ante currum ductus Gentius rex cum conjuge & liberis, & Caravantius frater regis, & aliquot nobiles Illyrii. De præda militibus in ſingulos 6 quadragenos quinos denarios, duplex centurioni, triplex equiti, ſociis nominis Latini quantum civibus & ſociis navalibus dedit quantum militibus. Lætior hunc triumphum eſt ſecutus miles, multiſque dux ipſe carminibus celebratus. 7 λ Seſtertiùm ducenties ex ea præda redactum eſſe, auctor eſt Antias, præter aurum argentumque quod in ærarium ſit latum: quod quia unde redigi potuerit, non apparebat; auctorem pro re poſui. Rex Gentius cum liberis & conjuge & fratre Spoletium in cuſtodiam ex ſenatuſconſulto ductus, cæteri captivi Romæ in carcerem conjecti: recuſantibuſque cuſtodiam Spoletinis, 8 Igiturvium reges traducti. Reliquum ex Illyrico prædæ ducenti viginti lembi erant: de Gentio rege captos eos, Corcyræis, & Apolloniatibus, & Dyrrachinis, Q. Caſſius ex ſenatuſconſulto tribuit. Urb. cond. an. 586. Coſſ. Q. Ælio Pæto & M. Junio.

XLIV. Conſules eo anno, agro tantùm Ligurum populato, quum hoſtes exercitus nunquam eduxiſſent, nullâ re memorabili geſtâ, Romam ad magiſtratus ſubrogandos redierunt: & primo comitiali die conſules creârunt, M. Claudium Marcellum, C. Sulpicium Gallum. Deinde prætores poſtero die L. Livium, L. Appulejum Saturnium, A. Licinium Nervam, P. Rutilium Calvum, P. Quintilium Varum, M. Fontejum. His prætoribus duæ urbanæ provinciæ ſunt decretæ, duæ Hiſpaniæ, Sicilia & Sardinia. Intercalatum eo anno; poſtridie Terminalia intercalares fuerunt. Augur eo anno mortuus eſt, C. Claudius: in ejus locum Augures legerunt.

NOTÆ.

2. *Auri viginti & ſeptem (pondo.)*] Gallicè, *quinze mille cent vint livres*.

3. *Argenti decem ac novem pondo.*] Exilis nimium hæc ſumma Gronovio videtur, nec abs re: vix probat, *mille & novem pondo*, hoc eſt pecuniâ Gallicâ hodiernâ, *trente ſix mille trois cens vint-quatre livres*.

4. *Denarium tria millia.*] His reſpondent mille ac ducentæ libræ.

5. *Centum viginti millia Illyrii argenti.*] Videtur pondus idem fuiſſe hujus pecuniæ ac denarii Romani, aut drachmæ Atticæ; primos enim Victoriatos ex Illyrico advectos Plin. notat lib. 33. cap. 33. Fuerit ergo hæc ſumma circiter quadraginta octo millium librarum.

6. *Quadragenos quinos denarios.*] Nobis eſſent, *dix-huit livres*.

7. *Seſtertium ducenties.*] Nobis eſſet; vicies centena millia librarum Francicarum, Gall. *deux millions de livres*.

8 *Igiturvium reges traducti.*] Recte corrigit Turnebus *Iguvium*, quod aliàs *Eugurvium* dicitur in Umbria, non procul Spoleto. Reges autem intellige, tum Gentium ipſum, tum uxorem ejus, liberos & fratres.

Urb. cond. ann. 586. Coss. Q. Ælio Pœto, & M. Junio.

T. Quintium Flamininum. & Flamen Quirinalis mortuus, Q. Fabius Pictor. Eo anno rex Prusias venit Romam cum filio Nicomede. Is magno comitatu urbem ingressus, ad forum à porta, tribunalque Q. Cassii prætoris perrexit: concursuque undique facto, *Deos qui urbem Romam incolerent, senatumque & populum Romanum salutatum se dixit venisse: & gratulatum quòd Persea Gentiumque reges vicissent; Macedonibusque & Illyriis in ditionem redactis, auxissent imperium.* Quum prætor senatum ei, si velit, eo die datorum dixisset; biduum petiit, quo templa Deûm urbemque & hospites amicosque viseret. Datus qui circumduceret eum L. Cornelius Scipio quæstor; qui & Capuam ei obviam missus fuerat: & ædes, quæ ipsum comitesque ejus benignè reciperent, conductæ. Tertio post die senatum adit, gratulatus victoriam est: merita sua in eo bello commemorávit: petiit, *Ut votum sibi solvere, Romæ in Capitolio decem majores hostias, & Prænestæ unam Fortunæ liceret. ea vota pro victoria populi Romani esse. Et ut societas secum renovaretur: agerque sibi de rege Antiocho captus, quem nulli datum à populo Romano Galli possiderent, daretur. Filium postremò Nicomedem senatui commendavit.* Omnium, qui in Macedonia imperatores fuerant, favore est adjutus. Itaque cætera quæ petebat concessa; de agro responsum est, *Legatos* [1] *ad rem inspiciendam missuros. Si ager populi Romani fuisset, nec cuiquam datus esset: dignissimum eo dono Prusiam habituros esse. Si autem Antiochi non fuisset, eo ne populi quidem Romani factum apparere: aut si datus Gallis esset, ignoscere Prusiam debere, si ex nullius injuria quidquam ei datum vellet populus Romanus.* [2] *Ne quod detur quidem, gratum esse donum posse, quod eum qui det ubi vellet ablaturum esse sciat. Facilè Nicomedis commendationem accipere: Quanta cura regum amicorum liberos tueatur populus Romanus, documento Ptolemæum Ægypti regem esse.* Cum hoc responso Prusias est dimissus. Munera ei 3 ex sestertiis *jussa dari, & 4 vasorum argenteorum pondo quinquaginta. & filio regis Nicomedi ex ea summa munera dari censuerunt, ex qua Masgabæ filio regis Masinissæ data essent: & ut victimæ aliaque quæ ad sacrificium pertinerent, seu Romæ, seu Prænestæ immolare vellet, regi ex publico, sicut magistratibus Romanis, præberentur: & ut ex classe, quæ Brundusii esset, naves longæ viginti assignarentur, quibus ueteretur: donec 5 ad classem dono datam ei rex pervenisset.

NOTÆ.

1. *Ad rem inspiciendam missuros.*] Nempè *Romanos*.

2. *Ne quod detur quidem.*] Pro *quod* legit Muret. *quoi*, id est, *cui*.

3. *Ex sestertiis.*] Non adjicitur numerus sestertiorum, fortè, *ex sestertiis centies millenis*.

4. *Vasorum argenteorum pondo quinquaginta.*] Emeretur argentum illud mille octingentis libris nostratibus, non habitâ ratione manus pretii.

5. *Ad classem dono datam ei.*] Ut lembos ducentos viginti, qui de Gentio capti fuerant, Romani Corcyræis, Apolloniatibus & Dyrrachinis donavêrant, ita pars navium Persei ereptarum data fuerat Prusiæ.

L. Cornelius Scipio ne ab eo abſcederet, ſumptumque ipſi & comitibus præberet, donec navem conſcendiſſent. Mirè lætum, [6] & eâ benignitate in ſe populi Romani regem fuiſſe, ferunt: [7] munera ſibi ipſum emiſſe: filium juſſiſſe donum populi Romani accipere. Hæc de Pruſia noſtri ſcriptores. Polybius, eum regem [8] indignum majeſtate nominis tanti, tradit; pileatum, capite raſo, obviam ire legatis ſolitum, libertumque ſe populi Romani ferre: & ideo inſignia ordinis ejus gerere. Romæ quoque, quum veniret in curiam, ſummiſiſſe ſe, & oſculo limen curiæ contigiſſe: & Deos ſervatores ſuos ſenatum appellaſſe. aliamque orationem, non tam honorificam audientibus, quàm ſibi deformem habuiſſe. Moratus circa urbem triginta haud amplius dies, in regnum eſt profectus.

Urb. cond. an. 586. Coſſ. Q. Ælio Pœto, & M. Junio.

NOTÆ.

6. *Et eâ benignitate.*] Manut. apud Sigon. reponit: *ex ea benignitate.*

7. *Munera ſibi ipſum emiſſe.*] Scribo cum Gron. *munera ſibi ipſum remiſſe*: quis enim indignum fuiſſe non videt munificentiâ populi Romani, ſi pro muneribus Pruſiæ deſtinatis pretium accipi ſineret.

8. *Indignum majeſtate nominis tanti.*] Scribit App. in Mithridatico; (quod ex Polyb. deſumptum credibile eſt) capto Perſeo Pruſiam, togatum, Italico more calceatum, Romam veniſſe; & raſo capite pileum circumtuliſſe, more libertorum; ac Romano ſermone profeſſum libertum ſe eſſe populi Romani. Videndus & Diodorus.

FINIS LIBRI XLV.

TITI LIVII
PATAVINI
DECADIS QUINTÆ
SUPPLEMENTUM

AVCTORE I. FREINSHEMIO.

JOH. FREINSHEMII SUPPLEMENTUM

Libri XLVI. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.

EUMENES Rex Romam venit: qui, quia Macedonico bello se medium egerat, ne aut hostis judicatus videretur, si exclusus esset, aut liberatus crimine, si admitteretur; in commune lex lata est, ne cui regi Romam venire liceret. Claudius Marcellus consul Alpinos Gallos, C. Sulpicius Gallus consul Ligures subegit. Legati Prusiæ regis conquesti sunt de Eumene, quod fines suos depopularetur: dixeruntque eum conspiratse cum Antiocho contra populum Romanum. Societas cum deprecantibus Rhodiis juncta est. Lustrum à censoribus conditum est. Censa sunt civium capita trecenta viginti septem millia viginti duo. Princeps senatus lectus M. Æmilius Lepidus. Ptolemæus Ægyptiorum rex, à minore fratre è regno pulsus, missis ad eum legatis, restituus est. Ariarathe Cappadociæ rege mortuo, filius ejus Ariarathes accepit regnum: & amicitiam per legatos cum populo Romano renovavit. Res præterea adversus Ligures, Corsos, & Lusitanos vario eventu gestas, & motus Syriæ mortuo Antiocho, qui filium Antiochum puerum admodum reliquerat, continet. Hunc Antiochum puerum cum Lysia tutore ejus Demetrius Seleuci filius, qui Romam obses missus fuerat, clam, quia non dimittebatur à Romanis, interemit: & ipse in regnum receptus. L. Æmilius Paullus, qui Perseum vicerat, mortuus: cujus tanta abstinentia fuit; ut quum ex Hispania & Macedonia maximas opes retudisset; vix ex auctione bonorum ejus redactum sit, unde dos uxori ejus redderetur. Pompeiæ paludes à Cornelio Cethego consule, cui ea provincia evenerat, siccatæ, agerque ex iis factus.

I. ADFLICTA Macedonum regia, totque nobiles provinciæ imperio adjectæ, quum potentiam Romanam omnibus jam regibus nationibusque formidabilem effecissent; nullum ferme regnum, nulla respublica fuit, quin mittendis Romam legatis victori gentium populo adularetur. Acuerat præterea diligentiam quorumdam non injustus terror, ne pœnæ reposcerentur parum ex fide cultæ societatis. Ista maxime causa movit Eumenem Asiæ regem, ut in Italiam navigaret. Comperto Regis consilio dubitavere Patres, quonam modo excipi venientem verum esset. Quippe quum proximo bello Macedonico, neque satis pro amico, neque pro hoste se gessisset: hærebant, ne aut repulsus condemnari isto crimine; aut admissus liberari videretur. Nam & absolvere pigebat haudquaquam illibatæ fidei virum: & pudebat bello petere, quem ipsi paulo ante principem amicorum, ut aliis ad colendam amicitiam Romanam exemplum esset, opibus & honoribus ambitiose auxerant.

Urb. cond. ann. 587.

Pol. excerpt. Legat. 97.

Eumenes in Italiam navigat. Epit. Liv. 46.

Polyb.

Legationes civitatum & gentium ad Rom.

II. Tandem ea via placuit, qua animi vireſque Regis frangerentur, nec in illum tamen nominatim aliquid conſtitueretur. *Igitur in commune* lata lex eſt, ne cui Regi Romam venire liceret. Ejus exemplum miſſus à Senatu Quæſtor Eumeni, qui jam Brundiſium appulerat, attulit: ſimul denunciato, *ſi quid ei à populo Romano opus eſſet, uti ederet; quod ſi nihil eſſet opus, quamprimum excederet Italia.* Breve reſponſum Eumenis fuit, & quale in animo regio metus & ira peperierant, *nulla ſibi re opus eſſe.* Submoto ſic Eumene, ſenatus aliarum gentium civitatumque legatis operam dedit, qui gratulandi cauſſa cum muneribus venerant. Ii perhumaniter auditi dimiſſique ſunt, impetratis ferme quæ poſtulaverant.

Epitom. Liv. Polyb.

Excedere Italia jubetur. Diodor. apud Fulv. Urſin.

III. Sed Athenienſium legatio, neque moribus civitatis, ad quam mittebatur, neque famæ ejus quæ mittebat, ſatis convenire viſa eſt. *Pro Haliartiis, quorum urbem C. Lucretius Prætor bello Perſei deleverat*, nequidquam deprecata; prolatis aliis mandatis repente vertit ſermonem, & *agros* miſerorum quos precibus ſuis juvare inſtituerant, *populo Athenienſi* periverunt. Minore indignatione acceptum eſt, quod *Delon & Lemnum inſulas reſtitui ſibi* poſtulavere: nam eas & olim obtinuerant. Itaque tunc quoque reddi ſenatus juſſit.

Fol. Excerpt. Legat. 98. Athenienſium legatio.

Vellejus 1. 2. 3.

IV. Sub idem tempus Thæretus Rhodiorum legatus apud Patres verba *de Societate* fecit. Sed quum res in curia traheretur, ille mœrore & annis oppreſſus, erat enim octogenario major, diem ſuum obiit. Supervenere deinde Cauniorum & Stratonicenſium exſules, *urbeſque ſuas contra quam ſenatui placuiſſet, Rhodiorum præſidiis tenere* queſti, novum impetravere Senatus conſultum, quo *urbibus iſtis excedere Rhodii jubebantur.* Erant adhuc in Urbe Philophron & Aſtymedes: quos quum cepiſſet metus, ne civitatis ſuæ contumacia Romanorum iram aſperaret, validiores parendi auctores futuri, ſi cœtibus publicis intereſſent, continuo in patriam ſunt profecti. Movit repræſentatio diſcriminis Rhodios, ut non modo ſtatim deducenda curarent præſidia; ſed etiam *legationem* decernerent *Romam, quæ de ſocietate conjungenda omni ope contenderet.* Ariſtoteles legationis ejus caput erat. Is quum adulta jam ætate in Urbem perveniſſet, *obſequium Rhodiorum & promptam ad parendum etiam duris imperiis voluntatem* expoſuit. deinde *de ſocietate ineunda* multa verba fecit, vario ſermone uſus ad expugnandos iratorum animos. At Patres ad extremum amicitiæ neutram in partem facta mentione, reſponderunt: ut *ſocietas in præſentia Rhodiis daretur, ex dignitate populi Romani non videri.*

Pol. Excerpt. Leg. 99. Rhodiorum legatio.

Polyb. Excer. Legat. c.

Eorundem alia legatio.

V. Ludos interea Megalenſes M. Fulvius, M. Acilius Glabrio Ædiles Curules ediderunt. Conſulibus, nullo uſquam majore bello, Inalpini Galli & Ligures provinciæ fuere. ex utraque gente triumphatum: quum Cl. Marcellus Gallos, C. Sulpicius Ligures ſubegiſſet. Conſularibus deinde Comitiis tanta candidatorum ambitio fuit, ut convocato in Capitolium ſenatu opus eſſet. Eo ſe milvus avis intulit, raptamque de cella Jovis muſtelam in medium conſeſſum miſit. Id prodigium ſolitis ſacrificiis, & luſtratione urbis procuratum eſt. Plura mox ſequens annus attulit, quum T. Manlius A. F. T. N. Torquatus, Cn. Octavius Cn. F. Cn. N. conſulatum inivisſent. Nam & peſtilentia ſic in Urbe laboratum eſt, ut ex Sibyllinis libris populus, circum compita & ſacella operatus, ſederit. Et in æde Penatium noctu ſua ſponte fores patuerunt, lupi quoque in Eſqui-

Tit. And. Ter. Jul. Obſeq. Col. Triuph. Epit. l. 46. Jul. Obſeq. Conſularium Comitiorum ambitio.

Urb. cond. ann. 589. Jul. Obſeq. Prodigia.

liis & colle Quirinali media luce conſpecti, perſequentibus eos qui viderant, fugerunt. Urbe interim luſtrata domi foriſque tranquillæ res fuerunt. Ludis Magnis pugilum & funambulorum ſpectacula in ſcenam Sex. Julius Cæſar, Cn. Cornelius Dolabella ædiles curules introduxere. Prolog. Heautontim. Terent.

VI. Hic quoque annus memorabilior legationibus quam rebus bello geſtis fuit. Venere Gallograecorum in Urbem legati, magna ſpe, fore ut ſuſpectus Eumenes, & tantum non pro hoſte habitus gratiorem apud Romanos petitionem ſuam faceret. Bellum enim habebant cum Eumene, praeter ſolita hoſtibus, peculiari quadam feritate gentis exitiabile, quod ex captivis aetate & forma praecipuum quemque victimarum in morem ornatos diis ſuis immolaverant; cetera omni turba, quamquam multi olim noti amicique in ea eſſent, telis obruta. Conceſſum his eſt ab ſenatu *ut legibus ſuis uterentur*: juſſi tamen ſunt *domi ſe continere, neque cum armis fines ſuos egredi*. Juſt. 38. 4. Pol. Excerpt. Legat. 97. Front. Strat. 2. 16. Caſaub. in Polyaen. p. 714. Polyb. Exc. leg. 102. Diod. ap. Val. Gallo Graecorum legatio.

VII. Haud aeque propitiis auribus, licet juſtiore in deſiderio, Achaeorum eſt audita legatio. Populus iſte unus ea tempeſtate per Graeciam erat, cui ad res novandas neque animus, ſi ferret occaſio, neque vires deeſſe viderentur. Igitur has accidere quaerentibus Callicrates & Andronidas aperuere viam, *pleroſque primores Achaeorum, quaſi cum Perſeo ſenſiſſent*, criminati. Ex quibus Xenon, qui & ipſe per ea tempora exercitum duxerat, quum innocentiae conſcientia exclamaſſet, *ſe vel in ipſo Senatu cauſſam ſuam defenſurum eſſe*: dedit occaſionem legato Romano qui tum aderat, ut *mitti Romam omnes, qui ab accuſatoribus nominati fuerant*, imperaret. Duris & inſolentibus mandatis (neque enim aut Philippus olim, aut filius ejus Alexander, quum rerum potirentur, tam acerba juſſerant) Achaei deteriorum metu paruere; miſſis in Urbem principibus gentis, & quotquot aliorum per tempora Macedonici belli in imperiis aut curationibus alicujus momenti fuerant, circiter mille. Hos Romani, tanquam à ſuis judicatos, circum municipia coloniaſque Italiae cuſtodiendos dimiſerunt. Ergo repetitis legationibus, *ut cauſſa civium ſuorum cognoſceretur, aut ſi credere innocentes Senatus, quam reperire mallet, patriae redderentur*, Achaei orabant. Achaeorum legatio: Juſtin. 34. 1. 2. Polyb. apud Valeſ. Pauſanias lib. 7.

VIII. Quod ubi fruſtra fiebat, vacuique in Peloponneſum legati revertebantur, tanta omnium indignatio in Callicratem & caeteros ejuſdem ſectae exarſit, ut non jam ſecretis odiis, ſed plane confeſſa ſimultate ab omnibus inceſſerentur, conſuque, ut etiam à pueris è Schola redeuntibus palam *proditores* appellarentur: neque in ſacris Graecorum conventibus quiſquam eorum cum laude mentionem facere poſſet, quin ſibilis & tumultu vix credendo exciperetur. eſtque tradita res non indigna memoratu, aliquando Sicyone quum inter Antigoniorum ſolemnia balneis publice inſtructis Callicrates & Andronidas uſi fuiſſent; neminem in eadem ſolia poſtmodum voluiſſe deſcendere, niſi prius emiſſa priore aqua omni, novaque infuſa, veluti expiata & luſtrata viderentur. Pol. Excerpt. Legat. 105. Eorum odium in Callicratem & alios Romanae factionis. Polyb. apud Valeſium.

IX. Sed Achaei quum aliud auxilium praeterquam in precibus nullum eſſet, & harum vim maximè in perſeverando poſitam crederent, denuo legationem decernunt, quam Eureas & cum Anaxidamo Satyrus obierunt. Ii ſub idem ferme tempus venere Romam, quo inter complures minorum gentium legatos à Rhodiis Aſtymedes, & à Rege Pruſia Python quidam acceſſerat. Hic introductus Pol. Excerpt. Legat. 104.

in Senatum, Eumenis accusationem orsus est, *cujus incursionibus, fines Bithyniæ vastaventur, oppidis etiam aliquot ereptis occupatisque. neque aliud magnopere Prusiam Eumeni displicere, quam quod amicitiam Romanorum cum fide retineret. idque ex eo intelligi posse, quod cum Antiocho Syriæ Rege de bello Romano agitaret consilia: neque senatus consultis haberet honorem, sed contra hæc vexaret Græciam, omnesque in universum socios clientesque Romanorum: res autem suas ubivis confirmando, qui suæ factionis essent, stabiliret.* Non spernenda res senatui visa: ne tamen adhuc nudarent consilia, sufficere creditum, si favore suo Græcorum sustinerent animos, illorumque libertatem, quantum citra manifestam Eumenis injuriam fieri posset, tutarentur.

Epitom. Liv. & Polyb. Prusiæ legatio Eumenem accusat.

Rhodii legati Oratio.

X. Post hos Astymedes Rhodius iteravit civitatis suæ preces: *satis eam magnas superbiæ temeritatisque pœnas luisse, quin & graviora delictis pertulisse supplicia. Nam & Lycia Cariaque decedere coacti sumus, quas regiones non sine maximis sumptibus, triumque bellorum laboribus & periculis, civitas nostra quæsiverat. Nunc igitur vectigalibus istarum tributisque caremus, unde nobis egregii nuper fructus, & opum publicarum accessiones magnæ certæque fuere. Quanquam de Lycia Cariaque, si quis infensius urgeat, forte minus licitum sit queri. Quod enim vestro munere possederamus, videri potest non inique nobis ademptum esse, offensionibus obortis, & civium nostrorum vaecordia suspiciones & iram vestram provocante. Sed Caunum certe ducentis talentis à Ptolemæo, sed Stratoniceam ab Antiocho & Ptolemæo in magni beneficii loco accepimus: unde nobis annuus proventus centum viginti talentorum uno decreto vestro periit: cui quidem obedire quan juam maximo cum reipublicæ nostræ detrimento conjuncta res erat, non distulimus. Quibus ex rebus effectum est, ut majores pœnas Rhodii dederimus semel dubii amici, quam semper certi hostes Macedones. ut jam alias taceamus gentes, ne cui incolumitatem suam invidere potius, quam velificari nostræ videamur.*

Diodor. ap. Valef.

Polyb. Res Rhodiorum accisa.

XI. *Et tamen præcipuum civitatis nostræ vulnus nondum attigi, quod exemptione Deli, demptaque populo de portu & publicis statuendi potestate, portorium, hoc est, Rhodiæ rei fundus & columen sic interiit, ut quod paulo ante quadragies H.S. locari consueverat, hodie vix in sexcenta millia nummum inveniat redemptorem. adeo Patres conscripti jugulum premit ira vestra, & ipsos quasi nervos incidit civitatis. Quod si meritos hæc urgeret calamitas, non foret absonum, publico delicta consilio, publicis quoque miseriis expiari: nunc autem, quando & paucorum iste furor fuit, & reorum omnium suppliciis à populo Rhodio expiatus; relinquitur, ut remotis à sensu malorum fontibus, indignatio vestra tantummodo adversus innocentes desæviat. Quod quia neque pro cetera mansuetudine vestra, neque pro gloria sæpius ignoscendo quam vindicando quæsita, facere videmini; certa me spes tenet, fore, ut aliquando misericordiæ quam iræ memimisse malitis.*

Rhodii publico innoxii.

XII. *Ob amentiam paucorum, iracundiam non injustam contra Rhodios concepistis. quanto æquius fuerit venia prosequi sceleris innoxios, ob errorem supplices, & pœnitentia ac obsequiis admissa correctiores? Amisimus dignitatem, potentiam, vectigalia, etiam libertate, pro qua jam inde ab antiquissimis temporibus nihil non sustinuimus, haud parium imminuta. & tamen ferimus ista patimurque: modo sic tandem satisfactum sit iræ vestræ, Patres conscripti, ærumnæque Rhodiorum vel in hac fortuna finem invenlant. id autem nullo pacto sperare audemus, nisi, quod totius*

oravimus, in amicitiam societatemque Populi Romani recipiamur. olim invidiosa & suspecta multis potuit hæc esse postulatio, ne ad spes nimias præscriptione vestræ societatis abuti cogitaremus: nunc ad eam, velut ad asylum confugimus, nec ut aliis timori simus, sed ut timere ipsi desinamus. In amicitiam societatemq. recipi postulant.

XIII. Huic orationi, quum similis argumenti alia quædam adjecisset, imagine humilitatis, in quam ex tanto fastu subito deciderat clarissima civitas, movit animos Patrum, ut *societatem cum deprecantibus jungendam esse* decernerent. Neque deerant qui reniterentur, *simulatam Rhodiorum pœnitentiam* arguentes: sed apud plures misericordia valuit, adjuta Tib. Gracchi testimonio, qui *senatus-consultis omnibus obtemperatum à Rhodiis fuisse* referebat, *condemnatosque publico judicio universos qui populum à Romanis alienaverant*. Nam hujus Gracchi, A. Manlio A. F. T. N. Torquato, Q. Cassio L. F. Q. N. Longino Coss. celebris legatio per Asiam fuit, quam missus ab Senatu ad res sociorum inspiciundas obiverat. Causa mittendi maxime fuit, ut coram cognosceret, quid Antiochus & Eumenes animi consiliique invicem aut adversus populum Romanum haberent. Honorificentissime ab utroque Rege exceptum ferunt, nullo conspirationis inter eos certo indicio, benevolum ipsis faventemque revertisse. Livii Epitom. 48. Pol. Excerpt. Legat. 104. Tib. Gracchi legatio Asiatica. Vrb. Cond. Anno 599. Pol. Excerpt. Legat. 105.

XIV. Acerrimi viri diligentiam Eumenes prudentia eluserat, qua nemine tum Regum inferior fuit; vicinia potentiorum ad consilia sita solicite tegenda tam longa ætate exercitus. Antiocho loco sapientiæ temeritas fuit, qua omnibus in negotiis usus, vix ullum animi sui certum firmumque vestigium sinebat animadverti. Quum enim alii Reges potentiam divitiasque suas pari solicitudine augerent tegerentque, gnari magnarum opum famam suspicionibus obnoxiam esse, hic quasi data opera produxit thesauros suos & ostentavit. Magnificentissimos enim ludos instruxit, ex universo fere terrarum orbe per ambitiosa præmia coactis artificibus: quo tempore quidquid regiæ supellectilis, cæteræque opulentiæ, fuerat reconditum, id omne publice spectandum proposuit. Vix peracta hac solemnitate supervenit Tib. Gracchus, quem omni comitate ac liberalitate sic obruit, ut animum Regis ob ereptam Ægyptum à Populo Romano alienissimi nullo indicio posset deprehendere. Quum enim natura largitor animosus esset; tunc etiam studio honoris cultusque omnia argumenta sic intendit, ut toto eo tempore aliis in ædibus diversaretur, quo vacuam legatis Romanis regiam reliquereret. Ea res, & quoniam paulo ante inter ludos animum usque ad pudendas ineptias effusissima hilaritate laxaverat, Romanos facile persuasit, nihil in tali mente magnæ seriæque cogitationis agitari. Pol. ap. Vales. ex Eumene & Antiocho. Diodor. ap. Valef. Polyb. Excerp. Legat. 101. Diodorus. Polyb. Joseph. 12. 21. Polyb. Excerp. Legat. 102. Diodorus.

XV. Cæterum, ut ad institutum redeamus, non eadem humanitate qua priores, Achaici oratores excepti sunt ab Senatu. Negabant illi *principes Achæorum tanquam damnatos, sed uti caussam dicerent, missos Romam fuisse. rogare igitur nunc quoque, ut ita fiat, si Patribus videatur. quod si isthoc nolint, at saltem remittant illos domum. spondere concilium Achaicum enixe daturum operam, ne judicium suum levius quam pro cujusque merito fuisse dicatur.* Nihil impetrat um. literæ quin etiam ad principes Græcarum civitatum qui Romanæ factionis erant, & in Achaja, ad Callicratem missæ; *Neque civitatibus publice, neque ipsis privatim profuturum videri: si homines isti suam quisque in patriam revertantur.* Hoc per Græciam vulgato responso, passim metus erat & trepidatio, non eorum mo- Achæorum legatio irrita. Pol. Excerpt. Legat. 103.

Perſei mors,

do qui Macedonum rebus ſtuduerant, ſed omnium quibus erat patriæ charitas externa dominatione potior. At Charopus & Callicrates & cæteri ejuſdem conſilii, quanto humiliores videbant alios redigi; tanto ipſi majores ſpiritus ſumebant.

Perſeus moritur. Diodorus. Plutar. Æmil. cap. 63. Diod. 29. Val. Plutarch. Diodorus. Sal. Hiſt. 4. in Ep. Mithid. Valer. Max. 5. 1. 1.

XVI. Dum iſta diverſis locis ſic agimtur, Perſeo, qui rerum iſtarum omnium cauſſa fuerat, dubium an voluntarius exitus calamitatis vitæque finem attulit. Poſt L. Æmilii triumphum in carcerem Albanum conditus, & inde eodem L. Æmilio, ſenatuſque principe M. Lepido adjuvante exemptus, in libera cuſtodia biennium extraxit. tum vero miſerias certas, ſpem incertam reputans, inedia ſibi conſcivit necem. quidam à cuſtodibus, quos forte offenderat, ſomno prohibitum expiraſſe tradiderunt. Defunctum publico funere in honorem priſtinæ fortunæ ſenatus efferri juſſit, miſſo ad hoc Quæſtore Albam, ubi deceſſerat. Nec omittendum eſt in caſu tanti modo Regis aliud fortunæ ludibrium, etiam ipſa, ut mihi videtur, captivitate ac morte miſerabilius. Alexander ſolus liberorum patri ſuperſtes fabriles artes didicit, quibus ſe tolleraret: deinde ſcriptum fecit, operamque eam Magiſtratibus Albanis locavit. Hoc anno Romæ cenſus actus eſt, luſtrumque conditum. L. Æmilius Paullus, Q. Marcius Philippus condidere. Cenſa ſunt civium capita trecenta triginta ſeptem millia, quadringenta quinquaginta duo.

Zonaras. Marcellin. 24. 40. Oroſ. 4. 20. Epit. Livii 46. Faſti Capitol. Plutarchus: Cenſur. Pauli & Philippi. Liv. 43. 15. 6. Diod. 31. 2.

XVII. Mitis ea cenſura fuit, moribuſque & manſuetudini Paulli conveniens. tres tantum Senatu moti: nemo ex inſignibus. eadem in equitibus Romanis recenſendis moderatio fuit. Principem Senatus, quem & antecedentes quidam cenſores, legere M. Æmilium Lepidum. operum quæ locavere, quod mireris, ſplendidiora neſciuntur. memoratur Horologium, quod diligentius ordinatum Q. Marcius in publico poſuit, grato in Populum Romanum munere, quia vetus, quod ibidem centeſimum ferme ante annum M. Valerius Meſſala ſtatuerat, ad horas Romanas parum conveniebat. Publicavit idem & Concordiæ ſignum, quod deinceps in curia collocavit C. Caſſius. At L. Æmilius Minervam, Phidiæ præclarum opus, in æde Fortunæ poſuit. Hoc primum anno in Italiam veniſſe morbum, qui carbunculus appellatur, in annalibus annotatum eſt.

Cenſorius c. 19. Plin. 7. 60. 4. Scalig.

Cic. pro Domo. Plin. 26. 2.

Faſti Capitol. Urb. condita anno 590. Victor. in 1. Rhet. Cicer.

XVIII. Comitia deinde conſularia habente A. Manlio, nam collega ejus Q. Caſſius in Magiſtratu deceſſerat, Tib. Sempronius P. F. Tib. N. Gracchus iterum, M. Juventius T. F. T. N. Thalna facti ſunt. Ii quum magiſtratum inviſſent, Tib. Graechus Galliam, M. Juventius Corſos provincias accepere. ſed in urbe Ludi Megalenſes à L. Cornelio Lentulo, L. Flacco Ædilibus Curulibus acti ſunt. In Corſis feliciter bellatum cauſſa fuiſſe putatur Conſuli, ut riſſimo fati genere interiret. Quum enim ſacrificanti forte literæ Senatus adlatæ eſſent, quæ *ob res ab eo geſtas ſupplicationem decretam* nunciabant; eas attentiſſime legens ante oculum, ſubito concidit, extinctus, ut putatur, gaudio, cujus in tranſlatitia felicitate intemperiem anguſtus animus non ferebat.

Conſul Juventius præ lætitia moritur. Titulus Heautontim. Terentiani. Plin. 7. 53. Val. Max. 9. 12. 2.

XIX. Circum hæc tempora, quum jam mirifice amplificata res Romana eſſet, motibus omnium ferme Regnorum ſe permiſcuit. quare deinceps domeſtica externaque geſta, ſicuti cauſſis eventibuſque ſunt connexa, ſic etiam narratione conjungentur. Pruſias numquam æquus Eumeni, & jam apud Senatum criminationes adverſus illum pronis auribus accipi doctus, non deſinebat incendere ſuſpiciones, etiam Gallogræcis & Selgenſibus aliiſque per Aſiam populis

Pruſias Eum. criminatur.

Polyb. Exc. Legat. 106.

ad

ad idem faciundum excitatis. Igitur Eumenes, quoniam ipse Roma excludebatur, fratres Attalum & Athenæum misit, querelis omnium responsuros. Quod illi quum haud incommode perfecisse viderentur, magnis honoribus donisque adfecti discessere. Neque tamen omnis cura decessit Patribus, nunquam satis credito, *conspirationis adversus populum Romanum cum Antiocho initæ vanam delationem fuisse.* Diod. ap. Vsiin. Polyb.

XX. Placuit igitur C. *Sulpicium Gallum, M. Sergium specie legationis ad consilia Regum exploranda proficisci.* Obtendebantur *res Græciæ passim interna discordia dissidentis: & controversia Megalopolitanorum, qui cum Lacedæmoniis de agri parte disceptabant. In ea legatione C. Sulpicium multa insolenter feciſse* Græci scriptores arguunt. *Nam & cognitionem de finibus inter Argivos Spartanosque, Philippo quondam qui Alexandrum genuit disceptatam, ad Callicratem impurum invisumque toti Græciæ hominem rejecisse: & Æolis à Pleurone, qui se jungi à concilio Achaico cupiebant, indulsisse, ut suo nomine legatos Romam mitterent.* Sane Senatui placebat *imminui potentiam Achæorum, spiritusque frangi:* quapropter & Æolis, quod petierunt, concessum est; & C. Sulpicius occulto Patrum mandato morem gerens, alias quoque civitates, quæ Achaiæ, formulæ erant, ab eo fœdere dissociare instituit. Neque minore deinceps acerbitate tractatus est Eumenes, quum idem ille C. Sulpicius in Asiam transjecisset. per celeberrimas enim Asiæ urbes edicta legatus proposuit, *ut quibus de Eumene queri decretum esset, dicto die Sardis occurrerent.* Quò ubi venisset; posito apud gymnasium tribunali, decendium solidum audiendis adversus Regem querelis vacavit: convicia in illum probraque tam avide suscipiens, ut invitare accusatores, & desiderio reum faciundi quidlibet in crimen trahere videretur. vanus ingenio, & ex claris inimicitiis constantis animi famam appetens. C. Sulpicii legatio in Græciam & Asiam insolenter acta. Pausan. lib. 7. Pausan. lib. 8. Pausan. lib. 9. Polyb. ap. Valef.

XXI. Quum hic Asiaticarum rerum status esset, in Ægypto Ptolemæi fratres iterum æmulatione & discordiis exarsere. validior tum junioris factio, Philometorem, cognomen id majori fuit, regno pulsum, ad petendam ab Senatu opem Romam compulerat. Paucis comitatus servis, ex præsentis fortunæ squalore pedes ad Urbem faciebat iter; quum Demetrius Seleuci F. qui obses Syriæ Regum Romæ hærebat, re cognita obviam profectus est, familiamque suam & eum diademate ac veste regia equum eximie ornatum obtulit, ne loci sui majestatem sordido cultu prodidisse visus, à Romanis despectui haberetur. At ille Demetrii comitate prolixe laudata, illorum accepit nihil: rogavitque Demetrium, ut alicubi subsistens in via, se quo instituisset modo ingredi Urbem pateretur. Id sive misericordiæ movendæ causa fecerit, sive metu, ne tanto cum fastu accedens, legem qua Reges Urbis aditu prohibebantur, adversam haberet, parum mihi compertum est. Ægyptiorum Regum discordiæ. Liv. Epitom. 46. Progi Pompeii. Val. Maxim. 5. 1. 1. Diod. ap. Val.

XXII. Cæterum tacite ingressus Urbem, in hospitium pictoris cujusdam Alexandrini se contulit. Quod ubi resciere Patres, advocatum humanissime sunt alloquuti, excusaruntque diligenter, *quod ei quæstorem non misissent obviam, neque publicum hospitium præbuissent: id enim non sua negligentia, sed ipsius improviso adventu commissum esse. cæterum posse illum Senatus adeundi diem petere, & ab eo quidquid amicis sociisque regibus tribui par esset, exspectare.* Statim deinde è curia dedictas est in publicam domum: decretaque pecunia Quæstori, ex qua ei Ptolemæus philometor in urbem venit.

quotidie munerâ mitteret. Sic erectus ad ſpem priſtinæ fortunæ, non deteriorem his initiis eventum habuit. Miſſi enim deinde ab ſenatu legati, concordiam inter fratres, & pulſo redditum confecerunt.

Livii Epitom. Pol. excerpt. Leg. 107. Diodor. p. 3. Polyb. Excerpt. 109. Diodorus. Dolybius. Ariarathes patri ſuccedit in Cappadociæ regno.

XXIII. Inter hæc mortuum Cappadociæ Regem Ariarathen cognominis patri filius excepit. Qui ſtatim inter initia regni legatos in Urbem ad amicitiam cum populo Romano renovandam miſit, maxima cum demonſtratione benevolentiæ ſtudiorumque. Neque fides orationi defuit, quod Tib. Gracchus, *quo tempore legationem Aſiaticam obiverit, quum hujus, tum defuncti Regis animum abunde inſpexiſſe* teſtabatur. Sed etiam poſtea M. Junium, qui ad bellum inter eos Reges & Gallogræcos componendum venerat, perhonorifice habuerant. neque minoribus officiis coluerant Cn. Octavium & Sp. Lucretium poſt paulo ab Urbe miſſos. Nam & cætera omnia prompte copioſeque præſtiterant: & quum in Syriam ituros comperiſſent, *ſuas Regnique vires obtulerunt: ſi iis ad res Syriæ conſtituendas eguiſſent.* pertinere enim magnopere ad ſe negotia Syriæ judicabant: non magis ob terrarum, quam ob ſanguinis conjunctionem: quia ſenior Ariarathes filium iſtum ex Antiochide ſuſceperat, Magni Antiochi nata. Sed recuſaverunt id auxilium legati, majeſtate nominis Romani tutos ſe rati fore: quod longe ſecus evenit. Nam apud tranquillos & modeſtos auctoritas ac reverentia plurimum valet: ubi turbari res cœpere, adverſus improbitatem armatâ debile munimentum pudor eſt.

Diodorus. Polyb.

Syria turbata: Machabæorum 1. 6. Joſephus 12. 14. Hieronym. in Daniel. 11. Polyb. & Diod. ap. Valeſ. Appian. Syriac. Polyb. Excerpt. Legat. 107. Juſtin. 34. 3. Appian. Polyb. Zonar. Polyb.

XXIV. Quibus autem initiis concuti regiones iſtæ cœperint, operæ pretium eſt exponere. Puerum Antiochum pater Epiphanes Philippo cuidam amicorum commendaverat, expeditionis Elymaicæ comiti. Sed audita morte Regis Lyſias, qui relictus in cuſtodia Regni fuerat, tutelam pueri novennis occupavit. Quod ubi Romæ Demetrius comperit, adito Senatu oſtendit, *patris Seleuci nomine obſidem ſe in Urbem veniſſe: ſub Antiochi deinde regno, magis quia per ætatem jus ſuum neſciverit, quam legitima ex cauſa, eadem in conditione permanſiſſe: nunc etiam hoc extincto, ſe obligatione omni liberatum videri, aquumque putare dimitti ab Senatu, atque etiam in regno recuperando adjuvari. Non enim modo jure potior ſum,* inquit, *Antiochi filio: cujus pater ætatem & abſentiam meam occaſionem ſuam ratus eſt, ſed non minus etiam favori veſtro confido. Puer in hanc Urbem veni: nunc tertio & viceſimo ætatis anno, tanto tempore inter vos educatus, civis potius veſter, quam externus videri debeo. Vos ego patres mihi, veſtros liberos, æquales meos, fratres eſſe reor: neque alia aut vos reverentia, aut illos charitate amplector.*

Romani puerum. Syris præeſſe quam adoleſcentem malunt. Juſtin. Appian. Livii Epit. 47. Polyb.

XXV. Non erat equidem vel injuſta Demetrii cauſſa, vel ingrata oratio. Sed vicit utilitas, ut potius immaturum puerum, quam ætate florenti adoleſcentem opulentiſſimo regno præeſſe vellent. Itaq; non retentus modo ille; ſed etiam paulo poſt tres legati Cn. Octavius, Sp. Lucretius, L. Aurelius delecti, qui in Syriam proficiſcerentur, ex voluntate Senatus regnum ordinaturi. Facile paſturos hoc Syros rebantur, Rege per ætatem invalido, & tutoribus ſatis habituris, ſi Demetrio Romæ retento, ipſi in adminiſtratione rerum relinquerentur. Neque ſpecies honeſti conſilio aberat: *cura ſocii & amici regni* prætendebatur, *ne quietem ejus mors Regis & ex ea timendi tumultus turbarent: maxime quum procurationem Regni Lyſias invaſiſſet; jus ex mandato morientis Regis, cum reliquiis exercitus rediens Philippus vindicaret.*

Zonaras. Machab. 1. 6. Joſeph. 12. 14. Polyb.

XXVI. Cæterum occaſio nata videbatur *ad opes regni minuendas*, mandataque

in hoc legati acceperant: & nominatim, *ut naves tectas incenderent, elephantos occiderent, quæ contra fœderis leges habere Antiochus dicebatur.* Iisdem etiam *commissa Macedoniæ pacandæ cura*, quam ex regio imperio insolita & publicorum conciliorum nondum bene composita forma in seditiones egerat. *Gallogræcos etiam & Cappadocia Regnum diligenter inspicere* jussi sunt: & jam digressis advenere literæ, quibus negotium dabatur, *ut ad conciliandos Ægypti reges nihil laboris industriæque prætermitterent.* Regnorum opes minuere studet. Cic. Philippic. 9. 2. Polyb.

XXVII. Interea Tib. Gracchus Cos. fœdacta Cammanorum gente, Romam ad triumphum regressus, comitia Consularia in annum sequentem habuit. quibus P. Cornelius P. F. Cn. N. Scipio Nasica, C. Marcius C. F. Q. N. Figulus designati. Notabilis tum res accidisse traditur: inter creandos Consules, quum primus rogatorum eos retulisset: illico exspiravit, neque segnius peracta sunt comitia: id in omen versum sermonibusque populi agitatum est, timentis, ne quid in religiones peccatum esset, publicis malis expiandum. Gracchus rem ad Senatum retulit: Senatus *consulendos* censuit *haruspices*. Hi ubi *rogatorem comitiorum non fœdus justum* responderunt, incensus ira Gracchus: *itane*, inquit, *ego non justus, qui & consul rogavi, & augur, & auspicato. Vos justi comitiorum, Romanique juris interpretes, Tusci homines, & barbari?* sic in præsentia nihil mutatum. Consul peractis comitiis in Corsos profectus videtur, ut morte collegæ tumultuantes coerceret: inde, forte quod ibi quoque novarum rerum semina erant, in Sardiniam transjecisse. Neque enim de gestis hujus & proximorum annorum certa satis memoria supereſt, sed leviter annotatum, circum hæc tempora contra Ligures, Corsos, & Lusitanos vario successu bellatum esse. Polyb excerpt. 106. Plutarch. Gracch. cap. 6. Cicero de Nat. Deorum. 2. 4. De Comitiis Consularibus altercatio. Epitom. Liv. 46.

XXVIII. Jam Scipio Figulusque non magistratum injerant modo; sed etiam in provincias fuerant profecti, quum Tib. Gracchi literas ad Senatum augures detulere, ad collegium suum ex Sardinia missas, quibus significabat *comitiis consularibus, quum ad auspicium repetendum Urbe in campum rediisset, eodem se tabernaculo, quo antea de cœlo servaverat, usum: id jam libros angulares legenti apparuisse rectum non fuisse: eamque rem, licet cum suo pudore conjuncta esset, quia pertinere ad religiones populi Romani videretur, perscribere voluisse.* Tanta res Senatui visa, ut à Prætore Urbano literas ad Consules scribendas censeret, quibus certiores de eo negotio fierent, *provinciisque decedere juberentur*. Atqui illi vitio creatos rati, & antiquiorem reipublicæ quam suæ dignitatis curam esse oportere; Scipio è Corsica, Figulus è Gallia maturato reditu, magistratum abdicarunt. Nam & ingenio probo modestoque erant (Scipio etiam sapientiæ fama celebris) & recordabantur, quale C. Flaminius in caussa simili Senatus auctoritate spreta, certamen cum Patribus, & postremo fatum habuisset. Urb. cond. an. 591. Val. Max. 1. 1. 3. Plutarch. Marcello c. 5. Cicero ad Q. fratrem 2. 2. Cic. de Nat. Deorum. 2. 4. Val. Maxim. Auctor de viris illust. cap. 46. Consulis abdicant.

XXIX. Per interregem deinde suffecti Consules. P. Cornelius L. F. L. N. Lentulus, Cn. Domitius L. F. Cn. N. Ahenobarbus fuerunt. Quum inter hæc in Syriam legati ab Senatu pervenissent, *& multa passim à Regibus contra fœdus facta* arguerent, mutarentque; in odium gentis, atque ex odio in periculum incidere. Maxime movebant naves pulcherrimæ sumptuque ingenti fabricatæ, quas incendi Cn. Octavius jusserat, etiam elephantorum incendebat miseratio, quod egregiæ belluæ raræque possessionis, domitæ insuper mansuetæque, nulla, ut putabant, de caussa concidebantur. Itaque non difficulter inducti Syri, gens Fasti Capitol. Appian. Syriac. Cn. Octavius legatus Romæ in Syria interficitur. Zonar. Julius Obseq. Appian. Zonaras.

Legatus Romanus in Syria interfectus.

L. Corn. Scipion. Nas. C. Marc. Figulo Coss.

Polyb. Excerp. Legat. 114. Cic. Philipp. 9. 2. Plin. 34. 6. 4.

Iæta seditionibus, ut Romanos ejicerent, Cn. Octavium etiam interficerent, cui Laodiceæ, dum in Gymnasio ungitur, Leptines quidam manus attulit. Lysias, ad dissimulandam facinoris, cujus ipse præcipuus auctor ferebatur, conscientiam, & Octavium magnifico funere extulit, & ad purgandum crimen nomine Regis legatos è vestigio misit Romam. Ii quum multis verbis *nihil publico consilio gestum esse* contendissent, sine responso dimissi sunt. *Cn. Octavio, quod pro Republica mortem oppetisse videretur, statuam in Rostris*, loco celeberrimo, Senatus decrevit.

Pol. Excerpt. Legat. 112. Ariarathis laudes.

XXX. Nec Romani tantum indignabant Syris, sed in exterorum quoq; mentibus immanitas rei conciverat indignationem. Inter quos præcipuus Ariarathes Cappadox, præter insitum virtutis amorem, studiumque in populum Romanum, etiam amicitia privata movebatur, quam cum Octavio in regia sua contraxerat. Quia tamen legatis ad puerum Antiochum missis, matris suæ sororisque reliquias repetebat, alieno tempore Lysiam offendere timens, earum rerum mentionem à suis fieri vetuit. Cæterum haud obscurum ejus judicium erat, quum populi Romani amicitiam plurimi faceret: ita quidem, ut sub idem fere tempus reversis quos Romam miserat legatis, promptamque Patrum erga Regem voluntatem referentibus, honorem habuerit diis, sacrificioque magno peracto, cum ducibus suis hilariter fuerit epulatus.

Diodor. 2p. Valef.

XXXI. Dum hæc in istis locis fiunt, alibi quoque parum tranquillæ res fuerunt. Calyndenses obsidione Cauniorum, à quibus defecerant, pressi à Cnidiis auxilio impetrato aliquandiu restiterunt: deinde timentes de exitu belli, ni majoribus opibus

Polyb. Excerp. Legat. 111.

defenderentur, Rhodios imploravere, *se suaque dedere polliciti*. Rhodii receperant quidem parumper ex priori consternatione animos: sed tamen iram Senatus verebantur, si inconsulto eo quidquam majoris negotii adgrederentur. Ablegatis igitur

Polyb. Excerp. Legat. 110.

Cleagora & Lygdami petiverunt, *ut sibi recipere Calyndenses liceret; utque possessiones quas in Caria Lyciaque privatim Rhodii haberent, eodem essent jure, quo ante fuissent. Donum præterea decreverant in ade Minervæ, colossum cubitorum trigintà, populo Romano ponere*. cessitque res iis feliciter. nam & subsidiis terra marique missis, Calyndensium oppidum hoste submoto receperunt: & Romæ accepta facti ratio est, jusque novæ ditionis auctoritate Senatus stabilitum.

Polyb. Excerp. Legat. 111.

Ptolemæus Physcon Romam venit. Pol. Excerpt. Legat. 113. Polyb. Excerp. Legat. 114. Pol. excerpt. Legat. 115. Diod. apud Valef.

XXXII. Major deinde res occasionem præbuit Patribus, ex alienâ discordia suam potentiam augendi. Quippe minor Ptolemæus cui Physcon cognomentum erat, Romam profectus *institutam cum fratre divisionem retractari* orabat. *neque enim se sponte ad sensum, sed iniquitati temporum cessisse*. petebat igitur, *ut Cyprus adjiceretur sorti suæ, sic quoque fratrem non adæquaturæ*. Contradicebat his Menithyllus Alabandensis princeps legationis, quâ ob idipsum Ptolemæus major miserat, ut Senatum edoceret, *suo beneficio fratrem non modo Cyrenaicum regnum, sed etiam vitam ipsam habere: quam citra ipsius operam contracto tam acri omnium odio tueri non potuisset. Præterea religionibus, quæ apud Ægyptios sanctissima censeantur mutuoque jurejurando firmata pacta violari non debere*. Isthæc differentes, etiam Canuleji & cæterorum, qui rebus omnibus interfuerant, testimonio juvabantur.

XXXIII. At Patres, quibus potentissimi regni vires dividi opportunum videbatur, refellenti isthæc Physconi credere maluerunt: & *legatione, quæ illi Cyprum à fratre impetraret* decreta, *T. Manlium Torquatum, Cn. Merulam* proficisci jusserunt, cum mandatis, *ut conciliatis inter se fratribus, minori Ptolemæo*

Demetrius in Syriam profugit.

Cypri regnum citra vim & arma traderetur. Quum in eo ſtatu res regnorum eſſent, Demetrius Seleuci F. ad Syriæ recuperandum regnum apertam ſibi occaſionem judicabat, infenſis Lyſiæ Romanis, & ob facinus contra gentium jura patratum, totam iſtam aulam averſantibus. Igitur Apollonio Apollonii F. conſultore (quippe Polybius ingenio & uſu excellenti præditus, communi proverbio uſus, *caveret bis ad eumdem lapidem impingere*, diſſuaſerat) ſenatum adire ſtatuit, ut, *ſi regnare Patres Antiochum mallent, ipſe ſaltem neceſſitate pro obſide manendi ſolveretur. Nec enim jure ſe attineri, mortuo Epiphane, cujus in locum obſes ipſe factus eſſet.*

Polyb. Excerp. Legat. 121. 1. Demetrius ad Syriæ recuperandum Regnum ſe accingit.

Appian. Syriac.

XXXIV. Hæc quum ita nequidquam poſtulaſſet (nihil enim acciderat, cur priorem ſententiam ſenatus mutaret) ad alia conſilia converſus, Diodorum ad ſe vocat, educatorem ſuum, qui nuper ex Syria Romam advenerat. Is, ut erat homo callidus, & qui præſentem regni ſtatum accurate teneret, oſtendit, *nulla re alia, præterquam præſentia Demetrii fore opus: ei, ubi conſpectus primùm eſſet, protinus omnes adhæſuros. Nam & Lyſiam inviſum popularibus, & populum Lyſiæ ſuſpectum eſſe, neque à Romanis timendum, nunquam enim is, quorum opera Cn. Octavium oculis eſſe crederent, auxilium laturos. Nihil igitur aliud in præſentia meditandum, niſi quarantione fugæ conſilium ſolertiſſime nunc tegere, mox exſequi poſſit.* Adoleſcens, probata Diodori ſententia, rem cum Polybio communicat: per hunc Menithyllus Philometoris Ægyptii legatus Demetrio conciliatur. Is navem Punicam nactus, quæ primitias Carthagine Tyrum ex veteri religione vehebat, quaſi uſurus ea ad reditum ſuum palam cum nautis pacſcitur: convenit de mercede; comparatur ac infertur commeatus; tempus profectionis conſtituitur.

Inſtigatur à Diodoro. Polyb.

XXXV. His ita præparatis præmittitur in Syriam Diodorus. Demetrius in eam diem, qua erat abiturus, paucis domeſticorum ſecum retentis, *cæteram turbam præcedere Anaguiam* jubet; *& cum canibus apparatuque venatico, ad Circæum ſibi occurrere.* nam ibi ſæpe antea venationi operam dare conſueverat. Idem fit à cæteris, quos conſilii participes, vitæque comites legerat, in quibus & Nicanor fuit, mox præcipuus amicorum. Ii eum ſingulis pueris ad navem quæ ad Oſtiam ſtabat, ſeſe conferunt. venit eodem Demetrius, reperitque Menythillum, qui nautis obtentu *novi à Rege mandati* excuſat, *quod ipſe nequeat diſcedere: cæterum ſe juvenes iſtos probatæ fidei ad illum mittere.* Non interfuit nautarum, quos vectores tollerent, quandoquidem de mercede nihil ipſis decedebat. Itaque prima luce ſublatis anchoris vela fecerunt, de comitibus ſuis præter id quod à Menithyllo acceperant, nihil ſuſpicati. Hac fraude quatriduum abiit, priuſquam de fuga Demetrii dubitatum eſt.

Ex Urbe profugit.

Joſeph. 12. 17. Juſtin. 34. 3. Polyb.

XXXVI. Quinto demum die coactus ob eam rem Senatus, quia multum itineris ille jam præceperat, *minime proſequendum eſſe* cenſuit. Sed haud multo poſt tempore Tib. Gracchum, L. Lentulum, & Servilium Glauciam ad res Græciæ inſpiciundas miſerunt. iis mandatum, *ut ex Græcia in Aſiam tranſjicientes, quam aliorum Regum, tum præcipue Demetrii conſilia ſpecularentur.* Datum etiam negotium eſt, *ut Regum cum Gallogræcis controverſias judicarent.* præſertim Graccho injunctum, *ut his rebus omnibus præſens ſupereſſet.* M. deinde Valerius M. F. M. N. Meſſala, C. Fabnius C. F. C. N. Strabo Conſules.

Faſti Capitolini.

Vrb. cond. 592. Macrob. Saturnal. l. 2. c. 13. Conviviorum luxus.

sulatum acceperunt. In horum magistratu conviviorum luxui obviam itum : qui tum, ut rebus prosperis solemne est, in dies sumptuosiore intemperentia valescebat. Neque L. Orcia, quam vicesimo ante anno C. Orcius de Senatus sententia in tribunatu tulerat, ruentes mores satis sustinebat, etiamsi servaretur : quia numero tantum convivarum coërcito, cæteram epulatum luxuriem sine fræno reliquerat.

Sammonicus Serenus apud Macrob.

XXXVII. Crevit igitur, ut sæpe fit, *in*ritatum remedio malum, passimque jam in pauciores convivas major impensa, quam in plures antea fiebat. Adeoque in publicum damnum & dedecus vafana ingluvies iverat, ut vulgo jam in comitium ad consultationes de Republica homines obtii ventitarent : mulcique bonis suis evoluti per fœdam & abominandam turpitudinem prosticuto corpore quærerent, quod mox haud multo minore infamia per gulam erant perdituri. Quum igitur hanc intemperiem ægerrime ferret, quidquid in Urbe sanum erat, consensu bonorum sumptuariæ leges expeti cœpere. Consulibus ea de re ad Senatum referentibus, Senatus in hæc verba censuit : *uti principes civitatis, qui ludis Megalensibus antiquo ritu mactitarent, jurarent apud Consules verbis conceptis, non amplius, in singulas cœnas sumptui esse facturos, quam centenos vicenosque æris, præter holus & far & vinum, neque vino alienigena; sed patrio usuros : neque argenti in convivio plus pondo, quam libras centum inlaturos.*

Att. Capitol. apud Agell. l. 2. c. Sumptuariæ leges.

XXXVIII. *Ferre deinde Consides ad populum* placuit *de modo sumptuum, qui in unumquemque diem fierent.* ab altero Consulum *Fannia lex* est appellata. *Hæc ludis Romanis, item ludis plebeiis, & Saturnalibus; & aliis quibusdam diebus centenos æris insumi concessit, decemque aliis diebus in singulis mensibus tricenos : cæteris autem omnibus diebus non amplius denos. Invitari vero præter domesticos convivas cæteris diebus ternos, nundinis quinos.* Eorum qui legem fuaserunt C. Titii oratio extat, qui acriter invectus in vitia civitatis, *stare istam posse negavit, nisi illa tollerentur.* Ludos Megalenses Romanosque hoc anno L. Posthumius Albinus, L. Cornelius Merula Ædiles Curules fecerunt.

Sammonicus. Lex Fannia. Agellius. Lucilius ap. Agell. & Macrob. Agelli Athenæus lib. 6. f. Titulus Comœd. Terentianæ. Zon.

XXXIX. Ita constitutis domi rebus, nihil æque, ac Syriaci motus curam Patrum exercuit. Demetrius enim postquam Lysiam fuga attigisset : scripserat senatui, *se ad pœnas ob Octavii necem à Lysia repetendas, in Syriam festinare, Antiocho, quem populus Romanus Regem appellasset, nihil nociturum.* Neque segnius, quam ostenderat, Tripolin pervectus, urbem voluntate oppidanorum recepit. Ibi quum magnus hominum ad eum concursus fieret, diademate sumpto, *Româ se ad repetendum senatus auctoritate regnum venire* mendicabatur. nihil enim aut sciebant aut suspicabantur de fuga ejus homines, cujus famam celeritate prevenerat. Igitur paulo post Apamea quoque potitus; cum valido jam exercitu contendit Antiochiam, regni caput. Lysias metu Romanorum opponere arma non ausus, in faciem pacis cum Antiocho procedit obviam. nec admissus in conspectum, cum pupillo à suis militibus interficitur. ita Demetrius regnum paternum citra laborem recuperat.

Demetrius Syriæ Regnum occupat. Joseph. l. 12. c. 16. Appian Syriac. Joseph.

Zonar. Macchab. l. 7. Zon. Machabæi. Joseph. Liv. Epitom. 46. Eusebius. Agellius l. 15. c. 11.

XL. Eodem anno Senatum M. Pomponius prætor *de Philosophis atque Rhetoribus* consuluit. *Quod sub his nominibus multi mercenarii sapientiæ faciendæque professores, juventutem Romanam contemptu patriorum institutorum,*

Philosophi & Rhetores Vrbe pulsi.

religionumque imbuere dicebantur. De his Senatusconsultum factum est, *ut M. Pomponius Prætor animadverteret, curaretque (si ei è Republica fideque sua videretur) uti Romæ ne essent*. L. deinde Anicius L. F. L. N. Gallus, M. Cornelius C. F. C. N. Cethegus ineunt. His Consulibus egregiæ vitæ L. Æmilius Paullus extremum diem clausit. Maximæ hominibus admirationi continentia viri fuit, quod quum liberaliter quidem, sed tamen citra luxuriam vixisset, unde dos uxori solveretur vix reliquerat: vendendisque mancipiis & suppellectile & prædiis adhuc nonnullis fuit opus, ut sexcenta nummorum millia conficerentur. Quibus detractis, in hæreditate non amplius quindecies sestertium remanebat. Nempe cum ditissimis populis Regibusque bello congressus, & incredibili opum vi potitus, ærarium populi Romani pecunia; suam domum laude locupletare studuit. Plus auri ex Hispania, quam quisquam ante illum alius advexerat in Urbem: Macedonico triumpho bis millies centies in ærarium intulerat, tanto in populum Romanum beneficio, ut exinde tributum pendere desineret. Titul. Hecyr. Terentianæ. Liv. Epitom. Vrb. cond. an. 593. L. Æmilii Paulli mors & elogium. Plutarch. Aimil. cap. 5. Auctor de Vir. illust. Polyb. & Diodorus. ap. Valef. Plutarch. Aimil. cap. 42. Diodorus ap. Valef.

XLI. Neque male respondit ei benevolentia & honoribus civitas, quippe maximis condecoratum magistratibus, plus etiam impensi amoris testificatione ornavit. Sed & alia omnia, quæ homines faventi fortunæ acceptum ferunt, cumulatim ei obvenere. Sub finem vitæ, postquam Veliæ, quo se ex consilio medicorum contulerat, in secessu & otio diu fuerat versatus: desiderium non ferens populus, quum alias, tum in theatro crebras edebat significationes, *ut se conspectui civium redderet*. His declamationibus, & sacrificio quodam solemni instante inductus est, ut Romam reverteretur: idque sacrum cum collegis suis inter maximam gratulantis populi frequentiam peregit. Postridie rursus ipse pro sua incolumitate fecit. Statimque ut reversus est domum, delirio correptus, per quod ne sentire quidem morbum posset, tertia deinde luce exspiravit. Val. Max. 4. 3. 8. Diodorus. Vellej. 1. 9. 6. Val. Max. Diod. Amor apud cives.

XLII. Tum vero patuit, quantus apud omnes amor ejus viri, quantaque veneratio esset. Nam ad deductionem funeris, non modo manuarii artifices, cæteraque vilis turba suo quisque relicto opere, certatim concurrerunt; sed etiam magistratus atque Senatus justitio sumpto res protulere. Quin & ex circumjacentibus municipiis, quotquot occurrere in tempore potuerant, visendi simul honorandique funeris caussa confluebant. Unde raro splendidiores cujusquam exsequiæ fuere; non tam auro aut ebore, cæterique apparatus nitore, quam insigni omnium benevolentia studioque defunctum decorantibus. Præferebantur quidem, ut in funere nobilissimi viri, longa serie majorum imagines; sed majus ornamentum erat in ipsa hominum frequentia, quum non cives modo, sed ex infensissimis modo hostibus quotquot aderant, erga memoriam tanti viri certarent studiis. Videres ex Liguribus, ex Hispanis, ex Macedonibus validiores quosque circa lectum funebrem ambitiose diligentes: sequebatur turba seniorum & magno cum adfectu *servatorem suæ quisque Patriæ Patronumque* appellabat. Quem enim armatum pugnantemque hostes ob virtutem timuerant; eundem in pace victi ob justitiam gravitatemque haud minus amabant. Funus. Diod. ap. Valef. Plutar. Aimil. cap. 67. Diod. 31. 4.

XLIII. Funebres parenti ludos Q. & P. Aimiliani fecere: quorum alterum Funebres ludi.

Tit. Adelphorum Terentia. Plutarch. Diod. ap. Valef.

in Fabi ám, alterum in Corneliam gentem adoptandos dederat. Heredem utrumque reliquerat pater, ſed P. Scipio jam tum in ea ætate generoſum monſtrans animum, cujus mox gloriæ præcelluit, ſemiſſem ſuum fratri C. Fabio adjecit; quod ipſe in ditiorem domum adſcitus, cupiebat illum familiaris rei copiis ſibi exequari. Nec ideo minus in edendis gladiatoribus, ne ſumptu frater obrueretur, dimidiam ejus partem, ad millia nummum quadringenta, ex ſua pecunia contulit.

Polyb. apud Valeſium. Plutarch. Aimilio cap. 6. P. Scipionis Æmiliani liberalitas.

XLIV. Hæc & alia liberalitatis ſpecimina, quæ in ádūnibus & matre ediderat, in Urbe, ubi ſi nondum avaritia, jam parcimonia magna erat, laudibus & admiratione adoleſcentis omnia repleverunt. Qui conſtanter inhærens propoſito ſuo paulo poſt novis rumoribus priorem famam auxit, quum defuncta matre Papiria, non modo ex univerſo quo eam donaverat cultu recepit nihil; ſed quanquam ipſe ſolus hæres erat, omnia bona materna conceſſit ſororibus, ad quas nulla pars hæreditatis recepto jure pertinebat. Sub ea tempora magni laboris magnæque famæ opus Conſul M. Cethegus perfecit, paludes Pomptinas exſiccando. Locus ille olim trium & viginti urbium fuiſſe creditur. ubi tum animoſo conatu Conſulis, factus eſt ager, lato magis præſentibus, quam in longam poſteritatem durabili beneficio.

Diodorus. Polyb.

Liv. Epitom. 46.

Muſianus ap. Plinium. 3. 5.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri XLVII. LIVIANI.
L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

GN. Tremellio tribuno plebis multa dicta eſt, quod cum M. Æmilio Lepido pontifice maximo injurioſe contenderat: Sacrorumque magiſtratuum jus potentius fuit. Lex de ambitu lata. Luſtrum à cenſoribus conditum eſt. Cenſa ſunt civium capita trecenta viginti octo millia, trecenta quatuordecim. Princeps ſenatus lectus Æmilius Lepidus. Inter Ptolemæos fratres, qui diſſidebant, fœdus ictum, ut alter in Ægypto, alter Cyrenis regnaret. Ariarathes Cappadociæ rex conſilio Demetrii regis Syriæ & viribus pulſus regno, à Senatu reſtitutus eſt. Miſſi à Senatu, qui inter Maſaniſſam & Carthaginienſes de agro judicarent. Cn. Marcius conſul adverſum Dalmatas parum proſpere primum, poſtea feliciter pugnavit; cum quibus bello conſligendi cauſſa fuit, quod Illyricos populi Romani ſocios vaſtaverant. eamdemque gentem Cornelius Naſica conſul domuit. Q. Opimius conſul tranſalpinos Ligures, qui Maſſilienſium oppida Antipolim & Nicæam vaſtabant, ſubegit. Prætereaves in Hiſpania à complu-

ribus

bus parum proſpere geſtas continet. Conſules anno quingenteſimo nonageſimo octavo ab urbe condita magiſtratum, peractis comitiis, inſequentiſque anni conſulibus creatis, inire ceperunt. Mutandi comitia cauſſa fuit, quod Hiſpani rebellabant. Legati ad diſceptandum inter Maſſaniſſam & Carthaginenſes miſſi, nunciaverunt, vim navalis materiæ ſe Carthagine deprehendiſſe. Aliquot prætores à provinciis avaritiæ nomine accuſati, damnati ſunt.

I. MEMORABILIS hoc anno contentio fuit inter Cn. Tremellium tribunum plebis, & Aimilium Lepidum, qui pontifex Maximus erat: Itaque tribuno plebis, qui cum Lepido iuſtioſe iurgatus fuerat, multa dicta; ſacroſanſti Magiſtratus majeſtatem, ſacrorum vincente reverentia. Ludi hoc tempore Romani à Q. Fulvio, L. Marcio Ædilibus Curulibus editi ſunt. Legem de ambitu, quæ circa hunc annum lata fertur, quis tulerit, adhuc quæro. Cn. Cornelium Cn. Dolabellam, aut M. Fulvium M. F. M. N. Nobiliorem legis auctorem exſtitiſſe non abſurdum eſt, qui proximi Conſules fuere. Sed quia poſtmodum, credo, de eodem crimine plenius diligentiuſque cautum eſt, memoria vetuſtioris legis exſolevit. Urb. condi. ann. 594. Liv. Epit. 47. Titul. Hecyr. Terentianæ. Sacrorū reverentia magiſtratus majeſtate potior. Urb. cond. 594.

II. Celebrior multo cenſura eſt, quam his Conſulibus geſſere duo clariſſimi viri P. Cornelius P. F. Cn. N. Scipio Naſica, M. Popillius P. F. P. N. Lænas. Ii luſtrum fecerunt quartum atque quinquageſimum. Cenſa ſunt civium capita trecenta vigiati octo millia, trecenta quatuordecim. Ab his quoque princeps Senatus, M. Aimilius Pontifex Maximus lectus eſt quinctùm. Cenſuræ ſeveriter actæ hoc quoque monumentum eſt, quod ſequitur. Eques Romanus quum equum ſtrigoſum & ſmale habitum, ipſe pinguis & bene curata cute adduxiſſet, interrogatus eſt à Cenſoribus, qui fieret, ut dominus equo tantum eſſet habitior? Atque ille, *quoniam*, inquit, *ego me curo, equum Statius meus*. Id reſponſum, quum parum reverens videretur, notatus ille à Cenſoribus, ærariuſque factus. Cenſura egregia P. Cornelii Naſicæ M. Popillii Lænatis. Faſti Capitol. Epitom. Liv. Maſurius Sabinus ap. Agel. 4. 20. & Nonium voce Strigoſus.

III. Horologium novum in ſuperiore cenſurâ locatum fuerat: id quoniam uſui non erat tempore nubilo, P. Scipio diviſis æqualiter noctis ac dici horis horologium ſub tecto dedicavit, quod fluentis aquæ judicio temporum intervalla metiretur. Græci clepſydram appellarunt. Res in ſpeciem haud magnifica, ob ingentem utilitatem lætis animis accepta eſt. Nam apud prudentes pleraque vitæ officia temporibus diſtribuuntur: quorum negligi rationem qui parum referre putant, utiliſſimæ rei pretium non intelligunt. Iidem Cenſores, ut ambitioni vires quotidie ſumenti ſic quoque iretur obviam, quum multæ paſſim circa forum ſtatuæ eſſent poſitæ, ſuſtulerunt omnes, exceptis quæ de Senatus aut populi ſententia ſtatuæ eſſent: in his, quam apud ædem Telluris Sp. Caſſius qui regnum adfectavit, poſuerat; etiam conflavere. Operum quæ in cenſura hac locata ſunt, nobiliſſimum porticus in Capitolio fuere. locavit P. Cornelius. Luſtrum hi fecerunt ſub exitum magiſtratus ſui, conſulatum jam gerentibus M. Aimilio M. F. M. N. Lepido, C. Popillio P. F. P. N. Lænate iterum. Horologium & alia Opera Cenſoria. Plin. 7. 60. Cenſorinus de die Natali. L. Piſo apud Plin. 34. 6. Auct. de Viris Illuſt. cap. 44. L. Piſo. Vellejus 2. 1. a. 2. 3. 1. Urb. cond. 595.

IV. Hic etiam annus pluribus Regum negotiis quam propriis occupatos Patres habuit. Ptolemæus enim Phyſcon, magno cum favore dimiſſus ab Senatu, in Græcia validas mercenariorum copias conduxit. Recepit & Damaſippū genere Mace- Ptolemæus Phyſcon milites in Græcia conducit. Polyb. Excerp. Legat. 115.

Ptolemæus Physcon: à Cyrenensibus victus.

donem, qui proximas inter turbas publico consilio, quod Phaci fuerat, interempto, cum uxore liberisque ex Macedonia profugerat. Cum his in oppositam Rhodo continentem transgressus, & hospitaliter exceptus à Rhodiis, navigare Cyprum statuerat: nisi T. Manlius Torquatus qui legatione ab Senatu fungebatur, monuisset, *contra sententiam Patrum factorum videri, qui eum citra vim jussissent reduci.* Unde postremo consensit, ut dimisso circa Sidam milite, Cypro abstineret, & in finibus Cyrenes Torquatum opperiretur, qui *se recta profecturum Alexandriam* dicebat, *ut adducto in suam sententiam Rege, una cum ipso eosdem ad fines occurreret.*

In Libyam Ægypto vicinam venit.

V. Ita cum altero legatorum Cn. Merula, & Damasippo Macedone in Cretam se contulit, conductisque mille ferme Cretensibus, navigavit in Libyam Ægypto conterminam, ibique exscensione facta castra ad Apin posuit. Hic quum ad aliquot dies Torquatum frustra exspectasset, Cn. quoque Merulæ persuasit, *ut Alexandriam pergeret*, animum fratris citius expugnari posse auctoritate duorum arbitratus. Sed hoc quoque consilium frustra fuit, retentis Alexandriæ legatis, quos major Ptolemæus omni arte versabat, ne vel perficere quod instituerant, vel prius regredi, quam ex utilitate Regis, possent. Ita quum Physcon ad Apin diebus quadraginta nequidquam hæsisset, alio præterea majoris tædii nuncio perculsus est.

A Cyrenensibus vincitur.

VI. Quippe deficientes Cyrenæ alias quoque civitates ad consensum traxerant, adeoque iis socius consiliorum & adjutor Ptolemæus, cui Rex Romam profiscens summam rerum mandaverat. Hoc nuncio vix peracto supervenit aliud, *jam in armis defectores esse, coactoque exercitu castra locis apertis metari.* Quapropter amittere Cyrenen timens dum Cyprum studet adjicere, dilato hoc consilio Cyrenem versus iter instituit. Cæterum neque minis neque precibus adduci potuere Cyrenenses ut arma ponerent, & immitis Domini jugum sponte subirent, cujus crudelitatem Alexandriæ malis abunde testatam noverant horrebantque. Itaque post leves aliquot velitationes signis collatis certarum est: victumque Regem Cyrenenses repulerunt.

Polyb. Excer. Legat. 116. Legatos Romam mittit de fratre quesitum.

VII. Rediit tum ad eum Cn. Merula, negans *à Philometore quidquam impetrari potuisse, adseverante pacta inter fratres olim inita; neque esse, cur mutaria vel aboleri oporteat.* Igitur ex suis Comanum & Ptolemæum fratres adjungit Merulæ, ut *de Regis Alexandrini iniquitate* apud Senatum querantur. Introductorum in curiam hæc oratio fuit. *Gratias Senatui populoque Romano Regem, gratias legatis agere: neque enim per hos stetisse, quo minus alterorum auctoritate curaque, alterorum labore ac opera finem votorum suorum obtinuisset; nisi fratris iniqui dolo circumventi omnes forent. Neque mirandum si Senatum contemptui, si legatos ludibrio habuisset, homo præter profundam dominandi cupiditatem non rationi ulli, non adfectui penetrabilis. apud quem jam olim & arctissimæ necessitudinis jura, & fœderum pactorumque fides, quo uno firmissimo vinculo generis humani societas continetur, eviluerunt.*

Sua in Illum merita prædicat.

VIII. *Sed antiqua non repetimus: utinam tam facile novis injuriis ille abstineret, quam nos priorum oblivisceimur. Quinquennio ante quam justa civium indignatione pulsus vestram ad opem perfugisset; vos pro solita bonitate vestra, & quia æquum esse putabatis, quos natura tam arcta cognatione junxisset,*

eos animis non dissidere; vestram auctoritatem interposuistis: ibi Rex noster, quamquam caussa viribusque superior, tamen quid vobis deberet, quam quid ille meruisset, cogitare maluit: in potestate legatorum vestrorum fuit. illis agentibus eas conditiones victo dedit, quas in pari jure fortunaque petere non esset ausus, sperare nequivisset. Annon igitur tantæ sociorum curæ favorique, tantæ fratris indulgentia vicem referri oporteret? Ille autem quid fecerit, videte: Modestas fratris querelas non sine contumelia ejus insuperbabit: novis etiam additis injuriis, cumulatisque.

IX. Quas ubi ille ferre diutius non potuit, ad Vos tamquam deorum vicem Regibus Populisque jura reddentes, se contulit: Vobisque, ut in tam evidenti negotio facillimum factu fuit, caussam ita probavit, ut ex amplissimo ordine vos clarissimos legatos Alexandriam mitteretis, qui voluntatem vestram, de Cypro Insula fratri restituenda, significarent. Te nunc T. Torquate appello, teque Cn. Merula, veneritisne Alexandriam, mandata Senatus exposueritis, pro fide, pro prudentia vestra prætermiseritis nihil, quo animum intractabilem docendo, movendo, hortando, ad meliora consilia flecteretis? Ita certe à vobis abunde factum, neque quidquam quod ab hominibus vestri loci animique exspectari fas est, defuit. Impetrata ab Senatu legationem commemorat.

X. At quo successu eventuque ista factitata sint jam olim opinor, Patres Conscripti, bis ipsis referentibus, cognovistis. Ita sunt circumducti fraudibus, ut constaret eludendi eos consilium captum esse: ita quum eludi non possent, per varias & absurdas caussas retenti; ut appareret, si manere decepti nollent, manendum coactis fore. Post multas demum dilationes re infecta dimissi sunt. dimissi sunt, inquam, vacui inritique legati, neque apud eum Regem majestas populi Romani valuit, pro quo apud hostem Antiochum, totam Ægyptum armis obtinentem, valuerat. Neque hic finis impietatis & contumaciæ fuit: sed Cyrenaica seditio, quibus aliis facibus, quam Regis Alexandrini nuciis atque consiliis exarsit? Neque enim satis aut in fratrem acerbus, aut adversum vos contumeliosus sibi videbatur, nisi Cypro quam restitui jubebatis retenta, etiam Cyrenen extorqueret. Eam à fratre elusam esse.

XI. Verum enim vero fructu improbitatis suæ haudquaquam diu gloriabitur, sat scio, Romani: neque enim animos viresque vestras eodem quo ille judicio atque æstimatione metimur. Ille, ut hominibus improbis mentem vitia hebetant, neque consilia vestra supra artes suas, neque arma supra potentiam æstimat: nos neque Senatui huic ullum in orbe terrarum par sapientia consilium esse novimus; neque legionibus Romanis aliud militum genus fortitudine conferendum. Itaque magna cum spe non inritarum precum, vos rogamus obtestamurque, Patres Conscripti, ne Regem, quem ipsi fovistis, texistis, ornastis, quique invicem vos perpetua fide observavit atque coluit, eo maxime tempore quo Vestro munere florentissimus esse debuerat, inopem, extorrem, deceptum à fratre, proditum ab amicis, contemptum à popularibus, consilium auxiliumque Vestrum frustra implorare sinatis: quandoquidem ita cum vestra gloria ac utilitate caussa illius conjuncta est, ut quantum ille aut existimationis aut opum amiserit, tantundem Vestræ quoque famæ, vestrisque obsequiis decessurum esse videatur. Commendat se enatui.

XII. Adversus hæc iterum Menelhyllus à Majore Ptolemæo adfuit. Sed in

Senatus in Illum propensior. Polyb. Excer. Legat. 117. Diodor. apud Fulvium. Polybius.

minoris causam inclinatis Patrum animis, Torquatoque & Merula, qui à legatione interim redierant, eamdem enixe juvantibus, Senatus *intra diem quintum Italia excedere Menithyllum* jussit, decreto, *uti fœdus quod populus Romanus cum majore Ptolemæo habuerat, tolleretur: Legatique mitterentur ad juniorem, hujus Senatusconsulti ad eum perferendi gratia.* Missi P. Apustius, C. Lentulus Cyrenis jam receptum, reperere. Quare nova spe animatus, tota mente de Cypro recuperanda cœpit cogitare, militemque & alia bello necessaria summa ope colligere.

Livii Epitom. 47 Zonar. Polyb. Excer. Legat. 124. Dalmaticum bellum.

XIII. Novorum interea motuum caussæ eum Dalmatis exortæ. Populus iste sub Pleurato nuper fuerat: eo defuncto, deficiens à Gentio, non usurpabat modo libertatem, sed jam vicinos incipiebat ad servitium cogere. tributoque pecorum & frumenti nonnullis impositio, alii, qui id dedecus abnuebant, perpetuis illorum latrociniis vastabantur. Missi præcipue Daorsique fiducia Romanæ societatis resistebant: frequenteseque ab ipsis querelæ delatæ erant: Missis *agros & oppida sua (Tragyrium & Epetium habebant) insistari nunciatibus*, nec absimilia Daorsi adferebant. Placuit igitur legationem ad Dalmatas mitti, eadem opera res Illyricas inspecturam. Ejus legationis princeps C. Fannius fuit. At Romæ M. Fulvius Nobilior proconsule ex Liguria de Eleatum populo triumphavit A. D. XII. Kal. Septembres. De quo equidem quas res, aut quomodo gesserit, nihil præterea inveni. Certe per ea tempora quum graviorum bellorum materia deficeret, non ideo deficiebat ambitio: sed quia soli propemodum Ligures, magis loco quam viribus freti arma retinebant, in horum expugnandis castellis captandæ laudis occasio quærebatur.

Fasti Capitol.

Cicero Brutо cap. 73.

Urb. cond. ann. 596. Ariarathes Cappadocia expulsus Romam venit. Polyb. Excer. Legat. 126. Diodor. 31. 3.

XIV. Sex. deinde Julio Sex. F. Sex. N. Cæsare, L. Aurelio L. F. L. N. Oreste Consulibus, Romam Ariarathes venit, vi Orophernis, qui se fratrem ejus serebat, Cappadocia expulsus. Cujus rei originem paulo supra repetendam arbitror. Ariarathes qui proxime regnaverat, Antiochidem in matrimonio habuit, Antiochi Magni filiam. quæ quum prioribus aliquot conjugii annis fobole nulla genita, timeret ne vilior viro & Cappadocum genti fieret, callidissima mulier semel arcitcrum fœcunditatem mentita, primum sub Ariarathis nomine puerum, deinde alium, Orophernem, educavit. Postea vero quum, ut fit, natura aut remediis vitium vincentibus, voti se compotem factam videret, duas filias unumque mox filium enixa, rem totam marito patefecit. Ille ne subditicii liberi vero & naturali filio obstarent, alterum quidem Romam mediocri instructum censu, alterum in Joniam ablegavit. Mithridatem autem (id nomen nato ex se fecerat) mutato vocabulo Ariarathen & ipsum appellavit: unice dilectum parenti, neque male respondentem in amore. Denique pulcherrimum certamen inter eos exortum est, ut quo tempore alibi locorum regna parricidiis aut adpeti, aut servari in morem venerat; in Cappadocia pater Ariarathes cedere filio contenderet, filius quidlibet passurum potius, quam ut patrem privatum videret, pervicacissime testaretur. Unde non immerito Philopatoris ei cognomen inditum est à Græcis, qui tum primum (nam & studiorum amore peritiaque adolescens iste celebratus est) in Cappadocia literarum & cultioris sapientiæ sedem posuerunt.

Diodor. apud Vales. Ariarathis Initia Regni, & Virtutes.

XV. Hic igitur Philopator post obitum senis hæreditate adita, nihil antiquius habuit, quam ut patrē omni honoris & magnificentiæ genere contumularet:

deinde amicos præfectosque & populum universum digna quemque cura prosequutus, maximam apud omnes benevolentiam sibi comparavit. Unde prospera ei regni initia fuerunt: magnusque jam vulgo & clarus ob amorem suorum, & justitiæ fideique gloriam habebatur. Cujus egregium specimen in casu Mitrobuzanis Zaicadræ geniti demonstravit. Is de Sophenes regno cum fratre certans, ab illo qui viribus Artaxiæ prævaluerat, fusus est. Pulsus apud Cappadoces perfugium fuit, & mox auxilium ab Ariarathe; qui supplicem suum valido cum exercitu in regnum paternum reducebat. Sed Artaxias moris sui tenax, quum Armeniæ parum laudabiliter occupatæ, Sophenem adjicere cuperet, legatione missa conditionem Ariarathi obtulit, *ut ille Mithrobuzanem occideret; se pariter fratrem illius interfecturum: ita dividi inter ipsos regnum Sophenes posse*. Hoc scelus aversatus Cappadox, non modo legatis increpitis, Artaxiam monuit, *ab ejusmodi cogitatione desisteret*; verum etiam Mitrobuzanem non deseruit, priusquam in res amissas eum restitueret. Strab. lib. 12.

XVI. Hac fama & societate Romana conspicuus, sine metu regnabat, donec Rex Syriæ Demetrius adversarium ei Orophernen excitavit: offensus quod in gratiam Romanorum, qui Demetrio succensebant, Ariarathes fœdere inter Syriæ Cappadociæque Reges abolito, sorori quoque ejus nuncium remiserat. His incensus, & mille talentorum pretio, quæ Orophernes ei promittebat, impetere consiliis & viribus Ariarathen non ante destitit, quam regno illum coegeret excedere. Neque pulsum & Cappadocia profugum legnius Romæ per legatos urgebat, quorum princeps Miltiades fuit. Aderant & ab Orophernе legati Timotheus & Diogenes, donum populo Romano coronam auream ferentes, *amicitiamque renovari cum Rege petebant, quæ populo Romano cum patre ejus Ariarathe fuisset.* Demetrii Syri dolo pellitur. Diod. apud Fulvium Urſinum. Justinus 35. 2. Appian. Syriac. Liv. Epit. 46. Polyb. l. 5. Polyb. Excer. Legat. 126.

XVII. Hi consensu oppugnabant Ariarathen, & quoniam despectum & inopem ipsi florentes opibus & gratia premebant, apud plerosque divitum & largitorum calumniæ plus poterant, quam unius miseri vera defensio. Hactenus tamen caussa ejus & meliorum ex Senatu contentio, profecit, ut *in regnum recipi* juberetur, *sed cum Oropherne fratre dividendum*. Neque enim eo tempore quidquam aut gratius Romanis, aut usitatius erat quam dare operam, ut regnorum potentia, particis in plures opibus divideretur. Sed non diuturnum ob vitia novi Regis incommodum prioris fuit. Orophernes enim quum in recenti possessione firmare sibi favorem hominum prudentia beneficiisque deberet, pari intemperie in luxum & avaritiam provolutus est. Nam & vino deditissimus, præter institutа patria Bacchicorum artificum introduxit insaniam: & pecunia undiquaque corrasa, Timotheum quidem, quo præcipue auctore ad regnum pervenerat, talentis quadraginta, Demetrium Regem septuaginta, coronavit: præter sexcenta talenta, quæ paulo post numeraturum eidem recepit, & alio die residua quadringenta. Quibus rebus quum alienatos à se popularium animos animadverteret, jam velut ab inimicis vindictæ caussa extorquebat pecunias, quando in suorum animis non posset, in his spem præsentium rerum collocaturus. eo consilio & apud Prienenses pecuniam, talenta quadringenta, deposuit, ut subsidio hoc in omnem fortunam uteretur. Ab Senatu nō satis adjutus. Liv. Epitom. Appian. Diod. ap. Valeſ. Ælian. hiſt. Var. 2. 31. Polyb. apud Athenien. 10. 11. Diodorus.

XVIII. Nihil horum Ariarathen fallebat, qui quum se plerisque Cappado- Sua virtute Regnum recuperat.

Strab. lib. 13. Polyb. ap. Vales. Polyb. 3. 5.

cum grátum esse, contrà Orophernem omnibus exosum sciret, colligere copias cœpit, & regni partem, unde vi extrusus fuerat, vi repetere. Neque leve adjumentum erat Attalus, qui nuper defuncto Eumene, pro filio ejus Philometore Attalo regnum administrans enixe ferebat auxilium: plus tamen ipse sibi contulit, prudentia & labore dignum se loco quem reposcebat, ostendens. Unde res suas quotidie deteriores fieri videns Orophernes & hoc quoque metu, ne ad hostem deficeret ob stipendiorum solvendorum moram exercitus, quem per injustitiam occupaverat statum, sacrilegio tueri instituit. Celebre gentibus illis sub monte quem Ariadnes vocant templum est, Jovi sacrum: id veteri opulentia dives spoliavit ille, militibusque stipendium ex ea pecunia dissolvit. Neque tamen (ut breve plerumque ævum est potentiæ pravis artibus fultæ) diu resistere vel hostium viribus, vel civium odiis potuit: relictoque regno, ad Demetrium unde venerat Antiochiam se recepit. Hic eo tempore finis motuum in Cappadocia fuit.

Diodorus.

Justin. 35. 1. Carthaginensium cum Massinissa contentio. Polyb. Excerp. Legat. 118. Appian. Punic. Polyb.

XIX. At in Africa perpetuis Masinissæ adversus Pœnos odiis injuriisque res inquietæ erant. Circa minorem Syrtin ager amplus colitur, quem uberem gleba, oppidis quinquaginta frequentatum, & per hæc locupletе reditu Carthaginenses obtinebant: ipsi Tyscam vocant regionem; Græci dixerunt Emporia. Eum quum cœpisset concupiscere Masinissa, ob potentiam suam, & favorem apud Romanos, seu vi, seu jure agendum foret, potiorem se futurum ratus, armata manu occupare non distulit. Et agrum quidem facile receperat, Pœnis quum alias ad terrestria bella minus aptis, & tum ex diuturna pace languidioribus: oppida tamen illi retinebant; Hic rerum status utrosque impulit, ut iis de litibus frequenter legatos mitterent Romam: deteriori semper Pœnorum conditione. Neque dubium erat, quin caussa vincerent. nam & Masinissa, quum annis aliquot antea persequeretur Aphtheratum quemdam, qui à Rege defeciverat, transitu per regionem istam, ut alienam, precario postulato, deinde, quia negabatur, omisso Carthaginensium jus adfirmaverat.

Liv. 34. 61.

Polyb. Romani Massinissæ favent. Appian.

XX. Sed Senatorum plerique magis ad utilia, quam ad justa respicientes Regi gratificabantur, adeo cum aperta Pœnorum injuria, ut non modo urbibus de quibus controversiam Masinissa moverat, exigi, sed & quingenta insuper talenta, fructuum perceptorum nomine, quasi malæ fidei possessores, pendere paterentur. Quippe decretam à se legationem tamdiu distulerant, donec adigi à Rege ad iniquas pactiones possent: tum demum à Roma legati, & in his M. Cato, venerunt. his Masinissa quidem arbitrium totius negotii facile permittere: Pœni, quod desperabant æquo se jure usuros, negare *nullo novo arbitrio opus esse: fœdus sibi cum Rege multos ante annos auctore Scipione percussum: id potius pudore & fide contrahentium, quam correctione ulla indigere*. Legati, quod *altera partium invita nihil se statuere posse* caussabantur, rebus uti erant relictis, redierunt. Neque in præsens modo iniqua hæc legatio Pœnis, sed etiam paulo post exitiosa fuit: hinc orto Catonis metu, ob quem deinceps continuo ad Carthaginis delendæ consilia Patres stimulabat.

Dalmatarum insolentia contra legatos Romanos. Appian. Polybius.

XXI. Sed prior bellandi cum Dalmatis occasio venit. C. Fannius ex ista legatione reversus renunciaverat, *ne proferri quidem apud Dalmatas mandata potuisse, sibi nihil cum Romanis esse negotii ferentes. sed neque quidquam in se hospi-*

taliter, aut etiam humaniter Dalmatis factum. neque locum & lautia data, quin equos aliunde ab se adductos prædæ barbaris fuisse, adeo procaciter invectis, ut haud procul exitio abfuerint legati, nisi contumelias istas injuriasque patientia & silentio pertulissent. Movit hominum adrogantia Patres, eamque gentem bello persequendum haud dubitabant: sed plus adhuc stimulorum subjiciebant aliæ causſæ, quod bellum sibi necessarium iis locis putabant, tum quia multo jam tempore, ex quo Demetrius Pharius debellatus fuerat, partem illam Illyrici, quæ ad mare Adriaticum vergit, non inspexerant: tum quia nolebant Italicorum Populorum animos diuturniori otio marcescere. Annum enim jam duodecimum redacta in potestatem Macedonia quieverant.

XXII. Hæc eo ferme anno gesta, & in Piceno agro Auximum coloniam deductam reperio. Sed ubi L. Cornelius Cn. F. L. N. Lentulus Lupus, C. Marcius C. F. Q. N. Figulus iterum, magistratum injerunt, prodigia quædam nunciata. Quibus rite procuratis in provincias profecti sunt Consules. Bellum Dalmaticum C. Marcio evenerat, cum eo jussi profiscisci legati ad res Epiri ordinandas. nuper enim à Phœnica, quæ maxima Epiroticarum urbium est, legati venerant, postulantes ne recipere exsules cogerentur, qui Charopo auctore pulsi urbe fuerant, & tum missis ex suo ordine nonnullis, *à Senatu restitui* orabant. Cæterum C. Marcius Cos. cum exercitu in fines Dalmatarum irruptionem fecit. Sed occurrentibus strenue Dalmatis ignominia & pæne clades accepta est, turbato Romanorum agmine, & ad fluvium usque Naronem retroacto. Quapropter emendaturus quod acciderat Consul, hostem hyeme jam adpetente recedentem insequutus est. spes erat, quod evenit, ex anni tempore, & re commode gesta negligentiores ad custodiam regionis Dalmatas fore.

Urb. cond. anno 597. Velleius 1. 15. Jul. Obseq.

Polyb. Excet. Legat. 117. Polyb. apud Valef. Appian. Livii Epitom. 47. Appian. C. Marcius in Dalmatiam mittitur.

XXIII. Illi jam in sua oppida dilapsi, ad famam venientis exercitus Romani, propere congregantur. Sed prius ab intento hoste disjecti sunt, quam contrahere vires suas & ordinare possent. Delminium plerique fuga contenderunt: robustissimum illis locis oppidum, & genti caput. Id ex itinere oppugnare aggressus, quum primo impetu nihil egisset, admoverique machinas loci, ubi sita urbs erat, altitudo vetaret, ad alia minora oppida exercitum circumduxit. Quæ ubi metu hostium deserta & vacua videt, Delminium revertitur. Urbs erat loco & opere munita, sed inerant ædificia multa ex arida materie. id post quam animadversum est, sudes bicubitales parari Consul jubet, quas pice ac sulpure illitas, stuppaque multa obligatas catapultis in urbem mitterent: & successit dolus: leviter incensæ, dum per aerem feruntur, ingentem vim concipiebant flammarum, quæ ubi ædificiis incidissent, vicinis quibusque facile comprehensis, tantum excitarunt incendium, ut eo multis hostium consumptis, cæteri venire in potestatem cogerentur.

Liv. Epitom. Appian.

Delminium incendit capique.

Florus 4. Appianus. Lig. Annales.

XXIV. Nescio an hoc anno, circa hoc tempus certe, Ælia & Fusia leges à duobus tribunis plebis perlatæ, comitiorum vitia, quod occurri potuit, pleramque partem sustulerunt. Ælia cavebatur, *uti comitiis legum haud minus quam magistratuum, de cœlo servandi, obnunciandi, intercedendique jus esset.* Fufia *fastis diebus legum ferendarum causa cum populo agi* vetabat. Exceperunt deinde P. Cornelius P. F. Cn. N. Scipio Nasica, M. Claudius M. F. M. N. Marcellus, uterque iterum Consules. Horum Scipioni Dalmatæ, Marcello Ligures & Gallicæ

Lex Ælia & Fufia contra ambitum comitiorum. Urb. cond. ann. 598.

provinciæ evenerunt. Ex prætoribus unius A. Posthumii Albini maxime notâ fors est, quem ex legationibus in Senatum introductis Prætorem Urbanum fuisse indubitatum est; Nam & ille annus celebres Græcorum legationes habuit. Philosophi, Oratores in legatione Attica. Aurel. 7, 141 Petronii Rationat. p. 128. Cicer. Orat. a. 37. Euseb. Pausanias.

Athenienses delectos studiorum & Philosophiæ fama Carneadem Academicum, & Diogenem Stoicum, & Critolaum Peripateticum misere: qui *judicium rescindi* postularent, *quo ad mulctam Oropiis luendam, talenta quingenta erant condemnati.* Namque populus Athenienſis neceſſitate potius, ut creditur, ſtimulante, quam avaritia, ſociam atque fœderatam urbem Oropum diripuerat. Oropii apud Senatum queſti, obtinuerunt *ut de ſuis injuriis Sicyonii cognoſcere juberentur, & quanti eas feciſſent illis tanti Athenienſibus lis æſtimaretur.* Sicyonii talentis quingentis æſtimarunt.

Plutarch. Catone major cap. 44. Carneadis mira facundia. Cicero de Orat. a. 38. Rutilius & Polyb. apud Agellium. Macrob. Saturnal. 1. 5. Plutarch.

XXV. Sparſa per urbem fama, *viros ſapientia & eloquentia celebratiſſimos veniſſe*, ſtatim accendit juventutem, ut ad viſendos audiendoſque concurrerent: præcipua Carneadis admiratione, cujus ad perſuadendum quidlibet incredibiliter apta erat oratio. Is enim violenta & rapida dicebat, ſcita & teretia Critolaus, modeſta Diogenes & ſobria: tanquam omnia facundiæ genera, diverſis formis, pari excellentiæ laude complexi. Quibus rebus tantum æſtimationis pepererunt, ut C. Acilius Senator pro magno munere petierit *mandari ſibi ad orationes illorum exponendas interpretis vices.* Hæc equidem cæteris Patrum non ægre ferentibus, neque enim abſurdum videbatur, Romana ingenia etiam ſtudiorum cultu niteſcere, M. Cato ſeveritate ſolita ſtomachabatur, veritus ne guſtata harum artium dulcedine, ſtudium armorum Romana juventus amitteret. Igitur quum primum in Senatu verba feciſſent, *omnes Philoſophos per honeſtam aliquam cauſſam ex Urbe ablegandos cenſuit;* atque alio tempore in Senatum ingreſſus, objurgavit magiſtratus, *quod homines perſuadendi quælibet artifices tam diu non abſolverent: quo ad Græculos ſuos regreſſi, Romanam puberem, nullis argutationibus corruptam, ad majorum exemplar legibus atque magiſtratibus obedire ſinerent.* Itaque dimiſſi deinde ſunt, mulctæ maxima parte remiſſa, *ut de quingentis centum tantummodo talenta penderent.*

Ælian. Hiſt. Var 3. 17.

XXVI. Interim in Aſia bellum inter Attalum & Pruſiam Reges exarſerat. Pauſanias: Polyb. Excerp. Legat. 128. Attalus de Pruſia queritur.

quo inferior Attalus quum ab hoſte urgeretur, P. Lentulo qui tum ex Aſia revertebatur, Athenæum fratrem adjunxit, *ut Senatum de rebus omnibus certiorem faceret, ac ad opem ſibi ſerio ferendam hortaretur.* Miſerat antea quidem Andronicum, qui doceret Patres, *à Pruſia ſe infeſtari*, ſed hi potius arbitrati Attalum Bithyno imminentem parare ſibi probabilem cauſſæ ſpeciem, rem inſuper habuerunt: eo magis, quod & Nicomedes filius Pruſiæ, & legatus Antiphilus negabant, *quid quam eorum falſum quæ Andronicus diceret.* Paulo autem poſt quum ipſo rumore res perferente viderent Patres non eſſe nihili quod acciderat, neque tamen quale eſſet, liquido poſſent intelligere, juſſerunt *L. Apuleium & C. Petronium ad res Regum introſpiciundas proficiſci*, Venerunt deinde L. Lentulus, & Regis frater Athenæus. Lentulus quum Aſiaticarum rerum ſtatum qualem ipſe viderat expoſuiſſet Patribus: confeſtim vocari Athenæum in curiam placuit, & pro benevolentia Senatus in Regem Attalum *legatio* decreta, *quæ Pruſiam bello juberet abſtinere.*

polyb. Excerp. Legat. 129.

Cauſſa chairorum exſulti

XXVII. Profecti ſunt cum Athenæo C. Claudius Cento, L. Hortenſius, L. Au-

Aurunculejus legati. Tum iterum causſa Achaicorum exſulum tractata eſt in Senatu, quum de iis Xenon Ægienſis & Telecles Tegeates verba feciſſent, nihilque propius factum, quam ut dimitterentur: niſi A. Poſthumius Prætor (is per abſentiam Conſulum Senatum habebat) aſtantem intervertiſſet. quum enim tres eſſent ſententiæ; una, *abſolvi homines placere, dimittique:* altera, *non abſolvi, & retineri:* tertia *retinendi quidem adhuc, ſed abſolvi tamen*, Prætor rogatione ſua duas complexus, tertiam diſſimulavit; *diſcedere in unam partem* jubens, *qui dimittendos cenſerent; in diverſam qui alia omnia*. Sic ad eos qui abſolvendos negaverant, iis quoque ſe adjungentibus, qui dixerant in præſentia retinendos: illa ſententia numero vincere viſa eſt. Judicium eo tempore L. Lentuli actum; qui Conſul anno ſuperiore fuerat. Iſque damnatus repetundarum Lege Cæcilia, poſtmodum tamen ad ſupremos in republica honores admiſſus eſt. iterum tractata in curia. Val. Max. 6. 9.

XXVIII. Dum hæc Romæ aguntur, in Hiſpania cum Luſitani s duce Punico quodam agros ſociorum noſtrorum incurſantibus improſpere dimicatum eſt. Manilius qui Romanum exercitum ducebat, multis amiſſis retrocеſſit. Melioribus auſpiciis Conſules in Liguribus & Dalmatis geſto bello, triumphum meruerunt. Clariora tamen P. Scipionis acta ſunt, qui confecto bello Dalmatico provinciam novam adjecit imperio. Maximus hæc agenti labor circa Delminium fuit, quam relictam à C. Marcio gens Dalmatarum inſtauraverat, contractoque ex omni regione flore juventutis acerrime pro ea propugnabat. Unde Conſul difficultate rei perceptа, exercitum aliis eorum oppidis admovere cœpit. at ii quorum ea oppida erant, omiſſo Delminii præſidio ad ſua quiſque tuenda accurrerunt. Ibi tum Romanus prorinus ad Delminium raptis copiis, urbem inopia propugnatorum laborantem facili negotio redegit in poteſtatem. Imperatoris nomen, quum de more à militibus acclamatum eſſet, recuſavit: parique deinde modeſtia triumphum à Senatu oblatum vix accepit. Multi eo bello Dalmatarum capti ſunt, quos in ſervitutem Conſul vendidit. Delminium, quæ prius urbs amplа fuerat, exiguam, ſolumque pecori paſcuum redegit. Bella cum Luſitanis, Liguribus, Dalmatis. Appian. Hiſpanicis. Eclogæ Diodori 31. 5. Appian. Faſti Capitol. Polyb. 12. 5. Frontin. Strategemat. 3. 6. Auctor de viris illuſt. cap. 44. Zonar. Strab. lib. 7. Pol. excerpt. Legator. 30.

XXIX. Venerunt deinde rurſus ab Achæis legati, animatis priorum relatione, qui proximè optatum finem adductum fuiſſe negotium narrabant. Telecles Megapolitanus & Anxidamus miſſi. Sed & iſtorum diligentia nihilo felicior, quam ſuperiorum omnium fuit. Maſſilienſium vero preces benigne ſunt auditæ, *auxilium adverſus Ligures* petentium, *qui obſeſſis Nicææ & Antipoli Maſſilienſium oppidis, urbem ipſam magnas in angustias coegerant*. Decretum eſt, *uti Legati ad res Maſſilienſium inſpiciundas mitterentur; iisque darent operam, uti Maſſilienſibus ſatisfieret, ne quod bellum ea de cauſſa ſuſcipi opus eſſet*. Neque tamen declinari neceſſitatem eam barbarorum feritas paſſa eſt; quia ſequenti anno, quo Q. Opimius Q. F. Q. N. L. Poſthumius Sp. F. L. N. Albinus Conſules fuere, cum Oxybiis atque Decеatibus Liguriæ populis bellaretur. At L. Poſthumius quum iturus in provinciam immolaſſet, in plurimis victimis caput jecinori deſuit. Profectus nihilominus, poſt diem ſeptimum æger relatus eſt Romam, ibique exſpiravit. Iſta res perculit hominum animos: maxime quia & Conſtæ arma in cœlo volare viſa, nunciatum, & multa illuſtria loca fulminibus tacta fuerant. In mortui locum Conſul factus eſt M. Acilius M. F. C. N. Glabrio. Alii Legati ab Achæis, & ipſi iterati. Pol. Excerpt. Legat. 133. Liv. Epit. 47. Polyb. Urb. cond. ann. 599. Polyb. Excerp. legat. 132. Jul. Obſequ. cap. 72. Faſti Capitol.

XXX. Quum interea novi à Maſſilia legati, *nihil pro ſe populi Romani auctoritatem valuiſſe* adferrent, ſtatim à Senatu miſſi ſunt Flaminius, Popillius Lænas, L. Legati Romani a Liguribus violantur. Polyb.

Massilienſ. à Rom. contra Ligures adjuti.

Pupius, qui conſcenſo navigio Ægitnam quod Oxybiorum oppidum eſt, appulerunt. At Ligures audito *venire Roma legatos, qui ſolvi obſidionem imperarent*, procurrunt in portum: alios qui adhuc in navi erant, exſcenſionem facere vetant, Flaminium jam egreſſum *agro ſuo* jubent *excedere*. quod quum ille facere recuſaret manus injiciunt ſarcinis: vim prohibentes ſervulos duobus occiſis repellunt, ipſumque adeo legatum convulnerant, haud dubie interfecturi, ni ſubito receptus in navim præciſis funibus imminenti exitio ſe eripuiſſet, Maſſiliam ad curanda vulnera contendens. His rebus Romæ auditis, maturare profectionem Q. Opimius Conſul juſſus, in agro Placentino diem edicit militibus. inde per Apenninum ducit in Oxybios, caſtriſque ad amnem Aprone poſitis adventum hoſtium exſpectat. Concurrere enim illos, & obviam Romanis ituros fama tulerat. Deinde ubi rem diutius trahi videt, moris ab Aprone caſtris, Ægitnam contendit: & urbe per vim potitus, homines in ſervitutem redigit, *auctores violandæ legationis victos duci Romam* jubet.

Opimius Ligures vincit.

XXXI. His ita geſtis hoſti procedit obviam, ubi Oxybiorum juventutem conſediſſe acceperat. Illi jam ad hominum millia quatuor convenerant, nondum adjunctis Deceatibus, numerus ad ſuſtinendum Conſularem exercitum perquam exiguus. ſed deſperatio placari Romanos poſt commiſſum in legatos facinus poſſe, in eam amentiam adegerat efferatos, ut non exſpectato ſociorum auxilio, ad pugnam contra Romanos egrederentur. Commovebat Conſulem hoſtium audacia: ſed nulla omnino ratione temeritatem iſtam niti videns, ut erat vir militaris rei peritus, & ingenio mirifice ſagax, certa cum ſpe victoriæ contra educit aciem: cohortatuſque pro tempore militem, *lento paſſu in hoſtem iri; deinde, ubi cominus ventum eſſet, acerrima impreſſione turbari hoſtium antefignanos* jubet. Salutaris hæc admonitio fuit. vix primum impetum tulere hoſtes; indeque effuſa fuga ceſſerunt, jamque Deceates, ut ferum poſt cladem auxilium, ita fugientibus non inutile præſidium aderant. Cum his quoque prœlium aliquanto pertinacius, ſed eventu ſimile fuit. Victi ſeque & civitatem fidei Romanorum permiſere. Conſul ex agro capto dedicoque quam potuit plurimum Maſſilienſi populo dedit: utque ſecuritati eorum etiam in poſterum conſuleret, *obſides Ligurum ire Maſſiliam, ſtatiſque temporibus permutari à ſuis* imperavit.

Liv. Epitomi Polyb.

Ptolemæorum bellum, & pax. Athenæus lib. 12. Polyb. excerp. Legat. 32.

XXXII. Juſſis deinde tradi armis omnibus, & ſic confecto bello, exercitum hybernandi cauſſa per oppida Oxybiorum Deceatumque divitit. Q. Opimio ad bellum profecto, Romam iterum Ptolemæus Philometoris frater venit: oſtenſiſque cicatricibus, dolo fratris ſe petitum arguit, multa acerbe Patres ad commiſerationem ſuæ ſortis, & odium fraternæ crudelitatis illiciens. Neque apud occupatos animos Neolaidæ & Andromachi (hi ab majore Ptolemæo legati aderant) defenſio valebat: quorum Senatus ne verba quidem ad aures ſuſtinebat admittere. *His igitur continuo ex Urbe juſſis diſcedere, legati quinque decreti ſunt*, quorum principes Cn. Merula, L. Thermus fuere: *totidem iis decreta quinqueremes, dataque mandata ut Ptolemæum in Cypri regnum deducerent*. Scriptum etiam Græcis & Aſiaticis ſociis, *nihil contra voluntatem Senatus facturos, ſi eo in negotio minorem Ptolemæum adjuviſſent*. Cœpterum eventus belli pro majore Ptolemæo fuit. qui in Cyprum magno cum exercitu veniens, primo Archiam præfectum ſuum, qui Demetrio inſulam prodere voluerat, honores apud ipſum eximios, & quinquenta inſuper talenta

Polyb. ap. Vales. Suidas in To. Euſeb. Ex. Geor. Syncello.

pactus amovit. deinde cum fratre, qui multorum instructus auxiliis occurrerat, prœlio congressus, victum in urbem Lapitham compulit: necessitate deinde ad deditionem coactum, non modo dimisit incolumem, sed etiam Libyen Cyrenesque regnum reddidit ei: pro Cypro urbes quasdam, & frumenti annui certum adsignavit modum; etiam filiæ suæ matrimonium pollicitus. Quæ partim ingenii mansuetudine fecisse creditus, laudem invenit apud scriptores; partim ut putant, quia Romanos metuebat, si quid in fratrem quem protegebant illi, severius statueret. Ita compositis Ægyptiacorum Regum controversiis, *Asiam adhuc ardere bello, Prusiæque injuriis Attali regnum devastari* reversi Pergamo legati renunciabant. Quippe Prusias parum eo territus, quod res Attali Senatui Populoq; Romano cordi esse audiebat, nihil ad evertendum eum violentiæ fraudisque, nihil ad despiciendam Senatus auctoritatem contumeliarum reliqui fecerat. Polyb. Diod. ap. Vales. Liv. Epitom. Zonar. Eusebius. Polyb. Eusebius. Pol. Excerpt. Legat. 133. Just. Prob. 30. cap. 33. Polyb.

XXXIII. Quum enim à L. Hortensio cæterisque legatis nostris, bellum cum Attalo populi Romani socio atque amico gerere vetaretur, parere gravatus, ad disceptationem controversiarum vocantibus obsequutus simulavit. Constitutum erat, ut ad fines regnorum cum millenis equitibus invicem occurrerent. Id Prusias opportunum perfidiæ tempus esse judicans, legatos præmittit ad Attalum, qui *adfuturum paulo post cum numero definito nuncient*. Ipse interea ad opprimendum inimicum universas copias concitat: parumque abfuit, quin sceleris præmio poriretur, nisi Attalus legatique Romani qui cum illo erant, de dolo admoniti, celerrima fuga præparatum dilerimen evasissent. Prusias direptis etiam legatorum impedimentis, Pergamum, quo illi cum Attalo consugerant, adducit exercitum. Erat ante urbem Æsculapii celebre fanum, ubi re divina facta, quum litavisset, honore ad superstitionem usque profuso numen veneratus, in castra rediit. Postridie vero admotis ad Nicephorium copiis, quem lucum Rex Eumenes fanis & omni donariorum genere perornaverat, cuncta fœda ruina pervastat, delubra incendit, statuas sedibus suis avellit, ne deorum quidem simulacris parcens. inter quæ sustulit & Æsculapii signum, Phyromachi nobilis artificis opus, id ipsum, quod pridie tanta cum religione adoraverat. is turbatæ menti error inerat; quam nulla veri justique scientia stabiliram abripiebant adfectus: modo ad mulierbis superstitionis ineptias cogente metu, modo ira stimulante ad violanda per contumeliam, quæ paulo ante supra modum decorumque coluerat. Prusias Attalo insidias tendit. Appian, Mithridatic. Polyb. Diodorus. Suid. in Προαιρ. Strab. lib. 13. Appian. Polyb. apud Vales. Plinius 34. 8. Pol. b.

XXXIV. Neque melior ipsi deinde rerum eventus, quam pro tanta protervia fuit. Nullo apud Pergamum virili opere edito, Elæam, quod Attali Regis emporium & navale erat, à Pergamo tria distans passuum millia obsedit. Qua nequidquam tentata, (nam Solander Collactaneus Regis, cum præsidio ingressus oppidum fuerat) exercitu cætero terrestri itinere domum reverti jusso, ipse navibus contendit Thyatiranæ in reditu quidem ad violanda decorum templa segnior. Nam ad Hieran Comen Dianæ spoliavit fanum: Apollinis autem Cynei ædem quæ in Temno fuit, non spoliavit modo, vernin etiam incendio consumpsit. Atque huc deinde relatum est, quod & pedestres copiæ profluvio alvi præmque partem interierunt, & classis partem subita tempestas in Propontide cum ipsis hominibus mersit, aliam in loca importuosa compulsam tabulis armamentisque confractis reddidit inutilem. Hæc ubi Patres acceperunt, ob absurdum & infestum Prusiæ facinus ira accensi, continuo legatos decem decrevere, qui finare bellum, & Attalo pro illatis injuriis satisfaecre eum cogerent. Rem infeliciter gerit. Polyb apud Stephan. in Ελαια. Strab. l. 13. Polyb. apud Vales. Diodorus. Pol. b. Excerp. Legat. 133.

Clados Rom. in Hiſpania.

Q. Fulv. Nobil. T. Annio Tuſco Coſſ.

Cenſura M. Meſſalæ, C. Caſſii. Faſti Capitol. Val. Maxim. 2. 9. 19. Val. Maxim. 6. 7. 4.

XXXV. In his L. Anicius, & C. Fannius, & Q. Fabius Maximus fuerunt. Cenſores hoc anno creati ſunt M. Valerius M. F. M. N. Meſſalla, C. Caſſius C. F. C. N. Longinus; quorum Valerius ipſe aliquando cenſoria nota perſtrictus fuerat. Atque ut hic priorem ignominiam novis honoribus delevit: ita L. Cotta tribunus plebis magiſtratus ſacroſancti dignitatem vili animo factoque polluit: ne creditoribus ſuis ſatisfaceret, tribunatus præſcriptione turpiter abuſus. Sed non mens eadem reliquo collegio fuit. decreverunteque conſenſu, *ni L. Cotta æs alienum diſſolveret, aut ſponſores daret, appellantibus ſe creditoribus auxilio futuros.* Hæc Romæ geſta. Cæterum in Hiſpania res parum proſperæ fuerunt: Calpurnius Piſo prætor à Luſitanis

Liv. Epit. 57. Jul. Obſeq. App. an. Hiſpan.

duce Punico victus, aliquot millia militum cum Terencio Varrone Quæſtore amiſit. Victor Punicus ad Oceanum uſq; promovit ſigna, concitatiſq; in arma Vettonibus, agrum Blaſtophænicum (ſic appellant progeniē ex Africa per Hannibalem transdu-

Liv. Epitom. Caſſiod. Chron.

ctorum) omni clade belli vaſtavit, quod ii fidem Romanis datā conſtanter tuebātur.

XXXVI. Succeſſus iſte multis & aliis Hiſpaniæ populis animos ad rebellandum fecit. Unde, quia majores jam motus timebantur, comitia Conſularia citius haberi, Conſuleſque deſignatos (Q. Fulvius M. F. M. N. Nobilior, T. Annius T. F. T. N.

Vrb. cond. ann. 600. Ineundi Conſulatus tempus mutatum ob Hiſpana bella. Marianus Scot. Appian. Hiſpan.

Luſcus erant) ante diem Kalendas Januarias inire magiſtratum placuit: quum eatenus Idus Martiæ ſolemnis ei negotio dies fuiſſent. T. Annius Gallos, nam & ii in armis erant, provinciam habuiſſe videtur: Nobilior in Celtiberos, qui Belli cognominantur, eſt profectus. Illi tumultuum per Hiſpaniam auctores Segedam incolebant, urbem magnam & opulentam, quam fœderi ſuo Tib. Gracchus, quum Hiſpaniam ordinaret, adſcripſerat. Eam tum coactis deſerere minora oppida incolis augebant barbari, murumque ſtadiorum quadraginta circum exſtruebant: etiam Titthis vicina gente, in eadem compulſis. Neque parere Senatui volebant, veranti novari quidquam, tributaq; & auxiliares copias imperanti. Quippe *fœdere Gracchano perſcriptum quidem* aſserebant, *ne urbes novas conderent: veteres quin inſtaurarent munirentq; mihil exceptum; tributorum vero & militiæ vacationem ab ipſo Senatu poſt Gracchi fœdus datam*: neq; aberat hoc à vero, ſed immunitas iſta quum à Senatu

Q. Fulvius improſpere cum Segedenſibus pugnat. Florus 2. 18. 3.

concederitur, addi ſemper ſolet, *manſuram, donec Senatui populoq; Romano videatur.*

XXXVII. Et Segidenſes quidem cognito conſulis adventu copiiſque, nam ad triginta hominum millia adducebat, quia nondum permunita urbs erat, ad Arvacos cum uxoribus & liberis perfugerunt. Arvacci proximus conſociatis viribus Caro Segedenſi ſummam rerum deferunt, viro bellicis certaminibus exercitato: qui proximo ſtatim triduo quum iter facere præter loca inſidiis opportuna Romanos comperiſſet, captata occaſione cum peditum viginti millibus, equitum quinque impetum fecit. Poſt acrem & diuturnam pugnam vertuntur in fugam Romani: deletuſque foret occidione exercitus, ni equites ad cuſtodiam impedimentorum relicti, pugnam redintegraſſent; poſtquam inter inſequendum Celtiberorum quoque turbatos eſſe ordines animadverterunt. Nocte demum incumbente prælium diremptum eſt, haud levi utrinque damno. Quippe Carus imperator hoſtium & cum eo ſex millia ceciderunt, & par numerus civium Romanorum deſideratus eſt. Dies etiam ipſa (Vulcanalibus pugnatum fuerat) ex eo tempore inter atras habetur. Arvacci Numantiam ea nocte digreſſi, novos imperatores Ambonem & Leuconem conſtituunt.

Alia pugna cū iiſdem dubii ventus.

XXXVIII. Conſul refectis ſuorum animis tertio poſt die iterum ad hoſtem ducit

& ad tria millia passuum ab urbe ponit castra. Quo quum opportune auxilia Masinissæ Regis, Numidæ trecenti, cum decem elephantis advenissent, copiam pugnandi hostibus facit. Qui quum & ipsi ferociter procurrissent, subito deductis suorum ordinibus, collocatas ad hoc à tergo belluas ostendit nec opinantibus. Hostes equi virique novo spectaculo conterriti effusa fuga urbem repetunt, instat fugientibus Consul, jamque sub ipsos muros pertinaciter certabatur, quum unus ex elephantis saxo caput saucius, ingenti barritu, & mox tumultu ac strage complevit omnia. nam & cæteri voce hujus excitati, eodem furore suorum perrumpebant sternebantque manipulos. Numantini contuiti hæc ex mœnibus, ubi Romanos impetum belluarum solutis ordinibus declinare vident, erumpunt portis, palatosque adsequuti, ad quatuor hominum millia, & elephantos tres interficiunt: multisque armis signisque militaribus potiti, cum tripudio sui moris in oppidum revertuntur: quum ipsorum quoque duo ferme millia periissent.

XXXIX. Hac fortuna non insolenter usi hostes, misere legatos ad pacem æquis conditionibus petendam: responsum est ex dignitate Romani nominis, *pacem nisi deditis dari non posse*. At Consul ut primum confirmare suos ex adverso casu potuit, Axenium urbem petivit, ubi Celtiberi commeatuum vim magnam comportaverant. Ne hujus quidem loci felix oppugnatio fuit, desideratisque haud paucis, cæteri noctu se in castra receperunt. Ex castris deinde præfectum equitum Biesium misit, ut à vicina quadam gente auxiliarios equites adduceret. Excepere Celtiberi redeuntem: insidiisque eorum conspectis sociorum equitatus fugit; Biesius multique cum eo Romani fortiter pugnantes occubuere. Tam crebris bellorum offensionibus solicitati sociorum sunt animi: & Ocilis urbs gentibus illis clara: ubi annona & pecuniæ Romanorum servabantur, ad Celtiberos defecit. Consul etiam cæteris idem animi esse suspicatus, sub pellibus hyemavit. ibi multi militum penuria aut frigore, sæviebat enim acris hyems, extincti sunt. Hoc initium fuit Numantini belli, quod magna cum clade ac ignominia populi Romani, vicesimum ad annum productum est: tanta plerumque violentia, ut non tam de eo, uter populus imperaret, quam uter esset, susceptum videretur. Plura deinde detrimenta iisdem locis. Diod. apud Fulvium Urlinum: Appian. Hispan. Strab. lib. 3.

XL. At in ulteriore Hispania L. Mummius prætor cum Cæsare, quem in occisi ducis Punici locum sustecerant hostes, collatis signis dimicavit. Pulsus cum clade Hispanus, ubi victorem exercitum temere insequi neglectis ordinibus videt, cohortatur suos, convertit agmen, occisisque de Mummii exercitu novem millibus, prædam castraque jam amissa non modo recuperat, verum etiam castris Romanis potitur. Mummius, cui quinque circiter millia militum supererant, non ausus præterea copiam pugnandi facere, tutis locis castra ponens, intra vallum studiose exercebat suos, donec parumper animos territorum confirmaret. Tum in prætervehentes prædæ partem barbaros cruptione facta, disjecit hostem, prædamque & signa, quæ amiserat, militaria recuperavit. Iisdem diebus colentes eis Tagum amnem Lusitanorum civitates, Caucæno duce, Cuneos invasere socios populi Romani, urbeque ampla ac potenti (Conistorgin vocabant) expugnata, trajecerunt Oceanum: inde divisis copiis pars adversam continentem populabatur; alii urbem Ocilen L. Mummius in ulteriore Hispania male pugnat. Cic. Offic. 3. 2. Appianus. Diod. 31. 5. Appianus. Deinde egregie. Europ. Appian.

Prusiæ pacem accipit.

obſidione cinxerant. Ibi vero L. Mummii par induſtria & felicitas fuit. Contractis ſuis & ſociorum viribus, in univerſum equites quingenti, cum novem peditum millibus erant, primo populatores agreſſus, quindecim eorum millia interfecit: inde ad Ocilen tranſduxit exercitum, magnaque & ibi ſtrage Luſitanorum edita, obſidionem ſolvit. Poſtremo agmen adortus, quod prædam ex agris raptam avehebat, occidione occidit: ut ne nuncius quidem cladis ſupereſſet. Ex præda, quantum ferri poterat, militibus datum: cætera omnia præfidibus bellorum diis incendi prætor exurique juſſit.

Attali bellum cum Prusia. Polyb. Excer. Legat. 135. Strab. libr. 12. Polyb.

XLI. Interim in Aſia Rex Attalus magno per hyemem exercitu coacto ad bellum Pruſiæ inferendum ſe parabat, adjutus etiam auxiliaribus Cappadociæ Pontique Regum copiis, quas Demetrius Ariarathis F. adduxerat. Cadis tum erat, ita ſito oppido, ut inter Phrygas Myſoſque ambigui ſoli habeatur, quum decem quos Senatus miſerat legati ad eum venere. ii deinde colloquio cum Rege de communibus rebus habito, recta perrexerunt ad Pruſiam. Pruſias auditis Senatus mandatis, cavillando tempus trahere nixus eſt, alia quidem ſe facturum aſſerens, alia minime. Unde offenſi decem legati, renunciata illi ſocietate, continuo ad Attalum ſe receperunt, quos aliquantiſper proſequutus Pruſias, multiſque blanditiis placare conatus, poſtquam fruſtra ſe eſſe videt, anxius jam & magnitudinem periculi ſerio reputans in regnum rediit. Legati monito Attalo *ut, ſua defendere contentus, bello ſponte inferendo abſtineret*, inter ſe conſtituerunt, ut pars ad hæc omnia renuncianda Senatui Romam reverteretur; cæteri per Ioniam Helleſpontumque & vicinos Byzantio populos diſcurrentes, abſtraherent à Pruſia hominum animos, Attaloque conciliarent.

Pruſias in angustias redactus, pacem accipit. Polyb. Excer. Legat. 136.

XLII. Ita non multo poſt tempore frater Regis Athenæus cum claſſe navium tectarum octoginta navigare in Helleſpontum potuit. Ex his quinque triremes Rhodiorum erant: Cyzicenorum viginti; quibus ſuarum ſeptem & viginti Attalus addiderat, reliquæ ab aliis ſociis ſubmiſſæ fuerant. Cum his Athenæus ut quamque urbium Pruſiæ prætervehebatur, exſcenſione facta, magnam ubique vaſtitatem terroremque faciebat. Unde ſummas in angustias redactus Pruſias, gratanter accepit, quod Ap. Claudius, L. Oppius, A. Poſthumius legati ab Senatu ad finem bello imponendum venerunt. Partes enim edocti à prioribus quo loco res Aſiæ eſſent, confeſtim hos juſſerant proficiſci. Horum opera convenit, *ut Pruſias Attalo Regi naves tectas viginti ſtatim; deinde intra proximos annos viginti talenta quingenta daret: ager utrinſque iis finibus eſſet, quibus uter bello victus fuiſſet: Mythymnæis, Ægienſibus, Comæis, Heracleotis, quæcunque a Pruſia paſſi eſſent nomine, talenta centum penderentur.* Hoc Appian. Mithridat. Polyb. pacto Attalus cum pedeſtribus ſimul equeſtribuſque copiis domum eſt regreſſus.

Achæorum legati de exſulibus ſuis iterum interpellant fruſtra. Polyb. Excer. Legat. 137. Lucan. 6. 788. Plutarch. Apoph. Rom. cap 19.

XLIII. Actia Urbe quum iterum de iis qui ex Græcia fuerant evocati, verba à Legatis Achæorum in Senatu facta eſſent, Senatus nihil mutandum cenſuit. Quo quidem tempore, quum multi de ea re ſermones fierent, M. Cato perpetuus Carthaginis hoſtis dixiſſe fertur: *tamquam deeſſet quod ageremus, ſedeamus hic de fenibus Græculis deliberantes, à noſtriſne an ipſorum ſandapilariis ſint efferendi.* Solebat enim omnibus ſententiis, quas dicebat in Senatu, ſubjungere: *hoc cenſeo, & Carthaginem delendam.* Tunc autem re-

centi metu providentiam viri ſtimulabat reverſa ex Africa legatio, quæ nuper ſpecie diſceptandarum cum Maſiniſſa controverſiarum, magnam vim navalis materiæ Carthagine deprehenderat. Inter hæc, durantibus Hiſpaniæ bellis, & à Pœnis impendente metu, neceſſarium viſum, indulgeri juſtis provinciarum querelis, quas de magiſtratuum Romanorum avaritia ad Senatum detulerant. Itaque ſevere exercitæ ſunt leges, damnatique aliquot prætores, qui in extorquenda capiendaque pecunia egreſſi modum fuerant.

Appian. Punici. Flor. 2. 15. 4. Diod. apud Valeſ. Plin. 16. 10. Liv. Epitom. 47. Plutarchus de Catone cap. 10. Appian. Liv. II Epitom.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri XLVIII. LIVIANI.
L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

CUSTRUM à cenſoribus conditum eſt. Cenſa ſunt civium capita trecenta viginti quatuor millia. Semina tertii belli Punici referuntur. Quum in finibus Carthaginenſium maximus Numidarum exercitus, Archobarzane duce, Syphacis nepote, diceretur eſſe. M. Porcius Cato ſuaſit, ut Carthaginenſibus, qui exercitum, ſpecie contra Maſiniſſam regem, ſed revera contra Romanos accitum in finibus haberent, bellum indiceretur. contradicente P. Cornelio Naſica, placuit legatos mitti Carthaginem, qui ſpecularentur quid ageretur. Caſtigato Senatu Carthaginenſium, quod contra fœdus exercitum & navales materias haberent, pacem inter eos & Maſiniſſam facere voluerunt, Maſiniſſa agro, de quo lis erat, cedente. ſed Giſgo, Hamilcaris filius, homo ſeditioſus, qui tunc in magiſtratu erat, quum ſenatus pœriturum ſe judicio legatorum dixiſſet, ita bellum adverſus Romanos ſuadendo concitavit; ut legatos, quo minus violarentur, fuga explicaverit. Id nunciantes, infeſtiem jam Senatum Carthaginenſibus, infeſtiorem fecerunt. M. Porcius Cato ſumus mortui filii in prætura, tenuiſſimo, ut valuit (nam pauper erat) ſumptu fecit. Andriſcus qui ſe Perſei filium, regis quondam Macedonum, ingenti aſſeveratione mentiretur, Romam miſſus. M. Æmilius Lepidus, qui princeps Senatus ab ſextis jam Cenſoribus erat lectus, antequam exſpiraret, præcepit filiis, lecto ſe ſtrato ſine linteis, ſine purpura efferrent: in reliquum funus ne plus quam æris denos conſumerent: imaginum ſpecie, non ſumptibus nobilitari magnorum virorum funera ſolere. De veneficiis quæſitum. Publicia, & Licinia nobiles fœminæ, quæ viros ſuos necaſſe inſimulabantur, cognita cauſſa, quum prætori prædes vadeſque dediſſent, cognatorum decreto necatæ ſunt. Guluſſa Maſiniſſæ filius denunciavit, Carthagine delectus agi, claſſem comparari, & haud dubium bellum ſtrui. Quum Cato ſuaderet, ut iis bellum indiceretur; P. Cornelio Naſica dicente, nihil temere fa-

ciundum; placuit, decem mitti legatos exploratum. L. Licinius Lucullus, A. Postumius Albinus Consules, quum delectum severe agerent, nec quemquam gratia dimitterent, à tribunis plebis, qui pro amicis suis vacationem impetrare non poterant, in carcerem conjecti sunt. Hispaniense bellum quum parum prospere aliquoties gestum ita confudisset civitatem Romanam, ut ne iis quidem invenirentur, qui aut tribunatum exciperent, aut legati ire vellent, P. Cornelius Æmilianus processit, & excepturum se militiæ genus quodcumque imperatum esset, professus est. quo exemplo ad militandi studium omnes incitavit. L. Lucullus Consul cum Claudio Marcello, cui succeserat, cum lacessere omnes Celtiberiæ populi viderentur, Vaccæos, Cantabros; & alias incognitas adhuc nationes in Hispania subegit. Ibi P. Cornelius Africanus Scipio Æmilianus, L. Paulli filius, Africani nepos, sed adoptivus, provocatorem barbarum tribunus militum occidit: & oppugnatione Intercatiæ urbis majus multo etiam periculum adiit. nam murum primus omnium transcendit. Servius Sulpicius Galba prætor male adversus Lusitanos pugnavit. Quum legati ex Africa cum Carthaginensium oratoribus, & Gulussa Masinissæ filio, redissent, dicerentque & exercitum se & classem Carthagine deprehendisse, perrogari sententias placuit; Catone, & aliis principibus Senatus suadentibus, ut in Africam confestim transportaretur exercitus. quia vero Cornelius Nasica dicebat, nondum sibi justam causam belli videri; placuit ut bello desisteretur, si Carthaginenses classem exussissent, & exercitum dimisissent: si minus, proximi Consules de bello Punico referrent. Quum locatum à Censoribus theatrum extrueretur; P. Cornelio Nasica auctore, tamquam inutile, & nocituram publicis moribus, ex Senatusconsulto destructum est, populusque aliquandiu stans ludos spectavit. Carthaginenses quum adversam fœdus bellum Masinissæ intulissent, victi ab eo, annos habente nonagintà duos, & sine pulpamine mandere & gustare panem tantummodo solito, insuper Romanum bellum meruerunt.

Lustrum quintum & quinquagesimum. Iasti Cap tol. Epitom. Livii 48. Plin. l. 7. c. 25. Iul. Obseq. cap. 69. Plinius.

I. LUSTRUM deinde quintum & quinquagesimum conditum est à M. Valerio, C. Cassio censoribus. Censa sunt civium capita trecenta viginti quatuor millia. Hoc lustro, quum in Capitolio, prostrata tempestatibus palma, quæ aliquot ante annis eodem in loco surrexerat, ficus enata esset; prodigii loco res est habita, & *ex eo tempore subversam in Urbe pudicitiam* L. Piso non spernendus auctor tradidit. Certe moribus ad omnem turpitudinem ruentibus, legum auxilio fuit opus, ut detestabili flagitio iretur obviam. Lata est Scatinia, quæ *perversæ Veneris fœditatem, in eum qui feciss e, quivis passus esse videretur*, mulcta decem millium nummum vindicaret. Cæterum plerisque, ut assolet, morum dehonestamenta strenue negligentibus, ea sola cura erat, ne bella, & ab hostibus discrimen imperio portenderentur. Huc trahebant, quod & Ariciæ lapidibus pluerat, & Romæ multis locis vanæ togatorum species, accedentium visentiumque manus & oculos eluserant.

Quintil. l. 1. & 7. 4. Iust. Orat. Obseq. cap. 67.

II. Senatui majus certiusque portentum videbatur, quod super omnes bellorum apparatus, qui contra fœdus à Carthaginensibus fieri dicebantur, exercitum *illi* grandem coëgerant. Igitur M. Claudius M. F. M. N. Marcellus, L. Valerius L. F. P. N. Flaccus, consulatu inito, ad Patres retulerunt, *magnas*

Epit. Livii. Urb. cond. an. 601.

Numi-

Numidarum copias duce Archobarzane Syphacis nepote in Carthaginenſium finibus eſſe. præterea à Maſiniſſa metum: ſed conſiderandum ne imperium populi Romani his apparatibus peti poſſit. Plerique ad hanc ſuſpicionem inclinantibus, præcipuus M. Catonis ardor fuit. tum multa vi orationis bellum ſuadentem, P. Scipio Naſica contrariæ ſententiæ auctor excepit, movitque Patres, ut lenioribus remediis ageretur. Ita legatio Carthaginem miſſa, cujus princeps idem fuit, qui mittendam pervicerat, Senatum Pœnorum caſtigavit, *quod materiam navalem exercitumque contra fœdus haberent*, illiſque *neceſſitatem quæ leges neſciret, & Maſiniſſæ injurias* obtendentibus, obtulerunt legati *cum Rege acturos, ut æquiſſimis conditionibus arma ponerent*, tantumque induſtria eorum & auctoritas apud Maſiniſſam valuit, ut *agro controverſo honoris Romanorum gratia ceſſurum* polliceretur. De ea re ad Senatum refertur. Zonaras. Liv. Epitom. Zonaras. Epitom. liv.

III. Præclare confectum negotium erat, Senatu quoque Carthaginenſi legatorum judicio rem permittente, niſi fortuna urbis perituræ unius hominis temeritatem ad excitandum id incendium perpuliſſet, quo paulo poſt tantæ antiquitatis potentiæque reſpublica conflagravit. Agebat in magiſtratu Giſgo Hamilcaris filius, homo ſeditioſus. is pro concione non in Romanos magis, quam Senatum urbis ſuæ invectus, imbellem eumdem & ferocem populum adeo incitavit, ut *adverſus Romanam verſutiam, qua toties rebus Punicis amplius quam bello nocuiſſent, armis agendum* conclamaret. ac velut inde rectiſſime inciperetur, legatos ipſos ad exitium quæreret. Sed illos quidem, licet ægre, tamen explicuit fuga. Principes civitatis, quia Romanorum & Maſiniſſæ rebus ſtudere arguebantur, quadraginta ferme in exilium pulſi; obſtrictuſque jurejurando populus, *ne aut reciperet exſules unquam, aut etiam de recipiendis verba fieri à quoquam pateretur.* Giſgo Pœnos ad bellum concitat. Appian: Punic.

IV. Atque hi quidem ad Maſiniſſam pergentes, illum ad bellum Patriæ ſuæ inferendum ſtimulabant: neque minores iras excitabant, reverſi Romam legati; certumque jam habebatur, inſolentiam Carthaginenſis populi ſeverioribus minis retundi oportere. quo minus bellum ſtatim juberetur, nihil tam obſtitiſſe atque Celtiberiæ motus credi poteſt, qui tum maximis cum terroribus efferveſcebant. Nam in Gallia proſperæ res erant; *& ea in provincia hoc anno bene pugnatum* tradunt. At M. Marcello Conſuli, & M. Atilio Prætori, quorum ille citeriorem Hiſpaniam, hic ulteriorem obtinebat, ut ad extremum felix expeditio, ita multis emenda periculis fuit. Jamprimum Marcello advenienti cum legionibus duabus, in quibus quaterna millia peditum, equites ducenti quinquageni fuere, ſtructæ ſunt ab Hiſpanis inſidiæ, quibus ille ſapienter evitatis, ad Oculin, quæ nuper ab Romanis defecerat, penetravit: quam ipſo adventu ſui terrore perculſam exemplo accepit in fidem, obſidibus, & argenti talentis triginta imperatis. Obſeq. cap. 77. Celtiberiæ motus. Eutrop. Appian. Hiſt.

V. Aſperiorem adverſum deſertores futuram crediderant victoriam Celtiberi: ergo clementiam Imperatoris Romani admirata Nergobrigum civitas miſit quæſituros, *quo fidei & obſequii pignore in gratiam recipi poſſet.* Petiit Conſul equites auxiliares centum: & accepta eſt conditio. Verum donec legati Nergobrigum pacis vias legeſque cum Romano tractant; alia manus partem exercitus iter facientem adorta, turbavit poſtremos, impedimentorumque non- Nergobriges pacem à Marcello petunt.

nihil abripuit. Redierunt nihilominus cum promiſſis equitibus legati: veniamque delicti petentes, excuſabant *ab ignaris initæ pactionis commiſsum*. At Marcellus equites in vincula conjici, equos vendi juſſis: & mox vaſtatis Nergobrigum agris, prædaque militibus diviſa, oppidum obſidione cinxit. Conſpicati periculum hoſtes (ſtrui enim Marcellus aggeres, admoveriqe machinas juſſerat) caduceatorem miſere, pacem orantes. Amictus ille fuit pelle lupi, quod iis gentibus pro caduceo pacifici nuncii ſignum eſt. Conſul *nihil iis expectandum pacati*, reſpondit, *niſi Arvacci omnes, Bellorumque & Titthorum populi una rogarent.* Neque mora in illis fuit. venere trium civitatum legati, rogitantes, *ut tolerabili multa imperata, reciperet omnes in Gracchani fœderis leges.*

VI. Contradicebant his aliarum gentium oratores, qui ab Arvaccis ſociiſque bello vexati, quod Romanarum partium eſſent, obteſtabantur Conſulem, *ut ſuæ vindictæ ſimul ſecuritatiſque rationem ageret.* Conſul non minus belli adverſus duram gentem finiendi cupidus, quam voluntatem ſuam callide tegens, utroſque rejecit ad Senatum, induciaſque cum hoſtibus donec legati reverterentur, pactus, hibernatum abiit Cordubam, eumque locum abundantibus circa agris alendæ hominum multidini non incommodum videns, in urbis ſpeciem atque magnitudinem exædificavit. Sed in Luſitania, poſtquam L. Mummius ad triumphum deceſſiſſet, M. Atilius prætor Provinciam accepit, ubi quum ſeptingentis hoſtium interfectis, urbem Oxthracas iis locis maximam occupaſſet; eoque metu vicina oppida Romanis adjunxiſſet (inter quæ pars aliqua Vettonum fuit vicinæ Luſitanis nationis) in hiberna abduxit exercitum. Tum vero ſubita defectione omnium de integro turbatæ res, & quædam urbium cum Romanis ſententium, circumſeſſæ.

Polyb. Excer. Legat. 148. Appianus. Strab. lib. 3. Appianus. Marcellus Cordubam ædificat.

VII. Dum in eo ſtatu Hiſpanienſe bellum eſt, Romæ Senatus Aſtymedi datur Rhodiorum legato, quem præfectum ſimul claſſis creaverant. Erat his bellum cum Cretenſibus, adverſus quos ſociorum opes ſolicitabant: Decrevit extemplo legatos Senatus, qui bello finem imponerent. Idem negotium Achæorum erga Romanos detexit obſequium, libertati gentis haud ſane conveniens, ſed pro tempore neceſſarium. Rhodiis auxilium petentibus, plerique mittendum cenſuerant: Sed Callicrates Leontcſius negavit *fas Achæis eſſe vel indicendi cuiquam belli, vel ferendi auxilii Romanis inconſultis.* Hac oratione tamquam fulmine percuſſi, qui diverſum cenſuerant, quievere. Mulctæ deinceps legationes Romam quum venilſent, præ reliquis auditus Attalus eſt, Eumenis filius. Venerat is in Urbem admodum puer, ut ſe commendaret Patribus, amiciciamque & hoſpitii paterni jus cum Populo Romano recoleret. Hic igitur perbenigne comiterque tum ab Senatu, tum à paternis amicis exceptus, cum reſponſo quale optaverat, honoribus ætati convenientibus, domum redii: inſigni favore Græcarum urbium, per quas iter ipſi erat, profuſæ benevolentiæ ſignis venientem abeuntemque proſequentium. Nam pater pueri Eumenes unus omnium ſuæ ætate Regum, plurima in Græcos publice privatimque beneficia contulerat. Venie ſimiliter diſceſſitque Roma Demetrius puer, mediocribus, ut anni ejus erant, affectus honoribus.

Rhodiorum legatio Romam, & bellum cum Cretenſibus.

Polyb. Excer. Legat. 140.

Polyb. Excer. Legat. 140. Polyb. Excer. Ex anno 38. Laodice & Alexander Syriæ Regnū ab Senatu petunt. Polyb. Excer. Legat. 140 & 141.

VIII. Hoc digreſſo Heraclides, qui cum Laodice & Alexandro dudum in Urbe commorabatur, poſtquam ad cauſſam ſuam fulciendam nihil calliditatis

& præſtigiarum prætermiſiſſet, quos facillimos fraudi putabat Patres ambiendo, tandem in curiam eſt introductus. Prior Alexander oravit Senatum, ut *amicitiæ quæ cum patre ſuo Antiocho fuiſſet, memor, maxime quidem regnum Syriæ ſibi reſtitui juberet; ſin vero, at certe permitteret eum ſuis fatis, neque aut abeuntem moraretur, aut volentibus juvare paternas opes repetentem impedimento eſſet.* Excipiens deinde Heraclides, multis collaudata Regis Epiphanis memoria, multis incuſato Demetrio, ſermonem eo deduxit, ut *quando res & tempus ita ſe daret, juſtum eſſe* diceret *adoleſcentes, veram Antiochi ſtirpem modis omnibus adjuvari.* Diverſæ ſuper his ſententiæ Senatorum fuere. Optimus quiſque atque ſapientiſſimus commentum improbum, & actorem fabulæ Heraclidem abominabantur: at plures, quos aut mendaciis ſuis dementaverat, aut promiſſis corruperat, ſenatuſconſulti in hæc verba ſcribendi auctores fuerunt: *Quod Alexander & Laodice Regis ſocii amicique liberi in Senatu verba fecerunt: Senatus cenſuit, dimittendos in paternum Regnum, atque uti petierunt auxiliis adjuvandos videri.* Sulpicius Severus. Polyb.

IX. Hoc armatus ſenatus conſulto Heraclides non diſtulit extemplo conducere militem, & quos ex illuſtribus viris ei conſilio opportunos noverat arceſſere. Quibuſcum Epheſum delatus, totis viribus ad bellum quod parabat ſe cœpit accingere. Demetrius, ut adverſus hunc terrorem ſe Romanorum benevolentia tueretur, quum alia ipſis officia attente præſtitit; tum Adramyttenum quemdam, Andriſco nomen erat, ſub cuſtodia Romam miſit, quia Perſei ſe filium is ferebat, qui poſtremo Rex Macedoniæ fuerat. Neque parvi æſtimandum hoc officium Demetrii fuiſſe, mox eventus docuit, quum ille veterator, clam elapſus, Macedoniam Thraciamque ingenti motu concitaret, ut in loco referemus. Quum hæc diverſis terrarum partibus agerentur, Romæ inſignes aliquot viri obierunt: M. Æmilius Lepidus Pontifex Maximus; & M. Porcius prætor: alter quoque Conſulum L. Flaccus in magiſtratu mortuus eſt. M. Porcium Cato Pater pro modo facultatum, quas habebat non ampliſſimas, honore ac affectu, quam impenſa majore extulit. & eum quidem chariſſimum habuiſſe, ipſe ſibi teſtimonio eſt, qui tamquam præſtantiſſimi animi virum paſſim in ſcriptis ſuis prædicat: mortem tamen ejus, quum pro cætera morum conſtantia fortiter tulit; tum quia Philoſophiæ ſtudiis eruditus, negabat *interire qui mori dicuntur*; ſperabatque *ſe filium meliore in vita, cætibuſque piorum eſſe reperturum.* Demetrius Andriſcum, qui ſe Perſeo genitum ferebat, Romam mittit. Livii Epitom. L. Ampelius. Liv. Epitom. Faſti Capitol. Liv. Epitom. Cicero. Cato. Plutarch. Cat. Maj. c. 49. Cicero.

X. Memorabile etiam in M. Lepido fuit, quod priuſquam moreretur præcepit filiis, *lecto ſe ſtrato ſine linteis ſine purpura efferrent: in reliquum funus etiam modicam conſumi pecuniam* juſſit, dictitans *imaginum ſpecie, non ſumptibus nobilitari magnorum virorum funera ſolere.* Hujus in locum P. Cornelius Scipio Naſica Pontifex Maximus lectus eſt. Aliorum deinde complurium obitus admonebant homines, quod initio anni, quum ante ædem Jovis in campo columna cum ſigno aurato decuſſa eſſet; aruſpices *interitum magiſtratuum & ſacerdotum fore* reſponderant. Sed & in ſuſpicionem veniſſe matronas crediderim, antiquum eas ſcelus retuliſſe, nam *& olim fraude mulierbri magnus Principum Romanorum numerus eodem anno interceptus* ferebatur. Certe Publicia & Licinia nobiles fœminæ, quarum hæc Claudium Aſellum, illa L. Poſthumium, qui tertio ante anno Conſul obiverat, viros ſuos veneno necaviſſe arguebantur, cognita Epit. Livii. M. Lepidus vetat ſe ſumptuoſo funere efferri. Cicer. in Caton. Appian. 69. Julius Obſequens. cap. 77. Liv. 8. 18. Liv. Epitom. Val. Max. 6. 3. 8. Livii Epitom.

Val. Maxim. cauſſa quum vàdes prætori dediſſent, ad cognatorum judicium remiſſæ, horumque decreto ſtrangulatæ ſunt. Ne ſic quidem ſatis expiatæ prodigiorum minæ videbantur: niſi removerentur, in quos intentatæ illæ fuiſſent: ita monitis aruſpicum magiſtratus omnes abdicarunt.

Jul. Obſeq. Vrb. cond. an. 602. XI. Comitia per interregem habita: L. Licinius L. F. Lucullus, A. Poſthumius A. F. Sp. N. Albinius Conſules facti. Animos deinde his eventibus triſtes, aliæ aliæque perturbationum cauſſæ concuſſere. maxima fuit omnium, quod in Africa ſimul Hiſpaniaque res parum pro voluntate Senatus ſucceſſerant. Ex Africa filius Maſiniſſæ nunciabat, *ſe per cauſſam deprecandi pro exſulibus cum fratre Micipſa parentis miſſu Carthaginem veniſſe. cæterum in urbem non eſſe admiſſos: & ſibi, quum reverteretur, ab Hannibale Samnite, qui caput factionis popularis eſſet inſidias ſtructas, & ex comitatu ſuo quoſdam interemptos, ſe fuga ſalutem quæſiviſſe. Cæterum pro comperto ſe adferre, Carthagine delectus agi, parari claſſem, neque diſſimulanter jam aut obſcure bellum contra Romanos ſtrui.* Non erat ita proſtratus domeſtico vulnere Catonis animus, ut aut publicis conſultationibus abſtinendum, aut de ſolito rigore quidquàm remittendum eſſe duceret. Itaque tum quoque, ut ſemper, *bellum indici Pœnis oportere*, magna adſeveratione tendebat: neque ſegnius opinionem ſuam P. Scipio Naſica tuebatur, *omnia prius experiunda*. Sic iterum in hanc ſententiam diſceſſum, facto ſenatuſconſulto, *uti decem legati quamprimum mitterentur, ſpeculaturi quid Carthaginenſibus animi conſiliive eſſet.*

Liv. Epitom. Appian. Puni. Filius Maſiniſſæ Pœnos bellum ſtruere Patribus indicat.

Liv. Epitom. Florus 2. 15. Plutarch. Caton. cap. 49. Liv. Epitom.

Celtiberorum populi Romanos ſociorum oratio in Senatu. Polyb. Excerpt. Legat. 141. Appian. Hiſpan. Polybius.

XII. Interim Celtiberorum legati quum Romam perveniſſent, diverſimode excepti ſunt. nam qui à ſociis civitatibus venerant, iis in Urbe hoſpitium præbitum: reliqui trans Tiberim manere juſſi. Die Senatus, priores vocati ſociorum oratores, civitatis cujuſque ſeparatim, eamdem in ſententiam verba fecerunt: *Eam eſſe conditionem Hiſpaniæ, ut aliis nihil charius Romano imperio, aliis nihil intolerabilius videatur. has inter factiones neceſſario intima inimicaque omnia eſſe: nec alteram poſſe ſtabili in fortuna conſiſtere, niſi depreſſis partis alterius viribus. Quod ſi igitur*, ajebant, *duces Veſtros exercitusque bello nondum confecto revocatis, nihil futurum eſt certius, quam ut in nos, tamquam proditores patriæ, omnis communium hoſtium cooriatur impetus. Nam ſi hoc conſtiterit, arma Vobis impune inferri poſſe, neque aliud inde timendum, niſi ut vindictam minitemini, deinde omittatis, non erit tam imbecillis animi quiſquam, ut vim Romanam ſibi magnopere formidandam eſſe putet. Eorum deinceps exemplo & ſucceſſu ſolicitabuntur cæterarum nationum animi. quando inter feroces & periculis lætos haud difficulter imitatores invenit felix temeritas. Nos igitur, ut in certo & propinquo timore, merito fidem Veſtram invocamus, Patres Conſcripti, ne deſerti & proditi præda noſtris veſtriſq; inimicis relinquamur. Arvaccorum magna potentia & in nos inexpiabile odium eſt. neque nobis ullum ſolicitudine ac periculo vacuum tempus erit, niſi aut perpetuo Conſularis exercitus in Hiſpaniæ ſit; aut priuſquam decedat, ita caſtigentur hoſtes, ne aut ipſi poſſint ultra nocere ſociis Romanorum, aut alii audeant.*

Arvaccorum Oratores audiuntur.

XIII. Secundum hos placuit Arvaccorum legatos audiri. his fermo quam animus modeſtior demiſſiorque fuiſſe dicitur. Pacem orabant: ſed ut ne bellum quidem recuſaturi viderentur, niſi quod petebant fieret. petebant autem,

ut certa ſibi multa indiceretur, quam ubi luiſſent, iterum fruerentur fœderis ejus legibus, quod olim cum iis Tib. Gracchus iciſſet : ad hoc ut reputatione ſortis humanæ inclinarent animos, inter loquendum ſæpe *ambiguos fortunæ luſus* commemorabant, pugnarumque cum Romanis ducibus ita faciebant mentionem, ut quanquam gloria belli cederent, plus tamen ſucceſſuum aliquanto habuiſſe intelligerentur. Poſtomnes introducti in Senatum ſunt, quos Proconſul miſerat: Ii literas M. Marcelli attulerunt, quibus pacem ſuadebat: & epiſtolis conſentientia ipſi loquebantur. Patres re expenſa ſociis conſulendum eſſe, ſpirituſque Arvacorum deprimendos non dubitabant: quibus id potiſſimum rationibus fieret, ambigebatur. reſponderi tandem in præſentia placuit, *M. Marcellum proconſulem Senatus voluntatem utriſque ſignificaturum eſſe.* Legatis Marcelli elam mandatum, ut ad bellum ex dignitate populi Romani gerendum, proconſulem hortarentur. Appian. Hiſpan. Polyb. Appianus. Polyb.

XIV. Metu enim contactum illum plerique interpretabantur, dabantque operam, ut quamprimum ſucceſſor ei mitteretur. Sed ſtudium Senatus, haudquaquam pari ardore juventutis, aliquandiu vanum & inefficax fuit. Quum enim Q. Fulvius quique cum eo ex Hiſpania deceſſerant, *Celtiberici belli difficultatem continua cum hoſte certamina, numerum occiſorum, virtutem hoſtium* aſſiduis ſermonibus ferrent; jamque etiam Marcellum detrectare id bellum formidine appareret: is pavor inváſit civitatem, ut neque tribuni militum ad numerum reperirentur, neque legatus ire quiſquam vellet: & quod importuniſſimum erat, citati juniores vel ad nomina non reſponderent; vel eas cauſſas commini ſcerentur, quas neque cognoſci pudor ſinebat, neque puniri delinquentium multitudo. Rem per ſe tædii ac difficultatis pleniſſimam difficiliorem reddebat tribunorum plebis intemperies, qui delectum recuſantibus auxilio erant, Conſulumque conatum & induſtriam intempeſtiva contentione morabantur. Ergo ad præcidendam omnem non iniquæ querelæ ſpeciem, inſtituerunt munia militaria, non ut ſemper moris fuerat, ſui beneficii arbitrive facere, ſed inter æquales ſorte diſtinguere præfecturarum ac ordinum gradus. Quanquam ne ſic quidem petulantia tribunorum compoſita, uſque eo prorupit, ut Conſules ambos, quoniam gratiæ nihil dabant, nec pro amicis ſuis deprecantibus militiam tribunis obſequebantur, in carcerem conjicerent. In hac rerum perturbatione, quum neque Senatui neque magiſtratibus quidquam conſilii poteſtative reliquum eſſet, ſciriique nequiret, quem ad finem juniorum abitura eſſet *impudentia* (nam hoc nomen inauditæ antea conſternationi Senatus fecerat) P. Cornelius Scipio Æmilianus perroportunam orationem habuit, juvenis adhue, nec niſi togatis virtutibus notus. Romana Juventus detrectat militiam. Suidas in Πυῤῥ. Polyb. Epitom. Liv. Polyb. Appian. Liv. Epitom. Polyb. Liv. Epitom. Polyb. Scipionis Æmiliani oratione arguitur val. a. axim.

XV. Is graviter increpita civium formidine; *ſæpe*, inquit, *hoc loco interfui Patres Conſcripti, quum de Republica ſententiæ dicerentur: neque verba ſum facere conatus, quod malebam eorum auſcultare dictis, quibus venerationem ætas, & longus rerum uſus prudentiam conciliaſſet. Nunc autem quia præſens conſultatio magis animos & exemplum, quam auctoritatem & conſilium deſiderat, nihil aut annis meis alienum, aut propoſito diſcors facturum arbitror, ſi præſentem ignaviamne dicam an conſternationem noſtræ juventutis juvenis ipſe coarguam, aliorumque mentes ab hoc tanto dedecore ad priſtinam virtutem verbis factisque, quantum quidem in me erat, revocem. Igitur quod felix fauſtumque ſit, jam primum legationem Macedonicam abdico, deponoque: deinde ad bellum Hiſpanienſe operam* Oroſius 4. 20. Polyb.

Scipio Æmilianus operam ſuam offert Reip.

meam, quacunque in re Conſul utendum ea judicabit, Reipublicæ offero. Conſtare autem puto, ſi quidem bellum defugerem, nemini meorum æqualium honeſtiorem, & ſpecioſiorem vacationis cauſſam eſſe, nominatim à paternis clientibus poſtulatus; ſi nobiliſſimæ provinciæ diſſidia, fortaſſis ad Imperii noſtri periculum eruptuæ componerem, & obtentum timori, & ambitio cupiditaſque occaſionem haberent. Sed ego in domibus Æmiliorum atque Scipionum genitus ac educatus, neque metuere pericula, neque mirari pecuniam debeo: gloriam autem veram inde demum ſperandam exiſtimo, ſi rationes meas omnes ad patriæ ſalutem retulero, idque potiſſimum quoquo tempore peragendum putaro, quod ipſius neceſſitates aut commoda præcipue poſtulaverint.

Scipio avi exemplo operam ſuam offert Reipub.

XVI. *Neque vero domeſticum mihi exemplum deeſt. nam & avus meus P. Africanus, quo tempore in Italia Hannibal erat; in eandem iſtam Hiſpaniam, aliis itidem ut nunc fit provinciam iſtam metu detrectantibus, profectus eſt, atque illa populo Rom. aſſerta, ſibi etiam in Africam iter ad belli omnium graviſſimi plenam victoriam patefecit. Quanquam profecto longe majoris tum periculi res fuit: non modo plurimus populis, rebuſque ſuis multo florentioribus, in odium Romani nominis accenſis: ſed etiam Carthagine ipſa aliis ſuperalios mittendis ducibus exercitibuſque, ad retinendam Hiſpaniam omnes opes effundente. Nunc vero paucis neque maximis nationibus tumultuantibus, quum neque diuturnum æque bellum, neque clade aliqua magna inſigne geramus; juventutis noſtræ animi ceciderunt, & priſtinus ille bellatoris populi ardor ſic emarcuit, ut vix mihi ipſi credam, aut coſdem nos eſſe qui eſſe ſolebamus, aut iis prognatos, quorum virtutem & conſtantiam nulla vis laſſare potuit, nullum diſcrimen frangere. Verum enim vero pro ſe quiſq; viderit, quid vel ſibi vel majoribus poſteriſque ſuis adprobet: ego quod unum poſſum, neque cui quam exemplum inertiæ ero, & primo quoque tempore ad exercitum proficiſcar.*

Liv. 26. 18.

Liv. Epitom. Polyb. Delectus proceditur.

XVII. Adoleſcentis orationem admirati Patres, quibus in tanto omnium timore nihil ab his annis ſperatum præſidii fuerat; certatim in complexum ejus ruebant: *dignum familia & in qua genitus, & in quam adoptatus eſſet*, prædicantes. *pergeret bonis avibus implere datam ſato ſortem, & clariſſimam majorum famam, ſuis virtutibus gloriaque & felicitate renovaret.* Majores natu referebant factum ſenioris Africani, *qui quum eundem in Hiſpaniam ire auderet nemo, patriæ ſuam operam ultro obtuliſſet. nunc ab alio P. Scipione idem prorſus exemplum relatum, in quo quum cætera eſſent omnia, qualia & avus habuiſſet, jam ſe eandem in illo factorum nominiſque amplitudinem ajebant augurari.* Productus deinde in concionem populi, quum eadem diſſeruiſſet, pudore & æmulatione ſic permovit non vulgus modo, ſed etiam primarios cives, ut & legatorum tribunorumque numerus, ſponte ſe multis offerentibus expleretur: & legiones, agminatim jam nomina dantibus qui antea tergiverſati fuerant, citra longiorem moram conſcribi poſſent.

Marcellus Celtiberiam pacat. Appian. Hiſpan.

XVIII. Dum his impedimentis delectus Romæ trahitur, M. Marcellus proconſul cupidus belli ante ſucceſſoris adventum quoquo modo finiendi, ut pacatæ Hiſpaniæ titulum auferetur, quantum ipſis immineret periculi, admonere Celtiberos non deſtitit: & ut humanitate quoque ad pacis amorem eos illiceret, obſides reddidit petentibus. Cum principe autem legationis quæ miſſa Romam fuerat, diu ſecreto colloquutus, ſuſpicionem propoſiti ejus auxit: cæteris etiam

quæ mox evenere, non obſcura rei ejuſdem indicia præferentibus. ſtatim enim & Nergobrigas quinque Arvaccorum millia occuparunt: & Proconſul ad Numantiam exercitu ducto, ante urbem poſuit caſtra, egreſſoſque obviam levi certamine intra muros compulit. Ibi Litenno hoſtium ductor pede firmato exclamavit *ſe colloqui cum Proconſule* cupere. Accepta haud gravate petitio eſt: conveniteque, *ut obſidibus & pecunia data Celtiberi ſuis legibus viverent, ſociique & amici populi Romani haberentur*. Summam pecuniæ talenta ſexcenta fuiſſe Poſidonius Hiſpanicarum rerum peritus auctor tradidit.

XIX. Quum hoc modo pacati omnes Celtiberiæ populi viderentur, novum ſubinde bellum L. Lucculli Conſulis cupiditate excitatum eſt. Is quum Hiſpaniam ſorte accepiſſet, idque ſibi putaret agendum, ut locupletis provinciæ copiis rei familiaris anhelantem inopiam refocillaret, occaſionem manubiarum cœpit quærere. Novam pacem, quum re acta ſuperveniſſet, turbare periculoſum rebatur. in Turdulos, Cantabros, aliaſque nationes Romanis adhuc armis incognitas impreſſionem facere ſtatuit. ad hos iter per Vaccæos erat. Huc igitur ſigna protinus infert, quum neque mandatum belli cum his gerundi ab Senatu, neque cauſſam ab ipſis ullam accepiſſet. Cauca trans Tagum urbs erat, ad quam tranſmiſſo amne quum caſtra poſuiſſet, mirantibus oppidanis, *qua in Romanos offenſa obſidionem meruiſſent? Carpetanorum injurias ultum ſe venire* profeſſus eſt. Caucæi ad ſua tuenda converſi, poſtquam hoſtem frumentari lignarique audacius animadvertunt, eruptione in palantes facta, multos interficiunt, reliquos ad ipſa uſque caſtra repellunt. Primis conatibus quum ita ſucceſſiſſet, facti animoſiores, ſignis collatis dimicare ſunt auſi: & donec eminus certabatur, levibus aſſueto prœliis, & ad velitationem meliore Hiſpano, Conſulis exercitus laborabat. tibi miſſilibus exhauſtis, ad manus & gladios ventum, hoſtis, ut in nulla re pari, contiuuo terga vertit, urbem haud longe diſtantem concitato curſu petens. Aderat Lucullus haud ſegniter perculſis inſtans, ita dum pro ſe quiſque inter primos niteretur irrumpere, conſtipati in anguſtiis portarum impune ſe cædendos victori præbuere. tria millia eo caſu deſiderata.

XX. Quo quum cecidiſſent animi poſtridie ejus pugnæ cum coronis & ſupplicum velamentis ſeniores Lucullum adeunt, *quibus obſequiis placari pateretur*, rogitantes. Ille primum *obſides & argenti talenta centum* poſtulavit; *equitibus etiam eorum inter ſua auxilia militare* juſſit. Hoc ubi prompte à barbaris factum adjecit, *præſidio in urbem introducto ſibi opus eſſe*. Annuentibus & hoc Caucæis, delectorum ex toto exercitu duo millia per hanc ſpeciem introiverunt. Sed fœda Conſulis avaritia mœnibus hi, ut mandatum erat, occupatis, omni reliquo exercitui paciſecerunt aditum; ſignoque tuba dato, omnes Caucæorum puberes ad millia hominum viginti interficiuntur, imbellis ætas ſexuſque prædmium perfidiæ in captivitatem abſtrahitur: tantaque ex multitudine oppido pauci, per præruptа quædam eoque neglecta cuſtodibus loca, jactis in præceps corporibus evaſere. Urbe direpta, quum facinoris ejus fama omnes jukta populos velociter percurriſſet, qui apertis locis habitabant, in præaltos montes, aut munita oppida ſe contulerunt, corruptis, quæ avehi non potuerant rebus ſuis, ne quid hoſti tam crudeli, tamque perfidioſo relinqueretur.

XXI. Sic aliquandiu plus exercitui laboris per deſertam regionem eunti,

Apud Strab. lib. 3. Liv. Epitom. Appian.

A piam.

Lucullus Vaccæis bellum infert.

Lucilli perfidia in Caucæos.

Lucullus Intercatiensibus bellum infert.

Polyb. ap. Strab. lib. 3. Appian.

quam ab hostibus armis periculi fuit: donec Intercatiam perventum, Vaccæorum & ipsam. ubi Hispanorum copiæ, pedites viginti millia, duo equitum confederant. Hi quum à Consule ad conditiones invitarentur, illudentes interrogarunt, *eidemne fidei crediturí essent, cui Caucæi credidissent*? Erat omnino eorum hominum Lucullus, qui quoties aliquid exprobrari sentiunt, aliorum potius libertati, quam suis delictis irasceretur. Itaque velut gravi injuria læsus, agrum pervastat, oppidum circumvallare aggreditur, & sæpe instructa acie progressus potestatem æquis locis pugnandi hostium ducibus facit. Verum illi levibus prœliis vires experiri contenti, ad periculum de summa rerum adduci non patiebantur. Ea quum sæpe fierent, Intercatiensis quidam splendidis armis ornatus sæpe Romanos provocabat, si quis singulari certamini vellet congredi: & nemine contra exeunte discedebat irrisu & ludibriis ignaviam hostium exagitans.

Plin. lv. 7. Val. Max. 3. 2. 6. Appian. Epitom. Liv.

Scipionis Æmiliani certamen singulare cum Intercatiensi. Diodorus. ap. Vales. Florus 2. 17. Appian. Vellejus. 1. 12. Appian.

XXII. Non tulit indignitatem rei P. Scipio, qui tum sub Lucullo tribunus, cum ea magnitudine animi, quam haud multo post amplissimis gestis orbi testatissimam reddidit, corporis etiam insigne robur, rara felicitate conjunxerat. Is igitur pugna cum provocatore conserta, prostravit hostem, pari Romanorum lætitia, & hostium terrore, quod ingentis corporis virum, modicus ipse staturæ dejecisset. Proxima nox vanam in castris trepidationem movit errore incerti clamoris, qui pariter ex urbe campisque accidebat. Equitatus enim Vaccæorum, qui sub adventum Luculli pabulatum egressus, deinde hostilium copiarum objectu exclusus urbe fuerat, passim obequitans altissimis vocibus strepebat. cui quum ex urbe par clamor redderetur, perciellebatur Romanus incerta æstimatione, quidnam sibi periculi tumultu isto, & unde portenderetur. Augebant metum invalidæ stationes, quod ad obeunda militiæ munia, præter damna prœliorum, etiam morbis imminutus exercitus erat. Carnibus enim cervorum leporumque sine sale vescebantur (sal omne vinumque, cum aceto, & oleo defecerat) & his alimentis cœperat tentari milicum valetudo, multique passim profluvio alui moriebantur. Ergo postquam tumultus iste cessavit, tanto intentius operibus institit Consul, machinisque admotis muri perfregit partem.

Scipio primus adscendit in murum. Val. Max. 3. 2. 6. Auctor de Vir. illust. Strab. cap. 58. Appian.

XXIII. Ibi denuo Scipionis Æmiliani magnifica virtus enituit: nam irrumpentibus in urbem militibus, ipse primus omnium conscensis mœnibus aperuit viam: neque tamen obtineri urbs potuit, prævalidis numero hostibus, & pro salute sua suorumque fortissime propugnantibus: repulsique sunt cum aliquo detrimento Romani, quum super eos quos hostile ferrum absumpserat, etiam multi locorum ignorantia in subterranea quædam aquarum receptacula illapsi periissent. Nocte sublapsam muri partem refecit hostis: pluresque deinde per dies, expertis utrinque cum damno viribus, segnis obsidio fuit. Ea res inopiam simul in castris, & in urbe auxit. quod quia neutris ignotum erat, inde colloquio initium, & mox deditioni fuit. Et quando suspecta barbaris Luculli fides erat, Scipio spopondit, *nihil contra pacta factumve iri*: moxque patuit, quanti sit usus etiam in bellis opinio justitiæ, quæ probitate constantiaque morum comparatur. Adolescentis privati dexteræ inermi permisere barbari urbem, quam Consul exercitusque Romanus armati, nec auctoritate sua, neque forte vi extorquere potuissent. Agnovit beneficium Lucullus, juvenemque pro concione meritis cumulatum laudibus, murali corona donavit. Intercatienses Consuli sex millia sagorum dedere, cum obsidi-

Vell. ejus 1. 12.

nLusitani a res male gestæ.

ſidibus quinquaginta (ſic enim convenerat) & certo armentorum pecorumque numero. Hæ ſolæ divitiæ fuere; auri & argenti, qua maximè gratia Lucullus eas regiones ſcrutatus & fuerat, nihil repertum. Dum iſtæ res in Hiſpania citeriore geruntur; ulterior infeſtis Luſitanorum armis luctuoſa populo Romano fuit.

XXIV. Ser. Sulpicius Galba prætor, quum à M. Atilio provinciam eo in ſtatu acceſſiſſet, ut ad eximendos obſidioni ſocios feſtinatione opus videretur, incredibili celeritate ſupra ſexaginta millia paſſuum una die ac nocte permenſus, ex itinere inſtruxit ad prœlium copias, ut hoſtibus improviſus incumberet. Neque feſellerat fortuna conſilium, niſi fortunam ipſe alio conſilio fefellisſet. Prima impreſſione pepulit imparatum hoſtem: poteratque velocitatis ſuæ fructu gaudere, ſiad vires reparandas defatigato militi ſpatium conceſſiſſet. dum fugientes languide perſequendo infirmitatis ſuæ admonet, corrupta & prodita victoria eſt. Quum enim continuatus itineris & pugnandi labor, ad recipiendum ſpiritum nunc hos nunc illos interquieſcere cogeret; in diſſipatos & deſeſſos impetu reverſus hoſtis, ad ſeptem millia militum obtrivit. Prætor aſſumptis quos circum ſe habebat equitibus, fugæ beneficio evaſit Carmelim: ubi collectis qui eodem ex fuga convenerant, quum etiam de ſociorum auxiliis hominum millia viginti effeciſſet, in Cuncorum gentem ſe recepit, nihilque præterea tentare auſus, exercitum in hiberna diſtribuit: donec ex citeriore Hiſpania L. Lucullus adveniret.

Ser. Galba rem male geſſit adverſus Lusitanos. Liv. Epitom. Appian.

Oroſius 4. 20; Appian.

XXV. Lucullo enim ſicut fortuna proſperior, ita plus ad reliquos conatus audaciæ fuit. Ab Intercatia digreſſo, tentare Pallantiam placuit, Tarraconenſis Hiſpaniæ clariſſimam civitatem: cujus ob magnitudinem oppidi, & virtutem civium inſignis fama, plurimos accolentium barbarorum, ut ibi perfugium ſalutis ſuæ quærerent, attraxerat. Quare neque deerant, qui ſuaderent in conſilio, *potius omittendam firmiſſimæ urbis oppugnationem, quam eo anni tempore cum evidenti periculo cladis & ignominiæ ſuſcipiendam eſſe*. Putant avaritiam obſtitiſſe Conſulis, ne ſententiam iſtam ſequeretur, urbem enim opulentam eſſe audiverat. Non igitur prius abſceſſit, quam in magnas redactus anguſtias, quod ob Pallantinorum equitum frequentes excurſiones tenui re frumentaria utebatur, non modo ſpem capiendæ urbis, ſed etiam quieti reditus amiſiſſet. Quadrato agmine abeuntem carpſere Pallantini, donec ad Durium amnem perventum eſt. inde digreſſis noctu Hiſpanis Conſul in Turdentiam hiematum abiit.

Lucullus Pallantiam fruſtra tentat. Pomp. Mela 2. 6. Appian.

XXVI. Interea Romæ ſuſpenſi omnium animi rerum Africanarum exſpectatione erant. Decem enim legati, quos ad ſpeculanda Pœnorum conſilia Senatus Carthaginem miſerat, *& exercitum & claſſem ibi ſe deprehendiſſe* referebant. reverterat una Maſiniſſæ filius Guluſſa, paternis & propriis odiis inſenſus Carthaginenſibus ſuſpecti Romanis. neque quidquam quod ad exacerbandos Patrum animos pertineret, docendo, rogando, querendo prætermittebat. Miſerant & Pœni ſuos oratores, ſed apud averſas aures etiam vera & æqua pro fictis indigniſque accipiebantur. Auditis omnium orationibus perrogari ſententias placuit: ibi plerique principes *bellum indicendum eſſe* fremebant, & ante omnes implacabilis Cato: ſed hujus violentiam, & illorum numerum, & cæteri Senatus inclinationem unus maxime P. Cornelius Naſica facundia & auctoritate ſuſtinuit; pervicitque, *ut nunc quoque dilato ultimæ indignationis impetu, tempus Carthaginenſibus ad pœnitentiam daretur, intra quod ſi claſſem exuriſſent, dimiſiſſentque copias, amico populo Romano uterentur: ni faceverent, futuri Conſules de bello iis inferendo referrent*. Neque ſine cauſſa temporibus

Liv. Epitom.

Carthaginenſes ſuſpecti Romanis.

Velleius. 1. 12; Liv. Epitom.

Lucullus Lusitanos vincit.

L. Licin. Lucullo A. Posth. Albino Coss.

istis tantum ei viro deferebatur, quippe sanctissimis moribus, & inviolabili mentis rectitudine præditus, ætatem procul iis inepti is habuerat, quibus vis ingenii animique inanium aut noxiarum rerum admiratione vilescit. Sapientiæ artibus, publici privatique juris peritiam, & utrisque studium eloquentiæ conjunxerat: illis opus habere judicans, ut vir civilique bonus esse posset; hoc, ut alios efficere. Quibus de caussis in admiratione hominum quum esset, communi faventium usu *Coruculum* est appellatus. Idem iisdem temporibus documentum illustre dedit, cum efficaci facundia summæ auctoritatis.

Auctor de viris illust. cap. 44.

Cicero Brutocap. 20. & Catone. cap 24.

XXVII. Inter alia quædam opera publica theatrum proximi Censores, à Lupercali in Palatium versus locaverant: id tum struebatur, neque procul perfectione aberat; quum P. Cornelius exitiosum civitatis moribus instituturn esse docens, si vanæ voluptatis illecebris mansura sedes poneretur, *neque ædificari porro, & quod ædificatum esset dirui oportere* censuit. Multum prospexisse sapientissimi viri animum sequentis ævi vaecordia demonstravit, quum ingenti civitatis dedecore ac damno, theatralibus ludis, quidquid enervare virilem indolem, quidquid imbuere flagitiis, impudentia, seditionibus homines potest, spectandum publice, atque per hoc imitandum proponeretur. Tum autem nec dum adeo degenerantibus à pristina integritate mentibus persuasum est, ut senatusconsulto *destrui affectum opus, subhastarique omnia quæ comparata theatro fuerant*, juberentur. addito, *ne quis in Urbe propiusve passus mille subsellia posuisse, ludosve sedens spectare vellet*: digno utique senatusconsulto, quod inter nobilissima Romanæ gravitatis argumenta notaretur.

Scipio Nasica destruendi theatri auctor.

Auct. de Viris Illust. 1 iv. Epitom. Vellejus 1. 15. Appian. Civil. lib. 1.

Augustin. de civitate Dei.

XXVIII. Nequaquam eadem innocentia res in Hispania gerebantur. ubi Lucullus bello cum Vaccæis injussu Senatus populique gesto, in Turdenia hiemabat. Ibi quum animum advertisset, Lusitanorum copias in propinquo negligentius agere, dimissa cum legatorum tribunorumque acerrimis expedita manu, circumvenit incautos, & ad millia quatuor interfecit. Iterum deinde circa Gades magnum eorumdem hostium exercitum adeptus, occisis mille quingentis, cæteros in edita loca compulsos, quum rerum necessariarum inopia premerentur, in deditionem accepit. Post hos successus perterritis hostium animis, per Lusitaniam populabundus incedebat, nemine obsistere auso. quæ res etiam Ser. Galbæ fecit audaciam, ut & ipse ad vastandas hostium regiones liberius procurreret. Unde correpti pœnitentia qui defecerant, miserunt ad Galbam, peticum *ut iisdem legibus, quibus anno præterito cum M. Attilio pacti fuerant, in amicitiam reciperentur*.

Liv. Epitom. Orosius 4. 21. Val. Max. 2. 4. 1. Tacit. 14 4. 3. Vellejus. 1. Appian. Hispan.

Lucullus Lusitanos vincit.

XXIX. Galba minime laudabili arte, perfidia in perfidos uti cogitans, simulata comitate excipit legatos: *compertum sibi, non prævitate ingenii à prioribus pactis resilisse Lusitanos, sed inopia coactos ob sterilitatem suæ regionis, alienos agros incurrisse. Id ne deinceps quoque facere necessum haberent, terram ait daturum bonam atque commodam: non quidem quæ tantam multitudinem continenti spatio aleret: sed si tres in partes dividi paterentur, idoneas singulis sedes assignari posse.* Credunt promissis prætoris accepta in id fide barbari: deserisque domibus ad eum locum, quem Romanus indicaverat, maximo numero confluunt. Eos in tria partitus agmina in lata planicie satis magno alios ab aliis intervallo considere jubet: ibique reditum sinum prætolari. Tum proximos benigna oratione compellans, quando jam amici sociique essent, deponere arma jubet. barbari sine metu pa-

Galbæ perfidum & crudele facinus in Lusitanos.

ruere. ât ille vallo circumdari univerſos imperat, mox immiſſis ârmatis cædi. Eadem deinde fraude alteros oppreſſit; eadem tertios. nec ex tanta vi hominum evadere crudelem ejus perfidiam niſi perpauci potuere. quos inter Viriatus fuit, quem fortuna vindictæ, ſequitæque vindictam celeberrimi nominis nobilitati ſervaverat. cæteros aut ferrum ſtatim hauſit, aut captos in ſervitutem Galba vendidit, incertum avarior an crudelior, quibus rebus Lucullum, quum perfidia æquaret, ſuperabat.

XXX. Tum quoque prædæ minima parte militi amiciſque diſtributa, cæteram ſervavit ſibi: inter immenſas opes, quibus nemo tum Romæ inſtructior fuit, ſemper egenus, & in pace quoque non mendacio non perjuriis parcens, quoties ex his lucrum ſperaret. De numero Luſitanorum qui Galbæ dolo perierint, diſſentitur: aliis novem fuiſſe millia, quibuſdam, aucto vehementer numero, triginta millia adfirmantibus. Simillimum vero eſt, hunc univerſæ multitudinis numerum fuiſſe: ex eo interfectos novem millia, cæteros ſub corona væniſſe. Et hæc quidem in annum ſequentem egreſſa ſunt, qui T. Quintium T. F. T. N. Flaminium, M. Acilium L. F. K. N. Balbum Conſules, idemque initium tertii cum Pœnis belli habuit, quod ut certius cognoſcatur, quædam illorum adverſus Maſiniſſam referenda geſta ſunt, quando illa ſi non cauſſam Romanis armis, occaſionem certe præbuerunt.

Valer. Max. l. 6. 2. Ejuſdem avaritia in magnis opibus.

Liv. Epitom. Sueton. Galb. cap. 3.

Urb. cond. ann. 603. Initium Tertii belli Punici.

XXXI. Oroſcopa vocatur oppidum, quod Pœnorum quum eſſet, à Numida obſidebatur. Mittitur ab urbe quinque & viginti peditum millibus, equitibus urbanis quadringentis ſtipatus Aſdrubal: adeo felici expeditionis principio, ut advenienti ſtatim ſex millia Regiorum equitum à præfectis Anaſi ſubaque adducerentur, qui ob contentiones quaſdam cum Maſiniſſæ liberis fidem mutaverant. Unde plenus animorum Aſdrubal, caſtris propius hoſtem motis, premebat Maſiniſſam, omnibus ferme levibus prœliis, quæ ut inter vicinos exercitus crebra fiebant, ſuperior. At rex inveteratus belli artibus, ex ipſo incommodo ſuo victoriam moliebatur: tanquam igitur hoſtilibus armis reſiſtere non poſſet, cedere paulatim, ſimulare metum, caſtriſque ſæpe mutatis, aliis atque aliis locis conſidere. donec in aridam planitiem pertraxit hoſtes, præruptiſque collibus undique cinctam. hic locus quum prœlio placuiſſet, caſtra in eadem planicie poſuit rex: Aſdrubal in tumulos, ut tutiores ſubduxit copias.

Carthaginenſium cum Maſiniſſa bellum. Appian. Punic.

XXXII. Pridie quam pugnaretur, miſſu L. Luculli ad Maſiniſſam P. Scipio Æmilianus acceſſit, elephantos ad bellum Celtibericum ab eo petiturus. Rex miſſis cum omni equitatu filiis excipi venientem jubet: quominus ipſe obviam proficiſceretur, non tam ætate, quam imminente mox prœlio præpeditus, cui vires integras reſervabat. Is enim adhuc vigor duodenos viginta annos agenti aderat, ut nihil in eo ad ducis pariter militiſque obeunda officia deſideraretur. Neque labore ullo, neque victu duriore frangebatur: panem ſine pulpamine mandere; iiſdem in veſtigiis, quoties opus videretur, totos dies perſiſtere, itinera longa pedibus aut equo continenter, utro cœpiſſet modo peragere, neque inſolitum ipſi neque moleſtum habebatur. ſenem ſe eſſe ſola præteritarum rerum recordatione ſentiebat. Tum quoque ſummo mane more Numidarum nudo inſidens equo, copias eduxit, ac ieque inſtructa provocavit hoſtem. Neque moram pugnandi Aſdrubal fecit, ac ito ex novis auxiliis animo, quę magno numero ad eum ex tota Carthaginenſium di tione confluxerant.

Scip. in caſtra Regis venit.

Liv. Epit. l. 48. & lib. 50. Liv. Epit. 48.

Polyb. apud Vale.

Appian.

Pœni à Maſiniſſa victi.

T Quintio Flaminino M. Acilio Balbo Coſſ.

Pugna inter Maſiniſſam & Pœnos.

XXXIII. Id prœlium P. Scipio ex locis editis velut in theatro ſpectavit: ſæpe poſtea profeſſus, nullum aliud tanta cum voluptate vidiſſe, quia cura omni exſolutus (tanquam amicus & hoſpes utrorumque) tantum vacaret notandis, quæ à centenis denis hominum millibus facinora ederentur. *Neque ante ſe niſi duobus, ſimili ſpectaculo frui licuiſſe* prædicabat, *Jovi ab Ida, Neptuno è Samothracia.* Pugnatum eſt acerrimis animis ab orto ſole ad occaſum, magna utrinque cæde, ſed melioribus ad extremum Maſiniſſæ rebus. Cui à pugna redeunti Scipio ſe obtulit, ab eoque maxima cum amoris lætitiæque demonſtratione eſt exceptus. Etiam Carthaginenſes audito Scipionis adventu gaviſi ſunt, ſperantes, per illum ſe pacem impetrare poſſe. Cæterum quum agro circum Emporium cederent Pœni, prætereaque præſentis pecuniæ talenta ducenta daturos pollicerentur, & octingenta alia in certum tempus; Rex ante omnia transfugas reſtitui poſtulabat. cujus rei mentionem quum nec ad aures admitteret Pœnus, colloquium re infecta diremptum eſt. Scipio acceptis elephantis in Hiſpaniam renavigavit.

Homer. Iliad. 1. 11, & 283.

Pœni fame expugnantur.

XXXIV. At Maſiniſſa commeatum adempturus hoſti, collem in quo Punicâ erant caſtra foſſa circumdedit. quanquam ea etiam locorum natura eſset, ut quantumvis libera frumentatione parum reperiri copiarum potuiſſet: adeoque ipſi quoque vix è longinquis locis neceſſaria parce afferebantur. Unde ſpes Aſdrubali fuit (nam inſtructior ipſe videbatur) priorem Numidam inopiæ ſuccubiturum eſſe. accedebat quod ab Roma legati adventare dicebantur, quorum imperio ſolutum iri bellum putabat. Verum illi cum his mandatis advenerant, *ut ſicubi Laborare viderent Maſiniſſam, tollere controverſias ſtuderent, ſuperiorem uti fortuna hortarentur.* Ita fruſtratus exſpectatione ſua Aſdrubal, quum etiam erumpendi occaſionem, attritis inter im corporibus amiſiſſet, in maximam calamitatem incidit. Jam jumentis omnibus equiſque in cibum abſumptis, etiam amenta telorum coxerant; ita fame afflictis, ut ſolet, morbi non pepercere, maxime quum ingens hominum vis anguſto loco clauſa, præter cæteras miſerias, æſtatis, quæ per Africam ardentiſſima eſt, incommodis urgeretur. Eſurientibus cibus, ægrotis fomenta, etiam ſepultura morientibus deerat: quum neque cremari corpora lignorum penuria (jam enim & ſcuta combuſſerant) neque efferri caſtris intentæ hoſtium cuſtodiæ paterentur. ita languentes, ſemivivi, mortui, quum permixti jacerent, adeo totis caſtris increbuit peſtilentiæ malum, ut tolerari ultra nequiret. Maſiniſſa conditiones impoſuit, quales inſenſus & ſuperbus victor poteſt. Transfugis redditis, vectigal talenta centena in annos quinquaginta pendere, exſulesque ſuos, contra jusjurandum, recipere promiſerunt. Ita cum ſingulis tunicis ignominioſe dimiſsos, Guluſsa periculi ſui memor, & velut in auctores perfidiæ ipſorum exemplo juſte uſurus, interfici à Numidis equitibus juſſit: incertum an inſcio Maſiniſſa. illi quum neque ad reſiſtendum arma, nec ad fugiendum vires haberent, præter paucos, qui cum ipſo duce evaſerunt, ſunt interfecti. Hoc bellum exitio Carthagini fuit. nam & prætextum dedit Romanis, ut eos armis peterent; & victoriæ fiduciam: quum exſcindere attritas à Maſiniſſa opes (hominum ad millia duodeſexaginta pericrant) neque periculoſæ admodum, neque diuturnæ luctæ videretur.

Cludes maximæ Pœnorum & extremi exitii cauſa.

Zonaras. Polyb. apud Suidan. & ἐκβολὴ & Μχβα. Appianus.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri XLIX. LIVIANI.
L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

BELLUM PUNICUM SECUNDUM.

SECUNDUM Punici belli initium altero & ſexcenteſimo anno ab Urbe condita, intra quintum annum, quam erat cœptum, conſumatur. Inter M. Porcium Catonem, & Scipionem Naſicam, quorum alter ſapientiſſimus vir in civitate habebatur, alter etiam vir optimus à Senatu judicatus erat, diverſis certatum eſt ſententiis; Catone ſuadente bellum, & ut tolleretur, delereturque Carthago; Naſica diſſuadente. Placuit tamen, eo quod contra fœdus naves haberent, quod extra fines exercitum duxiſſent, quod ſocio populi Romani & amico Maſiniſſæ arma intuliſſent, quod ſilium ejus Guluſſam, qui cum legatis Romanis erat, in oppidum non recepiſſent, bellum iis indici. Prius quam ullæ copiæ in naves imponerentur, Uticenſes legati Romam venerunt, ſe ſuaque omnia dedentes. Ea legatio, veluti omen, grata Patribus, acerba Carthaginenſibus fuit. Diti patri ludi ad Tarentum, ex præcepto librorum Sibyllinorum, facti: qui anno centeſimo à primo bello Punico, quingenteſimo & altero anno ab Urbe condita, facti fuerant. Legati triginta Romam venerunt, per quos ſe Carthaginenſes dedebant. Catonis ſententia pervicit, ut in decreto perſtaretur, & ut Conſules quamprimum proficiſcerentur ad bellum. Qui ubi in Africam tranſierunt, acceptis, quos imperaverant, trecentis obſidibus, & armis omnibus, inſtrumentiſque belli, ſi qua Carthagine erant; tunc quum ex auctoritate Patrum juberent, ut in alium locum, dum procul à mari decem millia paſſuum nec minus remotum, oppidum facerent, indignitate rei ad bellandum Carthaginenſes compulerunt. Obſideri, oppugnarique cœpta eſt Carthago à L. Marcio, Manio Manlio Conſulibus. In qua oppugnatione, quum neglectos ab una parte muros duo tribuni temere cum cohortibus irrupiſſent, & ab oppidanis graviter cæderentur, à Scipione Africano expliciti ſunt. per quem & caſtellum Romanorum, quod nocte oppugnabant, paucis equitibus juvantibus liberatum eſt: caſtrorumque, quæ Carthaginenſes omnibus copiis pariter ab urbe egreſſi oppugnabant, liberatorum is ipſe præcipuam gloriam tulit. Præterea quum ab irrita oppugnatione Carthaginis Conſul (alter enim Romam ad comitia ierat) exercitum duceret adverſus Haſdrubalem, qui cum altera manu intiquum ſaltum inſederat, ſuaſit primo conſuli, ne tam iniquo loco conſligeret. victus deinde complurium, qui & prudentiæ ejus & virtuti invidebant, ſententiis, & ipſe ſaltum ingreſſus eſt. quumque, ſicut prædixerat, fuſus fugatuſque eſſet Romanus exercitus, & duo cohortes ab hoſte obſiderentur, cum exiguis equitum turmis in ſaltum reverſus, liberavit eas, & incolumes reduxit. Quam virtutem ejus & Cato vir promptioris ad vituperandum linguæ, in Senatu ſic proſecutus eſt, ut diceret, reliquos, qui in Africa militarent, umbras militare, Scipionem vigere. Et populus Romanus eo favore

illum complexus eſt, ut comitiis complurimæ eum tribus Conſulem ſcriberent; quum hoc per ætatem minime liceret. Quum L. Scribonius tribunus plebis rogationem promulgaſſet, ut Luſitani qui in fidem populo Romano dediti, à Sergio Galba in Gallia vænifsent in libertatem reſtituerentur, M. Cato acerrime ſuaſit. extat oratio in annalibus ejus incluſa. Q. Fulvius Nobilior, & ſæpe ab eo in Senatu laceratus, reſpondit pro Galba: ipſe quoque Galba quum ſe damnari videret, complexus duos filios prætextatos, & filium Caji Sulpicii, cujus tutor erat, ita miſerabiliter pro ſe locutus eſt, ut rogatio antiqueretur. extant tres orationes ejus: duæ adverſum Libonem tribunum plebis, rogationeſque ejus habitæ de Luſitanis; una contra L. Cornelium Cethegum, in qua Luſitanos propter ſeſe caſtra habentes cæſos fatetur: quod compertum habuerit, equo atque homine ſuo ritu immmolatis per ſpeciem pacis adoriri exercitum ſuum in animo habuiſſe. Andriſcus quidam ultimæ ſortis homo, Perſei regis ſe filium ferens, & mutato nomine Philippus vocatus, quum ab urbe Roma, quo illum Demetrius Syriæ rex ob hoc ipſum mendacium miſerat, clam profugiſſet; multis ad falſam ejus fabulam, velut ad veram cunctibus, contracto exercitu, totam Macedoniam aut voluntate incolentium, aut armis occupavit. Fabulam autem hujuſmodi finxerat. Ex pellice ſe & Perſeo rege ortum, traditum educandum Cretenſi cuidam eſſe, ut in belli caſus, quod ille cum Romanis gereret, aliquod velut ſemen ſtirpis regiæ extaret. Perſeo demortuo, Adramiti ſe educatum uſque ad duodecimum annum ætatis, patrem eum eſſe credentem, à quo educaretur, ignarum generis ſuiſſe ſui. affecto deinde eo, quum prope vitæ finem ultimum eſſet, detectam ſibi tandem originem ſuam, falſaque matri libellum datum ſigno Perſei regis ſignatum, quem ſibi traderet, quum ad puberem ætatem veniſſet: obteſtationeſque ultimas adjectas, ut res in occulto ad id tempus ſervaretur. pubeſcenti libellum traditum: in quo relicti ſibi duo theſauri à patre dicerentur. tum in ſcientem mulierem ſubdititium ſe eſſe, veram ſtirpem ignoranti edidiſſe genus: atque obteſtatam, ut prius quam ad Eumenem manaret res, Perſeo inimicum, excederet iis locis, ne interficeretur. eo ſe exterritum, ſimul ſperantem aliquod auxilium à Demetrio, in Syriam ſe contuliſſe: atque ibi primum quis ipſe omnino eſſet, palam expromere auſum.

Bellum Punicum Tertium. Florus 2. 15.

I. TERTIUM Carthaginenſe bellum ſicut diuturnitate temporis, & magnitudine prœliorum prioribus impar, ita longe maximum eventu, nobiliſſimumque fuit. Siquidem hoc quintum intra annum cœpto finitoque, non

Liv. Epitom. modo gloria roburque Punici imperii, ſed ipſa quoque ſedes civitatis funditus exciſa eſt. Poſt malam adverſus Numidas pugnam, haud magis præſentium

Appia n. tædio, quam exſpectatione futuri ſolicita, conſiliique incerta Carthago, jam tum imminentis exitii ſenſum deſperatione & luctu præſumebat. Rex vicinus & victor ipſis urbis faucibus cum validis copiis inſtabat: & graviore adhuc metu Senatus Romani nunquam æquus Punicæ genti animus, & præſentium rerum facie ad vindictam odio ſpeque irritatus, timebatur. Atqui non alia Romæ conſilia, quam pro ſuſpicione Pœnorum agitabantur. Quamprimum enim de rebus Africanis auditum fuerat, Senatus decrevit, ut per univerſam Italiam, quæ

Zonar. ex Appia n. quiſque populus auxilia conſueſſet mittere, ea in parato haberet: non addito, quem ad uſum imperarentur. Itaque Carthaginenſes, ne tam publico conſilio,

quam inſtinctu paucorum bellaſſe viderentur, Aſdrubalem ducem, & ex magiſtratibus Carchalonem, alioſque nonnullos, perduellionis reos publico præconio pronunciarunt: miſſiſque Romam legatis in hos & Maſiniſſam omnem actorum culpam conferentes, non minus de temeritate ſuorum, quam de injuriis Maſiniſſæ querebantur. *hunc improbe laceſſendo, illos præpropere vindicando, res in eum ſtatum adduxiſſe.*

II. Antiquas referre artes videbantur, ut proſpera publicè agnituri, quia fortuna contra dederat, privato ducum conſilio cœptum geſtumque bellum videri cuperent. Igitur à ſenatore quodam interrogati: *quid ita damnandis duci-bus belli eventum exſpectaſſent, nullo conſque ſigno edito, ſibi conſilia eorum diſplicere?* quum parum expedirent reſponſum, audivere: *populum Carthaginenſem ob illatum contra fœdus ſocio amicoque Regi bellum, ſatis purgatum Senatui Populoque Romano non videri.* His perturbati oratores rogabant, *ſiquidem peccaviſſe reſpublica ſua judicaretur, quaratione corrigi delictum luique poſſet?* neque aliud reſponſum auferre potuerunt, niſi *dandum eſſe operam, uti Senatui Populoque Romano fiat ſatis.* Torſit ea res Senatum Carthaginis, quid ea formula Romani præcepiſſent plerique ambigentibus. alii *pecuniam adjiciendam videri* dicebant *ſummæ, quam P. Cornelius Scipio ſuo fœdere imperaſſet*: alii, *Maſiniſſæ relinquendam eſſe regionem, de cujus jure pugnatum eſſet.* poſtremo ſatius viſum denuo mitti cum precibus exploraturos, *quemadmodum Senatus ſatisfieri vellet.* Nihil reſponſum, niſi *rem ipſis minime ignotam Carthaginenſes fruſtra quærere.* Quod ubi Carthaginem relatum, major in urbe conſternatio pavorque eſſet cœpit, quum perplexis omnium animis, nihil jam niſi bellum, & hoſtis, & captarum urbium ſpecies, & extrema omnia obverſarentur. Legatio Punica in Senatu Romæ nihil lætum audit.

III. At eodem tempore, quemadmodum rigide cum Carthaginenſibus, ita cum Achæis clementius actum: principeſque eorum longo exſilio abſoluti, poſt ſeptimum decimum quam evocati fuerant annum, minus trecenti rediere. cæteros (ſupra mille initio fuerant) partim morbus, alios, quum evadere ex cuſtodia tentaviſſent, pœna abſumpſerat. Dimiſſos in Polybii maxime gratiam adnitente P. Scipione conſtat, cui & antea & poſtea vir ille ob virtutem & egregias artes fuit gratiſſimus. Tum quoque Pictatis ædes in Circo Flaminio exſtructa eſt, memorabili de cauſſa. Mulier ingenua ob delictum tradita triumviro capitali fuerat, ut in carcere necaretur. Eam quum fame conſtituiſſet occidere, mulieris filia puerpera obtinuit à præfecto cuſtodiæ, ut ad matrem vitendam admitteretur. Hoc quum factum aliquoties eſſet, morſque mulieris ultra quam humana natura pati inediam poſſit, procraheretur, admiratus rem præfectus, quamvis puerperam minime ſuſpectam haberet, quam ſemper diligentiſſime, ne quid ciborum inferret, exculſerat; tamen attentius obſervare illam ſtatuit: deprehenditque exſerta mamma lactis alimenta reddentem anui, cujus ipſa lac aliquando juvenculæ infans ſuxerat. Dignum erat ſpectaculum, quod ad triumvirum, & ab hoc ad Prætorem referretur. Prætor ipſe quoque re ad conſilium judicum relata, ut pœna mulieri condonaretur, impetravit. Addidit Senatus utrique perpetua de publico alimenta: locumque carceris mutari juſſit in ſedem *Pictatis*, velut ab ipſo numine delectam. Achæorum exſules remittuntur. Paſſanias: lib. 7. Plutarch: Cat. Major. cap. 16. Paſſanias. lul. Obſeq. cap 114. Val. Maxim. 5. 4. Solin. cap. 7. Val. Maxim. Plinius. 7. 36.

IV. At in curia per eos dies ſententiis de Punici belli fine certabatur, nobili

Utica deficit à pœnis.

Catonis & Nasicæ controversia de Punica urbe excindenda itemagitatur Festus. In pietati. Florus 2. 15. Cicer. Caton. cap. 6. Polyb. ap. al. Plin. p. 153. 33. 1. 15 f. Salust. Hist. lib 1. Florus: Plutarch. Cat. Major. cap. 51.

jam inter duos civitatis principes controversia, quum M. Cato *salvam esse rempublicam posse stante urbe Punica* negaret; P. Nasica, *ne Carthaginis excidium Romanis quoque rebus perniciem adferret, relinqui illam oportere* testaretur. Quod enim videbat antiquos mores non jam paulatim exolescere, sed amore peregrinæ luxuriæ abjici expellique: verebatur quod evenit, ne remoto urbis æmulæ timore, veluti vinclis exsoluta improbitas in omnia magnorum imperiorum vitia, & ex his in calamitates præceps rueret. Carthaginis autem opes minores esse judicabat, quam ut Romanis nocere possent, ampliores quam ut deberent contemni. Atqui hoc ipsum Cato anceps esse reputabat, si morbis intestinis laboranti reipublicæ, urbs antiquitus nobilis potensque, & rebus adversis non tam fracta, quam ad prudentiam & severitatem erudita immineret. Senatui nequaquam facile erat statuere, utrius sententiæ standum esset. Nam & majorem imperii gloriam majoremque fructum inde redire videbant; si maximarum urbium domini, quam si eversores esse dicerentur: satisque prospiciebant, crebriora deinceps pertinacioraque domi futura certamina: neque socios magistratuum Romanorum avaritiam superbiamque pari patientia perlaturos.

Diod. ap. Val. Vellejus 1. 12. Cato vincit, ut bellum decernatur Pœnis. Plutarch. Caton. cap. 51. & 26. Plin. 5. 28. 9. Diodor. apud Valesium. Appianus. Epitom. Liv.

V. Vicit ad extremum propior metus, adjutus insuper invidia, quod post duo gravissima bella, non modo stabat adhuc Carthago, sed valebat. Irritatos etiam maximopere Catonis artificio Patres ferunt, qui præcocem aliquando ficum in curiam intulit, quumque Senatores magnitudinem pomi pulchritudinemque mirarentur, interrogavit eos, *quando demptum ex arbore putarent? illis recens videri* affirmantibus, *atqui*, inquit, *tertium ante diem scitote decerptum Carthagine: tam prope ab hoste absumus*. His machinis expugnati Patres, quibus moris erat non nisi justa bella suscipere, diuque ac multum considerare ne quid temere decerneretur, quum in Capitolio coactus Senatus esset, *bellum Pœnis indicendum* censuere, *quod contra fœdus naves haberent: quod extra fines exercitum duxissent: quod filium ejus Gulussam, qui cum legatis Romanis fuerat, non recepissent*. Hæ inferendi belli causæ in publicum sunt editæ.

Utica deficit à Pœnis. Urb. cond. ann. 604. Appianus. Liv. Epitom. Polyb. Excer. Legat. 142. Strab. lib. 17. Appian. Liv. Epitom. Appianus. Diod. apud Fulvium Ursinum: Appianus. Consules ad bellum Punicum ambo proficiscuntur.

VI. Ad senatusconsultum faciundum quum ultro Senatus inclinaret, magnopere quoque impulsum ferunt ab Uticensibus legatis, qui non exspectato adventu Consulum (L. Marcius C. F. C. N. Censorinus, M. Manilius P. F. P. N. jam inierant) se suaque omnia in populi Romani fidem potestatemque dediderunt. Peracerbum id Pœnis accidit, urbium Libycarum post Carthaginem maximam, portu idoneo, passuum sex millibus paulo amplius distantem, odio superbæ dominationis in tempore detegendo, rerum Punicarum imbecillitatem desperatione sua prodidisse. Romæ etiam, tamquam certæ & facilis victoriæ omen, accepta deditio est. Neque diutius moram nectere Consules jussi, præparatis omnibus Lilybæum transjecerunt. L. Marcio classis evenerat: pedestrem exercitum M. Manilius sortitus. equitum quatuor erant millia, peditum octoginta, lecta juventus, quod ad uberem claramque militiam civium sociorumque maximæ copiæ concurrerant: plerisque ultro nomina dantibus. Hic exercitus quinqueremibus quinquaginta, hemioliis centum, vehebatur; aphractis præterea, & cercuris, & onerariis permultis. Consulibus secreto mandatum, *ne quem bello finem, nisi diruta Carthagine facerent*.

VII. Interea domi animis, ut in magnarum rerum exordiis consueverunt, ad religio-

religionum curam versis; decemviri jussu Senatus libris Sibyllinis aditis, ex iis ediderunt, *Diti Patri ludos faciendos ad Taruentum* (loci ad Tiberim, haud procul Urbe, nomen est) *quales ante centesimum annum, flagrante primo bello Punico celebrati fuerant*. Hæc omnia quum Carthaginenses idem nuncius docuisset, qui & Senatusconsultum belli indicendi, & classem jam profectam attulerat; maximis in angustiis constituti, quomodo præsentibus uterentur, deliberabant. ad bellum erant imparatissimi. æquas conditiones pacis omnes desperabant: ne iniquas quidem Uticensium factum reliquerat, à quibus præventi, etiamsi urbem dederent, parum habituri gratiæ ad promerendam misericordiam videbantur. Post multas secretas consultationes, consilium quod ipsa necessitas suggerebat, tenuit: delectique sunt ex primoribus triginta, quibus liberet conditionibus pacem impetraturi: quem ad finem liberam eis agendi, quæ ex usu publico viderentur, potestatem concedebant. Horum principes Gisgo cognomento Strytanus, tum Hamilcar, & Misdes, & cum Magone Gillicas fuere. Zosim. l.2. Val. Maxim. Epitom. Liv. Appianus. Polyb. Livii Epitom. Appianus. Polyb. Carthaginenses quibus liberet conditionibus pacem quærunt.

VIII. De hac quoque legatione inter se commissi sunt consuetum his certaminibus par, P. Nasica, & M. Cato. Cato *neque revocari decretum de bello neque admitti legatos* volebat: Nasica obtinente admissi sunt, & miserabili oratione, *urbem Carthaginem, agrumque, & omnia sua populo Romano permittere dixerunt*. Non improbabile est quod quidam sentiunt, minime hanc sententiam legatis aut populo Carthaginensi fuisse (neque enim prioribus bellis, quámquam ad extrema redacti, mentionem deditionis aut facere aut accipere sustinuerunt) sed quia parum referre putabant quantum promitterent, resilire à pactis, quamprimum occasio fuisset, atque interim præsens periculum quoquo modo avertere certi. Revocatis in curiam oratoribus Senatus sententiam Prætor exposuit; *quando ad optimum tandem consilium adjecissent animos Pœni, Patres ipsis libertatem, leges suas, agrum omnem, sacra, sepulchra, quidquid denique publice privatimve possiderent, concedere*. Quæ quum legati, ut in ejusmodi rebus satis optabilia læti audivissent, adjecit Prætor, *ita compotes horum fore, si antequam in Africam Consules proficiscerentur* (triginta dierum spatio id tempus definitum est) *obsides trecentos ex senatorum aut seniorum liberis Lilybæum misissent, & consulibus dicto audientes fuissent*. Quod postremum quamvis angebat homines quam habiturum interpretationem esset nescios tamen quia potius sperari nihil poterat, consetim ad renunciandа acta in patriam renavigarunt. De ea re dissentientes sententiæ Catonis & Nasicæ. Liv. Epitom. Diodor. apud Fulvium Ursinum. Polyb. Zonaras. Polyb. Appian. Diodorus. Polyb. Appianus. Diodorus: Polyb.

IX. Senatus auctore Catone *insistendum proposito nihilominus* censuit, missique ad Consules, *ut profectionem maturarent; neque aliter facerent quam in Urbe præsentibus Senatus præcepisset*. Pœnos tamen celeriores ad redeundum timor, quam Romanos ad solvendum cupiditas effecerat: itaque non exspectato die præstituto cum obsidibus adfuerunt. Nam Carthaginenses cognito Senatus responso, cætera quidem haud male per legatos peracta credebant, uno mirifice adfligebantur, quod inter multa quæ Romani concessuros dixerant, omissa fuisset urbium mentio, quum alia nominatim referrentur. Ibi quidam inter eos Mago, cui Brutio cognomen erat, prudenter & animose monuisse fertur: *ex duobus temporibus deliberandi, alterum jam cessisse, alterum nondum venisse, nam & prius quam* Liv. Epitom. Appian. Polybius. Carthaginensium deliberatio. Diodorus. Polyb.

se suaque in jus & ditionem Romanorum dederent. quærendum fuisse quid imperaturi Consules, quove consilio prætermissa urbium mentio esset: nunc nihil restare, nisi ut patienter ferant, quidquid imperatum fuerit, donec alterum illud tempus advenerit, ubi plura sibi sentientes injungi quam tolerare possint, iterum consultent: habere tale bellum, an fac cre imperata malint.

Pœni trecentos obsides Romanis mittunt. Diodorus. Polyb. Appian.

X. Ita non dubitatum est diutius, quin mitti obsides oporteret: conquisitique trecenti, ex principibus juventutis, qui Lilybæum averherentur. Eos magna omnium tristitia dimissos referunt, prosequentibus propinquis necessariisque, miserabili præcipue matrum ejulatu, quæ matronalis decori parum inter hanc calamitatem memores, tanquam lymphatæ discurrebant. modo liberos amplexu; modo naves, adhærendo anchoris, præcidendo funiculos, retinentes. fuerunt quos ipsas in aquas adigeret dolor, ut quoad possent natatu insequentes, velut postremo suorum adipecta potirentur. omnes profuso fletu, evulsis comis, percussis pectoribus suam pariter publicamque vicem miserabantur: nam & inter promiscuas querentium voces non defuere, quæ prædicerent, *liberorum se suorum jacturam gratis facere, nullo inde ad patriam rediturо emolumento.* Ut Lilybæum venerunt, acceptos à legatis obsides Q. Fabio Maximo, qui Prætor Siciliam regebat, tradidere Consules, Pœnisque dixerunt, *cætera quæ ad pacem pertinerent, Uticæ se imperaturos.* Q. Fabius obsides in Urbem misit: Consules navigarunt in Africam, exercituque iis in locis constituto, ubi olim P. Scipio castra habuerat, classis portum Uticensium ingressa est.

Polyb.

Zonaras. Appian. Orosius. 4.22. Polyb. Diodorus. Polyb.

XI. Ejus rei nuncio Carthaginem perlato, plena erant omnia luctus & timoris ob mala quæque passi quæque passuri erant, nec quidquam satis expediebatur, nisi quod legandos constabat, qui à Consulibus *quid juberetur*, exquirerent, *civitatem prompte facturam imperata* pollicentes. Apud Romanos omnia consulto ad terrorem augendum præparata erant. Tuba signo dato quum silentium factum esset, voce præconis legati Carthaginensium ad Consulum tribunal jussi sunt accedere. Illi media per castra & dispositos utrimque cum erectis comptisque signis ordines, ut multitudo noscoretur, adducti, Consules in suggestu excelso sedentes repererunt, legatis tribunisque circumstantibus. Ibi intervallo quod in morem Articorum judiciorum prætensis funiculis effectum erat, disclusi, silentium tenuere: donec à Consulibus *si quid vellent dicere* jussi, de antiquis populi utriusque fœderibus cœperunt commemorare, deductaque per Carthaginis ipsius antiquitatem, frequentiam, opes, & amplissimum terra marique imperium oratione, subjecerunt, *non jactantiæ caussa hæc referri (neque enim suis temporibus eam convenire) sed ut nostris, ajebant, calamitatibus edocti, præsenti fortunæ sapienter atque moderate utamini.*

Pœnorum legatio ad Consules. Appian. Liv. 45. 29. 2. Appian.

Meursius lec. Attic. 60. 14. Appian.

Oratio legatorum.

XII. *Nam ut quisque melior atque temperantior est, ita rebus aliorum adflictis celerius movetur ad misericordiam: sibique propitiam semper fortunam fore confidit, sciens in adversam aliorum nihil se per inhumanitatem peccavisse. Et hæc quidem Vobis maxime digna sunt Vestraque religione, quam uni omnium hominum sanctissime Vos colere profitemini. Quod si tamen mala quadam forte nostra in hostes inexorabiles incidimus; sic quoque satietas aliqua nostrarum miseriarum ejus deberet. imperium terræ marisque eruptum est, ademptæ naves, ferarum usu & venatione interdictum, obsides nobilissimi & olim & nuper dati, vectigalia*

quæ ab aliis conſueti eramus accipere, juſto tempore ſoluta. Et his quidem contenti patres veſtri fuere, quibuſcum noſtri bella verant: fœduſque in has leges factum, ut inter ſocios amicoſque, pari utrimque religione firmatum. Atque illi cum bello poſitis inimicitiis placitas ſemelconditiones bonafide ſervavere: Vos vero, quibus nec oppoſita unquam arma ſunt, quam quæſo temporum horum noxam poteſtis coarguere?

XIII. *Ideone bellum & priuſquam audiremur decernendum, & priuſquam iudiceretur inferendum fuit, quia tributa ex fide ſolvimus? elephantos non domamus? nihil contra fœdus antiquum facimus? an quia modo ſupra quinquaginta hominum millia fame nobis perierunt? At geſſiſtis contra Maſiniſſam bellum! geſſimus enim, ſed laceſſiti, ſed coacti. diu enim patientiſſime quidlibet pertulimus, vos reveriti: donec ille contra nos ſolumque ubi educatus, ubi inſtitutus eſt: nullum injuriarum finem faciens, regionem circa Emporium, & hac poritus, alias ſubinde aliaſque invaderet, ac ad hoc fœderis veſtri caput negligendum vi ac neceſſitate nos ſubigeret. Hæc igitur neceſſitas ſi apud Vos vel in cauſſam armorum, vel in prætextum invaluit, nos certe & publico præconio condemnavimus eos, qui Numidæ vim repulerant, & Romam oratores ad factum purgandum miſimus, poſtque paulo alios, quibus omnis poteſtas accipiendi leges quas imponeretis commiſſa fuit. Quorſum igitur claſſis tam inſtructa, quorſum tantus exercitus adductus eſt, ſi & quod commiſimus Pœni fatemur, & lucre commiſſum arbitrio veſtro parati ſumus? Nihil à nobis fingi rebus ipſis apparuit, quum obſides ejus nobilitatis, tanto numero, etiam ante diem dictam, quum frumentum à Vobis his diebus imperatum, ſummo ſtudio miſimus. Quæ quum ita ſint, noſque ejuſdem ſenatuſconſulti partem alteram mittendis in tempore obſidibus expleverimus, alteram ut Vos expleatis ſupereſt; quæ datis obſidibus, libertatem nobis reſque noſtras reliquit.* Bellum ſine cauſſa inferri queruntur. Zonar.

XIV. Hæc loquiti conticuerunt. Tum L. Marcius, *cauſſas*, inquit, *belli, Carthaginenſes, quum legati veſtri ab Senatu intellexerint, quid opus eſt exponere? Quod autem ſenatuſconſulto ſatis à vobis factum prædicatis, id vero argui jure debet. Nam & ſenatuſconſulto comprehenſum, & à nobis in Sicilia prædictum eſt, cæteris mandata Senatus Uticæ nos edituros eſſe. De obſidibus quidem cum delectu & diligentia adductis, conſilium veſtrum laudamus; ſed ſi nihil præterea præſtari creditis oportere, fallimini. Equidem ſi fraudulenter pacem petitis, per occaſionem rebellaturi, non eſt nobis animus calliditati veſtræ arma per quæ nocere poſſitis relinquere: ſin bellandi cogitationem omnem vere deponitis, jam æquis animis bellorum inſtrumento carebitis. Adferte igitur quidquid vobis publice privatimque armorum eſt, telaque & catapultas, naves etiam quas habetis tradite,* L. Marcius reſpondet. Appian. Polyb. Excerp. Legat. Zonaras. Polyb.

XV. Non auſi repugnare Carthaginenſes, tantum oraverunt, cogitarent *Conſules, quid futurum urbi ſuæ eſſet, ſi exſulibus caſtra in propinquo habentibus inermis ipſa relinqueretur.* Nam Aſdrubal qui poſt infelix cum Maſiniſſa bellum capitis fuerat damnatus, collectis hominum viginti ferme millibus, bellum patriæ intulerat. Reſponſum eſt *ſecuritatem gentis Puniceæ Senatui Populoque Romano curæ fore.* miſſique ad exurendam claſſem, & accipienda arma Quæſtores Conſulum P. Cornelius Scipio Naſica, Cn. Cornelius Hiſpallus. *Tantam armorum vim fuiſſe traditam* auctores quidam ſunt, *quanta toti armandæ Africæ ſuf-* Aſdrubal patriæ bellum infert. Appian. Punicis. Diod. apud Fulvium Urſinum. Appianus. Florus 2. 15. Pighii Annal.

Appian. Orosius 4.22. Appian. Diodor. Strab. lib. 17. Zonar.

feciſſet. illud relatione multorum conſtat, *gravis armaturæ millia ducenta, telorum innumerabilem copiam fuiſſe: catapultarum* apud alios ſcriptores *duo millia*, apud alios *tria* inveni. Conſulto fecerant Conſules, ut ſingula imperia ſeorſim ederent: ne ſi tot res tamque graves ſimul juberentur, Carthaginenſes ab bellum præoptandum adigi deſperatione poſſent. Exarmatis quidlibet tuto injunctum iri putantes, miſere Carthaginem, qui delectos ex Senatu arceſſerent, iis ſe poſtremum eorum quæ faciunda eſſent denunciaturos. Venerunt triginta ex illuſtribus, quos ultro comitata eſt alia principum & ſacerdotum manus, patriæ diſcrimine anxia, & Conſules aſpectu ſuo reverentiaque permotura ad miſericordiam.

Diodorus: Appian.

XVI. Hi omnes eodem quo acceſſerant cultu ad Conſules introducti, quum tăciti adſtarent; iterum conſurgens L. Marcius (nam hujus facundiæ ſenior colle-

Alia Romanorum poſtulata de Carthagine diruenda.

ga concedebat) *Quod obſidibus armiſque tradendis voluntati Senatus celeriter & cum cura eſtis obſequuti, recte & ordine à vobis factum eſt, Carthaginenſes. nunc quia neceſſitatis minime verboſa eſt oratio, unum quod reſtat Senatus mandatum magno animo capeſſite. Urbem aliam ubicumque videbitur, ſed decem minimum millia paſſuum à mari diſtantem, & ſine muris, condite. nam hanc quidem Carthaginem ſolo æquare juſſi ſumus.* Interrupit poſtrema Conſulis verba ſublatus à Pœnis ululatus, clamorque, qualis in graviſſima eadem & inexſpectata calamitate eſſe debuit: quum modo manibus in cœlum extentis, invocarent deos doli quo apperiti eſſent ultores; modo converſa in Romanos voce multa & acerba increparent: ſive exitium tædio vitæ provocantes: ſive mentem dolor eripuerat. nam & multa faciebant inſanientibus ſolita: abjicere ſe in humum, pugnis atque capitibus verberare terram, lacerare amictus, ne ipſis quidem corporibus abſtinere infeſtas manus: poſtremo ubi jam fatigatus remiſerat dolor; mortuorum inſtar ſine voce ſine motu jacebant.

Liv. Epitom. Zonar. Appian.

Diodorus. Appian.

XVII. Attoniti ad hæc Romani ſtabant, commiſeratione & exemplo ſortis humanæ ſtupentibus animis: ipſi quoque Conſules indulgebant hominibus in ſubita conſternatione primum animi impetum male ſuſtinentibus, gnari hoc habere magnas calamitates, ut ſtatim quidem audaciam injiciant mentibus: mox neceſſitate & aſſuetudine ferendi audacia in humilitatem vertatur. Quod etiam Carthaginenſibus tum contigit: quum enim aliquandiu taciti mala ſua conſideraſſent, indignatione depoſita, cum ploratu & lachrymis vicem ſuam liberorumque & conjugum deflebant, ipſiuſque patriæ, & hanc quaſi audientem nomine invocabant. At vero ſacerdotes vocabula ſacrorum numinumque ciere, ipſis quoque tanquam præſentibus communem interitum exprobrare, mixtuſque & miſerabilis luctus nunc privatas calamitates, nunc publicas deplorantium, ipſos quoque Romanos hoſtium infortunio illachrymari coëgerat. Conſules & ipſi rerum humanarum inſtabile ſatum gementes, ſevero tamen vultu finem & horum queſtuum exſpectabant.

Pœnorum dolor in eo ſtatu rerum.

Diodorus. Appian.

XVIII. Pœnos ubi lamentis pauliſper ceſſantibus res ipſa ſuę ſortis admonuit; urbem exarmatam, copias domeſticas exiles, ſociales nullas, ne tempus quidem aut ſpem parandarum eſſe, contra liberos ſuos, arma, agrum in poteſtate hoſtium, Romanorum navalem pedeſtremque exercitum in oculis, Ma-

siniſſam in lateribus reputantes, omiſſa invidia tumultuque, infirmis adverſorum ſolatiis, iterum ad preces confugerunt, & qui præſentium nobiliſſimus erat Hanno cognomento Gallas impetrata dicendi venia ita cœpit: *Siquidem iiſdem de rebus iterare ſermonem fas eſt, non ego de jure vobiſcum contendam Romani, nam id quidem intempeſtivum eſt miſeris: ſed tantum oſtendam, ſi miſericordia velitis uti, nihil præter rationem atque decorum facturos eſſe. Nos anim Africæ quondam mariſque domini, quum vobiſcum de imperio diu certaſſemus, à Scipione victi, claſſem, elephantos, tributa dedimus: per deos igitur, qui tam jurati ſunt, parcite nobis, parcite famæ Scipionis, ne ſocios & amicos Romanis Carthaginenſes fore falſo juraverit. Neque enim eſt, quod contra fœdus iſtud peccaverimus. tulimus, dedimus, fecimus, omiſimus quidquid illo comprehenſum fuit. præterea adverſus tres Reges, duos Macedoniæ, unum Syriæ, vobis auxilia miſimus. neque reprehendatis ſi repeto quæ nuper etiam dicta ſunt, quum à nobis arma poſtularentur.* Hannonis miſerabilis deprecatio. Diodorus. Appianus.

XIX. *Loquaces miſeriæ faciunt: & in ore ſupplicum quid validius eſſe commemoratione fœderum poteſt? aut ad quæ potius argumenta confugere nos æquum eſt, qui horum intuitu Vobis potentiæ noſtræ viriumque inſtrumenta tradidimus. Et ſic quidem vetera habent, quorum nobis ſponſor Scipio fuit: horum vero recentium pactorum auctores iidemque teſtes ipſi eſtis, Conſules. Petiiſtis obſides; tradidimus; lectiſſimos: petiiſtis arma; tradidimus omnia: quod ne in captis quidem urbibus, niſi ultima neceſſitate metuque obtinetur. Moribus porro conſuetudinique Romanæ credidimus. nam & Senatus literis, & Vos ſermone confirmabatis ſuis legibus uſuram eſſe Carthaginem, ſi obſides traderentur.* Iterum fœdera commemorat.

XX. *Dicetis adjectum fuiſſe ut obſidibus traditis & alia quæ imperaturi eſſetis, præſtarentur! certe. ſed unde rem tam incredibilem conjiceremus, ut quam Carthaginem in petendis obſidibus liberam fore dixiſſetis, ejus excidium acceſſionem acceptorum obſidum velletis facere? præſertim quum ex eo tempore tot alia, frumentum, naves, arma accepiſſetis. quibus omnibus propte exhibitis quum jam ſive delicto noſtro ſive infortunio ſatisfactum eſſe putaremus, hoc adeo acerbum & triſte imperium additis, ut Carthago diruatur. Quam profecto ſi vobis evertere fas eſt, qui poteritis libertati legibuſque ſuis relinquere, quemadmodum facturos affirmatis? Et hæc quidem erant, quæ tum de priori fœdere, tum de præſenti diceremus. quod ſi vero ne hæc quidem audire ſuſtinetis, omittimus, omittimus omnia, quod que unum relictum eſt infelicibus, lamentis precibuſque rem gerimus. Et horum quidem ampliſſimam materiem tanta nobis malorum vis ſuppeditat. Sunt enim eæ res in periculo, quarum nuda enumeratio humanum pectus poſſit ad miſericordiam flectere: urbs pervetuſta, deorum imperio condita, potentes, nobiliſſima: templa quotquot in ea ſunt (ſunt autem permulta & ornatiſſima) dicata numinibus, quæ nihil utique adverſum vis deliquerunt. quibuſque ideo ſolemnia ſua religioneſque non voletis adimere: quemadmodum nec ſepulchra parentationeſque mortuis invidebitis, quando neque ad hos odia veſtra aut ſupplicia cupietis extendere.* Miſericordiam ciet ex urbis delendæ vetuſtate &c.

XXI. *Quod ſi noſtri quoque Vos miſeret (qui enim alibi quietam liberamque ſedem conceditis, videmini miſereri) parcite quæſumus iis ſine quibus vivere*

non poſſumus; nec enim aris ſociſque noſtris, & foro, & deæ quæ curiæ præſidet, denique omnibus quæ hominigrata & veneranda habentur, ſuperſtites eſſe ſuſtinebimus. Adde quod nullus jam vobis à Carthagine metus ſupereſſe poteſt, adempti navibus, elephantis, armis. Si quis autem eſt, qui abunde tributum miſericordiæ putet, quod alio loco, ſed à mare remotius, exſtruere urbem ſinimur, is non ſatis æſtimat, quam exiguum hoc eſſe poſſit ſolatium populo nautico, maximam partem conſtanti ex infinito mortalium numero, non aliunde quam ex re maritima viventium. Quapropter aliam Vobis conditionem referimus op-

Nauticum populum loco à mari remoto vivere poſſe negat.

tabiliorem nobis & Veſtro imperio minus invidioſam: ut hanc quidem urbem, nullius ream maleficii, ſinatis intactam: nos vero, quibus alias conceditis ſedes, jubeatis interfici. ſic enim fiet, ut hominibus ſuccenſuiſſe videamini, non autem in fana & deos & ſepulchra, & innocentis urbis ædificia improbabilem iram effudiſſe.

XXII. *Quam equidem ſævitiem ultro deprecatur fama pietatis & virtutis, quam omnibus in operibus Veſtris quæritis Romani: eoq; ſemper ut quoſq; populos armis ſuperaſtis (ſuperaſtis autem quam plurimos) ſtudium Vobis fuit, ut manſue-*

Novum eſſe, urbem omnia imperata facientem deleri.

tudinem Veſtram moderationemque orbi terrarum approbaretis. Ne igitur per Jovem cæteroſque deorum, quum alios, tum qui Carthaginem adhuc habitant, ne, inquam, odiorum erga nos liberoſve noſtros memineritis: neve Veſtram ipſi gloriam in nobis primum ſinatis intercidere, ſi partam toi monumentis clementiæ exiſtimationem tali facinore polluatis: quod & factu fuerit ſævum, & auditu horrendum, cujuſque ne quidem exemplum hactenus ullum humana vita tulerit. Quum enim & Græci & Barbari bella multa geſſerint, multa vero & Vos, Romani: nemo tamen unquam urbem excidiſſe memoratur, quæ & ante pugnam ſubmiſerit manus, & arma obſideſque principum liberos tradiderit, & quamcunque mulctam aliam mortalitas invenire aut pati poteſt, ſubire parata fuerit.

Saltem veniam petit legatos mittendi Romam.

XXIII. *Per igitur Vos jurata fœderibus numina, per conditionem humanitatis, & formidandam felicibus Nemeſin obteſtamur, ut & Veſtram fortunam habeatis reverenter, & noſtram ſupra modum ne oneretis. Quod ſi Vobis certum eſt lachrymis pro urbe deprecantium non moveri, at ut Romam legatos mittamus, concedite. nihilhic puto petitur quod ullo pacto vobis moleſtum eſſe queat. quidquid in eo negotio grave incommodumque erit, id totum noſtrum erit. temporis haud magna mora poſtulatur: intra quod noſtros quidem animos incerti eventus torquebit acris exſpectatio; Vobis autem patrandi quæ voletis tum quoque monebit eadem facilitas, ſed adreſcet interim pietatis & clementiæ fama.*

L. Marcii Reſponſio.

XXIV. Hæc proloquutus Hanno finem dicendi fecit. Conſules totum hominis ſermonem immoto vultu exceperant, ut appareret nihil eorum quæ peterentur conceſſuros. Tum L. Marcius, *de Senatus quidem voluntate*, inquit, *quid opus eſt ſæpius loqui? illius arbitrium fuit, noſtrum obſequium eſt. neque differre ultrenis poſſumus, quod jam factum oportuit. Et quidem ſi hæc tanquam hoſtibus imperaverint, nihil niſi juſſi & parendi neceſſitatem adhiberi decuit. tunc quia communis utilitatis habita eſt ratio, & magis etiam*

veſtræ, non me pigebit rationes adducere, ut perſuaſi potius eadem quam coacti malitis. Iſtud mare conſpectu ſuo priſtinæ potentiæ admonens, ad delinquendum, & ex hoc ad pœnam delictorum vos præcipitat. Per hoc & invaſiſtis Siciliam, & perdidiſtis: navigaſtis in Hiſpaniam, & eandem amiſiſtis: inter fœdera negotiatoribus inſidiati eſtis, civibus Romanis maxime, quos etiam ne deprehenderemini, demerſiſtis, donec patefacto ſcelere multati à nobis Sardiniæ poſſeſſione eſtis. ita per hoc idem mare & Sardinia vobis periit. Eius enim hæc natura eſt, ut quoniam ad opes celeriter adaugendas nihil eſt quæſtuoſius, quibus plurimum lucri contulit, plus ſemper deſiderare cogat. Cic. de Offic. 2. 2. 4.

XXV. *Atque hoc & Athenienſibus accidit, donec claſſibus ſtuduerunt, ut parvo temporis ſpatio tollerentur caderentque. Similes ſunt enim mercatoriis maritimi quæſtus, in quibus neque lucro ferme neque detrimento mediocri locus eſt. Illos equidem ut ſcitis imperio adblandiente, in Siciliam uſque pertraxit cupiditas, nèque prius miſſos fecit, quam omni potentia exuti, naveſque & portus victoribus tradere, præſidium in urbem accipere, muros longos ſuis manibus diruere coacti, quaſi mediterranei vitio moribuſque eſſe caperunt. per quam deinde mutati ſtatus tranquillitatem diutiſſime ſervata eſt civitas.* Athenienſium exemplo docet, maritimas urbes inquietas eſſe.

Conſtantior enim, Carthaginenſes, in continenti hominibus vita eſt, quæ per agriculturæ labores ſilentio tradu&a, minorem fore quæſtum, ſed certiorem atque ſecuriorem exhibet. Mihi quidem civitas maritima ſimilis omnino navigio videtur, quod nõ minus expoſita periculis & mutationibus, quam iſtud ventis fluctibuſque ſit: urbes autem mediterraneæ, quemadmodum ipſa terra, rariore motu & clementiore conquaſſantur. Hanc ob cauſſam veteres quoque Regiæ omnes mediterraneæ erant: & ob hanc maxime creverunt opibus, ut Medorum, Aſyriorumque & Perſarum, aliarumque gentium hiſtoriæ teſtantur. Conſpectum urbis ſuæ Pœnis doloris & ſimul ad res novandas foræ oſtendit.

XXVI. *Sed Regia quidẽ exempla, quæ parum ad vos hoc tempore attinent, prætermittovos autem Africam veſtram intuemini, ubi vobis licebit deligere vicinos quos optaveritis; ſimul aberitis à conſpectu eorum quæ animos veſtros recordatione præteritorum excruciant. nunc enim quoties vacuum navibus mare adſpicitis, navalium quas habuiſtis copiarum magnitudinem cogitatis, & reportatas ex longinquis regionibus manubias: & portuum, navalium, armamentariorum magnificentiam: jam vero quæ ſunt in mœnibus veſtris receptacula exercituum, equorumque & elephantorum ſtabula, quæq; juxta exædificata ſunt horrea, quarum vobis rerum monimenta ſunt, quidve aliud poſſunt, quam ut dolorem in mentibus veſtris excitent, deſideriumque, ſi qua poſſitis eandem potentiam gloriamque recuperandi? Remedium vero amiſſorum nullum eſt oblivione certius. at hæc contingere vobis nequit, niſi oculos ab eorum conſpectu abſtraxeritis. Hoc autem à me veriſſime dici, argumento eſt ipſa experientia, nam ſæpius veniæ paciſque factæ compotes, his neglectis priorem fortunam repeciviſtis. Quo animo ſi adhuc eſtis, imperiumque adfectare pergitis, temporibus inſidiantes; certum eſt indigere vos hujuſmodi urbe, talibuſq; portubus, & navalibus, & mœnibus caſtrorũ in formam diſpoſitis: ſed haud minus certum eſt, nos hominibus hoc modo affectis parcere non debere. Sin vero cupiditatem imperii bona fide ponitis, & retentaque veſtri juris eſt Africa, cæteri populo Romano vere permittitis agite, omiſſo, quod*

aliena jam ditionis est mari, vestra in terra statuite urbem, ut quam verbis præfertis obedientiam, ipso etiam opere factoque demonstretis.

Sacrorum & sepulcrorum interesse negat, urbem manere.

XXVII. *Neque enim est, ut sacrorum, & penatium, & fori, & sepulchrorum vicem deflere fingatis: nam delubra quidem & sepulchra non movemus, licebitque sacrorum & parentandi causa eo accedere, cætera vero diruamus. neque enim navalibus immolatis, neque parentatis mœnibus. domos autem & alia sacra, promptum erit vobis ubicumque eritis, condere. quod ubi factum fuerit, parvo post tempore & hæc vobis erunt patria: planè ut olim iis quæ Tyri erant relictis, hic in Africa alia instituistis, eademque nunc patria vocatis, quæ tum recens comparata fuerunt. Sed ut compendio dicam, vel hinc cognoscetis, nullo nos odio, sed quia concordiæ securitatique communi consultum cupimus, hæc præcipere: quod Albam quoque minimè hostilem urbem, imo antiquam patriam, communis utilitatis gratia diruimus, civesque Romam transtulimus. cujus rei ncutrum populum pœnituit.*

Ne incommodam quidem habitationem fore, non longe a mari remotam.

XXVIII. *Id quoque vanum fuit, quod turbam hominum victum ex mari quærentium allegastis: nam & his prospectum satis est, præterunteque facili negotio ad exportandos importandosque fructus opportunitate maris uti, non ultra ab eo quam ad decimum lapidem remoti; quum nos ipsi, qui hæc præcipimus, passuum duodecim millibus quingentis absimus. Locum autem vobis indulgemus quem legeritis, ubi libertate legibusque salvis habitetis. Hoc enim est, quod ante quoque diximus, civitatem vobis liberam mansuram, si imperata feceritis. Vos enim, non solum, atque ædificia, Carthaginem esse arbitramur.* Quum verbis hactenus factis Consul obticuisset, videretque sibi nihil à Pœnis metu exsternatis responderi, adjecit, *quæ ad persuadendum consolandumque facerent à se dicta esse: cæterum Senatus imperio, & quidem sine mora parendum. abirent igitur, & hæc renunciarent suis civibus, adhuc enim legatos videri.*

Diodor. apud Fulvium Urs. Appian.

Legati Carthaginenses petunt à Cônsulibus, ut ea sem a removent Carthagini.

XXIX. His dictis quum à lictoribus submoverentur, prosperentque animis tumultum, qui renunciata hac legatione Carthagini esset futurus, rursum dicendi veniam petiverunt; introductique dixerunt *videre se mentem Consulum inexorabilem: neque potestatem sibi concedi Romam mittendi oratores, ne ad vos quidem,* inquiebant, *licebit per nostrum populum reverti, qui tristissimæ rei nuncios, priusquam sermonem absolverimus, discerpet. Rogamus autem, non nostram vicem soliciti, quos paratos ad perferenda omnia videtis, sed ipsius patriæ cura, si forte cominus admoto armorum terrore cogi ad obsequium possit: ut interea dum proficiscimur domum, classem in conspectum urbis adducatis. ut simul à nobis audiens imperia vestra, simul Vos ad exsequendum instructos conspiciens civitas, ad subeundam hanc necessitatem, animum, si potest, inducat. Hoc enim calamitates nostræ nos populerunt, ut ipsi ad versus patriam classes Vestras advocemus.* Id quoque gratificati sunt Consules, & L. Marcius quinqueremibus viginti adnavigans, haud procul urbe oberrabat. Legatorum autem pars quo cuique melius visum desperatis patriæ rebus, diffugerunt: alii manserunt in Romanis castris: plures domum silentio regrediebantur.

Diod. Zonar. Appian. Diod. Appian.

Flebilis facies in urbe Punica.

XXX. At in urbe magna hominum multitudo muros compleverat, cunctationem eorum increpantium, comasque præ dolore vellentium: alia manus impatiens mœroris extra urbem procurrerat, quæ ubi in legatos incidit, avida noscendi quæ adferrentur, postquam mœsto vultu incedentes vidit, frontem manibus pulsans, modo

modo ab universis, modo à singulis, ut quibusque familiaritas aut notitia erat quod actum esset, requirebant. Ut vero respondit nemo: *ipsum hoc silentium*, pro diriſſimo nuncio accipientes: ut certo in exitio complorabant; quorum audito gemitu qui in mœnibus consticerant; quidquid asserretur, acerbum esse interpretati, pari & ipsi luctu insonuerunt. Jam vero postquam ad portam ventum, adeo densa incubuit turba, ut pene conculcati laceratique inter diripientium percontantiumque manus legati fuerint: donec *Senatui prius indicanda quæ ferrent* exclamarunt. Statim discedere via plerique, pars ultro submovere restitantes, ut eo celerius desiderio suo satisfieret. Ibant legati modo capita ferientes, modo sublatis in cœlum manibus invocantes quidquid deorum in mentem venerat: donec in Senatum introgressis, illoque considente submota turba curiam circumstetit. Diodorus. Appianus. Suidas. in Ἀλλόμαχος. Diodorus: Appianus. Diodorus. Appianus.

XXXI. Tum legati, ut primum exposuerunt Consulum jussa, clamor ortus est in curia, qui statim foris à populo exceptus auctusque. illis deinde narrare pergentibus, quid ipsi pro jure Carthaginis, aut misericordiæ movendæ respondissent; quibusque verbis veniam mittendæ Romam legationis orassent: iterum altum in curia silentium erat, universis exitum rei anxia quiete opperientibus. ad hoc exemplum & consistens in foro plebs tacebat. Ut vero cognitum est, ne legationis quidem impetratam potestatem esse, denuo ingenti ejulatu curia personuit; quo excitata plebs non ultra dilationem ferens irrupit & ipsa, impetuque & furore qualis bacchantium mulierum esse solet, cuncta permiscuit. Oratores legationem in Senatu exponunt.

XXXII. Non enim jam ullo dignitatis aut meritorum respectu reliquo, quidam invadebant auctores sententiæ, qua obsides erant dati; *primosque hostilis doli architectos* increpantes excruciabant lacerabantque. Alii pari crudelitate vexabant eos, qui arma tradenda censuerant. nec deerant qui legatos lapidarent, ut ferales nuncios: raptarentque per urbem corpora. ſtatimque furentis vulgi impetus in Italici generis homines incubuit: erant autem adhuc ibi; ut in subito improvisoque malo, plures; in quos varia immanitate sævientes, *pœnam se ab his obsidum, & armorum, & totius Romanæ fraudis repetere*, dictitabant. Furor commotæ plebis. Zonaras. Appianus. Zonaras. Appianus.

XXXIII. Ita commota urbe, plena omnia luctus simul & iræ & timoris, & minarum erant; strepebant viæ clamoribus chariſſima quæque nominibus cientium: in templa, tanquam asyla, confugiebatur: ibidem convicia ingerebantur numinibus, *quibus ne ad sui quidem defensionem ullæ vires essent*: multi quum in armentaria se intulissent, vacua videntes, ploratum edebant, alii ad navalia decurrentes, absentiam navium querebantur, quas hominibus perfidis tradidissent. erant qui nomina elephantorum, tanquam adhuc præsentium, inclamarent. inter hæc majores suos seque ipsos exsecrabantur, *quod elephantos, naves, tributa, arma dedissent, quos una cum patria armata potius extrema quæque pati decuisset*. Inflammabant amentium iras matronæ, quarum liberi traditi Romanis obsides fuerant, tragicarum Erinnyum instar crinibus passis urbem cum ululatu pervagantes, ut in quemque incurrerant, *liberos ab amplexu matrum raptos spretasque miserarum preces* exprobrabant. tum insanos in cachinnos effusæ, ita meritis vindictam hanc deorum gratulabantur. Maximus tumultus Carthagine.

De bello gerendo fit decretum. Liv. Epitom. Florus 2. 15. Zonar. Appian.

XXXIV. Non multos ut ex tanto numero vidiſſes, qui mentis adhuc compotes crederentur: iis tamen claudere portas urbis curæ fuit; & quia catapultæ deerant, ad arcendos aggreſſores vim lapidum in mœnia comportare. Eodem die, ut primum aliqua Senatus eſſe forma potuit, decretum de gerendo bello factum eſt: ad quod quia præſidia omnia deerant, uno præconio ſervos omnes ad libertatem & militiam vocari placuit. proxima de exſulibus cura fuit. quorum dux Aſdrubal exercitu viginti millium ſtipatus, haud procul urbe conſederat. ad hunc miſſus eſt qui rogaret, *ut injuriarum, quas neceſſitate coacta patria intuliſſet, oblitus, Carthaginenſium imperator rebus foris gerendis eſſe vellet*. In urbe cum imperio eſſe juſſus alius Aſdrubal, Maſiniſſæ filia genitus.

Zon. Oroſius 4. 22. Appian. Arma & machinæ induſtria parantur. Oroſius. Appian.

XXXV. His ita conſtitutis iterum legarunt ad Conſules, petitum *ut induciæ triginta dierum mittendis Romam oratoribus concederentur*. Qua re tum quoque denegata, prorſus inaudita audacia infremuit civitas; adeoque ſunt accenſi omnium animi, ut *vel in defenſa patria victuros ſeſe dicerent, vel in defendenda morituros*. Itaque ſtatim delubris omnibus aliiſque ampliioribus ædificiis in officinas publicas verſis, viri, fœminæ, pueri, ſenes, non die, non noctu intermiſſo labore, armis fabricandis inſudabant. & ne quod tempus ab opere vacaret, dimenſum non ſimul, ſed per partes, ſuo quiſque tempore accipiebat. Hoc ſtudio quotidie ſcuta

Strab. lib. 17. Appian. Frontin. Strateg. 1. 8. Zonaras. Florus. Plutarch. de V. ære alien. cap. 3. Strab. Zonar. Florus. Appian.

efficiebantur centena quadragena, gladii trecenti: tela quæ machinis mittuntur millena. tragulæ & lanceæ quingenæ: tum catapultarum quantum poterat. ad quas tendendas quia funiculorum erat inopia, primum ancillas raſerunt, ut ex earum capillis torquerentur; mox etiam matronæ crines ſuos hunc ad uſum contulere. ferro deinde & ære, cujus antiquitus vis magna in thelauris publicis ſuperfuerat, deficiente, ſtatuas conflatas, & pro viliore metallo aurum & argentum adhibitum reperio.

Conſulum contatio.

XXXVI. At ex diverſa parte Conſules ſive ut pœnitentiæ ſpatium furentibus darent: ſive urbem inermem quandocunque libuiſſet capi poſſe exiſtimantes, adhuc contabantur. quod enim nocæ erant neceſſitates Carthaginenſium, eventum credebant quod ſolet, ut qui pro atrocitate rei plurimum indignationis ſtatim conceperant, re diligentius expenſa ad obſequium timore deſcenderent: præſertim quum etiam Carthagine quemdam, ut de alia re dicturum, ſurrexiſſe comperiſſent, qui ad præſentem civitatis fortunam oratione deflectens, *inermi populo quod ex malis minimum foret* dixiſſet *eligendam*. Verumtamen ſpe ſua falſos, etiam Maſiniſſæ ſuperbia tædio & dolore affecit. Ferebat enim iniquo animo quod vincendæ Carthaginis quum ipſe cauſſa fuiſſet, victæ titulum Romani occupatum ibant: ne quidem ut antea facere contueverant, re cum ipſo communicata. poſtremo, quum ſibi debellandum Aſdrubalem popoſciſſet, non fuerat auditus. Quapropter Conſulibus ad pertentandum ejus animum auxilia poſtulantibus, *miſſurum* ait, *ubi vidiſſet opus eſſe*. neque multo poſt miſit quæſitum *an aliqua re indigerent*. Conſules elato Regis animo offenſi, præterea diffiſi tanquam irato, nihil reſponderunt, niſi *petituros quum egniſſent*.

Zonar. Appian.

Commeatus Romanis quam ſuis acrior. Strab. lib. 17. Appian. Liv. Epitom.

XXXVII. Et tamen commeatu non admodum amplo utebantur; quum tantum Adrumeto & Lepti & Utica ſubveheretur, duobuſq; obſcuri nominis oppidis Saxo & Acholla. nam cætera quidem Africa tota Aſdrubalis erat: iſque res neceſſarias inde mittebat Carthaginem. Quum hæc paucos intra dies ſic geſta fuiſſent,

ambo Conſules ad urbem Punicam adduxerunt copias, oppugnandique fecerunt initium. Sed antequam obſidionis ejus acta narrem, ſitum antiquæ Carthaginis qualis quo tempore oppugnabatur fuit, parteſque urbis præcipuas operæ pretium eſt eorum qui hanc hiſtoriam legent oculis ſpectanda proponere.

XXXVIII. Igitur Magna Carthago ſita fuit in ſpatioſi ſinus intimo receſſu, in peninſulæ figuram adnexa continenti, cervix quæ inter duo maria protenditur, non ultra trium millium paſſuum latitudinem patet. Ipſa peninſula quinque & quadraginta millia in circuitu habet, quod totum ſpatium muro erat per munitum. A cervice lingua paſſus circiter ſexaginta lata in longitudinem haud exiguam occaſum verſus procurrit, quæ inter mare & paludem rupibus præaltis cincta non niſi ſimplici lorica ad tutelam ſui egere viſa fuerat, ſed qua meridiem terramque ſpectabat locus, ubi Byrſa quoque fuit, arx Carthaginis, triplex fuit murus circumdatus, in altitudinem triginta cubitorum, qua propugnacula & turres non erant additæ: his enim ad alios quoque cubitos decem creſcebant mœnia: quorum turres binum maxime jugerum ſpatio inter ſe diſtabant, ad contignationes quatuor eductæ, pedum triginta altitudinem habentibus fundamentis. Deſcriptio Magnæ Carthaginis. Strab. lib. 17. Appian. Oroſ. 4. 22. Strab. Appian. Juſtin. 18. 7. Diod. lib. 32. Oroſius. Appian.

XXXIX. Ipſa mœnia binis diſtincta tabulatis, interius cava recipiendis elephantis ſtabula erant ſtructa, adjectis etiam horreis ad pabula ipſorum adſervanda. Similiter in ſuperiore ſpatio ſtabulare poterant equorum millia quatuor, cum ſuo & ipſi penu. Præterea militum ibidem erant cubilia, quæ peditum viginti millia caperent, equitum quatuor. Tantus hic apparatus ſolo mœnium ſpatio continebatur. Sic tota eorum latitudo ad duos & viginti cubitos pertinebat. In tam accurata munitione urbis unus tantum angulus, qui ex muro præter linguam de qua dixi, ad portus deflectebat, infirmus erat, & jam inde ab initio neglectus. Mœnium ſtructura admirabilis. Strabo. Appianus. Diodorus. Appianus.

XL. Portuum autem hic erat ſitus, ut ex altero in alterum navigari poſſet, & à mari venientibus aditus eſſet paſſuum ſeptuaginta, qui catenis ferreis claudebatur. Prior horum portuum negotiatoribus patebat, multiſque & varii uſus tabernis erat inſtructus. in interiore jacebat inſula rotunda, cui « *Cothon* erat nomen, (quaſi parvam diceres) crepidinibus magnis & ipſam & portum continentibus. in his crepidinibus loca erant manufacta recipiendis navibus, quarum ibi ſtare ad ducentas viginti poterant: & ſupra ipſa navium receptacula, ſtructæ erant cellæ, quibus armamenta & ſupellex nautica claudererur. ab uniuſcujuſque ſtationis lateribus prominebant columnæ operis ſonici, ſpeciem porticus undique reddentes viſentibus. In ipſa inſula tabernaculum erat præfecto claſſis, unde ſignum tuba dabatur, & præco edicebat, & præfectus ipſe proſpiciebat. nam in primo portus ore quum poſita eſſet inſula, ſic ipſe prætendebatur, ut in mare proſpectus præfecto late pateret, & contra adnavigantibus interiora portus viſu impenetrabilia eſſent. ne intrantibus quidem negotiatoribus ſtatim in conſpectu erant navalia: duplici enim muro cingebantur: & in urbem accedere ex ſuo portu mercatores per aliam viam poterant, quam quæ per navalia ducebat. Hæc antiquæ Carthaginis forma fuit: qua in urbe tum temporis hominum ad ſeptingenta millia numerabantur: cujus adhuc imperium trecentæ per Africam urbes agnoſcebant. Portuum ſitus Strab. Appian. Strab. Appian. Strab. Appian. Appian. Zonar. Appian.

Consules Carthaginem oppugnant.

XLI. Sed Romani Consules nihil aliud quam exarmatam esse cogitantes, minimi laboris expugnationem eam futuram arbitrabantur. ideoque nulla de re nisi scalis comparandis soliciti, his effectis ad oppugnandam urbem proficiscebantur: partibusque inter se divisis, Manio quidem à continente per cervicem fossa implenda, loricaque super fossam, & deinde murus sublimior superandus evenerat. L. Marcius ad infirmum muri angulum ex terra simul navibusque scalas admovebat. Nihil tam contra opinionem evenire cuiquam potest, quam quod eo tempore Consulibus Romanis evenit; cum muro tantum & inermibus pereuntisque defensoribus negotium sibi futurum raeis. ergo ubi novis armis instructa manus ubique se objecit, fortissime pro mœnibus propugnans, inopinata re perterriti retrocesserunt, renovata deinde impressione, quum nihilo magis profecissent; Carthaginenses quidem confirmati sunt animis, Consules autem metu Asdrubalis, qui à tergo ipsorum supra paludem haud longe à Romanis cum exercitu consederat, bina & ipsi castra munire sunt aggressi: L. Marcio supra paludem sub mœnibus urbis: Manio in ipsa cervice ducentis ad continentem viæ vallum jacientibus.

Zonar. Appian.

XLII. Per eos dies L. Marcius machinis opus esse videns, materiæ cædendæ causa paludem trajecit. Sed immissus ab Asdrubale præfectus equitum Himilco, cui Phamæas cognomen, acer juvenis, ad quingentos eorum qui in opere erant occidit, armaque multa (cujus rei penuria maxima tum laborabant Pœni) cepit. Absportata tamen materiæ vis est, quanta parandis quæ desiderabantur machinis sufficiebat: quibuscum iterum adorti sunt urbem ambo Consules, iterumque re infecta discesserunt. quippe Manius, qui à terra oppugnabat, quum magno labore vix loricæ oppositæ partem dejecisset, nihil ultra tentare ausus, abscessit. L. Marcius aggerato margine paludis juxta linguam, quò plus ad machinas admovendas esset spatii, duos adhibuit vastæ molis arietes, quorum alter à sex millibus peditum impellebatur, alter à navalibus sociis: his præfecti triremium, militibus peditum impellebatur, alter à navalibus sociis: his præfecti triremium, militibus tribuni præerant. Sic inter diversa genera oppugnantium æmulatione virtutem stimulante, pars aliqua muri cessit, ut jam interiora urbis conspicerentur. Sed plus auxilii Carthaginensibus animorum firmitudine, quam in mœnibus fuit.

Romani machinas ædificant. Zonar. cap. 47. Appian.

Zonar. Appian. Zonar. Appian.

XLIII. Repulsis ergo qui conati fuerant irrumpere, collapsam muri partem noctu instaurare cœperunt: deinde considerato neque noctem operi sufficere, neque recentes & udos adhuc muros Romanorum machinis resistere posse; ad has corrumpendas eruptionem per ruinas fecerunt, aliis nihil præter faces accensas ferentibus. & incendi quidem machinæ non potuere, accurrentibus ad arcendum hostem Romanis: inutiles tamen sunt redditæ; & nullitum aliquis numerus desideratus. orta luce, Romanos impetus cepit in urbem perrumpendi, qua nondum commissa murorum latera ostentabant iter. nam aream quamdam intus videbant, in qua explicari acies posset: ibi Carthaginenses instructi stabant, armatis in fronte, post hos inermibus collocatis, qui fustes & saxa portabant: circum ædes quoque vicinas magnum dispositurum numerum, qui à lateribus irrumpentes incesserent. At Romani magis etiam hoc spectaculo animabantur, pudore quoque incitante,

Zonar. Appian. Zonar. cap. 47.

Eruptio Carthaginensium. Appianus. Zonar. Appianus. Zonaras.

ne ab inermibus contemni paterentur. Itaque duo tribuni militum cum cohortibus alacriter intulerunt signa. Sed P. Scipio Æmilianus, quem in quarta legione tribunum Consul Manilius adduxerat, altiore consilio rei difficultatem mensus, introire suos vetuit: & plures in partes divisos circa murum constituit; quumque pellerentur, ut prævideràt, Romani, recipiebat eos, hostemque cupide incumbentem, objecta recenti armatorum manu, à persequendo deterrebat. Ista res Scipioni prima earum quas ad Carthaginem gessit, patefecit ad gloriam iter, quod eventura certius acutiusque quam ipse consul providisset. Liv. Epitomē. Cicer. in Somn. Liv. Epitom. Orosius cap. 4. 22. 5. Appian. Zonaras.

XLIV. At Romanos angebat tum irriti incœpti pudor, tum alia non pauca incommoda. neque enim longius a castris ad varios usus Asdrubalis & Phamææ metus sinebat digredi: nec auxiliis Masiniſſæ sublevabantur: & Marciana castra stantibus & graveolentibus aquis impositа morbo tentabantur: neque liberum ex mari cursum imminentia urbis mœnia permittebant. Hæc L. Marcium ex loco quem castris ceperat, in mare transferre classem coegerunt. Carthaginenſes observato qui mare versus ferebat vehementi vento, scaphas sarmentis stuppisque repletas, sub muris, donec videri ab hostibus non poterant, rudentibus protrahebant: deinde ubi flexere sinus & jam in conspectu Romanorum erant, sulfure ac pice perfusas, igne injecto ventis permiserunt. Atque illæ velorum & flammæ impetu in classem Romanam momento delatæ, non ita multis effugientibus navibus, cæteras exusserunt. Jamque comitiorum tempus instabat, quorum causa profecturus domum Consul Marcius, quum obiter maritima loca vastare vellet, nullum memoria dignum eventum habuit: nisi quod Ægimurum (inter Siciliam & Africam insula est) prætervectus, deinde subito reversus, in potestatem redegit. Romani malta incommoda patiuntur. Appianus. Liv. Epitom. Zonar. Strabo. lib. 17. Zonar.

XLV. Sed Carthaginenſes discessu alterius Consulis dimidiato timore, Manium acrius audaciusque infestabant. Semel nocte facta eruptione, fossam adversus se ductam, per tabulas quas eum ad usum portaverant, superarunt, vallumque adgressi sunt convellere. Jamque in magna consternatione res exercitûs erant, nocte tumultum augente, & morante consilia ac imperia, quum P. Scipio cum equitibus per aversam ab hoste portam egressus, terrorem injecit Hannibalianis; quorum quum haud pauci, maxime ex inermibus, cecidissent, reliqui recessissent intra muros, P. Scipio servatorum eo tempore castrorum præcipuam gloriam tulit. Ab hoc prælio timidior factus Consul majori diligentia castra communiit; loco valli muro circumducto, & ad mare castello excitato, quod appellentibus cum annona onerariis præsidium esset. Pœni erumpentes à Scipione repelluntur. Liv. Epitom. Appianus. Livii Epitom. Appianus.

XLVI. Inde in mediterranea loca suscepit expeditionem, lectis ad hoc decem peditum, duobus equitum millibus, ibatque per agros hostium populabundus: hoc instituto, ut quoties lignatum, aut pabulatum, frumentatumve pars copiarum emitteretur, tribuni militum, sua quisque vice præssent. Id quoque Scipionis famam comparatione cæterorum illustravit. Cum Phamæa negotium erat, viro perstrenuo, qui ætate & audacia promptus, cum equis parvis & celeribus, ad famem sitimque ferendam adsuefactis, si modi co interim gramine reficerentur, omnia quotidie intura infestaque Romanis efficiebat. Sæpe longissime abesse creditus, in propinquis arbustis, valliumve confractibus latitabat; unde simul alicubi remissum aliquid neglectumve senserat, in morem aquilæ Romanorum expeditio in mediterranea. Zonar. Appianus. Suidas. in Ἀνάπαυσις

Suidas. in ἐπιψηφίσεις. Appian.

provolabat: damnoque quanto poterat dato, priusquam circumveniri posset, iterum dilabebatur. Sed idem, quoties Scipionis esse vices senserat, nusquam comparebat. Is enim nunquam aliter nisi instructa velut ad prælium acie iter faciebat: deinde quum ad campum quem demessurus venerat, accessisset; ante omnia equitum & gravis armaturæ firmis stationibus cingebat locum: eum reliquo equitatu ipse continuo obibat messores, & si quis secretus ab aliis, aut extra præsidia vagatus deprehenderetur, eum severe castigabat.

Scipionis virtus & gloria. Cap. 49. Suidas. in διαφθονεῖσθαι. Appian.

XLVII. Horum quum Phamæas nesciret nihil, hunc solum ex omnibus timebat adgredi, quod ubi in morem, & ex more in famam vertit, invidia correpti cæteri tribunorum, *Phamæam, ob avitum hospitium, quod ei cum Scipionibus esset, à lacessendo Æmiliano abstinere* commenticebantur. Sed nimirum frustra premit virtutem invidia; quod illa semper sui similis, & in quavis occasione prompta sæpe invenit gloriæ locum, ubi hæc nullum invenit calumniæ. Igitur nequidquam oppugnata Scipionis fama, apud militem, apud hostem quotidie fiebat clarior, quum non modo suis laudibus, sed etiam vitiis inimicorum commendaretur. Afris enim in castella turresque, quarum ea in regione magnus erat numerus, confugientibus, reliqui tribuni fidem dabant se dedentibus, fallebantque. at Scipio magna salutis eorum cura domum illæsos deducebat; unde

Diod ap. Val. Appian. Diodor. apud Valesium. cap. 38. Zonaras. Liv. Epitom. Appian.

postea nemo se Romano cuiquam, nisi præsente Scipione dedere voluit, tantum brevi tempore tam apud cives quam apud hostes virtus ejus fideque incrementum gloriæ habuit.

Pœni castellum quoddam oppugnantes à Scipione deterrentur. Liv. Epitom. Appian.

XLVIII. Post hanc expeditionem quum Carthaginem ad castra revertisset Consul, castellum Romanorum, quod ad tutelam navium extædificatum erat, noctu à Pœnis oppugnatum est cum maximo clamore, quem non pugnantes modo, sed etiam qui relicti in urbe fuerant; ad distrahendum hostem tollebant. processeratque ipsis inventum suum, ni Scipio in exercitu fuisset. Quippe Consul ancipiti tumultu, quod periculum & ubi esset dubitans, ne hostilibus insidiis daret locum, suos in castris continebat. Scipio autem adlumpris equitum haud amplius duabus alis, cum accensis facibus accurrit, edicto suis, ne quis per tenebras cum hoste concurreret, sed tantummodo eum facibus obequitantes, multitudinis speciem Pœnis, & tanquam aggressuri metum facerent, hoc commento perturbatis hostibus, & in oppidum refugientibus, castellum periculo liberatum est.

Zonaras cap. 40. Appian. Liv. Epitom. Appian. Liv. Epitom. Appian. Consul contra Afdrubalem proficiscitur.

XLIX. Consul quum hinc frequentibus Pœnorum eruptionibus, inde incursu Afdrubalis nocte dieque fatigaretur, in hunc convertere impetum statuit: eo devicto, cætera sibi ad victoriam proclivia fore arbitratus. Nepheris erat castellum situ & opere permunitum, ad quod castra habebat Afdrubal. dissuadebat expeditionem Scipio, quod per iniquum saltum superioribus ab hoste locis occupatis, eundum esset. verum victus diversa per invidiam suadentium consiliis, ipse quoque iter est ingressus. minus jam passibus quadringentis ab hoste aberant, quum amnis se objecit, qui castra Afdrubalis petentibus transeundus erat.

De ea expeditione Scipionis & aliorum tribunorum dissensu.

L. Ibi quum agmen necessario constitisset, iterum institit Scipio, ut reverterentur, *alia occasione aliisque æquibus adversus Asdrubalem opus esse* dictitans. reliquis autem tribunis magno studio repugnantibus, *timiditatique rem se-*

meliorem quam consilio futuram dicentibus, *si conspecto hoste retrocederent, idque nec impune facturos, illo terga tanquam fugientium contemptim invasuro*: iterum petiit, *saltem castra citra amnem ponerent, quo si pellerentur, quod omnino futurum* adfirmabat, *receptus tamen esset, sic quidem nec fugæ locum habituris*. At illi hanc quoque sententiam irridebant. funtque, qui minaretur *abjecturum se gladium, si quidem non Consuli Manlio, sed tribuno Scipioni parendum esset*. Manius igitur, vir nec alias multæ in bello experientiæ, confirmatus plurium sententiis, transcendit flumen. Cui quum occurrisset Asdrubal, magna utrinque cædes facta est, donec Asdrubal omissa pugna in castellum se recepit, ubi ex tuto tempus observabat turbandi regredientes. Liv. Epitom. Appian. Zonar. Appian. cap. 41.

LI. Romani quos jam consilii sui pigebat, donec impedimentum itineri nullum occurrit, servatis ordinibus discessere. ubi ad amnem ventum, isque paucis locis vadari & difficulter poterat, necessario distractum turbatumque agmen est. quod simul intentus hostis vidit, tum primum totis viribus incubuit, paucosque pugnantes, plures fuga palatos interfecit. sed & tribuni tres cecidere, ii ipsi, qui malæ pugnæ præcipui auctores fuerant. At Scipio cum trecentis quos secum habebat equitibus, aliisque quotquot colligi celeriter potuerant, cursu duxit in hostem, duas in turmas divisos, prænonitosque *ut alternatim capesserent pugnam, emissisque jaculis se reciperent*; sic enim fiebat, ut uno recedente globo alter extemplo succederet; neque hosti quies ulla daretur: multique Afrorum continuo telorum jactu convulnerarentur. Ita dum in se plurimos hostium abstrahunt Scipionis equites, exercitus minore cum impedimento cis fluvium se recepit: tum demum concitatis equis vadum petiit Scipio, & quamquam densus in eum telorum imber mitteretur, incolumis in citeriorem ripam penetravit. Romani turbantur, & a Scipione servantur. Zonar. Appian.

LII. Acciderat autem, ut in primo ingruentium hostium tumultu, cohortes quatuor à cæteris divulsæ in quemdam tumulum confugerent: eæ ab Asdrubale circumsidebantur, ignaris adhuc Romanis, donec in stativa perventum est. Tum consilio advocato plerisque rectius visum, *urgeri cæptum iter, neque causa paucorum cunctos in periculum conjici*. donec Scipio dixit *hunc sibi semper animum fuisse, ut antequam discrimen subiretur, etiam atque etiam cogitandum existimaret, non magis quemadmodum læsi hostis posset, quam suo quomodo minimum ab hoste læderentur. Sed rebus eo deductis, ut tot cohortes signaque periclitentur, optimum consilium putare non consulere, sed quæ res atque tempus postulet celeriter ac strenue peragere: Ergo si me paucas equitum alas legere sinitis, aut hos*, inquit, *mecum incolumes adducam, aut ego cum illis lætus lubensque mortem oppetam*. Accepto deinde bidui commeatu statim se commisit itineri, maximo cum metu universi exercitus, ne & ipse amitteretur. Cohortes quatuor ab Asdrubale circumsidentur. Liv. Epitom. Appian. Sardans in Aquæ. Diod. apud Valesium. Appian.

LIII. Ut vero ad obsessum ab hoste collem ventum est, oppositum illi tumulum cursu cepit: ut inter utrosque tantum vallis interesset. Tum vero Afri omni conatu expugnare collem sunt adgressi, priusquam resumptis ex itinere viribus succurrere Scipioni equites possent. At ille, qui per radices tumulorum circumiri posse vallem interjectam animadverterat, nihil contatus, qua patere viam videbat, strenue in hostes incurrit. illi ne inter duo Romana agmina medii clauderentur veriti, non solum cessere loco, sed effusa fuga dilapsi sunt. Scipio ser- A Scipione eripiuntur.

vasse suos contentus, neque Afros numero longe superiores persequi curæ habuit, & cum liberatis obsidione cohortibus ad exercitum reversus est. ubi quum præter spem omnium non modo salvus ipse, verum etiam servator aliorum conspiceretur, maximus præ gaudio sublatus est clamor, virtutem ejus fortunamque cunctis admirantibus, tanquam exemplo superiorii Africani (de quo creditum idem fuerat) divino quodam instinctu futura præsentiscret, omnibusque in conatibus suis præsentem numinis favorem experiretur. obsidionali corona donatum ob servatas cohortes Scipionem Varro tradidit: statuæque Scipionis in foro suo postea adscripsit Augustus.

Tribunos occisos in honorem cipionis sepelit Asdrubal. Plinius.lib. 6. Auctor. de Vir. illustr. Diodorus. ap Vales. Appian. Diodorus. Appianus.

LIV. Uni inter hæc tam læta querelæ caussam præbebant insepultæ militum interfectorum corpora, præsertim tribunorum qui occubuerant vicem miserantibus. & hinc quoque Scipioni laudis materies fuit: qui permissu Consulis per captivum vinculis solutum Asdrubali scripsit, ut tribunos sepeliret. Atque ille requisitos inter cadavera, & agnitos ex annulis aureis (nam vulgus militum ferreos gestabat) tumuli honore adfecit, lectaque eorum ossa remisit ad Consulem; sive humanitate quadam, sive, quod moribus hominis proximius est, surgentem Scipionis magnitudinem jam tum incipiens adulari. Magnam haud dubie res hæc existimationem Scipioni circumdedit, quem unum præ omnibus Romanis etiam apud hostes in honore esse videbant.

Scipionis laudes ubique incrementum.

LV. Consul ad castra, quæ sub Carthagine habebat, reduxit exercitum, multa passus ob errorem, quo consilia Scipionis neglexerat. nam super priora incommoda, recedentibus ab Asdrubale Phamæas molestus fuit: & Carthaginenses in postremum castra intrantium agmen eruperunt, impedimentorumque pars ante ipsa munimenta amissa est. Dum ista maxime aguntur, ab Senatu legati ad inspiciendas res Africæ venerunt: citoque cognitis omnibus, in Urbem reverterunt laudibus Scipionis onusti. Nam & Consul & consilium, & tribunorum superstites, cedente jam meritæ felicitati invidia, & universus denique exercitus testimonium ei verum præclarumque dabant, & rerum ipsarum præsens fides id honoris dignissimo haberi ostendebat. Lætus favensque accepit ista Senatus, & ipse Cato, vir promptioris ad vituperandum linguæ, Græci poëtæ verbis, *reliquos velut umbras oberrare* dixit; *Scipionem solum sapere ac vigere.* unde tantum ei nomen tantusque favor apud populum Romanum esse cœpit; ut comitiis multæ tribus Consulem eum facerent, quum ab ætate Consulari, quam leges postulabant, plurimum abesset.

Livii Epitom. Plutarch. Catron. cap. 9. & Apoſthegm. Hom. cap. 20. Polyb. apud Suidam. *v. ἀγνοεῖται.*

LVI. Ne legum quidem auctoritas plus quam in unius anni moram valuit: in quem Sp. Posthumius Albinus Magnus, L. Calpurnius C. F. C. N. Piso Cæsonius, sunt designati. Clarum hoc tempore judicium in Urbe Ser. Sulpicii Galbæ fuit, qui nuper in Hispania pro prætore Lusitanos diripuerat. Ei L. Scribonius Libo tribunus plebis diem dixit: idemque rogationem privilegio similem promulgavit. *Ut Lusitani, qui in fidem populi Romani dediti, à Ser. Galba in Galliæ venissent, in libertatem restituerentur.* Eam M. Cato, qui à tempore Consulatus, in Hispania exacti, patrociniam ejus provinciæ susceperat, acerrime suasit, nonaginta circiter annos natus, sed corpore adhuc sufficiens, animo accensus, *quod tantam rempublicam agier arbitrarctur.* Hæc enim verba sunt orationis, quam paucis ante mortem diebus an mentibus habitam, septimo originum

Galba accusatur, subscriptore Catone. Appian. Hispan. Cornel. nepos in Caton. Val. Max. 8. 1. 2. Liv. Epitom. Tacit. 3. 66. Cicer. divin. cap. 20. Agellius 13. 25.

ginum suarum libro inclusit. Reum defendebat Q. Fulvius Nobilior, qui & ipse ob res in eadem provincia perperam administratas, sæpe laceratus in Senatu à Catone fuerat. Cicer. Brut. cap. 23. Agellius. l. iv. Epitom.

LVII. Sed ipse maxime Galba, quum se damnari videret, flexit populum & facundia, qua ut inter illius ætatis oratores excelluit; & magis artificio concitandæ misericordiæ, quum duos filios prætextatos, & filium C. Sulpicii Galli cujus tutor erat, complexus, *nihil pro se recusare* diceret, *sed suos liberos, sed propinquum suum, memoria clarissimi patris favorabilem, populo Romano commendare, ac tanquam in procinctu testamentum faceret, sine libra atque tabulis populum Romanum tutorem instituere eorum orbitati.* Sic mitigata concione, petentibus inimicis, & incumbenti ad perniciem ejus Catoni à populo ereptus est, quum pene nullum triste suffragium habuisset, qui paulo ante consensu omnium periturus videbatur. Ferunt divitias ei auxilio fuisse ne damnaretur: sed ipse Cato scribit, *nisi pueris & lacrumis usus esset, pœnas ei datarum fuisse.* Mira arte absolutionem invenit. Quintil. de corrup. Eloq. cap. 25. Liv. Epitom. Quintil. in Tit. 2. 2. 6. Cic. Brut. cap. 23. Cic. de Orat. 2. 53. Val. Maxim. Cic. pro Murena cap. 31. Val. Maxim. Appian.

LVIII. Galbæ de hac causa orationes tres sunt editæ: duæ adversus Libonem tribunum plebis, rogationemque ejus: una contra L. Cornelium Cethegum (qui & ipse in Galbam subscripserat) in qua *Lusitanos prope se castra habentes cæsos* fatetur; *quod compertum habuerit, equo atque homine suo ritu immolatis, per speciem pacis adoriri exercitum suum in animo habuisse.* Infamia Magistratuum, nam ab aliquot annis multi, ob provincias avare administratas, accusati fuerant, quum optimi cujusque sermonibus traduceretur, occasionem legi dedit, per quam soeiis ereptas sibi pecunias recuperare liceret. Tulit L. Calpurnius Piso tribunus plebis, qui nescio an ob factum primus Frugi cognominatus est. Hæc rogatio diutissime servata est ob summam utilitatem. fuerunt certe paucæ leges æquiores, quando etiam bonæ pleræque ita comparatæ sunt, ut nocentes puniant, non ut læsis opitulentur. Cicero. de Orat. 2. 53. Liv. Epitom. Lex Calpurnia de repetundis lata. Cic. divin. cap. 5. Cic. Brut. cap. 27. Cic. pro Font. Cap. 13.

LIX. Sub idem tempus Macedonia atque Thracia magno rerum novarum motu concussæ sunt ex levibus principiis. Andriscus qui se Philippum Persei filium vocabat, exinde *Pseudophilippi* nomine notior, quum in custodia Romæ haberetur, clam elapsus, & in Macedoniam profugus, apud homines regio imperio assuetos, & post illud eversum perpetuis seditionibus agitatos facile fidem favoremque invenit. Fabulam autem hujusmodi finxerat. *Expellice se & Perseo rege ortum, traditum educandum Cretensi cuidam esse, ut in belli casus, quod ille cum Romanis gereret, aliquod semen stirpis regiæ extaret. Perseo demortuo, Adramytti se educatum usque ad duodecimum annum ætatis, patrem eum esse credentem, à quo educaretur, ignarum generis fuisse sui. affecto deinde eo, quum prope ultimum finem vitæ esset, detectam sibi tandem originem suam, falsæque matri libellum datum signo Persei regis signatum, quem sibi traderet, quum ad puberem ætatem venisset; obtestationesque ultimas adjectas, ut res in occulto ad id tempus servarentur. puberescenti libellum traditum: in quo reliqui sibi duo thesauri à patre dicerentur. tum feinctem mulierem, subditititum se esse, veram stirpem ignoranti edidisse genus; atque obtestatam, ut prius quam ad Eumenem manaret res, Perseo inimicum, excederet iis locis, ne* Andriscus quidam Persei se filium esse mentitur. Polyb. apud Euseb. L. Simpelius. Liv. Epitom.

Pseudophilippus Macedoniam occupat.

interficeretur, eo se exterritum, simul sperantem aliquod auxilium à Demetrio, in Syriam se contulisse: atque ibi primum quis ipse omnino esset, palam exponere ausum.

Macedoniam brevi totam occupat. Florus. 2. 14. Zonar.

LX. Aderat juveni forma, quæ Persei filium non dedeceret, si ex similitudine liberi æstimarentur. His confisus antea quoque sed clanculum sollicitaverat Macedonum animos, neque motus est quisquam, sive quod fidem fabulæ haberet nemo, sive Romani metuebantur. Tum autem ipso liberationis suæ miraculo, deinde opportunitate temporum, quia belli Punici gravia Romanis initia fuerant, primo credulos, mox dubitantes impulit: postremo, quidquid factionibus corruptum erat, confluxit ad eum, multæque jam urbes, tanquam servato divinitus Regi parebant. ita contracto exercitu, Regium assumpsit habitum, & in arce Regni paludatus jus dixit. Inde profectus in Thraciam, multos ex liberis populis, quosdam etiam regulos imperium Romanum gravatos in commilitium traxit; horumque ingentibus auxiliis validus totam Macedoniam aut voluntate incolentium, aut armis occupavit.

Vellejus 1. 2. Liv. Epitom. Zonar. Florus Liv. Epitom.

JOH. FREINSHEMII SUPPLEMENTUM *Libri L. LIVIANI.*

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.

ESSALIA, quum & illam invadere armis atque occupare Pseudophilippus vellet, per Romanorum legatos auxiliis Achæorum defensa est. Prusias rex Bithyniæ, omniumque humillimorum vitiorum, à Nicomede filio, adjuvante Attalo rege, Pergami occisus est. Habebat alterum filium, qui pro superiore ordine dentium, enatum habuisse unum os continens dicitur. Quum legatos ad pacem inter Nicomedem & Prusiam faciendam Romani misissent: & unus ex iis caput multis cicatricibus sparsum haberet, alter pedibus æger esset, tertius ingenio socors haberetur; dixit Cato, eam legationem, nec caput, nec pedes, nec cor habere. In Syria, quæ eo tempore ex stirpe generis Persei regis Macedonum, inertia socordiaque similem Prusiæ regem habebat; jacente eo in ganeo & lustris, Ammonius regnabat, per quem & amici omnes regis, & Laodice regina, & Antigonus, Demetrii filius, occisi. Masinissa, Numidiæ rex, major nonaginta annis, decessit; vir insignis. Inter cætera opera juvenilia, quæ ad ultimum edidit, adeo, etiam versus in senectam, vivit, ut post sextum & octogesimum annum filium genuerit. Inter tres liberos ejus maximum natu, Micipsam, Gulussam, Manastabulem, qui etiam

Græcis literis eruditus erat, P. Scipio Æmilianus (quum commune eis pater regnum reliquisset, & dividere eos arbitro Scipione jussisset) administrationem regni divisit Item Thamæ Himilconis, præfecto equitum Carthaginensium, viro forti, & cujus præcipua opera Pœni utebantur, persuasit; ut cum equitatu suo ad Romanos transiret. Ex tribus legatis qui ad Masinissam missi fuerant, Claudius Marcellus, coorta tempestate, fluctibus obrutus est. Carthaginenses Asdrubalem Masinissæ nepotem, quem prætorem habebant, proditionis suspectum, in curia interemerunt; quæ suspicio inde emanavit, quod propinquus esset Gulussæ, Romanorum auxilia juvantis. P. Scipio Æmilianus quum ædilitatem peteret, Consul à populo factus, quoniam per annos Consulem fieri non licebat, cum maximo certamine, suffragantibus plebeis, & repugnantibus aliquandiu Patribus, legibus solutus, & Consul creatus est. M. Manilius aliquot urbes circumpositas Carthagini expugnavit. Pseudophilippus in Macedonia, cæso cum exercitu P. Juvencio prætore, à Q. Cæcilio victus captusque est: & recepta Macedonia.

I. SP. Posthumio Albino, L. Calpurnio Pisone Consulibus, tantum animorum novo Macedoniæ Regi accesserat, ut ad vicinas quoque regiones extenderet manus; magnitudinem imperii, quibus finibus nuper Philippus ante bellum Romanum tenuisset, cupiditate speque complexus. Ille modo mercenarius, incertæ libertatis, qui nihil ab infancia nisi sordidum & humile viderat, anguste sibi nominari videbatur, si intra Macedoniæ terminos potentiam coerceret. adeo nimirum amplas opes ex nullis, & ingentes ex mediocribus, non tam appetere magni animi, quam omittere moderati & sapientis est. Thessalia proxima Macedoniæ, & diu ditionis ejusdem, quum ad commoditatem invadendi, tum ad juris speciem, omnibus aliis Græciæ regionibus visa est opportunior. In hanc transgressus haud exiguam ejus portionem in fidem receperat: neque dubitabatur, quin sequutura cætera essent, ni legatum Romanorum ruinæ in modum præcipitanti defectioni consiliis & armis occurrissent. Urb. cond. 605. Floru s. 14. Andrisceus Thessaliam invadit. Liv. Epitom. Zonaras. Liv. Epitom. Zonar.

II. Nam Romæ ubi certis nunciis de progressibus Andrisci auditum, contempta cousque res, diligentiore cura tractari cœpit: placuitque Senatui *legationem mitti, quæ in nascente adhuc & nondum confirmato malo daret operam, ut motus iste lenibus remediis, docendo meliora, spemque veniæ deceptis ostendendo, consideret.* Nemo visus ad hæc P. Scipione Nasica melior, neque cui ad homines blande cogendos, plus existimationis & facundiæ, & dexteritatis esset. Idem neque bellicæ laudis inops, si res armis eguissent, hæc quoque paraturus auctoritate, recturus prudentia credebatur. Scipio simulatque Græciam attigit & quo in statu res Macedonum Thessalorumque forent, certis auctoribus cognovit, perscriptis his omnibus diligenter ad Senatum ipse sociorum adiit concilia; copias quibus Thessaliam tutaretur contrahens. Promptissima & maxima ab Achæis auxilia venere, qui tum adhuc plurimum inter Græcos viribus valebant. Senatus Scipionem Nasicam in Græciam mittit. Livii Epit. Mox Juventium prætorem cum exercitu. Zonar.

III. Cum his ingressus Thessaliam, præsidia Andrisci passim exturbavit, & receptis quæ tenuerat omnibus, ad fines usque Macedoniæ signa promovit.

Romæ interea perlatis lectisque Nasicæ literis, compertoque majores opinione tumultus in Macedonia esse, P. Juventio Thalnæ prætori negotium à Senatu datum est, *ut primo quoque tempore conscripto exercitu, ad liberandam Macedoniam proficisceretur*. Moram neque ipsum hoc negotium pati videbatur, & periculum erat, ne alibi quoque turbatis sociorum regnis, rerum novarum exordia, nunquam negligenda præpotentibus, nascerentur. Apud Bithynos maxime Syrosque bellum aut bello non melior pax erat: magis ob culpam regnantium, quam ullas externas causas statu regnorum vacillante. Bithyniam adhuc minime laudato regimine Prusias obtinebat. Multa cum vitia corporis morumque dehonestabant, illiberalis facies, statura enormiter brevis, membra muliebri cultu indecora. nam pudendo luxu dies noctesque continuans, animumque & corpus sic effeminaverat, ut nec ad pericula bellorum quidquam ei constantiæ, neque ad ferendos labores roboris superesset. Venationis tamen studiosus, unde & nomen Cynego fuit, sic quoque insuavis popularibus, quum voluptatem virtuti similimam per luxuriam & sumptus ignavia sua mollitieque insamaret.

Appian. Syriac. Diod. apud Valesium. Polyb. apud Valesium & Suidam. Appian. Polyb.

Prusiæ Bithyniæ Regis vitia.

IV. Tales autem Reges nulla ferme gens æquo animo patitur: Bithynii cæteris etiam minus, durum genus, & remisso imperio haudquaquam tractatu facile. Sed & in libidines præceps, omni genere fœditatis corpus commaculabat. Summa inter hæc bonarum artium imperitia, neque sapientiæ studiis ullus apud ipsum honos, neque sermonum ejusmodi patientia aut intellectus erat. Quapropter quotidie in pejus mutatus, omniumque etiam humillimorum vitiorum infamia obrutus, in tanto jam suorum odio & contemptu esse cœperat, ut parva occasione oblata, non ad regnum ei modo, sed etiam ad vitam eripiendam concurreretur. Filium habebat Nicomedem, gratum vulgo, vel ideo quia mali Regis filius, ipse nondum imperaverat Prusiæ crudelitatem (nam & hoc inter cætera vitio laborabat) ea quoque stimulabat cura, ne Bithynii novum imperium, moresque filii nondum cognitos experiri, quam sævi luxuriosique senis immedicabilem pravitatem diutius tolerare mallent. Accedebat & studium consulendi alterius uxoris liberis: quorum ætati Nicomedes, firma ipse juventa, gravis imminebat.

Liv. Epitom. Polyb. Appian.

Zonar. Justin. 34. 4.

Filium Nicomedem interficere studet. Zonar. Appian.

V. Igitur, quanquam pridem ut ab oculis hominum amoveret juvenem, in urbem Romam eum miserat, ne sic quidem tranquillo erat animo, maxime quum ibi quoque valere eum gratia & amicitiis principum intellexisset. Itaque varie versans animo, utrum ex vita filii potius, an ex morte fructum perciperet (erat enim ad callida consilia minime hebes) Menam quemdam ex amicis Romam mittit, datis ad Nicomedem mandatis, ut ipse & Menas, tanquam legati patris, adito Senatu, *remitti pecuniam* postularent, *quæ ex postremæ Pacis legibus Attalo debebatur*. Id si esset effectum, parci filio jubebat: sin vero nil obtinuisset, ne dubitaret eum Romæ interficere. hunc in usum, & quo minore periculo facinus perageret, cercuros aliquot Menæ, militesque ad millia duo attribuit. Missus & ab Attalo est Andronicus, coque docente, *minorem imperatam esse pecuniam Prusiæ, quam ipse ex agro Pergameno rapuisset, nihil esse remittendum Senatus censuit*.

Polyb. Appian. Zonar. Appian.

Ea insidiæ in caput Prusiæ vertuntur.

VI. Menas quum acceptum Romanis Nicomedem de medio tollere peri-

cuſoſum eſſet, neque tutius ad Regem mandato ejus poſthabito reverti: per aliquot dies incertus conſilii in Urbe ſubſtitit. Subodoratus cauſſam Nicomedes, colloquium expetivit hominis, idipſum cupide amplexi, convenitque *ut impiarum inſidiarum fraudes in caput ejus qui ſtruxiſſet, converterentur*. Aſſumitur in conſeſenciam Andronicus, ut per eum Attalus re cognita, juveni Bithyniæ regnum invaſuro arma viresque præpararet. Priores illi diſceſſerunt: Ita compoſita re, ut ad Bernicen, Epiri oppidulum eſt, appellenti occurrerent. Ibi egredientem ex navi, cum quingentis quos habebat militibus Andronicus excepit, Regiſque appellatum nomine, cujus & habitum aſſumpſerat, honorifico cum ſuis comitatu deducebat. Juſtinus 34. 4. Appianus. Strab. lib. 13. Appian.

VII. Menas ignorantiam anteactorum, & tum ut in re ſubita perturbationem ſimulans, adeuntis ad ſuos, & multis quaſi per indignationis æſtum temere effuſis, *porro quid agendum*, inquit, *milites? neque enim levis eſt deliberatio: ſed ex cujus eventu ſalus noſtra noſtrorumque & fortunæ omnes pendeant. Inter duos Reges judicamus, utrius deinde judicio vitæ necisque noſtræ poteſtatem permiſſura fortuna ſit. Nam in hoc uno omnis conſilii noſtri prudentia vertitur, ut illius in partibus inveniamur, cujus imperium approbaturi dii ſunt. Sane quis eventus negotii ſit futurus, non aliunde rectius, quam ex utriuſque comparatione intelligetur. In itinere noſtro invenis eſt, domi ſedet ſenex: ille charus Bithynitis; hic exoſus: charus & externis ille, de Romanis ſcitis; Attali legatum Andronicum jam etiam ſatellitem Nicomedis videtis, non obſcuro argumento, quidquid hoc eſt, conſiliis Attali geri, gerundumque mox viribus, quas & magnas habet, late imperans; & opportunas, Bithyniæ imminens: & promptas, ex veteri contra Pruſiam ob ſuperiora bella odio.* Menas Pruſiæ præfectus milites alloquitur.

VIII. *Unde mihi, fateor enim, valde inclinat animus, ut eum potiorem judicemus, qui & propior nobis, & ætate amicitiiſque firmior eſt. præſertim ubi Pruſiæ crudelitatem recogito. neque de quotidiana illa pervulgataque loquor milites, ſcelus eſt, quod neque nunc ſuſpicamini, neque ubi dixiſſem, de alio poſſetis quam de Pruſia credere. Nicomedem Romæ interfici voluit, hoc erat præcipue cur ego mitterer. ad hoc & naves iſtas, & hanc militum manum accepi. Quæ & ipſa non ultima reputandi cauſſa eſt. quanto cum periculo ſimus ad tam immitem dominum reverſuri, & an nobis parſurus videatur qui filio non pepercerit? Quod ſi quo caſu patris crudelitatem effugerimus, non minus timenda erit filii ſeveritas, né tanquam ſpretus à nobis pœnas exigat. at demus, eum oblivioſci injuriam quam vindicare malle; tamen ſine notitia ſine gratia vulgus erimus. at, nunc beneficio dando recipiendoque locus eſt: & vacuam adhuc novi principis gratiam occupamus, cujus libertatem præ omnibus ſenſuri ſunt; quæ ante omnes acceſſerunt. Velimus, nolimus, Nicomedis auſo, Bithyniæ votis, Andronici conſilio ſubſcribendum erit, milites, niſi potius videtur, deterrimo Regi cum certo exitio, quam innocenti cum ſalute & præmio accedere.* Hac oratione quum permotos omnium animos ſenſiſſet, priuſquam mutari pœnitentia poſſent, ad Nicomedem univerſos adduxit, proficiſcentemque in Attali regnum comitatus eſt. Et ut ad Nicomedem deſciſcant hortatur.

IX. Attalus juvenem comiter exceptum *conſidere* juſſit: *debitumque ſibi deum hominumque voluntate Bithyniæ regnum magno animo capeſſere.* Nam & Sibyllæ quædam carmina ferebantur, per quæ Attalus fato deſtinatam Nicomedi Bithy- Attalus Nicomedem juvat. Zozim. lib. 3. Appian.

niam interpretatus, cupiditatem hominis fiducia inflammabat. Missis deinde ad Prusiam legatis postulavit *urbes quasdam concedi filio & agros, quorum reditibus aleretur*: ille *paulo post totum Attali regnum ei daturum, neque alia mente nuper in Asiam se irrupisse* respondit. Certos deinde homines Romam misit, de Nicomedis pariter Attalique injuriis questum, contra quos auxilium fidemque populi Romani invocabat. Neque illi segnius in Bithyniam invasere: fubinde deficientibus ad eos multis. Unde Prusias universis diffisus, & Romanorum ope insidias evasurum sperans, exercitum opponere supersedit: tantum à Diegyllide socero petitis acceptisque Thracibus quingentis, eorum præsidio, & arcis Nicææ munimentis salutem tutabatur.

Liv. Epitom. Appian.

X. Non fuit id consilium felix Prusiæ. nocuit præter alia prætoris urbani factum, qui per absentiam Consulum de legatione Bithynica referre quum debuisset; quo gratum Attalo faceret, per quam multos dies neglexit: deinde quum Senatus decrevisset, *ut ab ipso prætore legati tres nominarentur ad res Bithyniæ componendas*, tales delegit, ut causam præberet M. Catoni dicendi, *legationem à Populo Romano mitti, quæ nec caput, nec pedes, nec cor haberet*. unius enim legatum caput cicatricibus deforme erat: alter laborabat ex pedibus, tertius ad stultitiam usque simplex habebatur. Nec meliorem igitur eventum hæc legatio, quam pro hominum opinione habuit. Quum enim ex compacto Nicomedes Attalusque *se in potestate Senatus fore* respondissent; Bithynorum principes prius edocti negaverunt *se prodi discessu eorum debere, quorum fidem sequuti, bellum adversus Prusiam sumpsissent. Neque enim post professa odia, detectumque animum suum, sub ditionem crudelissimi Regis redituros*. Ita legati, ut quid Bithynorum istas querelas nullum à Senatu mandatum attulerant, rebus eorum in statu quo reperierant relictis, discesserunt.

Legatio Romana inutilis Prusiæ.

Liv. Epitom. Appian. Plutarch. Catone major. cap. 16. Appian.

XI. Destitutus unica spe Prusias, cujus fiducia nihil aliunde præsidii paraverat, Nicomediam perfugit, munire urbem, & si venisset hostis, ferre obsidionem paratus. Tum vero vices suas plane peregit, publicum odium; apertæque ab oppidanis portæ Nicomedem cum exercitu admiserunt. Prusiæ ab omnibus, etiam servis, deserto perfugium in ædem Jovis fuit, ubi religione se tutantem, quam sæpe violaverat, immissi à filio percussores interemerunt. Ambi-

Prusias jussu filii occiditur. Just. 34. 4. Diod. lib 32. Appian.

guæ æstimationis scelus, ut nescias uter fuerit deterior, qui filium interficere voluit, an qui patris parricidium alio parricidio ultus est. quum enim cujuslibet

hominis ſanguinem haurire, niſi juſtiſſime fiat, inhumanum ſit; etiam ferarum immanitatem ſuperat, eripere vitam, cui dederis, aut à quo acceperis. Neque mitior deinde in fratres fuit. quorum unus cognominis patri, raro naturæ luſu pro ſuperiore dentium ordine, os unum continuum ita habuiſſe dicitur, ut neque adſpectu deformior inde, neque ad uſum ineptior fieret. Val. Maxim. l. 8. c. 13. Ecr. Plin 7. 16. Liv. Epitom.

XII. Quum hic Bithynicarum rerum ſtatus eſſet, in Syria nihilo mitiora tempora fuere: quum Regem inertia ſocordiaque Pruſiæ ſimillimum haberet. Alexander is fuit, quem pro filio Antiochi ſe gerentem ad regnum Demetrio extorquendum Epheſi ſe paraviſſe diximus. Quæ ab illo tempore ſequuta ſunt, donec vita regnoque Demetrius exutus, ab inſtituto minime alienum eſt exponere. Demetrium luxus & ebrietas, qua majore dici parte laborabat, neque minus vitium ſuperbia, inviſum ſuis reddiderant. Nam & conſpectum ſui populo denegans, vitam agebat in regia, quam ſibi prope Antiochiam ſtruxerat, turribus quatuor munitam, ſine cura negotiorum regni, ſuis tantum voluptatibus intentus. Unde non materia magis odii hominibus, quam occaſio proditionis fuit. Qua uſus Alexander Ptolemaida, tradentibus qui in præſidio erant militibus, occupavit. Hæc audita veternum Demetrio excuſſere: collectoque ingenti exercitu, ad conſligendum cum hoſte properavit. Judæorum eo tempore gens ducum ſuorum victoriis ex magno contemptu, in famam virtutis, & fidei ſe vindicaverat. ergo Jonathanem (is tum præerat genti) amicis literis Demetrius ad auxilium vocat: & oblivi ſci acceptarum à Syris injuriarum jubet. Prævaluere Alexandri promiſſa, qui nullis exoſus maleficiis, proniores ad credendum ſibi animos invenerat. Syriacæ turbæ inter Alexandrum & Demetrium Reges. Polyb. apud Ath. 10. 12. Joſeph. 13. 3.

XIII. Tandem quum ſummis uterque viribus ſeſe armaviſſent, prælio commiſſo, anceps primum victoria, deinde cadente Demetrio, tota in parte Alexandri fuit. Nam dextrum Demetrii cornu ita ſplendide vicerat, ut appoſitos ſibi hoſtes non modo averteret, ac diu perſequeretur, ſed etiam caſtra capta ſpoliaret. at in læva acie Demetrius ſuperabatur, ſuorum ignavia: nam ipſi ad extremum virtus & robur animi ſuperfuit. Diffugientibus enim, qui cum ipſo fuerant, fortiſſime pugnans haud paucos interfecit: donec alios impetum ejus declinantes inſequutus, equo in paludoſum locum adacto explicare ſe non potuit. Tum reverſi qui eſſerant, regemque jam peditem circumſiſtentes, conjectis undique telis non ſegniter ſe defendentem obruerunt. Hic exitus Demetrio fuit, undecimum annum Syris imperanti. Joſeph. 13. 4. Joſeph. 13. 5. Demetrius fortiter pugnans interficitur.

XIV. Alexander ducta in uxorem Ptolemæi Philometoris filia, fortunam faventem ignavo animo tulit. Tanquam enim voluptatum, non virtutis & gloriæ officina regnum eſſe deberet, ſegnis & excors, inter ſcortorum greges, in ganeo & luſtris, Ammonio cuidam, crudeli & perfido homini, permiſſa regni adminiſtratione, infamem vitam tranſigebat. Unde non per civitates modo atrocia multa gerebantur, vænali ad omnium facinorum auxilium, veniamque Ammonio; ſed ipſam quoque regiam omnia ſævæ abſurdæque dominationis mala circumvenerant: donec præter alios innumeros, amicis regis omnibus, & regina Laodice, & Antigono Demetrii filio interfectis, ſpoliatus conſilio, privatus amore Syrorum, Alexander externis ſimul armis, domeſticæque proditioni objiceretur. Alexander deinde peſſimeimperat.

XV. Haudquaquam pari vita famaque per idem tempus in Africa Numidiæ Rex Maſiniſſa deceſſit: vir non tantum armis, quibus nobiliſſimus fuit, ſed etiam Numidiæ Rex Maſiniſſa moritur.

Appian. Pun. Val. Maxim. 9. 13. ext. Appian. Eutropius. Epitom. Liv. Appian.

ingenio & artibus regnandi maximus. Ergo moriens quoque rebus filiorum & regni optime providit, donis luculentis inter naturales liberos, quos habebat multos, distributis, *legitimisque*, quorum ingenia morosque valde diversi erant, *P. Scipionis arbitrium expectare* jussis, *ut id unusquisque eorum haberet, quod ipse tribuisset*. Et hunc quidem vivus adhuc arcessiverat, avita propriaque amicitia cognitum, ut eo in hereditate filiis distribuenda consultore uteretur. Prævenit fatum: sed tamen rata sanctaque liberis etiam morientis voluntas fuit.

Ejus Elogium

XVI. Hic non modo à Pœnis & Syphace regnum paternum armis receperat, sed etiam multiplicaverat: hinc ad vicinam Oceano Mauritaniam, inde usque ad Cyrenaici agri terminos ditione prolata. Sed & mores gentis, quod maxime Regium opus est, humaniores quam invenerat, reddidit. pro vagis & latronibus, civilis atque militaris disciplinæ capaces, & urbium agrorumque bonos cultores efficiendo. Superioribus enim annis per ignaviam incolarum, rellus suo ingenio ferax, sterilitatis opprobrium immerito tulerat, quum homines otiandi & prædandi dulcedine agriculturam negligentes, agrum feris relinquerent, ipsi herbis & lacte vescentes, inter sese potius de vili & aspero victu, quam adversum feras de optimi agri possessione dimicarent. Horum desidiam & imperitiam Masinissa ipso opere arguit; ingentes diversis locis agros conferendo, qui omnis generis frugibus fructibusque, haud minus quam ulla felicissimarum toto orbe regionum abundarent. Unicuique filiorum agros ejusmodi reliquisse dicitur, denum millium jugerum singulos.

Strab. lib. 17. Val Max. 7. ext. 6. 13.

Polyb ap. Val. Strabo. Appian. Strabo. Polyb. Diod. 32. 2.

XVII. Vitam ad hanc & valetudinem, necessaria rebus magnis instrumenta, supra nonagesimum ætatis annum, temperantia & labore propagaverat: ex quibus sexaginta regnavit. Argumentum haud vulgarium in sene virium fuit, semper plena liberis Regia, quorum numerus postquam primum superare denarium cepit, nunquam postea fuit minor: quum in deficientium locum plerumque plures subnascerentur: in quibus annotatus est robusto corporis habitu puer, quadrimus admodum, quum vita pater excederet. *Sthemba* ei nomen fuit, quem post communis parentis obitum Micipsa frater adoptavit. Sic tradidit Polybius; alii *Methymnatum* appellarunt: de re non dubitatur. Præter hunc filios reliquit ex justo matrimonio quatuor, ut idem Polybius scripsit: sed trium modo nomina & gesta noscuntur. His omnibus, cæterisque quos ex concubinis susceperat, adeo semper venerabilis ejus majestas fuit, ut domus illa nullo umquam motu, quales in regiis familiis ciere juvenum cupiditas, aut suspicio senum solet, concuteretur. quum & pecuniarum vim maximam, & egregios haberet exercitus: majorem interdum novandis quam continendis rebus materiam, nisi magna dominorum auctoritate custodiantur. Scipio dimissus à Manilio proconsule, post tertium diem, quam exspiraverat Rex, Cirtam pervenit.

Vegere senectus: Lucianus. Macrobius. Polybius, Appianus.

Diodorus. Liv. Epitom. Polyb. apud Suidam & Valef.

Val. Max. & Plin. 7. 14.

XVIII. Ibi cognito Masinissæ testamento, cui & filiorum unanimis consensus adquiescebat, cæteræ quidem liberorum turbæ (quatuor & quadraginta relictos quidam numerant) præter accepta à parente dona adjecit oppida quædam agrosque; penes legitimos vero thesauros, & vectigalia & Regium nomen communiter esse voluit: seorsim autem, uti cujusque moribus congruum videbatur, Micipsæ, cui annulum pater moriens dederat (maximus is natu, & pacis erat amans) Cirtam cum Regia, vectigaliumque tractationem; Gulussæ viro mi-

Appian. Zonaras. Polyb. Appian. Eutropius. Zonar. Appian. Zonar.

Scipio Æmilianus inter Masinissæ liberos hæreditatem dividit.

lita-

litari, pacis & belli arbitrium, Manaſtabali ob Græcarum artium & juſtitiæ ſtudium, judicia dedit. Liv. Epitom. Zonar.

XIX. Revertentem ad caſtra Scipionem ſtatim Guluſſa cum equitatu Numidico ſequutus eſt, jam enim hiems remiſſa, quæ neque longiſſima iſti cœlo, neque acerrima eſſe ſolet, rebus gerendis opportunitatem aperuerat. Præſertim adverſus Phamææ incurſiones magnum auxilium in Guluſſa fuit: cujus equites equique nec audacia nec patientia hoſtilibus inferiores, non minus apti ad diſturbandas inſidias, quam ad ſtruendas illi erant. Ita multa quæ in parte Carthaginenſium fuerunt oppida, expugnata; multa voluntate incolentium, maxime per Scipionem, recepta ſunt. Sed aliorum obſcura eſt memoria; Tezagæ urbis expugnationem occiſorum captorumque numerus illuſtrem fecit. Duodecim enim Afrorum interfecta ibi millia, ſex capta referuntur. Urbs in navatæ operæ præmium diripienda militi data. Scipio Guluſſam cum equitibus Numidis ad exercitum adduxit. Appian. Liv. Epitom. Zonar. Orolius 4. 22.

XX. Maximum deinde Carthagini præſidium Himilco Phamæas, conſilio Scipionis ademptum. Sub idem tempus, quum forte ingens tempeſtas obortа eſſet, hinc Scipio, inde Phamæas, ſuis quiſque caſtris egreſſi, ita ſibi mutuo occurrerant, ut in via vallis interjecta conſpectum non adimeret, facultate invicem lædendi minime permiſſa. tum Scipio ſolita providentia, ne quid inſidiarum porro abſconditum eſſet, tribus omnino comitatus ſpeculatum proceſſit. Hoc animadverſo Phamæas cum fidiſſimo amicorum contra ſe tulit obvium. unde Scipio in colloquium venire velle virum ſuſpicatus, & ipſe relictis duobus cum uno comite adequitavit. Ex intervallo deinde, unde percipi vox poterat, *te vero imprudentem*, ait Scipio, *qui ſalutæ publica deſperata, ſaltem de tua non cogitas!* tum ille: *ecquid* inquit, *ſalutis eſſe reliquum poteſt, ſiquidem Carthaginis hæc fortuna ſalvum me præſtare nequit, Vos à me tot adfecti detrimentis non voletis? At ego*, excipit Scipio, *ſi meam fidem ſequeris, non modo ſalutem & veniam, ſed etiam gratiam à Romanis ſpondeo*. Ad hæc Phamæas, *Te quidem Romanorum omnium fidei tenaciſſimum eſſe prædicant. ſed tamen conſiderabo, & quum fieri poſſe putavero, faxo ſcias*. Sic in præſentia quidem diſceſſum. Scipionis & phamææ colloquium. Appian. Suidas. Appian.

XXI. At Manilius, ut prioris expeditionis dedecus novo ſucceſſu depungeret, iterum ad Nepherin caſtraque Aſdrubalis ſigna movit; quindecim dierum commeatum portare juſſis militibus. adveniens deinde, caſtris eis amnem, uti Scipio nuper ſuaſerat, communitis, quum oppugnando hoſtium munitiones nihil promoveret, magnum in metum conjectus eſt, ne iterum recedentem Aſdrubal ſicut prius adoriretur. Interim ab auxiliari Numida literæ ad Scipionem deferuntur: quas ut erant obſignatæ, quum ad Proconſulem pertuliſſent, in hanc ſententiam ſcriptas invenere. *Ilia die, illum locum* (utroque definito) *ſum occupaturus. tu vero eum quo voles numero tuorum adſito, vigilibuſque præcipito, ut venientem noctu recipiant*. Quanquam nullum erat adſcriptum epiſtolæ nomen, Scipionem non fallebat à Phamæa & illam profiſci. Timebat callidum Phamææ ingenium, & ſæpe expertas fraudes Proconſul, ſed fidenti animo Scipionem eſſe videns; *ire* juſſit, *fidemque dare ſe dedenti, præmia ad Senatus voluntatem rejicere*. Neque aliud Phamæas poſtulabat, ſed *quantum ad ſalutem pertineret, ſatis ſibi pignoris indextera Scipio-* Zonaras. Appian. Zonar. Appian. Phamæas fidem à Scipione accipit.

nis esse ; cætera Senatui se permittere fatus, recessit.

Zonar. Appian.

XXII. Postero die quum suorum equitum aciem, tanquàm ad pugnam instruxisset, priusquam ad teli jactum ventum esset, ante agmen suorum constitit, evocatisque velut ad subitum consilium, turmarum præfectis ; *si quidem adhuc aliqua in nobis Patriæ spes esse potest ; ultima experiri paratum videtis*, inquit. *Sin vero res ad eum statum, quem novistis, adducta est, mihi tempus esse videtur de salute singulorum consulendi. Et ego quidem fidem jam accepi, me cum omnibus quos adduxero salvum fore : vos autem quid vobis faciundum esse putetis, exponendi brevis est occasio.* Hæc dicenti quidam præfectorum cum equitibus bis mille ducentis se adplicuerunt : reliquos Hanno, cui cognomen Albus erat, transfugere vetuit. Reducem cum Phamæa Scipionem obviam profectus exercitus laudibus & lætitia veluti triumphantem in castra deduxit.

Phamæas cum aaco. equitibus ad Romanos transit. L. v. Epitom. Appian.

XXIII. Proconsul eo successu gavisus, maxime quod inter perturbationem perculsi hoc casu Asdrubalis, receptum habiturus tutum atque honestum videbatur ; nec enim diutius morari commeatum inopia sinebat, septemdecim diebus in ea expeditione jam transactis, statim castris motis profectionem orsus est. Sic quoque fatigabat haud mollis cura, quia tridui itinere per exhaustam inopemque regionem repetenda priora castra erant. At Scipio assumpto Phamææ Guluſſaque equitatu, & paucis Italicorum aliis in campos quosdam (*Magnum Barathrum* vocant) incursione facta, exercitus inopiam sufficienti annona refecit.

Scipio commeatum expedit exercitui. Zonar. Appian.

XXIV. Jam adventu successoris cognito Manilius Scipionem cum Phamæa Romam dimisit : datis ad Senatum literis, quibus *ejus juvenis toto tempore belli præcipuam operam fuisse* fatebatur : additis etiam *quæ circum Masinissam illi : circum Phamæam, eximia & gloriosa contigissent*. Navem ingresso accurrens exercitus maximo cum adfectu læta omnia precabatur : nominatim rogitans deos, *uti Scipionem reverti in Africam Consulem capiendæ Carthaginis causa facerent*. Universis enim hæc persuasio, veluti cœlitus illapsa mentibus aderat, *non ab alio nisi Scipione, capi Carthaginem posse*. Idque ipsum multorum literis in Urbem perscribebatur. Senatus Scipionem magno favore excepit. Phamæ quoque, quum in curiam esset introductus, honorem habuit, ut consedere eum juberet. dona deinde data prætexta bullaque aurea, & cum phaleris aureis equus, armaturaque integra, & pecuniæ signatæ sestertia quadraginta data & vasorum argenteorum pondo centum : tentoriumque cum omni instrumento. Laudatum deinde, majorumque spe repletum *si bonam ad cætera belli operam* præstitisset, in Africam ad exercitum remiserunt.

Scipio magna cum laude Romam dimittitur. Zonar. Appian.

Zonar. Appian.

Liv. Epitom. Tei exul fuerat. Cic in lib. 1. 19. Appian.

XXV. Inter hæc de Claudii Marcelli fine cognitum qui cum duobus aliis senatoribus ad Masinissam legatus fuerat. Indigere bellum majoribus ab eo rege subsidiis Senatus crediderat, & ad ea comparanda legatione tali opus esse. Sed inutilis ea opera fuit : neque præverti fatum Regis Marcellus, neque vitare suum potuit, per tempestatem fracto navigio fluctibus haustus. Interea L. Calpurnius Piso Consul primo vere ex Sicilia profectus in Africam appulit, unaque L. Mancinus prætor, cui classis evenerat. His ea ratio belli placuit, ut Carthagine & castris Asdrubalis abstinerent : socias tantum illorum urbes obirent avellerentque. Prima nec satis felici auspicio tentata Clupea fuit : quam

L. Piso Consul L. Mancinus Prætores Africam ad exercitum & classem venisse.

terra marique frustrà oppugnatam omiserunt. Novam tamen urbem, propinquam Clupeæ cepit Piso, diripiendamque militi dedit: quamquam violari in se belli jura, fidemque à Consule datam insuper haberi Neapolitani testarentur. Nihil exinde prosperum Pisoni fuit, sive læsæ fidei pœnam reposcente numine, sive adversus fallaces hoc acerrimum laborantibus telum est, nihil in promissis certum fidumque esse credere: nec alibi nisi in semetipsis spem habere. Liv. Epitom. Zonaras. Appianus. Zonaras. Appianus. Zonar. Appian. Zonar. Appian. Diodor. apud Vales.

XXVI. Unde quum ad Hippagreta adductus exercitus esset, urbem magnam, mœnibus & arce & portubus & navalibus ab Agathocle Syracusio pulchre communitam: in obsidione vana tota æstas contrita est. Inter Uticam & Carthaginem erant Hippagreta, diripiendoque naves, quibus ab Utica commeatus in castra Consulum portabatur, copia rerum & divitiis inter bellum creverant. Unde non magis vindicta Consuli ob injurias, quam compendium ex præda petebatur. Sed neque oppidum expugnari, neque adversus erumpentes (bis enim eruptione pugnatum) defendi machinæ potuere; quum obsessis etiam à Carthagine subventum esset. Consul ab irrito incœpto, quum jam tempus hibernorum appeteret, Uticam exercitum reduxit. Mirifice confirmavit ea res Carthaginenses, aliunde quoque prosperis eventibus in spem erectos melioris fortunæ. præterquam enim quod incolumes erant Asdrubalis copiæ Phameæ defectionem solabantur Bithynæ ad ipsos transfugio, qui cum octingentis Numidicis equitibus à Gulussa discesserat: Micipsæ & Manastabilis promissa, nam Romanis arma & pecunias erant polliciti, differri videbant, haud dubiè futuri cura regulis rem extrahentibus. Hippagreta frustra ab Romanis obsidentur. Zonar. Bochart. Geogr. Sacra. Appian. Zonar. Appian. Zonaras. Appian.

XXVII. Ergo regionem sine metu peragrantes, opportuna loca communiebant: & passim concionibus apud urbes Romanorum famam lacerabant: *castra ad Nepherin bis infeliciter tentata; & vanam modo ad Hippagreta obsidionem, Carthaginemque ipsam licet inermem, frustrà oppugnatam* exprobrantes. Simul & ad Numidiæ reges, & ad Maurorum liberas civitates dimissæ legationes, *ad externum hostem Africa depellendum* hortabantur, docentes, *ipsis quoque imminere servitium à Romanis, si Carthaginem exscindi quieti* paterentur. Etiam Andriscum adiri placuit, bellum cum Romanis de Macedonia gerentem, & nuper magno prælio victorem: cum hoc à legatis in hanc sententiam actum. Carthaginensium spiritus & variæ legationes.

XXVIII. *Quo tempore primum ad nos fama pervenit, Philippe Rex, antiquam Macedoniæ Regum sanguinem, instar exsecta arboris subnato à stirpe surculo restoruisse, erigere animos cepimus, certi, non ad exiguum aliquod opus, sed plane clarum & admirabile, tam singulari Deûm consilio te servatum esse. Cæterum qualia mox à te perfecta sunt, ne divinare quidem, aut si quorum in mentem venisset, credere potuisse mus, adeo spem quoque faventium, qua nihil solet esse in promittendo liberalius, merita felicitate anteveniisti. Vix in lucem te prodiisse audiveramus, quum te Romam in vinculis duci nunciatum est: vix reficivimus captum, quum te non modo liberatum injusto carcere, sed etiam recuperata Macedonia paterni Regni compotem intelleximus. atque hæc, quis credat, ab uno & juvene tantillo tempore patrata sunt: ut callidissimorum hominum astum ingenio, potentissimorum vires virtute superares: neque ex tanti Regni possessione quidquam, præter admirationem tam cito deperditæ relinqueres. Quid deinde, quum Prætorem exercitumque Romanum tanta cum ignominia & clade repulisti?* Oratio punici legati ad Andriscum. Livii Epitom. Appian. Orosius 4. 21.

XXIX. *Sed hæc ut tibi præcipue gloriosa & utilia sunt; ita non possunt non læta esse omnibus, qui sub tristi communium dominorum jugo, nihil aliud quam diem pristinæ recuperandæ libertatis circumspiciunt. Nam & exemplo plurimum eriguntur, quod vinci Romanos posse, neque necessum esse servire, si animus sit libertatis capax, docuit: & vident occasionem sibi patefactam, qua tutius quisque adversus distractosque pluribus bellis, jus suum vindicet. Atque hæc senatum populumque Carthaginensem moverunt, ut ad te gratulatum & societatem amicitiamque petitum mitteret, spe minime dubia te quoque paribus caussis eadem consilia sequuturum, eamque rem utriusque saluti & gloriæ fore: velut divina quadam sorte ita temperatis omnibus, ut magnum mutuum usum adversus communem hostem præbitura fœdera, nihil habere inter nos aut metus, aut etiam suspicionis possint. Romanis provinciis utrinque proximi, tanto maris interjecto spatio sic inter nos disjungimur, ut nocere invicem, si hostili animo simus, nequeamus: sin amico, non prohibeamur auxilia mutuo mittere.*

Carthaginenses societatem Andriſci eruerunt.

Jam utriſque ſalubrem fore legatus docet.

XXX. *Præterea fœdus illud stabile perpetuumque fore spondet, satis magno fidei pignore, quod ita se gesserunt Romani, ut neque nos Macedoniam, neque tu Carthaginem, unquam ad amicitiam illorum redituram suspicari debeamus, nisi rem omnium charissimam pulcherrimamque, libertatem ultro protecturos opinemur, qualibus in se concedant dominationem immemores: Nam ut nostra taceamus, quæ passi ab injustissimo populo gravia, & intoleranda olim & recens sumus, quomodo Romanis quisquam deinceps credere Macedonum poterit, quia bella cum Philippo, bella cum Perseo gesta: regnum, ne se respicere, & pristinam gloriam repetere posset, ita discectum, ut etiam connubiorum jure gentis ejusdem hominibus interdiceretur: alia quorum neque obscura notitia, neque sensus esse parum acerbus potest, meminerit.*

Andriſcum neceſſarium perpetuum Romanis hoſtem fore oſtendit:

XXXI. *Nam te quod attinet, præter communes omnibus caussas, domesticæ proprieque injuriæ perpetuum Romanis hostem auctorarunt. ut avum tuum taceam, ita contumeliose tractatum, ut deliberatum seni quoque fuerit, non ulterius ista pati: quam indignis modis patrem tuum habuerunt miserum, quem post varia & atrocia ludibria contra fidem datam occiderunt? quid de fratribus tuis dicam, quorum sanguini pepercerunt, ut ambigere liceat, crudelusne servaverint filios, an interfecerint patrem. Quam immanis dii boni fastus? quanta superbissimi populi insolentia? quid aliud ea clementia quæstum est, quam ut per summam impudentiam, dum Regii juvenes aut fabrili opere sordidantur, aut scriptum faciunt, & magistratibus apparent, quotidie de Macedonia triumpharet.*

Vetus inter Macedonas & Romanos fœdus commemorat.

XXXII. *Hæc quidem novi cujusdam & inauditi exempli sunt: adeoque prinsquam fierent, cogitare de iis nemo potuisset, jam tamen avorum nostrorum providentia satis deprehendit, quam acerbus utrique populo futurus Romanus esset, nisi juncta ope sociatisque viribus coerceretur. Et profectum aliquid esset, nisi captivitate legatorum, qui inter Hannibalem & Philippum commeabant, communionem consiliorum, & opportunitatem temporum, quæ duo plurimum valent in bello, fortuna sustulisset. Sed forte diis ita visum, ut quid intergloriosam libertatem, & humile servitium interesset experti, constantiore proposito cœptis insisteremus. Quod igitur felix faustumque sit, his legibus amici-*

tiam incamus, ut commune nobis contra Romanos bellum sit, nec niſi communi conſilio ponatur. nec in præſens à te aliud quam quod ultro facturus eras petimus, ut quam jure cæpiſti Macedonia poſſeſſionem, armis uſque quaque tuearis.

Naves & pecuniam offert.

XXXIII. *Egregium exercitum habes; Thracum fortiſſima auxilia: nec tam longinqua eſt Italia, & iter, de quo jam avus tuus deliberaverat, noſti. non aliter quietæ tibi domi res erunt, quam uti, ne illis in Italia ſint, efficeris. Navibus & pecunia te præ magnitudine belli parum inſtructum eſſe ſcimus: hæc per nos tibi populus Carthaginenſis offert. à te ſi quid auxilii poteris mittere, quum opus erit, ſperat. hactenus quidem ita ſuſtinuit bellum, ut vi amiſerit haud multa. nam arma, elephantos, & cætera decepti ultro tradidimus. neque quid ſequatur ſit ignoras. Perfidum hoſtem à mœnibus patriæ, quum arma deeſſent, corporum objectu arcuimus. deinde raptim armati, ut præſens neceſſitas ſuggeſſerat, magnas hoſtium copias, & Conſularem exercitum, ſemel atque iterum ad Hippagreta, cecidimus. præſidia locis opportunis impoſuimus. denique bellum ea ſpe ſuſtinemus, ut proſpere ceſſura putemus, quæ agimus; iis animis, ut quamlibet potius ſortem ſubituri, quam Romanis nos dediturí ſimus.* Quid ad has legationes reſponſum à Regibus civitatibuſque fuerit, non traditur: quanquam id etiam ex cujuſque fortuna ſtatuque, qualis eo tempore fuit, propemodum conjicere integrum eſt.

Aſdrubal præfectus Carthaginis fictis crimine opprimitur.

XXXIV. Iiſdem cauſſis, quibus Carthaginenſes ſuſtulerant animos, ſed propria quoque gloria elatus Aſdrubal, jam etiam ad urbanæ militiæ præfecturam adſpirabat. ſed longum per bonas artes iter videbatur: quod proclivius erat, criminari Aſdrubalem urbi præfectum inſtituit, ſuſpicionemque tanquam avunculo Guluſſæ urbem proderet, apud quoſdam principum movit: à quibus quum in ſenatu crimen acerbe objectum eſſet, iſque improviſo periculo perculſus obmutuiſſet, in ipſa ſtatim curia pro confeſſo ſubſelliorum fragmentis eſt obrutus.

Zonar. Appian. Auctor de viris illuſtribus cap. 58. Plut. Apophth. Rom cap. 20. Appian. Zonar. Velleius 1. 12. Scipio à ditiorem populum conſulatui pleriſque deſtinatur.

XXXV. Inter hæc quum tempus comitiorum in propinquo eſſet Romæ, intenta civitatis in novos magiſtratus cura erat, *quiſnam adverſus tanti belli molem idoneus Imperator legeretur.* Cognitis enim Pœnorum apparatibus Piſonis Conſulis ignavia, haudquaquam ſecuris mentibus *res in Macedonia adverſas, in aliis Regnis turbatas, odia Pœnorum neceſſitate irritata, nullamque in tantis acerbitatibus ſpem pacis & conditionum* reputabant, quum ſubito veluti numine quodam objectus Scipio Æmilianus, omnium animos mœrore curaque exſolvit. Ædilitatem cum maxime petebat, nam à majoribus magiſtratibus ætas eum & annales leges arcebant. At ubi primum oculis populi ſe dedit, reſque ab illo nuper eadem in Africa geſtæ, & favor exercitus, & nomen Scipionum animis occurrerunt, vulgo homines exclamare, hunc non modo dignum Conſulatu, ſed unum eſſe, à quo ſperari optatus belli finis poſſet.

Et fruſtra repugnantibus nobilis Conſul creatur. Val. Max. 3. 1. 4. Appian.

XXXVI. Urbanæ multitudinis deſiderium, non jam teſtimonia modo Africani exercitus, ſed ſcriptæ ad Senatum literæ adjuvabant, quibus diſerte Scipio ad Carthaginenſe bellum Conſul poſcebatur. Obſtabant tamen haud infirma tendentibus impedimenta: majeſtas legum, dignitas candidatorum, & communis ſeniorum injuria, ſi præter morem & contra jus in civitate receptum transversis unus adoleſcens præferretur. Hæc qui comitia habebat Conſul Albinus, hæc alii Patrum inculcantes, negabant, *ſalvis legibus, ſalvaque dignitate civitatis, rationem Scipionis haberi poſſe.* Neque ſeguius niti populus, ut Scipio-

Scipionis præmaturus Consulatus.

nem utique Consulem haberet. Post multa leviora, quàm pro magnitudine rei certamina, quum ad Romuli Tullique leges provocaret populus, *sibi comitiorum potestatem iis datam* clamitans, unus de collegio Tribunorum minatus est Consuli *se jus comitiorum adempturum, nisi voluntati populi cessisset*. Ita postremo privilegium ferri placuit, quo legibus annalibus Scipio solveretur, accommodato magis ad præsentia consilio, quam in sequentem ætatem exemplo salutari. Adeo numquam bonis legibus sine aliquo reipublicæ detrimento sua vis adhibetur, etiam ubi mutari eas honestæ justæque caussæ coëgerunt.

Diod. apud Valesium. Liv. Epitom. Appian. Cicer. Lælio cap. 3. Appian.

XXXVII. Datus Scipioni collega C. Livius Mamiliani F. M. N. Drusus, inito Consulatu, intempestiva ambitione certamen de provinciis movit; victam semel *consuetudinem* frustra in partes advocans, *qua de provinciis sortiri Consules aut comparare solebant*. Difficile erat eripere provinciam Consuli Scipioni, quum hujus ipsius provinciæ caussa contra leges Consul factus esset. Itaque ex auctoritate Senatus, latum ad populum est, *uter Consulum in Africa cum imperio esse deberet?* consensu *Scipionem* jusserunt. Hinc decretum, *uti delectum haberet ad exercitus Africani supplementum, donec eo numero militum is esset, quo à principio fuisset. Præterea si qui ex sociis militare sponte vellent, recipere eos* permissum: *literisque populi Romani nomine auxilia Regum populorumque excire*. Missaque sunt à diversis: & rebus omnibus ad profectionem apparatis, in Siciliam Consul, & inde in Africam trajecit.

Urb. cond. an. 606. Val. Maxim. Appian.

Liv. Epitom. Vellejus 1. 11. Eutropius. Florus l. 2. Juventius prætor ab Andrisco vincitur. Orosius. 4. 22. Zonaras. Diodor.

XXXVIII. Quæ inter hæc in Macedonia per P. Juventium primum, deinde Q. Metellum prætores, ad ipsum belli finem gesta sint, tempus est referre. Juventius Andrisci tanquam imaginarii scenicique Regis arma despectui habens, quasi in bellis fortuna semper caussam sequeretur; temere in Macedoniam irruptione facta, exercitum vitamque eadem clade amiserat, vix noctis superventu servatis copiarum reliquiis. Eo successu sublatus victor, nec enim inter fortunæ blandimenta tegere se degener animus poterat, de cætero velut auctoritate regnandi satis stabilita, sine pudore, sine metu ad crudelitatem injustitiamque, tyrannici spiritus opera prorumpebat, occidere, rapere, fictis criminibus ditissimum quemque tollere; postremo ne amicis quidem parcere, quorum haud pauci de medio sublati. Erat enim ingenio ferus aviduſque cædium, in sermonibus arrogans, avaritiæ cæterisque vitiis fere omnibus deditus, ut satis pœnarum sub eo Rege populo Romano datura fuerit Macedonia, si diutius vitam imperiumque prorogare potuisset. Cæterum post Juventii prætoris cædem

Zonaras.

irerum signa Thessalæ intulit, multaque ejus loca depopulatus, Thracum, ut ad fortunatam militiam, plures adtraxit.

Ille vicissim à Q. Metello Macedonia pellitur. Eutropius. Pausanias in Achaicis. Zonar. Strab.

XXXIX. Hæc ut Romæ sunt audita, Q. Cæcilium Metellum festinare ad tutelam sociorum Senatus jussit. Advenienti huic in Macedoniam Andriscus cum exercitu statuerat occurrere, sed distractus Attali regis opera, qui cum classe in auxilium Romanis venerat, solicitusque de ora maritima, non est ausus longius procurrere: sed modico à Pydna intervallo castra communiit. Inter hæc quum propius suggressus esset Romanus, equestre prœlium ortum, quo superior Andriscus, metu tamen pedestris exercitus de summa rerum dimicare noluit. Sæpe modica victoria magnæ cladis initium fuit: adeo interdum humanæ mentes nesciunt, quibus rebus dolere lætarive oporteat. Crevit animus equestris pugnæ

eventu, credidit que se parem Metello nihilominus fore, tametsi partem copiarum ad vastandam Thessaliam dimisisset. Metellus tempore usus, stultitiam hostis in suam occasionem vertit; copiisque quæ Macedoniæ præsidebant facili negotio fusis, cæteros ultro pœnitentes commissorum, in deditionem accepit. Iustinus. Zonar.

XL. Andriscus in Thraciam profugerat, viribusque ibi reparatis, denuo cum Metello, qui victoriæ beneficio aperta Macedonia defectionis auctorem quocunque se reciperet, persequebatur, confligere est ausus. Par priori hujus quoque prælii eventus splendidaque Metelli victoria fuit, quinque & viginti millia hostium duabus pugnis occisa: provinciam Romanis, Metello cognomen Macedonici reddidere. neque minor capti Andrisci, quam ipsius victoriæ lætitia fuit. Ad Byram Thraciæ regulum confugerat, qui stultum esse ratus fidem servare post fortunam ei quem unius fortunæ causa coluerat, hostpitem & supplicem suum Romanis dedidit. Idem fere fatum & alterius mox impostoris fuit. qui & ipse Persei patrem mentitus, & Alexandri nomine tumens, regionem quam Nestus fluvius alluit, contracta perditorum hominum manu occupaverat. Metellus locis quæ tenuerat ille nullo negotio receptis; ipsum comprehendere non potuit, quum celeri fuga ereptus in Dardaniam sese penitus abscondisset. Iterumque victus in Thracia à quodam regulo victori traditur. Velleius. 2. Eutropius. Auct. de Vir. Illust. Liv. Epitom. Zonar. Florus. 2. 14. Zonar.

FINIS LIBRI L.

JO. CLERICI IN T. LIVIUM NOTÆ.

IN LIBRUM XXXV.

VII. α *Feralia*.] Hoc eſt ante diem 8. vel 11. Kalendas Martias. Vide *Ciceronem* ad Atticum l. 3. Ep. 14. lib. 4. Ep. 1. & ad eas interpretes.

XXIII. β *Ad tuendos*.] Rectè conjiciebat *I. F. Gronovius tenendos*; hoc eſt ad eos tenendos in Romano fœdere.

XXXIV. γ *Ut quaque de Antiocho*.] *Tan. Faber* legebat *quieti de Antiocho*. Sed videtur ſenſus eſſe, *ut viderentur expectare quaque de Antiocho*, hoc eſt, omnia ab Rege.

LI. δ *Eo jure ſancto*.] Hoc eſt, inviolabili. De Urbibus quibus fuit jus Aſyli, vide virum dignitate juxta ac eruditione illuſtrem *Ezech. Spanhemium* de Præſt. & Uſu Numiſmatum diſs. 9. ſect. 5. ed. Londinenſis, ubi hic *Livii* locus profertur & illuſtratur.

IN LIBRUM XXXVI.

III. α *Quibuſque in ſenatu &c.*] Quinondum adlecti à Cenſoribus in Senatum fuerant, quamvis honoribus Populi uſu Senatum ingrederentur. Vide *A. Gellium* l. 3. c. 18.

VII. β *Quid*.] Sic legimus ex auctoritate *J. F. Gronovii* pro *quidquid*. verbaque hæc parentheſi clauſimus.

XXII. γ *Partem qua extra muros*.] Sic ex certiſſima emendatione *Gronovii* reſtituimus, pro *arcem extra muros, qua*.

XLIII. δ *Centum quinquaginta*.] Enumeratæ tantum ſunt *centum quinque*, quomodo legendum cenſent viri docti.

IN LIRRUM XXXVII.

IV. α *Obſcurata lux eſt*.] Defectus ille ſolis ex calculo *Dionyſii Petavii*, convenit anno Periodi Julianæ 4524. Cyclo ſolis 16. Lunæ 2. Martii 14. Feria 2.

XXIV. β *Navium virtus*.] Legendum dudum conjecti *navalium*, nempe, ſociorum, *virtus*.

XLV. γ *Quindecim millia talentûm Euboicorum*.] Talentum Euboicum fuit 7000. denariorum, ex calculo *Ed. Bernardi*, hoc eſt, 700. Philippeorum, ſeu florenorum bis mille centenorum.

XLVI. δ *Tetradrachmûm &c.*] Tetradrachmum Atticum eſt circiter 24. Stuverorum Hollandicorum. Ciſtophori 5. fermè Tetradrachmum æquant.

LVI. ε *Telmiſſum*.] Cum nummi conſtanter ſcribant Τερμησσὸς, ut & nonnulli ſcriptores Græci, credibile omnino eſt Termiſſum ſcribendum eſſe, ut rectè cenſuit vir dignitate & eruditione juxta illuſtris *Ezech. Spanhemius* de Uſu Nummiſm. diſs. 9. 1. vide lib. 38. cap. 15.

LVII. *Ineſtimabili*.] Si ita legen-

dum, ſignificatur perjurium Catonis ceterius eſſe omni diſtributione pecuniæ quæ æſtimari poterat, cum perjurium, quo Cato caput ſuum obſtringebat, ejuſmodi pretium cenſuræ eſſet, quod æſtimari non poterat. *Gronovius* conjiciebat *inexpiabili, inteſtabili, aut inexcuſabili*.

LVIII. *ν Tetradrachma.*] Vide ad cap 46.

LIX. *θ Tetradrachmûm.*] Vide ad cap. 46.

LIX. , *Quiniviceni.*] Septem florenos & dimidium, ſi Hollandicâ moneta æſtimes:

IN LIBRUM XXXVIII.

V. *κ Superato brachio.*] Munimento, quo caſtra conjuncta inter ſe erant: nam ejuſmodi munimenta *brachia* vocant Latini.

XV. *β* Termeſſenſes.] Vide ad lib 37 cap. 56.

XXXIX. *γ Conſul.*] Hoc eſt, hic Proconſul, nam prorogato demum imperio, Manlius hoc fœdus fecit.

XLV. *δ Divortia aquarum.*] Forte *divergia*, quæ propria vox eſt in finibus conſtituendis. Exempla vide in Gloſſis Agrimenſoriis *Nic. Rigaltii*. Sed tamen & apud *Ciceronem* mentes diviſi *aquarum divortiis* dicuntur, Ep. ad Fam. l. 2. 10. & alibi, niſi forte *divergia* legendum.

LVII. *ε Filiis,*] Si hic locus ſanus eſt, qui ita etiam legitur in editione Francofurtenſi *Jani Gruteri*, hoc exemplum addendum iis, quæ habet *G. Joſ. Voſſius* Artis Gram. l. 4. c. 4. ubi oſtendit priſcos Latinos *filiis* interdum pro *filiabus* dixiſſe.

IN LIBRUM XXXIX.

V *κ Octoginta millium.*] Quæ ſumma conficit ſex millia florenorum Hollandicæ pecuniæ.

V. *β Vicenos.*] Florenos ſeptem & dimidium.

VII. *γ Quadragenos binos.*] Duodecim florenos, & duodecim ſtuveros.

VIII. *δ Vinum, animos & nox.*] Legendum videtur, *vinum, amor & nox*. Sic apud *Plautum* Aulul. Act. 4. S. 10. 15. adoleſcens qui compreſſerat virginem: *vini vitio*, inquit, *atque amoris feci*, & verſu 20. *nimis vile eſt vinum, atque amor, ſi ebrio atque amanti impune facere quod lubeat licet*. Quin & noctu factum dicitur Uſ. 65. *Cereris vigiliis. Ovidius* Amorum lib. 1. eleg. 6. 59.

Nox & amor vinumque nihil moderabile ſuadent
Illa pudore vacat, liber, Amorque metu.

IX. *ε Non digna quæſtu.*] Hoc eſt, digna quæ honeſtiore ratione viveret, cum Æbutium non quæſtûs causâ amaret. Nihil ergo mutandum.

LII. *ζ Simile.*] Rectè conjicit *J. F. Gronovius*, aut *Syimula* legendum, de qua *Aug.* de Civ. Dei l. 4. c. 11. & 16. & quæ ſic dicta quod *ſimularet ad agendum*, aut *Semeles*, matris Bacchi. Prius malim, quia infra queritur Cos. Deos, qui hiſce initiis colebantur *captas mente veluti furialibus ſtimulis ad omne ſcelus & ad omnem libidinem egiſſe* c. 15.

XVII. *η Atinios.*] Sic pro *Catinium* ex ſententia *Sigonii* & *Gronovii*, edendum cenſui.

XVIII. *θ Senatuſconſulto.*] Integri ſenatuſconſulti exemplum æri inciſum etiamnum exſtat, vide *Raph. Fabretti* Synt. inſcript. p. 427.

XIX. *ι Dario, diminutio.*] Vide hæc eruditè explicantem *Hadr. Turnebum*. Adverſ. lib. 30. c. 25. Res enim paucis hic expediri non poſſet.

XXXI. *ια Saſſinere alii.*] Legendum crediderim *alios*. Hiſpani enim non potuere ſuſtinere Romanos ſeſe *alios ſu-*

per alios inferentes. Levior mutatio quam si *possunt* mutemus cum *Gronovio* in *patiuntur*.

XXXVII. λ *Apud Romanos etiam.*] Imo *enim* aut *etenim*, hæc enim verba complectuntur rationem, cur apud Romanos.

chæos precaria tantum libertas esset.

XXXVIII. μ *Quum eos in legiones.*] Sic rectè legit *J. F. Gronovius*, pro *quum eas legiones*, quia ex superiore militum numero quatuor legiones fieri non potuerunt.

IN LIBRUM XL.

X. κ *Huic esse.*] Aut aliquid deest in antecedentibus, aut hæc verba sunt corrupta. Alii legunt *incesse*, alii *exsecrare*. Rem in medio relinquimus.

XV. β *Indignus omnibus.*] Crediderim post vocem *Indignus* excidisse voculam *regno*, propter nonnullam similitudinem cum antecedentis vocis duabus posterioribus syllabis.

XXVIII. γ *Equitibus signo dato &c.*] Mirum est equites non irruisse simul cum peditibus in Ligures, sed expectasse signum ad conscendendos equos. Romani sæpius equitibus ad persequendos hostes victos, quam ad vincendos uteban tur.

XXXIV. δ *Æris trecenos.*] Novem circiter florenos Hollandicos.

XL. ε *Effrenatos.*] Vide not. ad l. 4 c. 33. & lib. 8. c. 20.

XL. ζ *Alarii equites.*] Sociorum, nempe. Vide *Litsium* de milit. Rom. lib. 2. dial. 7.

XLII. *At Pontifex.*] Cum sit in unico Mſ. codice, *ante Pontificem*, &c. conjiciebat *J. F. Gronovius* : *cooptatus est Q. Fuluius Flaccus, creato ante Pontifice maximo M. Æmilio Lepido.*

XLIV. θ *Quanta Fuluio &c.*] Vide lib. 39. cap. 5.

XLVI. ι *Implacabile &c.*] Cum legeretur in Mſ. *implicabiles fucritis, implicauerint*; sic edidit *Glareanus*. Conjici queat : *wisi fortè implacabiles fieretis, in placandis animis vestris*. sensus est: succurrunt quidem quæ dicerentur, ea tamen si *labo*, *ne fortè* dum placare vos conor, implacabiles fiatis.

XLVII. κ *In Celtiberiam &c.*] Sic legit *J. F. Gronovius* propius ad mſ.

XLVII. λ *Sestertium quater & decies.*] Triginta quinque millia ducatonum, seu florenorum 105000.

XLIX. μ *Nesibi &c.*] Conjicit *Gronovius*, *liberone fortè* anne.

XLIX. ν *Propium suspicare.*] Idem, piguit respicere.

LI ξ *Injunxerat.*] Sic *Gronovius*, pro *injuerat*, quod absurdum.

LI. ο *Rursus*] Sic *Gronovius*, pro *sacra*.

LII. π *Duello &c.*] Hæc ita corrupta sunt, ut nec conjectura quidem emendari queant. Talia erant in unico codice Germanico, ex quo sunt edita.

IN LIBRUM XLI.

VIII. α *Unum, si*] Sic *Gronovius* pro *si unum*, & postea *factarum*, pro *factarum*.

XI. β *Quinos vicenos*] Septem florenos Hollandicos & dimidium.

XIII. γ *Qui tunc esset* &c.] Hæc de sententia *Gronovii* constituta.

XVII. δ *Quini deni.*] Quatuor floreni & dimidius.

XX. ε *Intra.*] Sic ex doctorum virorum sententia edidimus pro *Ante*, quod absurdum prorsus erat.

XXVIII. ζ *Maximam &c.*] Sic pro maxime, ex sententia *J. F. Gronovii* In sequentibus etiam paucula, eo auctore, mutata.

XXVIII. η *Populus &c.*] Fortè, *belli in populum Romanum, prius pene, quam &c* sic *Alb. Rubenius*.

XXVIII. θ *Provocantes.*] Ita Gro-

novius, pro *provinciis*.

XXIX. ι *Legatos Romam &c.*] Antea erat: *ad legatos Romanos veniſſe, ac regem Perſea* &c. Quæ emendata de ſententia *I. F. Gronovii*.

XXIX. κ *Ætolique.*] Idem legit, Epirotæque.

XXXII. λ *M. Æmilio.*] Atqui Coſſ. Sp. Poſtumius Albinus & Q. Mucius Scævola tunc fuerunt. Alteruter hic nominetur neceſſe eſt.

XXXII. μ *Ferreis.*] Sive *ferè cum Marcello Donato*, ſive *feriis* cum *Car. Sigonio* legas, aliquid deeſſe agnoſcendum, quod ingenio ſuppleri nequit.

XXXII. ν *Sinueſſam.*] Emendat *Marcel. Donatus* & ſupplet *Sinueſſa glarea*. Poſtea verò *Carol. Sigonius*: *et aquam in fluvium circumducendam & ſecuram*.

IN LIBRUM XLII.

I. α *Ira.*] Sic ex ſententia *I. F. Gronovii*, pro *injuria*, quod perperam legebatur.

VI. β *Centum millium æris.*] Circiter mille Philippeorum, ſeu trium millium florenorum.

VIII. γ *Oppugnantes.*] Malim *pugnantes*, neque enim de oppugnatione urbium, aut caſtrorum agitur.

XIX. δ *Binum millium &c.*] Circiter vicenûm Ducatonum, ſive ſexaginta florenorum.

XXIV. ε *Unde præterea.*] Hic aliquid corruptum eſſe, difficile non eſt intellectu, ſed ſine libris medela nulla fieri poteſt. Videtur hic ſenſus deſiderari: *inde ſe nihil audiſſe, præter quàm legatos mitti &c.*

XXVI. ζ *Quod.*] Sic legimus pro *qui*, auctore *Gronovio quod* perinde eſt hic ac *quandoquidem*. Simile mendum vide inferius c. 27.

XXVII. η *Quo exercitum.*] Erat hic *qui*, quod in quò, hoc eſt, *ut* mutandum rectè vidit *Gronovius* quia compendiariis notis hæc vocula olim ſcribebatur, talia ſubiere menda. Vide ad c. 26.

XXVIII. θ *Cui*] Si locum ſanum eſſe conſtaret, eſſet hic Helleniſmus, ut rectè judicat *Ger. Jo. Voſſius* de arte Gram. l. 7. c. 26. Sed credibile eſt ſcribendum *quippe*, ut vult *I. F. Gronovius*.

XXX. ι *Deterioribus.*] Studiis, nempe; aut conſiliis, ob amorem Regis, & Macedonum. Sic Græci τῶν Χείρονα ſubaudientes πρᾶξιν κακήν. Nihil mutandum videtur. Vide paullo infra.

XXXII. κ *Optaturum.*] Sic ex *Alb. Rubenii* & *J. F. Gronovii* ſententia, pro *oppugnaturum*, quod ferri nequit.

XXXIV. λ *P. Sulpicio &c.*] Ante viginti novem annos v. c. 552. Vide l. 31. c. 4.

XXXIV. μ *Decumum ordinem.*] Qui inter haſtatos decimo loco ordinem duceret, qui primus gradus poſt gregariam militiam. vide *Lipſium* de M. R. l. 2. Dial. 8.

XXXV. ν *Rogati.*] Sequebatur *auxilia*, quam vocem rectè inducendam cenſuit *J. F. Gronovius*.

XXXVIII. ξ *Pr.*] Id eſt, prætore ſeu πρατῶ. Sic habuit Cod. MS. ex quo uno hæc edita.

XLIII. ο *Comparati.*] Legit *Gronovius*, *converſi*. Neſcio quid aliud latere videtur.

XLVII. π *Regis.*] Imò *principum* nimirum, civium, ut habemus l. 5. c. 27. Fortè *princip.* mutatum in *regis* à librario, qui *principem* & *regem* idem putabat.

XLVIII. ρ *Uritibus.*] Sic forte dicti cives Uriæ, urbis Calabriæ, cujus ager *Uritanus* vocatur à *Frontino*, de quo vide collecta à *Clr. Cellario* l. 2. c. 9. Geogr. Antiquæ.

L. σ *Populus Romanus.*] Malim in Dativo *Populo Romano*, itaut ei *fortuna ſua labare* dicatur, hoc eſt, fortuna hactenus favens rucre. Facile mutatus eſt caſus, quia P. R. aut additis paucis literis *Pop. Rom.* ſcribere vulgo ſolebant. *Seneca* Thyeſte v. 54.

——*dubia violenta domûs*
Fortuna, regat inter incertos, labat.

LII. ν *Sextus & viceſimus.*] Vide 1.33.c.30.

LVIII. υ *Antigonenſis hi.*] Ita ex *Carr. Sigonii & J. F. Gronovii* ſententia emendatum, cum legeretur *hic.*

LXI. φ *Millenûm,*] Sic pro *mille*, rectè legebat *Gronovius.*

LXI. χ *Aure ornſua.*] Hoc eſt, coram ipſos laudantem Perſea alacres audivere; nam *ante ora ſua*, non eſt referendum ad arma, quæ humeris gerebantur. Itaque hic mutatione minimè opus eſt.

LXIII. ψ *Quidam.*] *Gronovius* putat excidiſſe *Macedonum*, ſed nihil excidit, intelligitur enim *vis* & *ſuperbia* Romanorum, ut res ipſa oſtendit, propter quas victos eos Græcorum nonnulli gaudebant.

IN LIBRUM XLIII.

I. α *Vicere.*] Aperte *victos* teſtatur *Livius* I.42.c.59. itaque hic legendum *victi*, nam ſecum ita pugnare potuiſſe Hiſtoricum noſtrum veriſimile non eſt.

I. β *Novo periculoſo.*] Omiſſa eſt copula inter duo hæc adjectiva, ut ſit legendum, *novo & periculoſo.*

IX. γ *Spolia ſacrilegii.*] Sic emendabat *J. F. Gronovius* pro *ſpoliata ſacrilegiis.*

X. δ *Decies centum millium.*] Ducatonum ſeu Philippeorum viginti quinque millium.

XIII. ε *Patres acceperunt.*] Hæc *Jo Freinshemius & I. F. Gronovius* delenda meritò cenſent. Sed nihil præterea mutarim.

XIV. ϛ *Peditum Latinorum.*] Jubente *J. F. Gronovio*, & adſtipulante rectâ tatione, delevimus, *peditum.*

XV. η *Neſcio quo pacto &c.*] Excuſat hoc aliquatenus *Livii* prodigia tot narrantem, quod majores ſequatur. Sed præſtitiſſet referre quidem prodigia, quæ contigiſſe credebantur, propter hiſtoriam; quæ ita poſtulabat, verùm ea credere neceſſe nihil erat.

XV. θ *Libris a Decemviris.*] Hic locus eſt ad mentem *Gronovii*, paucis mutatis verbis. Antea legebatur *libri... aditi.... & addiderunt uti* &c.

XVI. ι *Tribuni.*] Imò *pratores*, ut viri docti viderunt. *Vide* c.13. & 17. Pro PR. perperam legerunt TR. qui *tribuni* hic ſcripſerunt.

XVI. κ *His Cenſoribus magiſtratus.*] Sic rectà *Gronovius*, pro *hi cenſores magiſtratum*, quod carebat ſenſu.

XIX. λ *Fidiſſimæ genti.*] Ita, pro *fidiſſima gente*, rectè emendabat *Gronovius.*

IN LIBRUM XLIV.

V. α *Campique.*] Sic rectè *J. F. Gronovius* pro *campi quoque.*

VI. β *Hippiam.*] Sic idem pro *Pelam*, quod ſenſu caret.

VIII. γ *Supra rupes.*] Conjicit *Gronovius: ſupra rupes ingentes gurgites facit, & infra prorutam in mare &c.*

XI. δ *Monſtratum eſt.*] Sic rectè *J. F. Gronovius* pro *monſtrati ſunt.*

XIV. ε *Binûm millium.*] Sexaginta florenorum monetæ Hollandicæ.

XVII. ϛ *Miſit &c.*] Suppletur, hic locus ex ſententia *J. F. Gronovii.*

XXVI. ζ *Quum pecuniam &c.*] Conjicit *J. F. Gronovius: quum pecunia tantula aut pacem habere per Eumenem, quæ vel perte regni redimenda eſſet, aut deceptus &c.*

XXVII. η *Per Perrhabia.*] Particulam *per* ex conjectura *Jani Gruteri*, addidi.

XXXI. θ *Gladiatorio.*] Nempe, præmio quod dabatur iis, qui ſponte ſua gladiatoriam operam locabant in Gloſ-

sis *Gladiatorium*, vertitur μονομάχιον.

XXXVII. κ *Nocte quam pridie &c.*] Ex calculo *Dionys. Petavii* incidit ea eclipsis in 21. Junii Juliani proleptici, Feriam tertiam, horam 8. à meridie.

Sethus Calvisius in horam 9. differt: Hunc vide.

XXXVIII. λ *Explicatam.* Sic pro *implicatam* rectè conjecit *J. F. Gronovius.*

IN LIBRUM XLV.

IX. κ *Laceratis viribus.*] Sic rectè conjicit *J. F. Gronovius* pro *Lacerantes.*

X. β *Sitamen.*] Conjicit *J. F. Gronovius*, *si is animus.*

XX. γ *Sociorumve.*] Sic scripsimus, ex sententia *J. F. Gronovii*, non *socio rum.*

XXIII. δ *Ab neutra.*] Sic pro, *ne ab utraque*, rectè conjicit *J. F. Gronovius.* Ab eodem, est paullò post *navibus*, pro *navalibus.*

XXVI. ε *Civitatum.*] Ita rectè conjiciebat *J. F. Gronovius* pro *Civitatis*, quod est in editionibus.

XXVII. ζ *Eubœaque Insula.*] Ita *J. F. Gronovius.* Antea erat asteriscus & *Æ voque ante.*

XXVIII. η *At Jovem.*] Sic reposui pro *& J. F. Gronovius* volebat *sed.*

XXXI. θ *Erat vagatus.*] Sic partim, ex sententia *J. F. Gronovii*, pro *est vagatus.*

XXXVII. ι *Hique fecerunt.*] *Alb. Rubenius* rectè conjiciebat, *tunc quievere runt*, quod probat *J. F. Gronovius.*

XXXVIII. κ *Decoræ cuique sua.*] Hæc supplevimus, cùm manifestò mutilus sit locus, ut rectè judicavit *J. F. Gronovius*, qui tamen plura verba infarciebat.

XLII λ *Sestertiùm ducenties.*] Quingenta millia florenorum Hollandicæ pecuniæ.

IN LIBRUM XLV. FREINSEH.

XL. κ *Quindecies sestertiùm.*] Hoc est 37500. nummi florenorum.

XL. β *Bis millies centies.*] Milliones, ut loquimur, quinque, & millia 250. nummorum trium florenorum.

IN LIBRUM XLIX.

XL. κ *Cochon*] Vide aliam Etymologiam, apud *Sam. Bochartum* Chanaan I. 1. c. 24.

FINIS NOTARUM.

MAG 2020081

Boston Public Library
Rare Books Department
The Courtyard Collection
of Natural History